BIBL: RES: ROTT:
SOC. JESU.

R8

D. EUSEBII AMORT
THEOLOGIA MORALIS INTER RIGOREM, ET LAXITATEM MEDIA.

d 163

BIBL. RES. POTT. AD S. IGNATII
I II S

THEOLOGIA MORALIS

INTER RIGOREM ET LAXITATEM

MEDIA,

Pro commodiori Parochorum, Confeſſariorum, & aliorum ſuæ vel alienæ Conſcientiæ conſulentium uſu, ex fuſiori Opere THEOLOGIÆ ECLECTICÆ excerpta, ac Tractatu de Obligatione diverſorum Statuum aucta,

ET IN DUOS TOMOS TRIBUTA

A D. EUSEBIO AMORT,

Canonico Regulari Lateranenſi Pollingæ, Eminentiſſimi Cardinalis LERCARI, *nec non Sereniſſimi ac Reverendiſſimi* DD. JOSEPHI, *Epiſcopi Auguſtani, S. R. I. Principis Darmſtadiani, Landgravii Haſſiæ, &c. &c.* THEOLOGO.

TOMUS PRIMUS

In quo continentur quæſtiones poſt Præfationem indicatæ.

ALMA COLLEGE 239.02 LIBRARY Am68 Alma, California

BIBL. ... AD S. IGNATII

AUGUSTÆ VINDELICORUM

MDCCLVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Proſtant

VENETIIS, APUD JO: BAPTISTAM RECURTI.

43107

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/theologiamoralis01amor

SS. D. N.

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO

Moderatori Ecclesiarum
Constanter Moderatissimo;
Doctrinæ Moralis puræ
Servatori forti, Provido;
Hanc Theologiam Moralem,
Filiam Eclecticæ, quam Summo
Beneficio ad preces Authoris
Romæ revideri, emendarique curavit,

In perenne Gratitudinis Monumentum
Eusebius Amort C.R. L.P. Dicat, Dedicat.

M. DCC. LVI. X. Kal. Julij.

Præfatio.

I. CUm plurium iterata valide inſtarent vota, ut publicarem ſeparatim *Theologiam Moralem*, quam intexueram Operi meo Theologico, Auguſtæ & Venetiis edito ſub titulo: *Theologia Eclectica, Moralis & Scholaſtica*, tandem juſtis deſideriis cedendum duxi.

II. Tractatus proin pure Speculativos *de Deo*, *de Angelis*, *de Incarnatione*, *de Gratia*, aliaſque Diſputationes fuſiſſimas, quæ ad explicanda ſolidius Myſteria fidei ſolum conferunt, penitus reſecui. Ipſas etiam Controverſias Morales, in quibus ſtabiliri ſolent operoſiſſimis contentionibus primaria quædam morum principia; liberavi a litigiorum ſtrepitu, contentus uno vel altero pro ſana doctrina argumento; ſed, ut ſpero, ſolido, quod ſufficeret ingenio ſereno, tranquillo ac docili. Singulis Reſolutionibus addo rationem, neutiquam ab authoritate ſola cœcam, ſed plerumque proxime derivatam ab ipſis Juris naturalis, divini, vel poſitivi, quos ipſus adivi, fontibus.

III. Circa Leges naturales immutabiles, & circa leges divinas, humanæ Sapientiæ impervias, caute ago ac reverenter erga Supremum Numen, ne ob le-

ves quasvis rationes *notabiliter minus probabiles* recedam ab iis, quæ longe veriora, credibiliora, ac probabiliora in intimos conscientiæ recessus dictat attentis Deus. Circa Leges vero positivas, saltem adiaphoras, quæ ad Legum naturalium vel divinarum custodiam, ac vigorem vix quidquam contribuunt, scrupulosum aut superstitiosum rigorem non amo.

IV. Novos Tractatus Morales in ipso Opere Benevolus Lector aut Emptor non exspectet, præter unicum Tractatum *de Obligatione diversorum Statuum*. Theologiam enim Eclecticam præferent, qui in Academiis indulserunt, vel etiamnum indulgent sublimiori rerum Theologicarum Sapientiæ ad penetranda intimius, docenda solidius, vel protegenda fortius, arcana Religionis nostræ Mysteria, primaque morum principia. Istam vero *Theologiam morum Practicam* familiarius consulent Parochi, Confessarii, & qui in Lycæis solo Theologiæ Moralis Studio exculti versare amant jugi memoria suæ vocationis negotia. Id dum observabunt pro suo munere, mei etiam ad Deum meminerint, precor, qui, sicut cæteros meos omnes, sic etiam hosce labores judicio & correctioni Sedis Apostolicæ veneratione & obedientia filiali submitto.

INDEX QUÆSTIONUM TOMI PRIMI.

IN TRACTATU *De Conſcientia*.

§. I.

1. QUid ſit conſcientia? 1
2. Quotuplex ſit conſcientia. 1
3. Quid ſit conſcientia recta? & quid ſit erronea? 1
4. Quid ſit conſcientia vincibiliter, aut invincibiliter erronea? 1
5. Quid ſit ignorantia craſſa aut affectata? 1
6. Quid ſit, conſcientiam eſſe erroneam invincibiliter potentia phyſica, vel morali? 2
7. Quid ſit conſcientia certa, & dubia? 2
8. Quid ſit conſcientia ſtricte dubia, & late dubia? *ibid.*
9. Quid ſit conſcientia poſitive dubia, & negative dubia? 2
10. Quid ſit conſcientia ſpeculative dubia, & practice dubia? 3
11. Quid ſit dictamen ultimum practicum, & dictamen remote practicum? 3
12. Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa. 3
13. Quid ſit conſcientia perplexa? 3

§. II.
De Conſcientia erronea.

1. An & quomodo peccet, qui agit contra conſcientiam erroneam? 4
2. An, & quomodo peccet, qui in re prohibita agit juxta conſcientiam vincibiliter erroneam? 4
3. Quomodo poſſint ſufficienter retractari peccata ignorantiæ? 5
4. An operans ex ignorantia vincibili neceſſario peccet, ſive agat juxta, ſive contra conſcientiam vincibiliter erroneam? 6
5. An Actus humani procedentes ex ignorantia vincibili poſſint eſſe meritorii? 7
6. An ignorantia invincibilis ſemper excuſet, etiam circa Leges divinas & naturales? 7
7. An ad hoc, ut actus procedens ex ignorantia vincibili ſit peccaminoſus, requiratur actualis advertentia ad pravitatem actionis. vel ignorantiæ? 7
8. An omnes, etiam docti, ob peccata ignorantiæ ſibi timere debeant? 7
9. An poſſit dari ignorantia invincibilis de exiſtentia Dei? 8
10. An poſſit dari ignorantia invincibilis circa Leges naturales? 8
11. An poſſit dari ignorantia invincibilis circa Leges divinas poſitivas? 9
12. An detur ignorantia invincibilis Legis humanæ? 10
13. An, & quando detur ignorantia invincibilis in quæſtione facti. 11
14. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda pœna, v. g. excommunicationis vel ſuſpenſionis? 11
15. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrendo caſu reſervato. 11
16. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda irregularitate? 12
17. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrendis impedimentis matrimonii? 12
18. An ignorantia invincibilis de exceſſu damni a damnificante illati excuſet a reſtitutione? 12
19. An ignorantia invincibilis excuſet damnificantem ex culpa theologice levi, ſi damnificans ex officio ſui ſtatus teneatur ad cavendam culpam etiam levem? v. g. Judex, Advocatus, Medicus, Caupo, Auriga &c.? 12
20. An Confeſſarius teneatur admonere pœnitentem, ſi in eo deprehendat ignorantiam Legis divinæ vel naturalis. 13

§. III.
De Conſcientia dubia, & Probabiliſmo definitiones.

1. Quid ſit probabiliſmus? 13
2. Quid ſit opinio probabilis? 13
3. Quid ſit opinio vere probabilis. 13

4. Quid sit opinio tantum probabiliter, seu dubie probabilis? 13
5. Quid sit opinio Theologice probabilis? 13
6. Quænam sint illæ conditiones, ad veram probabilitatem a Theologis requisitæ? 14
7. Quænam sint signa opinionis certo probabilis? 14
8. Quęnam sint signa opinionis tantum probabiliter probabilis? 14
9. Quinam Authores dicantur omni exceptione majores? 14
10. Quid est Author Classicus? 14
11. Utrum author reddere possit opinionem probabilem, cujus quis scripta non legit? 15
12. An opinio possit haberi pro certo probabili; si pro illa in aliquo authore reperiantur citati alii plures authores? 15
13. Quid sit opinio extrinsece, vel intrinsece probabilis? 15
14. Quid sit opinio probabilis quoad se, & quoad nos? 15
15. Quid sit, opinionem esse comparative probabilem, aut eam esse probabilem tantum secundum se seorsim spectatam? 15
16. Quid sit opinio speculative probabilis, & quid sit practice probabilis? 15
17. Quid sit opinio tenuiter probabilis? 16
18. Quid sit opinio notabiliter minus probabilis? 16

§. IV.

An, & quando liceat sequi sententiam probabilem?

1. An liceat sequi dictamen ultimum practicum præcise probabile, vel probabilius? 16
2. An liceat sequi sententiam probabilem in materia fidei relicta evidenter probabiliori? 17
3. An liceat sequi sententiam probabilem in materia Sacramentorum, ubi agitur de eorundem valore? 17
4. An liceat sequi sententiam probabilem judicii? 17
5. An liceat Medico eligere medicinam probabilem relicta tutiore? 18
6. An liceat sequi sententiam probabilem relicta tutiore, quando agitur de præjudicio tertii? 18
7. An liceat sequi sententiam dubie tantum probabilem, seu præcise probabiliter probabilem? 18
8. An liceat sequi sententiam præcise tenuiter probabilem? 18
9. An liceat sequi sententiam notabiliter minus probabilem? 19
10. An liceat sequi sententiam æque probabilem minus tutam relicta tutiore? 19
11. An liceat sequi sententiam probabiliorem relicta tutiore? 19

§. V.

De Conscientia scrupulosa.

1. Quid sit scrupulus? 20
2. Quis merito dicatur scrupulosus? 21
3. Quænam sint causæ scrupulorum? 21
4. Quænam sint remedia contra scrupulos? 21
5. Quænam sint signa scrupulosi. 22

§. VI.

De Actibus humanis in genere.

1. Quid sit actus humanus? 23
2. Quænam sint proprietates actuum humanorum? 23
3. Quid sit voluntarium? 23
4. An omne voluntarium sit liberum? 23
5. An & quomodo *violentia* causet involuntarium? 23
6. An & quomodo metus causet involuntarium? 24
7. An & quomodo *concupiscentia* causet involuntarium? 24
8. An & quomodo *ignorantia* causet involuntarium? 25
9. Quænam requirantur ad libertatem actus humani? 26
10. Quid sit, actum esse *semiliberum* vel *semideliberatum*? & 26
11. Unde possit agnosci, an actus fuerit *plene deliberatus*? vel *plene liber*? Vide *Tract. de peccatis*. 27
12. An ad libertatem actus humani requiratur deliberatio? 28
13. Quid sit: actum esse liberum in *se*, vel in *sua causa*? 29
14. Quid sit *Moralitas* actuum humanorum? 29
15. Unde desumatur moralitas actuum humanorum? 29
16. Quotuplex sit finis actuum humanorum? 30
17. An detur obligatio, omnes suas actiones ordinandi in Deum tanquam finem ultimum? 30

IN TRACTATU
De Legibus.

§. I.

De natura & divisione Legum.

1. Quid sit lex? 38
2. Quotuplex sit lex? 38

3. Quo-

3. Quomodo dividatur lex positiva? 38
4. Quales sint aliæ divisiones legum? 39
5. Quid sit lex pęnalis, & non præcise pœnalis? 39
6. Quid sit lex *directiva* & *præceptiva*? 39
7. Quid sit lex *affirmativa* & *negativa*? 39
8. Quid sit lex *irritans*, & *solum prohibens*? 39
9. Quid sit lex *favorabilis*, & *odiosa*? 39
10. Quid sit *jus publicum*, & *jus gentium*? 40
11. Quid sit lex *Municipalis*, & *Provincialis*? 40
12. Quid sit lex *localis*, & *personalis*? 40

§. II.
De natura Legis naturalis.

1. An lex naturalis sit immutabilis? 40
2. An Deus in lege naturali possit dispensare? 41
3. An Lex naturalis dubia transeat in materiam Legis positivæ? 42

§. III.
De Lege positiva.

1. Quænam debeant esse proprietates legis humanæ? 43
2. An lex debeat se extendere ad casus frequenter occurrentes? 43
3. An & quando lex humana se conformare debeat consuetudini patriæ? 44
4. An omnia vitia, & quæ potissimum, per legem humanam cohibenda sint? 44
5. An lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius? 45
6. Qua regula agnosci possit mens Legislatorum quoad leges humanas? 46

§. IV.
De Materia Legum.

1. An materia legis humanæ possit esse actio indifferens? 46
2. An etiam præcepta legis naturalis vel divinæ possint esse materia legis humanæ? 46
3. An actio de se tantum venialiter peccaminosa aut solum indifferens possit esse materia legis humanæ graviter obligantis? 47
4. An materia de se gravis possit esse materia obligationis levis? 47
5. An actus interni possint esse materia legis Ecclesiasticæ? 47

§. V.
De Subjecto Legum.

1. An Legislator humanus teneatur suis legibus? 52
2. An Episcopus teneatur stare legibus Synodalibus, a suo antecessore in Synodo editis? 52
3. An peccet Legislator non observando suas leges? 52
4 An Infideles obligentur legibus Ecclesiæ? 53
5. An ebrii teneantur legibus Ecclesiæ, Dei, vel naturæ? 53
6. An legibus Ecclesiæ obligentur amentes? 54
7. An & qualiter infantes obligentur legibus? 54
8. Quibus legibus Ecclesiæ teneantur impuberes? 55
9. An viatores teneantur particularibus legibus locorum, in quibus transeunt? 56
10. An saltem peregrini teneantur legi. bus locorum particularium? & quinam vocentur proprie peregrini? 57
11. Ad quas leges locorum particularium teneantur etiam peregrini? 63
12. An liceat egredi ex una Diœcesi in aliam eo solum fine, ut quis possit uti privilegio illius Diœcesis contra legem Diœcesanam v. g. animo declinandi jejunium Diœcesanum? 64
13. An leges pœnales circa peccata, quibus ab Episcopo v. g. infligitur excommunicatio reservata Ordinario, incurrantur a peregrino, si in eo genere peccati peccet extra Diœcesim sui Episcopi? vel si delictum commissum adhuc fuerit iu Diœcesi? 64
14. An vagi teneantur legibus locorum particularium, ubi transeunt? & qui dicuntur vagi? 65
15. An Clerici teneantur legibus Civilibus Principum? 66
16. An Clerici jure naturæ, gentium, divino, & positivo a dispositione legum civilium quoad eorum personas, actiones mere personales, & congruam sustentationem exempti sint? 67

§. VI.
De promulgatione Legum.

1. An promulgatio sit de essentia legis? 71
2. Qualis requiratur promulgatio legis? 72
3. Qualis requiratur & sufficiat promulgatio circa leges naturales? 72
4. Quæ requiratur & sufficiat promulgatio circa leges divinas? 73

5. Qua-

5. Qualis requiratur promulgatio circa leges positivas? 73
6. An leges Ecclesiasticæ Summorum Pontificum, promulgatæ Romæ, ante promulgationem in singulis Diœcesibus obligent totam Ecclesiam? 73

§. VII.

De obligatione Legum, præsertim in dubio conscientiæ

1. An leges civiles obligent in conscientia? 76
2. Unde colligi possit, utrum sit tantum pœnalis, seu obligatoria solum ad pœnam? 77
3. An leges divinæ obligent cum detrimento vitæ, aut gravi detrimento honoris, & bonorum? 79
4. An Leges Ecclesiasticæ, aut civiles aliquando obligent cum detrimento vitæ, vel jactura honoris & bonorum? 80
5. An leges obligent ad non ponenda vel removenda impedimenta ad observantiam legum? 81
6. Ex quibus indiciis possit colligi, an sit gravis vel levis obligatio legum? 82

§. VIII.

De Interpretatione Legum, & Epikia.

1. Quid sit interpretatio legis? 82
2. Quotuplex sit interpretatio? 82
3. Quæ, & quot sint principia bonæ interpretationis? 82
4. Quid sit Epikia? 82
5. Quis verborum tenor pariat præsumptionem pro rigorosa obligatione præcepti seu legis? Et quis solum fundet præsumptionem consilii aut exhortationis? 82
6. Quid superaddant legi illa verba, quæ in nonnullis constitutionibus reperiuntur: *Præcipimus in virtute obedientiæ*, *sub indignatione Dei, vel Apostolorum Petri & Pauli*? 83
7. Quales soleant tradi regulæ interpretandi leges? 84
8. Quales reperiantur regulæ in Jure Civili idoneæ ad interpretationem legum? 85
9. Quales reperiantur in jure Canonico Regulæ ad interpretandum leges idoneæ? 87
10. Quid sit legem extendi ad alios casus ob *similitudinem*, *paritatem*, vel *identitatem* rationis? 88
11. Quænam sint observandæ Regulæ quoad extensionem legum ad casus consimiles? 89

§. IX.

De vario modo obligandi quoad observantiam Legum.

1. An ad satisfaciendum legi requiratur intentio satisfaciendi præcepto? 90
2. An ebrius, dormiens, vel phreneticus, v. g. in febri calida satisfaciat præcepto Ecclesiæ, si in ebrietate, somno, aut phrenesi, recitet, v. g. Breviarium, aut intersit Sacro? 91
3. An satisfaciat legi, qui invitus adimplet legem Ecclesiasticam? 91
4. An satisfaciat legi, qui nec habet intentionem ponendi materialiter actum a lege præceptum, nec habet intentionem positive contrariam? 91
5. An satisfaciat præcepto, qui ponit quidem actionem præceptam, sed ignorat, eam esse præceptam? 91
6. An is, qui audit Missam præcise ex fine illicito, v. g. vanæ gloriæ, vel animo videndi, & seducendi, satisfaciat præcepto Ecclesiæ? 92
7. An satisfaciat præcepto, qui ponit quidem ex bono fine actum præceptum, v. g. auditionem Sacri, vel recitationem Breviarii cum socio, sed expresse intendit, hoc actu individuo nondum satisfacere præcepto? 92
8. An satisfaciat legi, qui adimplet opus præceptum modo indebito, v. g. recitando totum Breviarium distracte, vel audiendo totum sacrum indevote? 92
9. An unico actu possit satisfieri pluribus præceptis? 93
10. An obligatus ad restitutionem omnium bonorum ex rapto vel furto in causas pias, ubi Domino restitutio fieri nequit, possit ea sibi ipsi applicare tanquam vere pauperi? 94
11. An si quis det eleemosynam graviter vel extreme indigenti, per hoc satisfaciat obligationi ex voto vel pœnitentia erogandi eleemosynam? 94
12. Si centum floreni debeantur pauperibus ex justitia ob rapinam bonorum incertorum, & alia centum ex voto, alia centum ex pœnitentia, si tantum centum solvi possint, cui prius titulo satisfaciendum sit? 94
13. Quando concurrunt diversæ leges, natu-

turales, divinæ, & Ecclesiasticæ, cui prius satisfaciendum sit, si in omnibus simul satisfieri nequeat? 94
14. An omnis lex debeat observari ex charitate erga Deum? 96

§. X.

De causis excusantibus ab observatione Legum.

1. Quænam possint esse causæ excusantes ab observatione legis? 98
2. Qualis ignorantia excuset ab observatione legum? 98
3. Qualis diligentia in quolibet homine requiratur ad hoc, ne ejus ignorantiæ fiant vincibiles? 98
4. Quænam sint indicia ordinaria ignorantiarum vincibilium? 98
5. Quomodo ex ignorantia vincibili reddere possit invincibilem, qui nescit se habere ignorantiam vincibilem? 99
6. An ignorantia vincibilis, dummodo non sit affectata, excuset saltem a censura, vel alia pœna? 99
7. An aliquando excuset ignorantia juris humani manifesti? 100
8. Qualis metus excuset a lege? 100
9. Qualis impotentia excuset ab observatione legum? 101
10. An, ubi datur impotentia ad totum, remaneat obligatio ad partem? 102
11. An excusetur ab observantia legis, qui posuit culpabilem causam impotentiæ, v. g. projiciendo Breviarium in mare, aut contrahendo infirmitatem ex ebrietate? 103
12. An peccet contra legem, qui ponit de se inculpabile impedimentum ad observantiam legis? 103
13. An detur obligatio tollendi impedimentum pro observantia legis? 103
14. Quid sit? & quandonam ab observatione legis excuset Epikia? 104
15. An Epikia etiam locum habeat circa leges divinas & naturales? 104
16. An & quomodo a legis observatione excuset non acceptatio legis? 105
17. An & quomodo a legis observatione excuset defectus finis? 105
18. Quomodo a lege excuset consuetudo, privilegium, & dispensatio? 106

§. XI.

De Consuetudine.

1. Quid sit Consuetudo? 106
2. Quales requirantur conditiones ad legitimam consuetudinem? 106
3. Quid requiratur ad hoc, ut consuetudo sit rationabilis? 106
4. An & quomodo consuetudo debeat esse rationabilis, si sit contraria, vel præjudicet legibus non adiaphoris, sed positive conducentibus ad meliorationem notabilem morum, & Ecclesiæ? 107
5. Quid cuivis agendum, si in suo statu vel societate hominum, in qua vivit, vigeant consuetudines notabiliter præjudicantes honestati christianæ fidei vel morum? 111
6. Quantum requiratur temporis ad introducendam legitimam consuetudinem? 112
7. Qualis requiratur scientia & consensus legislatoris ad constituendam legitimam consuetudinem? 113
8. Qualis requiratur frequentia actuum ad constituendam consuetudinem legitimam? 114
9. Unde possit colligi, consuetudinem fuisse introductam animo se obligandi? 114

§. XII.

De Privilegiis.

1. Quid sit privilegium? 114
2. Quotuplex sit privilegium? 114
3. Quales sint clausulæ privilegiorum? & quem pariant sensum? 115
4. Quis possit concedere privilegia? 115
5. An ad licitam concessionem Privilegii requiratur justa causa? 115
6. Quot modis aquirantur privilegia? 116
7. Quomodo privilegia ab uno loco ad alium, vel ab una persona ad aliam extendi possint? 116
8. Quomodo sint interpretanda privilegia Regularium? 117
9. Quænam sint observanda circa usum privilegiorum? 118
10. Quæ regulæ haberi possint circa revocationem privilegiorum? 119
11. Qualia privilegia Regularium fuerint revocanda a Conciliis vel summis Pontificibus? 119
12. Quomodo exspirent privilegia? 121

§. XIII.

De potestate ferendi Leges.

1. Quinam habeant potestatem ferendi leges? 125
3. An Capitulum sede vacante possit ferre leges? 125
3. Utrum Abbatissæ vel aliæ Superiorisse, etiam Generales, habeant potestatem ferendi leges? 125
4. An villæ, castra, vel oppida haheant potestatem ferendi legem localem pro sua communitate? 125

§. XIV.

De Dispensatione Legum.

1. Quid sit dispensatio? 126
2. An possit dari dispensatio circa jus naturale circa jus divinum? 126
3. An Legislator universim possit dispensbre in suis legibus? 127
4. An inferior possit aliquando dispensare in lege Superioris? 127
5. Quinam sint casus, in quibus inferior possit dispensare in lege Superioris? 128
6. An Capitulum Sede vacante possit cum criminoso privato voce activa dispensare quoad hanc pœnam ad actum electionis? 129
7. An Legislator vel habens potestatem delegatam dispensandi, possit dispensare secum ipso? 129
8. An vagi & peregrini possint dispensari ab Episcopo vel Superiore loci, in quo morantur? 129
9. An Metropolitanus possit dispensare cum suis suffraganeis subditis? 129
10. Quinam habeant potestatem dispensandi cum Religiosis circa vota, juramenta & pœnas? 129
11. Quid requiratur ad licite dispensandum? 130
12. An dispensatio sine causa sufficiente sit valida? 131
13. An valida sit dispensatio circa Constitutiones Apostolicas? 131
14. An dispensatio facta sine legitima causa saltem tunc sit valida, quando a dispensante & dispensato causa creditur esse legitima? 131
15. Quales sint causæ justæ dispensationis? 132
16. An stante justa causa dispeasationis Superior teneatur ad concedendam dispensationem? 132
17. An dispensans possit dispensando imponere mulctam pecuniariam pro dispensatione? 132
18. Quænam sint signa tacitæ dispensationis? 133
19. Utrum pro signo tacitæ dispensationis haberi possit sola taciturnitas & dissimulatio Superioris, si in ejus præsentia inferior agat contra legem ab illo dispensabilem? 133
20. An dispensatio facta absque causæ cognitione valida sit, etiamsi reipsa causa subsistat? 133
21. An pro foro conscientiæ tuto præsumi possit, Superiorem in dispensatione habuisse legitimam causam, & cognitionem causæ? 134
22. Quales sint causæ, ex quibus vitiatur dispensatio? 134
23. An omnis dispensatio sit invalida, obtenta per obreptionem, vel subreptionem? 134
24. An idem dicendum, si veritas aliqua non sit reticita per malitiam? aut falsitas malitiose expressa, sed per simplicitatem vel ignorantiam? 134
25. Qualium veritatum reticentia soleat de jure vel consuetudine haberi pro vitio substantiali? 135
26. Quid delegato agendum, si dubitet, an vitium obreptionis vel subreptionis sit substantiale? 136
27. Quid observandum in praxi quoad petendas Dispensationes Romanas ex Pœnitentiaria Romana pro foro interno? 136

§. XV.

De suprema Lege Charitatis.

1. In quo consistat lex charitatis? 142
2. Quare hæc lex charitatis vocetur *suprema lex*? 143
3. Quot & quales sint primariæ obligationes ex lege charitatis? 143
4. Quid velit dicere illa limitatio *per se*? 143
5. Quid velit dicere illa limitatio; in concursu? 144
6. Quomodo hæ obligationes charitatis possint influere in casus particulares? 144
7. Quomodo ostendatur, legem charitatis esse regulam directivam conscientiæ in omnibus controversiis moralibus circa obligationes legum? 145

IN TRACTATU
De Præceptis Decalogi & Ecclesiæ.
SECTIO I.
De amore Dei & Proximi.
§. I.
De obligatione Charitatis erga Deum & proximum in genere.

1. Quid sit charitas? 147
2. Quodnam sit objectum materiale charitatis? 148
3. Quodnam sit objectum seu motivum formale charitatis? 148
4. Quomodo possit elici actus charitatis? 148
5. Quales sint actus eliciti charitatis? 148
6. Quales sint actus imperati charitatis? 149
7. Quoties homo teneatur elicere actum charitatis? 149
8. An detur etiam obligatio eliciendi actum charitatis diebus Dominicis & festis? 149
9. An ad satisfaciendum præcepto charitatis sufficiat actus charitatis imperatus? 149
10. An ad satisfaciendum præcepto charitatis sufficiat quilibet actus elicitus charitatis? an vero requiratur exercitium plurium vel omnium actuum elicitorum charitatis? 149
11. An præceptum charitatis obliget ad omnia, quæ Deo placent? 150
12. Quales sint actus essentiales vel accidentales præcepti charitatis? 150
13. An possit peccari mortaliter ex habituali neglectu actuum accidentalium charitatis? 150
14. Quales potissimum sint casus, in quibus peccatur mortaliter contra charitatem? 150
15. Quinam sint alii casus magis particulares pro diversitate statuum, in quibus possit graviter peccari contra charitatem Dei? 151
16. Quomodo ex Scriptura probetur tam stricta obligatio charitatis? 152
17. Quid sit diligere Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & totis viribus*? 155
18. An homo possit & debeat hoc præceptum in eo rigore, quem sonat, implere? 155
19. Utrum in præcepto charitatis homo teneatur observare quemdam ordinem charitatis erga Deum? & qualem? 157
20. Quales propositiones fuerint damnatæ de charitate? 158
21. In quo consistant errores *Baji* de charitate? 158
22. In quo consistant errores *Fenelonii* de charitate? 159
23. Quales sint errores *Quesnelli* de charitate? 160
24. An actus ad hoc, ut sit meritorius, debeat saltem virtualiter procedere ex charitate? 161

§. II.
De obligatione charitatis erga proximum.

1. Quid sit charitas erga proximum? 162
2. Utrum sit una, eademque charitas, qua diligatur Deus, & qua diligatur proximus? 163
3. In quo sensu Apostolus ad Rom. c. 13. scribat: *Qui diligit proximum, legem implevit*? & ad Gal. 5. *Omnis lex uno sermone impletur, diliges proximum tuum, sicut teipsum*? 163 164
4. An hac eadem charitate, qua diligit Deum, possit & debeat diligere seipsum? 164
5. An & in quo sensu homo teneatur Deum plus diligere, quam seipsum? 164
6. An homo ex charitate teneatur magis diligere seipsum, quam proximum? 165
7. An homo teneatur proximum diligere *positive* per actus internos? an vero sufficiat, eum præcise diligere *negative*, non volendo vel exterius operando aliquid contra charitatem proximi? 166
8. Quandonam sit eliciendus actus charitatis internus erga proximos? 167
9. An Concionatores aut Parochi graviter peccent, toto ferme anno prædicando de rebus non præceptis, vix unquam autem aut raro inculcando præceptum & naturam charitatis internæ erga proximum in hoc mundo? 167

§. III.
De observando ordine charitatis erga proximum.

1. Quis ordo charitatis observandus sit erga proximum? 169
2. An Salus animæ in proximo semper sit præponenda incolumitati aut vitæ proprii corporis? 170
3. Quinam possint esse casus practici, in qui-

quibus homo tenetur vel non tenetur exponere vitam suam pro salute proximi? 171
4. An omnes proximi, saltem quoad effectum internum, sint æqualiter diligendi? 171
5. Utrum teneamur magis diligere *meliores* quam *conjunctiores*? 172
6. Utrum inter eos, qui nobis nullatenus, vel æqualiter conjuncti sunt, debeamus magis diligere meliores? 172
7. Utrum magis teneamur diligere conjunctos sanguine, quam conjunctos alia Societate civili aut spirituali? 172
8. An homo teneatur magis diligere Patrem, quam Filium? 173
9. An Pater sit magis diligendus, quam Mater? 173
10. An homo teneatur plus diligere uxorem quam Patrem & Matrem? 174
11. An homo magis teneatur diligere suum benefactorem, quam beneficiatum a se? 175

§. IV.

De dilectione inimicorum.

1. An detur obligatio diligeudi inimicum in novo lestamento? 175
2. An etiam in veteri testamento jam extiterit obligatio diligendi inimicos? 176
3. An obligatio diligendi inimicos jam extiterit in lege naturæ, ac consequenter sit legis naturalis? 177
4. An liceat inimico optare malum temporale ad ejus emendationem, vel ad propriam libertatem ab ejus infestatione? 177
5. An hæc regula; *quod liceat inimico optare, quod licet inferre*, universim ac illimitate admittenda sit? 180
6. An detur obligatio, erga inimicos determinatos eliciendi actum dilectionis particularem? 181
7. An detur obligatio eliciendi erga inimicum actum dilectionis positivum & particularem in gravi tentatione odii, vel utrum sufficiat, se ad ejusmodi motus odii habere negative? 181
8. Qualia inimicis sint exhibenda signa & obsequia dilectionis sub peccato? 181
9. Qualia sint illa signa & officia dilectionis communia, quæ homo tenetur exhibere inimico? 182
10. An, & quando homo teneatur inimico exhibere specialia signa dilectionis? 182
11. An teneatur offensus aliquando ultro quærere reconciliationem cum inimico? & quando? 182
12. An læsus aliquando teneatur aliquid de jure suo remittere, aut ferre damnum, si alias congruis mediis reconciliatio cum inimico sperari non possit? 182
13. An detur universim obligatio, inimico petenti concedendi veniam? 183
14. An detur obligatio petenti veniam etiam condonandi satisfactionem? 184
15. Quomodo differant inter se donatio veniæ & donatio satisfactionis? 184
16. An ejusmodi satisfactiones semper & universim possint exigi sine læsione charitatis? 184 185
17. An Superior subdito petenti veniam teneatur statim demonstrare priora signa benevolentiæ? 185
18. An Pater possit licite in pœnam denegare reconciliationem filio eam petenti ob indignas nuptias cum dedecore familiæ celebratas; & denegare suæ familiæ, ne consuetudinem & familiaritatem cum eo habeant? 185
19. An etiam personis privatis, v. g. uxori, fratri, vicino &c. liceat in pœnam aliquamdiu denegare signa reconciliationis post petitam ab offendente veniam? 186
20. An semper credendum sit inimico petenti veniam in ordine ad renovandam cum illo familiaritatem pristinam? 186
21. Quis prior teneatur veniam petere, aut reconciliationem quærere, si ambo se mutuo offenderint? 187

§. V.

De Correctione Fraterna, & denuntiatione.

1. Quid sit correctio fraterna? 188
2. Quotuplex sit correctio fraterna? 188
3. An correctio fraterna sit præcepta lege divina & naturali? 188
4. An præceptum correctionis fraternæ etiam possit probari ex sensu Ecclesiæ? 189
5. An correctio fraterna pertineat ad solos Prælatos? 190
6. An subditus teneatur etiam corrigere suum Prælatum? 190
7. An etiam ii teneantur ad correctionem fraternam, qui in eodem vel diverso genere delictorum rei sunt? 191

8. Utrum omittenda sit correctio, quando timetur, quod corrigendus ex correctione fiat deterior? 192
9. Utrum in fraterna correctione debeat admonitio secreta ex necessitate præcepti præcedere denuntiationem? 192
10. Quid in praxi circa ejusmodi correctiones vel denuntiationes observandum sit? 194
11. An liceant proclamationes publicæ in Capitulo Religiosorum sine prævia admonitione privata? 194
12. An detur obligatio, ante privatam admonitionem denutiandi gravia, quando Superior in visitatione generatim omnibus, vel extra visitationem alicui in particulari præcipit, præsertim si hoc præcipiatur sub juramento dicendi si quid corrigendum sciverit? 194
13. Quid agendum, quando dubitatur, an delinquens jam sit serio emendatus, vel non? an in eadem occasione potius sit relapsurus, vel non? an correctio privata sit habitura fructum sufficientem vel non? 195
14 Utrum renuntiare juri suo pro correctione privata ante denunciationem ad Superiorem sit omnibus Religiosis aut etiam clericis commune? an vero id sit soli Societati Jesu proprium? 196
15. An omnia peccata externa Religiosorum sint nociva proximo, adeoque denuntiationi sine prævia admonitione privata obnoxia? 197
16. Utrum obligatio denuntiandi delinquentes semper viguerit in Ecclesia? 199
17. An Superior teneatur sub peccato mortali corrigere defectus veniales, si ex defectu correctionis sequatur eadem licentia in aliis? 200

§. VI.

De Eleemosyna.

1. Quid sit eleemosyna? 200
2. An detur præceptum dandi eleemosynam? 200
3. Quotuplex sit indigentia seu necessitas proximi? 202
4. Quotuplicis generis sint *bona*, ex quibus datur obligatio erogandi eleemosynam? 202
5. An ad necessitatem quasi extremam referendum sit, si vir nobilis cogeretur publice mendicare? 202
6. An detur obligatio sub peccato mortali, constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex superfluis suo statui? 203
7. An detur obligatio, constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex necessariis ad status honestatem vel commoditatem? 203
8. An detur obligatio, constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex necessariis ad sustentationem vitæ? 204
9. An obligatio subveniendi in extrema necessitate incipiat jam tunc, quando est probabile periculum incurrendæ extremæ necessitatis? 206
10. Utrum in extrema necessitate constitutus possit sibi providere modo meliore, quo potest? 206
11. An etiam constituti in quasi extrema necessitate possint uti hoc privilegio bonorum communium? 207
12. Utrum in tali casu liceat alienum accipere vel usurpare ad subveniendum in extrema, vel quasi extrema necessitate constituto? 207
13. An gravatus ære alieno possit valide aut licite non necessarias eleemosynas facere cum probabili præjudicio creditorum? 207
14. An licite aut valide detur eleemosyna ex male partis? 207
15. An possint erogare eleemosynam constituti sub alterius potestate? 208
16. An & qualem eleemosyuam facere possint Religiosi, præsertim habentes administrationem bonorum? 208
17. An, & qualem eleemosynam facere possit uxor, vel maritus? 209
18. An & quales eleemosynas facere possint filii, & famuli? 210
19. An conjunctiori magis succurrendum sit per eleemosynam, quam Sanctiori? 210
20. An liceat dare eleemosynam, si a Magistratu severe prohibitum sit dare eleemosynam vagabundis vel aliis mendicantibus? 211

§. VII.

De obligatione mutuandi gratis.

1. An & quando detur obligatio mutuandi gratis sine exactione census consueti? 211
2. An sit peccatum mortale, denegare mu-

mutuum gratuitum in gravi necessitate constituto? 215

§. VIII.

De Immisericordia.

1. An immisericordia sit speciale peccatum? 216
2. An frequentati actus immisericordiæ de se veniales possint coalescere in immisericordiam gravem? 216
3. An peccet mortaliter contra misericordiam, qui rem pauperum usibus necessariam ab illis in pignus accipit ac diu retinet? 216
4. An peccent mortaliter contra misericordiam, qui tempore penuriæ victualium frumenta coacervant, causantque, ut carior fiat annona? 217
5. An peccent mortaliter, qui tempore famis indiscriminatim omnes peregrinos urbe aut provincia ejiciunt? 218
6. An peccent mortaliter qui mendicos in necessitate communi constitutos in necessitatem gravem conjiciunt? 219
7. An peccent mortaliter, qui propterea superflua non erogant in pauperes, ut sic ad altiorem statum ascendant? 222
8. An peccent mortaliter, qui statui superflua in frequentes & splendidas epulas, in ædium magnificentiam, in pretiosiorem, quam par est, supellectilem, in vestium luxum, in ludos, in curiositatis lenocinia, aut in voluptates neglectis pauperibus profundunt? 222
9. An peccet mortaliter advocatus, qui causæ pauperis in gravi necessitate constituti patrocinari renuit? 223
10. An Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ peccent graviter, si non succurrant gratis ægroto, ab omnibus deserto, aut probabiliter deserendo? 224
11. An graviter peccet, qui debitori, quem constat non esse solvendo, urget & opprimit, ut solvat, nec inducias illi concedit? 224
12. An peccent graviter, qui agrorum suorum aut vinearum colono vel conductori non remittunt pensionem pro rata damni ex sterilitate seu alio casu fortuito absque coloni culpa causati? 225
13. An peccent graviter Canonici, Parochi, vel alii Clerici divites, si non relinquant legata notabilia in subsidium Clericorum, vel Seminaristarum, vel Ecclesiarum? 225
14. An graviter peccent, qui alios retrahunt a faciendis vel servandis legatis, fundationibus, aut aliis subventionibus piis in favorem vere indigentium, sæcularium, vel regularium, virginum, viduarum &c.? 225

§. IX.

De Scandalo.

1. Quid sit scandalum? 226
2. Quotuplex sit scandalum? 226
3. Utrum dare scandalum sit grave peccatum. 226
4. An ad rationem scandali activi requiratur, ut quis advertat, exinde facile oriri posse ruinam spiritualem proximi. 326
5. An ad rationem scandali activi requiratur, ut operans intendat ruinam spiritualem proximi, aut peccatum. 227
6. An scandalum activum semper sit peccatum mortale. 227
7. An scandalum activum sit peccatum specie distinctum ab eo actu, per quem præbetur scandalum. 227
8. An actus possit esse peccatum mortale in genere scandali, etiamsi in se non sit peccatum mortale. 228
9. An bona spiritualia omittenda sint, si provideatur, exinde oritura scandala. 230
10. An temporalia bona vel jura sint aliis relinquenda, si ex eorum tuitione vel retentione sint oritura scandala. 230
11. An illi, qui alios graviter scandalizant, teneantur in confessione exprimere speciem peccati, cujus præbuerunt occasionem? 231
12. An illi qui alios scandalizant, v. g. obscœnis cantilenis, vel colloquiis, teneantur in confessione exprimere numerum præsentium, qui potuerunt graviter scandalizari. 432
13. An peccent peccato scandali, qui vendunt ac ministrant materiam vel instrumentum peccati. 232
14. An liceat ponere occasionem peccati animo tentandi fidelitatem in proximo? 233
15. An liceat petere auxilium ab eo, qui creditur illud non præstiturus sine peccato. 234
16. An locantes vel vendentes domos aut vestes meretricibus aut usurariis peccent peccato scandali. 234
17. An absque peccato scandali munera dari

dari queant concubinæ judicis, ut interpellet apud ipsum pro ferenda æqua sententia? 234
18. An filii, & famuli possint suis parentibus aut Dominis ministrare ad actiones peccaminosas, vel dispositivas ad peccatum? 235
19. An excusentur a peccato christiani apud Turcas captivi, si remigent in eorum triremibus? vel si in iis arma ministrent ad christianos occidendos? vel si applicent scalas ad christianorum urbem expugnandam? 235

SECTIO II.

De primo Præcepto Decalogi.

§. I.

De adoratione Dei, & cultu Sanctorum.

1. Quomodo sonet primum Præceptum Decalogi? 236
2. Quid sit adoratio in genere? 236
3. Quid sit adoratio Dei? 236
4. Quotuplex sit cultus? 236
5. An Christus sit etiam adorandus ut homo adoratione Latriæ? 237
6. An etiam humanitas, anima, corpus, cor, sanguis, & nomen Christi JESU sint adoranda adoratione Latriæ? 237
7. Quid sufficiat & requiratur ad hoc, ut alicui rei possit exhiberi cultus latreuticus, saltem respectivus? 237
8. Quales imagines Dei aut Sanctissimæ Trinitatis pro cultu publico tolerandæ sint? 238
9. An cultus *Hyperduliæ* differat specie a cultu *Duliæ*? 240
10. An etiam cultus Duliæ & Hyperduliæ pertineat ad virtutem Religionis, cujus est objectum cultus Dei. 240
11. Quibus personis possit exhiberi cultus Duliæ. 240
12. An detur gravis obligatio, his Decretis exacte insistendi. 246
13. Quid sentiendum circa cultum Sanctorum, qui post Decreta Urbani acceperunt cultum publicum sine authoritate Sedis Apostolicæ. 246
14. Unde sumi poterit *moralis certitudo* de sanctitate & finali perseverantia personæ, de cujus cultu agitur. 247
15. Quid sentiendum de novo genere vestiendi statuas vel imagines Sanctorum, vel circa alias novitates immaginum? 247
16. Quid doceat vel statuat Concilium Tridentinum de cultu Sanctorum? de & actis Sanctorum vel miraculis incertis. 249
17. Quomodo sint exponendæ Sacræ Reliquiæ? aut largiendæ. 251
18. Quid agendum, si incertæ Reliquiæ in Ecclesiis nimis invaluerint. 251

§. II.

De Idololatria. Paganismo, Judaismo, & Hæresi.

1. Quid sit Idololatria. 252
2. Quotuplex sint idololatria. 252
3. Quid sit Paganismus. 252
4. Quid sit Judaismus. 252
5. Quid sit Hæresis. 253
6. An Religio Turcarum pertineat ad Paganismum vel Judaismum vel hæresim. 453
7. Quid sit schisma. 253
8. Quotuplex sit hæresis. 253
9. Quale sit discrimen in praxi quoad confessionale inter hæresin *internam*, *occultam*, & *publicam*. 254
10. An dubitans de articulo fidei incurrat hæresin. 254
11. Qualis requiratur pertinacia ad incurrendum crimen hæresis. 255
12. An ab incurrendo crimine hæresis ac pertinaciæ excuset ignorantia vincibilis, etiam affectata, de veritate Religionis catholicæ; aut de identitate articuli cum doctrina ejusdem Ecclesiæ, aut de infallibilitate illius circa particulares articulos. 255
13. Quales sint pœnæ hæreticorum? 356

§. III.

De Magia, & Maleficio.

1. Quid sit Magia. 257
2. Quid sit Maleficium. 257
3. Quid sit Veneficium. 257
4. An dentur vera maleficia, & vera Magia. 257
5. Quodnam sit discrimen inter magos & veneficos. 258
6. Quodnam sit discrimen inter sagas, & magos, & veneficos. 258
7. An verosimile sit, dari tales conventus nocturnos sagarum. 258
8. Quotuplex sit maleficium. 259
9. Quænam sint potissimum causæ maleficii. 260

10. Quænam sint causæ maleficiorum ex parte maleficiati? 261
11. Utrum in rebus naturalibus detur qualitas naturalis contraria sagis, vel dæmoni? 262
12. An liceat tollere aut impedire maleficium per actionem de se ex natura improportionatam ad cohibendam vim dæmonis? 264
13. An liceat quærere & tollere maleficia? 265
14. Qualibus remediis uti liceat & deceat contra maleficia? 266

§. VI.

De Superstitione, & Divinatione.

1. Quid sit superstitio? 267
2. Quotuplex sit superstitio? 268
3. Quid sit superstitio *cultus indebiti?* 268
4. Quid sit divinatio? 269
5. An divinatio sit species superstitionis? 269
6 Quotuplex sit divinatio? 269
7. Quot modis fiat divinatio per expressam invocationem dæmonis? 269
8. Quot modis fiat divinatio per concursum contingentem rerum naturalium vel actionum humanarum? 270
9. Quot modis fiat divinatio per sortes? 270
10. An liceat a dæmone saltem per exorcismos interrogare occulta, absentia, vel futura? 270
11. An licita sit divinatio per Astra? 271
12. An licita sit divinatio per somnia? 276
13. An divinatio per auguria vel omina semper sit illicita? 276
14. Quomodo divinatio per sortes sit licita? 277

§. V.

De vana Observantia.

1. Quid sit vana observantia? 280
2. Quotuplex sit superstitio vanæ observantiæ? 280
3. Quid sit ars notoria? 280
4. Quid sit incantatio? 280
5. Quænam sit generalis regula ad dignoscendas praxes superstitiosas a non superstitiosis? 280
6. An etiam res benedictæ, vel benedictiones ipsæ, aut omnino res sacræ possint pertinere ad superstitionem ratione circumstantiæ superstitiosæ? 281
7. Quænam sint celebriora talium superstitiosarum observantiarum exempla? 282

§. VI.

De tentatione Dei.

1. Quid sit tentatio Dei? 287
2. Quotuplex sit tentatio Dei? 288
3. Utrum malitia tentationis Dei fundetur in incredulitate seu dubitatione de attributis aut promissis divinis; vel potius in præsumptione & irreverentia erga Deum? 288
4. An tentatio Dei ex suo genere & in suo genere semper sit peccatum mortale? 288
5. An nunquam liceat implorare Deum pro miraculo, v. g. pro sanatione, vel assistentia miraculosa? 289
6. Quales sint conditiones ad postulandum miraculum, etiam ubi reperitur tacita permissio miraculum postulandi? 289
7. An sit tentatio Dei, si quis forte eligat statum vel genus negotii v. g. proponendo, se illam ducturum in Uxorem, quæ primo mane prima ingressa fuerit Ecclesiam, vel se illam Religionem ingressurum, cujus Religiosus sibi primo occurrerit? 290
8. An foret tentatio Dei, si quis hæretico sponderet miraculum, v. g. ex incombustibilitate Sacræ reliquiæ, si vicissim ad eventum miraculi sponderet receptionem fidei? 290
9. An sit tentatio Dei, si quis petat a Deo miraculum ad evitandum aliquod damnum bonorum vel honoris temporale? 290
10. An liceat a Deo petere miraculosam sanationem ex motivo ferventius & tranquillius serviendi Deo? *ibid.*
11. An sit tentatio Dei, quando personæ piæ motu proprio, vel ad aliorum, præsertim Superiorum instantiam, petunt revelationes non necessarias Ecclesiæ sine speciali permissione divina? 291
12. An ad tentationem Dei pertinuerit vetus *purgatio vulgaris*, qua explorabatur suspectorum innocentia per judicium ferri, vel aquæ ferventis? 291

§. VII.

De Blasphemia.

1. Quid sit blasphemia? 292
2. Quotuplex sit blasphemia? 292

3. Qui-

3. Quibus modis soleat peccari per blasphemiam? 293
4. An omnis blasphemia sit peccatum mortale? 293
5. An peccet mortaliter, qui ex ira profert verba blasphema? 294
6. Qualis requiratur deliberatio vel advertentia ad hoc, ut quis in ira blasphemans censeatur peccare mortaliter? 294
7. Quid præsumendum in dubio a Confessario, an pœnitens habuerit sufficientem advertentiam pro peccato mortali in blasphemia? 298
8. Quales sint statutæ pœnæ in blasphemos a jure Canonico? 299
9. Qualiter in confessionali cum blasphemis agendum sit? 300
10. An sit blasphemia, si quis ad exprimendam iram irreverenter pronuntiet Sacramenta, vel alias res sacras? 301 302
11. An sit blasphemia, si quis dicat: stultus es, etiamsi haberes pro Patre Deum Patrem? 302
12. An peccet graviter, qui ebrium, stultum, vel infantem inducit ad blasphemandum? 302

§. VIII.

De Sacrilegio.

1. Quid sit sacrilegium? 302
2. Quotuplex sit sacrilegium? 302
3. Quid sit sacrilegium *personale*? 302
4. Quid sit sacrilegium *locale*? 302
5. Quid sit sacrilegium *reale*? 303
6. An sit proprie sacrilegium violatio simplicis voti castitatis perpetuæ? 303
7. Utrum actus luxuriosus in Subdiacono, Religioso, vel alia persona sacra contineat triplicem specie malitiam? 303
8. An sit proprie sacrilegium tractio Clericorum ad judicium sæculare? 303
9. An infamatio personæ sacræ sit sacrilegium? 303
10. An homicidium, furtum, perjurium, &c. perpetrata a Clerico vel Religioso sint simul sacrilegium? 303
11. Qualia loca censeantur sacrata Deo? 304
12. An sit sacrilegium, si quis invadat aut tollat bona deputata ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sive ea sint mobilia, sive immobilia? 304
13. An sit sacrilegium, si quis alteri crumenam in Ecclesia abscindat? vel aliam rem tollat, ibi quidem existentem, sed non sub speciali custodia depositam? 304

§. IX.

De Simonia.

1. Quid sit Simonia? 305
2. Quotuplex sit Simonia? 305
3. Quid sit simonia juris naturalis ac divini? 305
4. Quid sit Simonia juris Ecclesiastici? 305
5. Quid sit Simonia *mentalis*? 306
6. Quid sit Simonia conventionalis? 306
7. Quid sit Simonia *realis*? 306
8. Quid sit Simonia *confidentialis*? 306
9. Quotuplex sit pretium simoniacum? 307
10. Quibus modis committatur Simonia *per munus a manu*? 307
11. Quibus modis committatur Simonia *per munus a lingua*? 307
12. Quibus modis committatur Simonia *per munus ab obsequio*? 307
13. Unde agnosci possit, utrum temporale pro spirituali tradatur tanquam pretium, vel tanquam donatio gratuita, vel in partem Salarii aliunde debiti? 308
14. An detur Simonia *pure mentalis*, non expressa ullo signo externo? 308
15. Utrum ad rationem Simoniæ realis requiratur, ut sit utrinque completa? 309
16. An incurrat pœnas, aut crimen Simoniæ, qui ficte promittit rem temporalem pro spirituali, attamen sine animo servandi promissum? 309
17. An possit dari parvitas materiæ in Simonia v. g. vendendo pulvisculum Reliquiarum, aut guttulam aquæ benedictæ pro obolo? 309
18. Quænam sit materia Simoniæ juris Ecclesiastici? 309
19. Utrum nihil liceat exigere titulo laboris vel favoris pro administratione Sacramentorum? 310
20. Unde possit colligi, utrum Sacerdos aliquid exigat pro administratione Sacramentorum titulo laboris; vel occasione Sacramentorum titulo sustentationis? 311
21. Quomodo possit committi Simonia circa Sacramentalia? 311
22. Quomodo committatur Simonia in venditione sepulturæ? 311
23. An committatur Simonia ab iis, qui vendunt obligationem ad Exequias pro defunctis, Anniversaria, officium defun-

functorum, vel alias preces publicas? 312
24. An liceat aliquid exigere pro ingressu in Religionem? 313
25. An universim sit Simonia, aliquid exigere pro labore, qui reperitur in munere clericali? 314
26. An sit simoniacum vendere scientias theologicas? 314
27. An committat Simoniam, qui concionatur pro pretio? 315
28. An sine Simonia emi & vendi possint annexa rei spirituali? 315
29. An beneficia simplicia sint invendibilia jure divino, vel tantum Ecclesiastico? 315
30. Quomodo Simonia locum habeat in *Pensionibus*? 316
31. An absque Simonia vendi possint fructus Pensionis clericalis etiam ad totam vitam pensionarii? 316
32. Quomodo Simonia locum habere possit circa præstimonia, Commendas, Coadiutorias, Præfecturas Hospitalium? 317
33. An & quomodo possit alienari vel usurpari Jus patronatus sine Simonia? 317
34. An & quomodo Simonia locum habere possit in permutatione beneficiorum? 318
35. An & quomodo Simonia locum habeat in Resignatione beneficiorum? 318
36. Quomodo locum habeat Simonia in componenda lite, vel impedienda vexatione super beneficio? 319
37. Quales incurrantur pœnæ a Simoniacis? 320
38. Qualis oriatur obligatio restituendi ex Simonia? 320
39. Quis possit dispensare cum Simoniacis? 321

SECTIO III.

De secundo Præcepto Decalogi.

§. I.

De Juramento.

1. Quid sit juramentum? 322
2. Quotuplex sit juramentum? 322
3. Quænam requirantur ad licitum juramentum? 322
4. Quænam sit materia juramenti? 322
5. Quales in plebe phrases loquendi sint habendæ pro juramento? 323
6. An & in quo sensu, habeatur ratio juramenti, si quis juret per creaturas Dei? v. g. *per cœlum*; *per terram*; *per omnes Dœmones*? 325
7. An omne juramentum sit illicitum? 325
8. An omne perjurium sit grave peccatum? 325
9. An non detur parvitas materiæ in juramento, saltem promissorio? 326
10. An peccet mortaliter, qui jurat de re, quam dubitat esse veram? 326
11. An peccet mortaliter, qui absolute jurat, se audivisse, vel vidisse, si tantum sit mortaliter certus, quod hoc audiverit, aut viderit? 326
12. An licitum sit, deferre universim testibus juramentum execratorium, prout in tribunalibus passim fieri solet? 326
13. An omne juramentum sit peccatum mortale, si desit in juramento justitia, v. g. si quis juret, se alteri inflicturum alapam? 327
14. An omne juramentum sit peccatum mortale; si in eo desit judicium? 327
15. Quanta requiratur necessitas vel gravitas causæ ad licite jurandum? vel quanta deliberationis maturitas? 327
16. An detur obligatio sub peccato mortali, efficacibus remediis eradicandi pravam consuetudinem temere jurandi? vel pejerandi? 328
17. An peccet mortaliter, qui in juramento utitur æquivocatione, aut restrictione mentali absolute quidem sensibili, sed quam jurans certo scit non advertendum? 329
18. An validum & servandum sit juramentum metu injusto extortum? 330
19. An validum & servandum sit juramentum dolo extortum? 332
20. An peccet mortaliter, qui alterum provocat ad jurandum, quem certo scit pejeraturum? 333
21. An validum vel obligatorium sit juramentum de objecto secundum se quidem licito, si oppositum sit vel evadat de meliori bono? 333
22. An obligatorium sit juramentum, si quis alteri sub juramento promittit obedientiam, vel obsequium, & hæc ipsi evadant nimis gravia? 333
23. An Civis vel Canonicus, qui juravit antiqua suæ communitatis statuta, teneatur ad nova recenter ex consensu communitatis edita? 333
24. An Canonicus vel civis, qui in sua re-

receptione jurat, se servaturum statuta communitatis, teneatur etiam ad illa, quæ non sunt amplius in observantia? 334
25. An peccet mortaliter, qui petit vel recipit ab Ethnico juramentum per falsos Deos? vel a Turca per Mahometen? vel a Judæo per Abraham, Isaac, & Jacob? 334
26. An juramentum non ludendi sit licitum? & num universim inducat obligationem? 335
27. An validum sit juramentum non mutuandi, non commodandi, vel fidejubendi? 335
28. An valeat juramentum non vendendi minori pretio, vel non emendi cariori pretio? 336
29. An valeat juramentum non accusandi vel denuntiandi reum? 336
30. An licitum & validum sit juramentum accusandi vel denuntiandi delinquentem? 336
31. An & quomodo Medici obligentur juramento, monendi & adstringendi infirmum de præmittenda confessione? 336
32. An valeat prior promissio vel votum, si posteriori contrariæ promissioni aut voto adjiciatur juramentum? 337
33. An validi sint contractus vel actus consequentes juramentum & repugnantes juramento? 337
34. An juramentum factum contra dispositionem legis civilis vel Ecclesiasticæ sit universim invalidum? 337
35. Quomodo in dubio explicanda sint juramenta? 337
36. Quid agendum, si dubia sit existentia, vel licentia juramenti? 338
37. Quænam personæ possint jurare? 338
38. An juramentum possit deponi per procuratorem? 339
39. An lex civilis possit irritare juramenta contractibus apposita? 340
40. Qualia juramenta possint irritari a Superioribus? 340
41. A quibus Superioribus possint irritari juramenta? & qualia in particulari? 340
42. An Superior possit irritare postmodum juramenta aut vota, quæ primitus approbavit? 341
43. An juramenta & vota semel irritata reviviscant morte irritantis? 341
44. An ad valorem irritationis Juramentorum aut votorum requiratur causa justa? 341
45. Quomodo differant inter se irritatio juramenti, & dispensatio seu relaxatio juramenti? 342
46. An ad valorem dispensationis a juramento requiratur causa legitima? 342
47. Quænam sit causa legitima relaxandi juramenta? 342
48. An omnis dispensatio circa juramenta aut vota solum habeat naturam declarationis? 342
49. An in omni dispensatione juramentorum aut votorum debeat simul concurrere commutatio? 342
50. An habentes potestatem commutandi vota habeant etiam potestatem commutandi juramenta? 342. 343
51. An jurans possit propria authoritate commutare juramentum? 343
52. Quid sit, *dispensare commutando*, aut *commutare dispensando*. 343

§. II.

De Adjuratione.

1. Quid sit adjuratio? 343
2. Quotuplex sit adjuratio? 343
3. An licitum sit, adjurare aliquem hominem? & quando? 343
4. An liceat adjurare dæmones? 344
5. An liceat adjurare creaturas irrationales? 344
6. Quænam requirantur universim, ut adjuratio sit licita absque peccato? 345
7. An liceat etiam adjurare Deum & Sanctos? 345
8. Quænam requirantur ad licitam adjurationem dæmonis? 345
9. Quænam in adjurationibus liceat interrogare dæmones? 345
10. An peccent adjurantes graviter, si omittant unam ex his cautelis? 346
11. An peccent adjurantes, si pro feliciori successu adjurationis in contemptum dæmonis simul adhibeant rutam, stercus caprinum & similia? vel si obsessum flagellis, contumeliis, alapis, vel sputis afficiant? 346
12. An adjurans absque peccato possit connivere pactioni cum dæmone, si ob egressum petat rem non malam? v. g si petat, non cruciari novis suppliciis, non relegari in infernum, vel in desertum locum? 346
13. An adjurans possit absque peccato petere a dæmone signum egressionis v. g. fra-

fractionem fenestrarum? 346

§. III.

De Voto.

1. Quid sit votum? 347
2. Quotuplex sit votum? 347
3. Quale sit discrimen inter propositum & votum? 348
4. Ex quibus indiciis colligatur, an quis potius fecerit propositum quam votum? 348
5. An quis in dubio facti teneatur servare votum, si dubitat, an potius emiserit votum, vel conceperit præcise propositum? 348
6. Qualis requiratur libertas ad votum? 348
7. An quis teneatur voto, si dubium sit, an præcesserit sufficiens libertas, seu deliberatio? 348
8. An vota metu extorta valeant? 349
9. An validum sit votum ex errore vel ignorantia emissum? 350
10. Ex quibus indiciis possit agnosci, utrum intentio voventis fuerit alligata qualitati aut circumstantiæ ignoratæ? 351
11. Utrum in votis regula illa vera sit, ex errore vel ignorantia circumstantiæ & qualitatis invalidari votum, de qua si vovens explicite cogitasset, votum non emisisset? 351
12. Quid agendum in dubio, quando dubitatur, utrum intentio voventis fuerit alligata alicui circumstantiæ, conditioni, vel qualitati? 352
13. An vota dubia sint reservata Sedi Apostolicæ? 352
14. An teneatur voto castitatis, qui suscipiendo Sacros Ordines habet expressam intentionem non vovendi castitatem? 353
15. An votum fieri possit Soli Deo? an vero etiam Sanctis? 353
16. An promissio facta Sanctis inducat obligationem specie diversam ab ea, quam inducit promissio Deo facta, aut homini? 353

De Materia Voti.

17. An validum sit votum non ingrediendi Religionem, non mutuandi, non fidejubendi, non erogandi eleemosynam &c. 353
18. An licitum & validum sit votum non vovendi? 354
19. An licitum & validum sit votum non petendi dispensationem aut relaxationem voti? 354
20. An licitum & validum sit votum non acceptandi Episcopatum? vel aliam dignitatem? 354
21. An licitum & validum sit votum contrahendi matrimonium? 354
22. An consuetudinarius in mollitie vel aliis peccatis luxuriæ peccet mortaliter, si emittat votum castitatis per religiosam professionem vel receptionem Sacrorum Ordinum? 354
23. An licitum & validum sit votum nullum committendi peccatum veniale? 355
24. An licitum & validum sit votum semper eligendi vel agendi, quod est perfectius? 355
25. An licitum & validum sit votum quotidie in virtutibus proficiendi? seu in via christianæ perfectionis semper ulterius progrediendi? aut suæ voluntati jugiter obsistendi? 355
26. An licitum & validum sit votum, si quis motivo pietatis ductus dicat: Promitto Deo, me ducturum puellam pauperem, vel meretricem? 356
27. An licitum & validum sit votum non ingrediendi Religionem, nisi determinate hanc? vel non recitandi Rosarium, nisi flexis genibus? vel non dandi eleemosynam minorem decem aureis? 356

De Votis conditionatis.

28. Quotuplex sit votum conditionatum? 356
29. An licitum & validum sit votum sub conditione repugnante quoad substantiam voti? 356
30. An licitum & validum sit votum sub conditione turpi? 357
31. An licitum & validum sit votum sub conditione impossibili? 357
32. An votum sub conditione necessaria obliget statim necdum impleta conditione? 357
33. An obliget votum, si conditio non fuerit perfecte vel adæquate impleta? 357
34. An obliget votum, si conditio apposita solum impleta fuerit in æquivalenti? 357
35. An vovens sub conditione possit licite

te se reddere ineptum ad impletionem voti ante eventum conditionis? 358

36. An cesset obligatio voti, ita ut assumi possit status incompossibilis cum voto, si conditio apposita aut res promissa fiat moraliter impossibilis? 358

37. An vovens licite impediat conditionem, sub qua emisit votum? 359

De Voto profano.

38. An validum & licitum sit votum de re indifferenti v. g. non ludendi cum Titio, non recidendi ungues die sabbathi? vel non laborandi sabbatho? 359

39. An validum sit votum de re quidem honesta, sed ob finem malum, v. g. si pro recuperanda sanitate emittat votum, ut liberius vagetur? 360

40. An licitum & validum sit votum peccatoris pro re temporali, v. g. pro recuperanda sanitate, obtinenda prole, evincenda causa, &c. nisi hæc ordinet ad finem saltem moraliter bonum? 360

41. An licitum & validum sit votum puellæ impraegnatæ, ne infametur, aut foris, ne deprehendatur? 360

42. An sit peccatum mortale, vovere Deo rem profanam? aut venialiter solum peccaminosam? aut ex fine venialiter peccaminoso, v. g. non amplius se transiturum per plateam hominis, a quo habet aversionem levem? 360

43. An vovens rem, si impletio totius reperiatur impossibilis, teneatur ad partem? 360

44. An detur obligatio servandi accessorium voto, si non possit observari ipsum principale, seu substantia voti? 361

45. An vovens disjunctive unam rem ex duabus, v. g. vel bovem, vel equum, pereunte uno teneatur ad alterum? 361

De Votorum indeterminatione.

46. Quales regulæ sint observandæ circa vota indeterminata quoad gravitatem, qualitatem, modum, vel tempus obligationis? 361

47. An votum obligans ad determinatum diem, v. g. diebus Dominicis audiendi speciale sacrum, vel jejunandi in Sabbato, possit anticipari? 364

48. An detur obligatio anticipandi votum, si prævideatur impedimentum ad diem obligationi præfixum? 364

49. Quo tempore incipiat obligatio actu implendi votum? 364

50. Qualis causa sufficiat ad licitam dilationem voti? 364

51. Qualis dilatio voti sufficiat ad constituendum peccatum mortale? 364

De voto per alios implendo.

52. An votum personale possit impleri per alios? 365

53. An vovens teneatur suum votum personale implere per alios, si ipse ad illud implendum factus sit impotens? 365

54. An votum emissum ab integra communitate, v. g. celebrandi diem festum, communicandi, peregrinandi, dandi eleemosynam &c. obliget successores? 365

55. An filii teneantur votis personalibus suorum Parentum? 365

56. An votum emissum per Procuratorem obliget mandatarium, vel Principalem? 365

57. An votum reale possit impleri per alium, etiam vovente invito? 366

58. An vovens, ad implendum suum votum impotens, teneatur pro impletione voti realis rogare alios pro eleemosyna, vel laborare, aut discere artem lucrosam? 366

59. An vovens teneatur implere votum reale, si Mandatarius ad ejus impletionem conductus non satisfecit obligationi? 366

60. An quid obligetur vovens in voto mixto ex reali & personali, si alterutram ejus partem implere non possit? 366

De Obligatione hæredum.

61. An & quomodo obligentur hæredes voto testatoris? 361

61. An testator per vota realia possit etiam præjudicare legitimæ ascendentium in linea recta? 367

63. An Monasterium, Ordo, vel alius hæres religiosi professi teneatur ad vota illius realia, quæ emisit ante Professionem? 368

64. Quis sit ab hæredibus observandus ordo quoad impletionem votorum realium testatoris? seu alias defuncti? 368

65. Ad quid obligetur hæres, certus de voto defuncti, sed dubius, utrum votum jam sit

fit impletum a defuncto? 369
66. An plures hæredes teneantur in solidum ad persolvenda vota defuncti? 369
67. An donatarius obligetur ad vota realia donantis, si donans factus fuerit impotens ad vota implenda; vel ejus hæredes sint impotentes? 369
68. An idem dicendum sit de legatario, quod dictum est de donatario? 370

De Voto Castitatis.

69. Ad quid obliget votum castitatis? 370
70. An ligatus voto perpetuæ castitatis, si matrimonium contrahat, teneatur ante ejus consummationem ingredi Religionem habita occasione? 370
71. Ad quid obligetur obstrictus voto ingrediendi Religionem? 370
72. Ad quid obliget votum servandæ virginitatis? 371
73. Ad quid obliget votum non nubendi? 371
74. Ad quid obliget votum non fornicandi, aut non cognoscendi fœminam? 372
75. Ad quid obliget votum ingrediendi Religionem? 372
76. Quinam habeant potestatem vovendi? 373

De irritatione Votorum.

77. Quid sit irritatio votorum? & quotuplex? 373
78. Quinam habeant potestatem irritandi vota? 373
79. An Superiores Regularium possint irritare indiscriminatim omnia vota suorum Religiosorum, etiam non præjudicantia suæ gubernationi? 375
80. Quomodo tollatur voti obligatio per dispensationem? 375
81. Qualis requiratur causa ad dispensandum? 375
82. Quinam habeant potestatem dispensandi? 376
83. Quinam veniant nomine subditorum? 376
84. Quænam vota sint reservata Sedi Apostolicæ? 376
85. Qualia vota comprehendantur vel non comprehendantur sub nomine perpetuæ castitatis? 376
86. An etiam Episcopi, vel alii Prælati inferiores possint aliquando dispensare in his votis reservatis? 377
87. Quinam habeant vel non habeant potestatem delegatam dispensandi circa vota? & quantam? 377
88. An habentes facultatem dispensandi in votis delegatam, etiam habeant facultatem commutandi vota? 377
89. A quibus, & quomodo possit fieri commutatio? 377
90. An facta commutatione detur obligatio redeundi ad priorem materiam, si secunda materia subrogata reddatur impossibilis? 378
91. An facta commutatione voti liceat voventi redire ad priorem materiam? 378

SECTIO IV.

De Tertio Præcepto Decalogi.

1. Quodnam sit tertium præceptum Decalogi? 378
2. An sanctificatio diei dominicæ sit juris divini? 379
3. An semper in Ecclesia extiterit mos assistendi in diebus Dominicis Sacrificio Missæ? 379
4. An semper in Ecclesia fuerit agnita gravis obligatio, diebus Dominicis assistendi Sacrificio Missæ? 379
5. An in Ecclesia semper fuerit præceptum abstinendi in diebus Dominicis a labore servili? 380
6. Quales labores sint interdicti in diebus Dominicis? 380
7. An diebus Dominicis prohibeantur etiam aliæ actiones profanæ præter opera servilia? 381
8. Quænam primis Ecclesiæ temporibus non fuerint prohibita? 382
9. An ludi theatrales profani in diebus Dominicis & festis de præcepto sint etiam jure naturali, ac divino prohibiti? 382
10. Qua hora incipiat obligatio festorum? 383
11. Quænam causæ excusent a lege abstinendi a labore servili? 383
12. Quantum temporis in labore servili constituat peccatum mortale? 383. 384
13. Qualia opera vocentur proprie servilia? & quænam dicantur liberalia? 384
14. An transcribere lucri seu mercedis causa sit opus servile die festo prohibitum? 384
15. An pingere vel delineare ædificium pertineat ad opera servilia die festo pro-

pro-

hibita? 384
16. An venatio, aucupatio, & piscatio sint opera servilia die festo prohibita? 384
17. An exercitationes militares publicæ festo sint opera servilia die prohibita? 385
18. An die festo liceat resarcire vestimenta, calceamenta, &c. nere, vel alios ejusmodi labores domesticos quietos assumere pro se vel aliis pauperibus? 385
19. Quænam diebus festivis licitæ sint actiones liberales? 386
20. Quales in diebus festis prohibeantur actus judiciales aut forenses? 386
21. Qualia opera liceant titulo religionis seu pietatis erga Deum? 387
22. Qualia opera liceant titulo pietatis erga proximum? 387
23. Quinam labores communiter pro licitis habeantur a Doctoribus in die festo? 387
24. An sustentatio congrua sui & suæ familiæ sit causa sufficiens ad excusandum a præcepto abstinendi a labore servili? 388
25. Quid agendum, si fuerit dubium, an causa sit sufficiens ad laborandum die festo? 388
26. Quisnam habeat potestatem dispensandi ad laborandum die festo? 389
27. An etiam Parochi habeant potestatem dispensandi ad laborandum? vel alii Superiores? 389
28. Quid agendum, si nimia multitudo festorum videatur populo pauperi onerosa & damnosa? 389
29. Quis possit instituere festa? 390
30. An Communitates v. g. Civitates, oppida, pagi &c. possint ex voto instituere festa? 390
31. An diebus festis detur obligatio etiam audiendi verbum Dei? 390
32. An Parochiani diebus festis teneantur audire Verbum Dei in Parochia propria? 391
33. Quomodo lex audiendi Verbum Dei singulis Dominicis & Festis reduci possit etiam in Civitatibus & Oppidis majoribus, ubi reperitur neglectus? 391
34. Quales causæ excusent ab auditione sacri in diebus Dominicis, ac festis de præcepto? 392
35. Quænam propositiones sint damnatæ circa observationem festorum? 392
36. An peccet mortaliter, qui sine justa causa simul audit duas medietates Missæ? 392
37. Quinam obligentur ad audiendam Missam? 392
38. An in omnibus diebus festis detur obligatio audiendi sacrum? & in quibus non? 393
39. Quo tempore sit audienda Missa? 393
40. An satisfiat præcepto audiendi Missam in oratoriis privatis? 393
41. In quibus aliis locis possit satisfieri præcepto Ecclesiæ audiendi sacrum? 394
42. Qualis requiratur intentio ad Missam audiendam? 394
43. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui simul habet intentionem satisfaciendi Ecclesiæ, & concomitantem intentionem peccandi mortaliter v. g. furandi, vel lasciva tractandi? 394
44. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui in Ecclesia per quadrantem exspectans egressum Missæ repente advertit, in altari a se non viso dari signum ad *Sanctus*, & sic format intentionem audiendi hanc solam Missam? 394
45. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui in festo Nativitatis Dominicæ audiendo primam Missam pro sua devotione habet intentionem audiendi secundam & tertiam, quas tamen omittit? 394
46. Cui obligationi per auditionem unius sacri satisfiat, si quis habens obligationem audiendi tres Missas ex tribus titulis v. g. præcpto, voto, pœnitentia injuncta, in auditione sacri non formet intentionem, cui obligationi velit satisfacere? 395
47. Qualis requiratur præsentia corporalis ad satisfaciendum præcepto? 395
48. Qualis requiratur assistentia ad Missam? 395
49. Qualis requiratur attentio ad Missam? 395
50. An satisfaciant præcepto Ecclesiæ, qui confitentur sub Missa? 396
51. Quomodo peccetur mortaliter, ex defectu integritatis Missæ? 396
52. An habens privilegium Oratorii privati teneatur conducere Sacerdotem celebrantem, si non possit adire Ecclesiam pro auditione sacri? 397
53. Quanta distantia loci excuset ab audiendo Sacro? 397
54. An excusati ab auditione Sacri teneantur domi vel in via supplere cultum Deo impendendum in Ecclesia? 398

TRIA

TRIA BREVIA SS. D. N. BENEDICTI XIV.

De Commutatione & Reductione Festorum, & de Nundinis. 398

SECTIO V.

De quarto Præcepto Decalogi.

1. Quomodo sonet quartum Præceptum Decalogi? 403
2. Quænam debeantur parentibus? 403
3. Quomodo probetur obligatio amandi parentes? 403
4. Quomodo possit peccari contra amorem parentum? 403
5. Quomodo possit peccari contra reverentiam parentibus debitam? 404
6. An etiam graviter peccent, qui conjiciunt convitia & maledicta in parentes jam defunctos? 404. 405
7. An aliquando liceat percutere, vel occidere parentes? 405
8. Quomodo possint liberi peccare contra obedientiam? 405
9. In quibus rebus liberi non teneantur obedire parentibus? 405
10. Quomodo possint peccare graviter liberi, si non subveniant parentibus in necessitate spirituali? 406
11. Quomodo possint peccare graviter liberi non subveniendo parentibus in gravi necessitate constitutis? 406
12. An filii catholici teneantur alimenta præstare parentibus hæreticis in gravi necessitate constitutis? 406
13. An ad sublevandam necessitatem gravem parentum filii obligentur ad manendum in sæculo? 406
14. An filii teneantur solvere debita parentum, quando excedunt facultates hæreditatis? 408
15. An uxor & filii teneantur solvere defuncti sui mariti vel patris debita, si ea contracta fuerint pro alimentatione & vestitione vel institutione liberorum aut uxoris, etiamsi nihil acceperint ex bonis defuncti? 408
16. Qualis sit obligatio parentum erga liberos quoad eorum alimentationem? 408
17. An teneatur mater lactare filios per se ipsam? 409
18. An peccent mortaliter parentes, si liberos suos legitimos, vel illegitimos quos alere possent, in Templis vel hospitalibus exponant? 409. 410
19. An parentes teneantur dotare filiam spuriam, si velit contrahere matrimonium, vel ingredi monasterium? 410
20. An & quomodo peccent parentes negligendo in liberis disciplinam morum, & bonam educationem? 410
21. An etiam illi parentes graviter peccent aut excommunicationem incurrant, qui filiam illegitimam instituunt hæredem, si ingrediatur monasterium; secus vero illi solum relinquunt legatum exiguum? 411
22. Ad quid obligetur maritus uxori, & vicissim uxor marito? 411
23. An maritus teneatur cohabitare uxori? & vicissim uxor viro? 412
24. An maritus teneatur universim præstare alimenta uxori? 412
25. An maritus teneatur potius subvenire uxori extreme indigenti, an vero patri vel matri aut filiis extreme indigentibus? 413
26. Quomodo possint graviter peccare mariti & uxores contra amorem specialiter invicem debitum? 413
27. Quænam sit obligatio fratrum ac sororum inter se? 414
28. An frater dives teneatur alere & dotare sororem pauperem germanam? 414
29. An Clericus Beneficiarius teneatur sororem pauperem alere, vel etiam dotare? 414
30. Qualis sit obligatio Dominorum ac Superiorum erga servos, famulos, & ancillas? vel erga subditos suo regimini? 415
31. Qualis sit obligatio servorum erga Dominos? 417
32. Quinam alii adhuc comprehendantur hoc quarto præcepto? 417

SECTIO VI.

De Quinto Præcepto seu Homicidio.

1. Quomodo sonet quintum præceptum Decalogi? 417
2. Quænam prohibeantur isto quinto præcepto? 418
3. An permissum sit, malefactores publica authoritate occidere? 418
4. An liceat occidere proscriptos data cuivis facultate eos occidendi? 418
5. An liceat marito occidere propriam

uxorem in adulterio deprehensam? 418
6. An fœminæ principi aut nobili liceat occidere concubinam sui mariti? 419
7. An sit licitum occidere proprium Patrem proscriptum & cuivis gladio permissum? 419
8. An liceat Principi & Magistratui, tribuere facultatem occidendi creatos malefactores inauditos, & ante rite prolatam sententiam? 419
9. An liceat privata authoritate occidere tyrannum? 419
10. An & sub quibus conditionibus liceat occidere injustum aggressorem? 420
11. An liceat occidere injustum aggressorem, si quis aggressori dederit caussam injustæ aggressionis? 420
12. An licitum sit prævenire eum, qui probabiliter vel probabilius, aut morali certitudine creditur machinari mortem? 420
13. An licita sit sui defensio cum occisione injusti aggressoris, si injustus aggressor fuerit princeps, minister justitiæ, amens, ebriosus, existens in peccato mortali? 421
14. An liceat prævenire injustum aggressorem, præcise constitutum in actu aggressionis remoto aut proximo? 421
15. An tunc, quando licitum est aggressorem occidere, id liceat fieri per alium? 422
16. An etiam milites, aut viri nobiles teneantur potius fugam arripere, quam occidere aggressorem, si per fugam sibi inurant notam dedecoris vel infamiæ? 422
17. An liceat injustum aggressorem occidere pro tuendis bonis temporalibus, & pro quantis? 422
18. An liceat occidere aggressorem pro ablatione unius aurei? 423
19. An licite occidatur aggressor bonorum, quæ licet necdum habeantur, proxime tamen per *testamentum*, legatum, vel jus ad rem expectantur? 423
20. An liceat occidere eum, qui struit gravem calumniam, aut injustam falso testimonio evicturus est sententiam? 423
21. An & quando committatur homicidium per procurationem abortus? 424
18. An virgo licite occidat eum, qui nititur eam vi deflorare: si non datur aliud medium evadendi violentiam.? 424
19. An idem dicendum de alia fœmina nupta, vel alias corrupta? & de juvene patiente violentiam? 426
20. An liceat occidere injustum aggressorem proprii honoris? 426
21. An liceat occidere aggressorem injustum alienæ vitæ, pudicitiæ, aut sustentationis honestæ? 426
22. An & in quibus personis detur obligatio occidendi injustum aggressorem vitæ, pudicitiæ, vel sustentationis alienæ? 427
23. An aliquando liceat se ipsum directe ac immediate occidere? 427
24. An sepeliendus sit in loco sacro se ipsum præmeditato occidens, de quo dubitatur, an sufficienter fuerit compos rationis, prout requiritur ad committendum peccatum mortale? 427
25. An peccet, qui per indiscretas macerationes corporis notabiliter abbreviat suam vitam? 428
26. An liceat aliquando occidere seipsum indirecte? 428
27. An liceat pro vita temporali proximi, amici,, aut consanguinei voluntarie se morti offerre? 429
28. An liceat abscindere sibi virilia ad fugiendas carnis molestias, aut fugiendum peccatum? 429
29. An liceat sibi amputare, vel pati amputationem unius membri pro conservatione totius corporis? 429
30. An detur obligatio patiendi amputationem, quando corrupto membro certo secutura est mors? 429
31. An parendum sit tyranno, si condemnato ad mortem præcipiat, ut ipsemat sumat venenum, aut se suspendat, se mutilet? 430
32. Utrum in expugnatione urbis liceat occidere etiam innocentes v. g. infantes in utero, pueros ac puellas? 430
33. An licitum sit occidere obsides, si non serventur pacta conventa? 431
34. An liceat occidere innocentem, si ejus caput solum petat tyrannus obsidens urbem, & minans ejus eversionem? 431
35. An liceat cooperari ad mortem indirecte? & quomodo? 431
36. An judex possit condemnare ad mortem, juxra allegata, & probata mortis reum, quem tamen scientia privata scit esse innocentem? 431
37. An liceat matri gravidæ dare medicinam pro expellendo gravi aut periculoso morbo, si id fieri nequeat sine periculo

ricHlo

riculo enecandi fœtum? 432
38. Quid sit? & num sit licitum Duellum? 432
39. An acceptari possit duellum, si non reperiatur Superior, qui velit judicare in causa, & eo non judicante amittendum sit officium, ac consequenter recusans duellum constituendus in gravi necessitate? 434
40. An possit quis licite permittere, ut castretur ad suavitatem vocis conservandam, qua redditus annuos in totam vitam lucrari possit? vel an parentibus, maxime pauperibus liceat filios ad hunc finem castrare? 435
41. An & quomodo bellum sit licitum? 436
42. An supremus princeps possit alteri indicere bellum stante dubio de justitia belli? 436
43. An bellum possit utrinque esse justum? 437
44. An milites teneantur examinare justitiam belli? 437
45. An etiam clericis permissum sit bellum suscipere, militem agere? 437
46. Quænam liceant vel non liceant militibus in bello justo? 437
47. Ad quem pertineant spolia ex hostibus capta? 438
48. An hostes, qui se dederunt discretioni victoris, occidi possint? 438
49. An servus bello justo captus possit a Domino suo fugere? 438
50. An reprehensaliæ sint licitæ? 438
51. An milites licite deserant sua signa, aut omnino confugiant ad hostes, si illis non præstentur victualia, vestimenta, vel Salaria? 439

SECTIO VII.

De sexto & Nono Præcepto Decalogi.

1. Quomodo in Scriptura sonet vel explicetur sextum & nonum præceptum Decalogi? 439
2. Quænam species luxuriæ in Scriptura referantur ad hoc præceptum? 439
3. Quænam enumerentur a Theologis species luxuriæ? 440

De Fornicatione.

4. Quid sit fornicatio? 440
5. An fornicatio sit jure naturali, vel tantum jure divino positivo, aut Ecclesiastico prohibita? 440
6. An copula cum alterius sponsa sit tantum fornicatio simplex, vel potius adulterium? 440
7. An sit grave peccatum, meretrices jam aliunde paratas ad fornicandum invitare ad fornicationem? 440. 441
8. An Principes meretricibus licite permittant locum in civitate? 441
9. An liceat locare meretricibus suam domum in urbe, in qua permittuntur lupanaria? 443
10. Quid sit concubinatus? & quomodo differat a fornicatione? 443
11. Quid confessario agendum cum concubinariis? 444
12. An Clerici concubinarii sint ipso facto suspensi? & quomodo puniendi? 444
12. 2. An etiam concubinarii Sæculares possint puniri ab Ordinariis locorum? 445

De Adulterio.

13. Quid sit adulterium? 445
14. An sit adulterium, si persona soluta peccet cum persona conjugata consentiente hujus conjuge? 445
15. Quodnam adulterium sit altero gravius? 445
16. An persona adultera amittat jus petendi debitum? 446
17. Quænam sint pœnæ adulterii? 446
18. Quæ sit obligatio adulteri vel adulteræ? 446
19. An adultera teneatur saltem in articulo mortis manifestare, se unam vel duas suarum prolium concepisse ex adulterio, si exinde nascatur in hæreditate præjudicium aliis liberis? 447

De Stupro.

20. Quid sit stuprum? 448
21. An stuprum differat specie a simplici fornicatione? 448
21. An defloratio virginis contineat proprie rationem stupri, si ipsamet in deflorationem consentiat? 448
23. Ad qualem compensationem stuprator obligetur? 448
24. An stuprator teneatur ad aliquam compensationem, si consensum puellæ solum extorsit muneribus aut precibus importunis, vel blanditiis assiduis? 449
25. An virgo, quæ per copulam fuit corrupta, possit velari ac sacrari? 449

De

De Incestu.

26. Quid sit incestus? & quotuplex? 450
27. An ad incurrendum crimen incestus requiratur copula perfecta? 450
28. An copula a Confessario habita cum filia confessionis sit verus incestus? 450
29. An quatuor genera incestuum differant specie inter se? 451
30. An in quolibet genere illorum incestuum ipsi gradus differant inter se specie? 451
31. Quænam sint pœnæ committentium incestum? 451
32. Quid sit sacrilegium? 451
33. Quot modis soleat committi tale sacrilegium? 452
34. An committat duplex sacrilegium, qui simul est religiosus, & initiatus sacris Ordinibus, v. g. sacerdotio? 452
35. An differat specie Sacrilegium commissum a persona habente votum castitatis solenne, & commissum a persona habente tantum votum castitatis simplex? 452
36. An committatur sacrilegium, si committatur actus luxuriosus cum persona habente appensas ad collum reliquias, vel Agnos benedictos? 452
37. An semper committatur Sacrilegium per copulam conjugalem licitam in loco sacro? 452. 453
38. An committatur sacrilegium per cogitationes, aspectus, vel actus obscœnos in loco sacro? 453
39. Quænam sint loca sacra, in quibus committitur sacrilegium per copulam aut pollutionem? 453
40. Qualis effusio seminis requiratur ad polluendam Ecclesiam? 453

De Pollutione.

41. Quid sit pollutio, & mollities? 454
42. An procuratio pollutionis semper sit peccatum mortale, etiamsi fiat ex bono fine, v. g. ex motivo restituendæ sanitatis, vel ex motivo sedandi carnis molestias? 454
43. An pollutio sit jure naturali prohibita? 454
44. Quandonam pollutio censeatur esse voluntaria, & imputabilis ad peccatum? 454
45. An liceat sumere medicinam, per quam semen resolvatur in sanguinem vel alium humorem sanitatis gratia? 456
46. An sit peccatum lethale non reprimere pollutionem inchoatam in somno quoad commotionem spirituum, & seminis decessionem, quamvis seminis effusio sequatur in vigilia? 456
47. An licitum sit, de secuta sine peccato in somno pollutione gaudere; vel eam sic inculpabiliter sequendam optare ac desiderare sanitatis causandæ vel naturæ exonerandæ & molestiæ pellendæ causa? 456
48. An pollutiones sint ejusdem speciei? aut num habeant circumstantias necessario aperiendas in confessione? 457
49. An procurare magnam spirituum commotionem ad pollutionem ordinatorum, vel ad magnam distillationem sit grave peccatum? 457

De Sodomia.

50. Quid sit Sodomia? 457
51. Utrum in confessione sint explicandæ circumstantiæ in Sodomia variantes speciem? 458
52. Quænam sint statutæ pænæ in Sodomitas? 458
53. An Clerici Sodomitæ incurrant ipso facto suspensionem ab officio, & beneficio absque ulla sententia Judicis, etjamsi crimen occultum sit? 458
54. Qualem statuerit S. Pius pænam in Sodomitas Clericos? 459
55. An ad incurrendum has pænas a S. Pio latas requiratur, ut crimen sit consummatum? 459
56 An S. Pius in sua Bulla comprehendat etiam Clericum, qui tantum semel aut bis commisit Sodomiam? 459
57. An in Confessione peccati Sodomiæ explicanda sit circumstantia agentis vel patientis? an vero sufficiat dicere, Sodomiam commisi? 459
57. Quid sit bestialitas? & quotuplex? 460
59. Qualis sit pæna bestialitatis? 460
60. An detur etiam congressus cum dæmone? 460
61. An & quomodo possit peccari mortaliter per modum concumbendi innaturalem? 460

SE-

SECTIO VIII.

De septimo & decimo Præcepto Decalogi.

1. Quomodo in Scriptura sonet septimum & decimum Præceptum Decalogi? 461
2. Quænam vitia referantur ad furtum? 461
3. Quid sit furtum? 461
4. Quid sit rapina? 461
5. An furtum aut rapina ex suo genere sit peccatum mortale? 462
6. An furtum & rapina differant specie? 462
7. Quænam materia seu quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti? 462
8. An & quomodo levis materia furti fiat gravis per accidens? 464
9. Quomodo possit peccari per furta minuta? 465
10. An peccet mortaliter, qui successive quidem per furta parva devenit ad summam gravem, sed longo temporis intervallo, v. g. intra biennium vel triennium? 465
11. An parva furta constituant peccatum mortale, si fiant diversis Dominis? 465
12. An peccet graviter, qui per furta minuta ascendit quidem ad summam gravem, sed in ultimo furto non recordatur furtorum præcedentium? vel si pœnitentia interrumpit furta priora? 466
13. An peccet graviter, qui aufert rem levem Domino, damnificato simul a pluribus aliis in materia levi? 466
14. An & quomodo licitum sit surripere rem alienam in gravi vel extrema necessitate? 465 2
15. An surripiens in extrema necessitate teneatur ad restitutionem rei ablatæ, si ad pinguiorem fortunam venerit? 465 2
16. An licitum sit, aliquid surripere alteri ad subveniendum extreme indigenti? 466 2
17. An constituto in extrema necessitate liceat potius mori, quam surripere alienum? 466 2
18. An surripiens in gravi necessitate peccet, si alioquin incurret periculum delabendi in necessitatem extremam? 466 2
19. Quomodo, & circa quæ bona peccent filii surripiendo ex bonis paternis? 466 1
20. An peccet peccato furti filius accipiens clam a Patre austero & avaro, quantum subministrare solent ac indulgent Patres ejusdem conditionis suis filiis? 467
21. An filius committat furtum, si pecunias sibi a parente concessas ad emendos libros vel ad alia necessaria comparanda, insumat in usus illicitos? 467
22. An filio in paterna domo laboranti debeatur salarium, & num illud possit occulte compensare, si negetur, vel pudeat petere? 468
23. Quid sine crimine furti liceat uxoribus? 469
24. An & quomodo possint peccare famuli in materia furti? 470

SECTIO IX.

De octavo Præcepto Decalogi.

1. Quomodo in Scriptura sonet octavum Præceptum? 471
2. Quænam vitia comprehendantur hoc præcepto? 471
3. Quid sit detractio? 471
4. Quotuplex sit detractio? 471
5. Quot modis possit fieri detractio? 471
6. An detractio sit ex genere suo peccatum grave? 472
7. An omnes detractiones sint ejusdem speciei? 472
8. Utrum in Scriptura nomen detractionis sumatur potius pro imputatione falsi criminis, vel intentionis malignæ, quam pro manifestatione criminis occulti? 472
9. An & quomodo peccari possit per manifestationem criminis aut vitii veri; attamen occulti? 473
10. An peccet peccato detractionis, qui alterius peccatum, aut defectum alteri patefacit, boni cujusdam procurandi aut promovendi gratia? 474
11. An peccet graviter peccato detractionis, qui ex sola loquacitate absque causa necessaria lædit alienam famam graviter? 476
12. An possit peccari mortaliter ex manifestatione peccati venialis, aut defectus naturalis? 477

13. An peccent graviter, qui manifestant delicta vetera, dudum quidem notoria, sed jam oblivione apud plerosque deleta, aut jam punita & emendata? 477
14. An peccent graviter Historici, si publicent gravia delicta Principum? 478
15. An & quomódo possit graviter per detractionem peccari, vel detrahens a peccato excusari circa mortuos vel alias personas audientibus ignotas? 478
16. An possit peccari graviter referendo vitia alicujus urbis, aut nationis? 478
17. Quales dentur modi detrahendi directe? 478
18. Utrum ad excusandam manifestationem alieni peccati occulti a vitio detractionis semper requiratur boni promovendi necessitas, vel sufficiat sola utilitas, v. g. instructio utilis audientium? 479
19. An manifestatio peccati occulti excusetur a vitio detractionis, si fiat viris prudentibus, aut amicis secreti tenacibus? 480
20. An peccet mortaliter, qui auditas graves detractiones refert aliis? 480
21. An peccet mortaliter, qui gravem injuriam sibi illatam alteri narrat animo nocendi vel ulciscendi? 481
22. An peccent graviter infamantes se ipsos positive vel permissive? 481
23. An peccent graviter, qui famosis libellis aliorum delicta præsertim Parochorum, Concionatorum, Episcoporum, aut Principum injuste traducunt? 482
24. An & quomodo peccetur, libenter audiendo, vel non corripiendo detrahentes? 485
25. An liceat repellere detractionem alia detractione, & calumniam alia calumnia? 487
26. An & quomodo detractor seu calumniator teneatur ad restitutionem famæ ablatæ? 487
27. An is, qui de alio malitiose falsum crimen sparsit, aut falsum testimonium tulit, teneatur restituere cum jactura propriæ famæ, fortunæ, aut vitæ? & quid circa crimen verum. 488
28. Quales reperiantur modi restituendi famam indirecte, si restitui non possit sine jactura famæ propriæ aut vitæ? 489
29. Ad quid obligetur; qui committendo homicidium vel aliud grave crimen prævidet alium loco sui habendum authorem criminis, eumque extremo supplicio afficiendum? 490
30. An etiam teneatur ad restitutionem famæ, qui alterum jam in uno genere vitii infamem, v. g. in luxuria, adhuc infamat in alio genere, v. g. in materia furti? 491
31. An ad restitutionem famæ teneatur, quando re ipsa nullum præjudicium ex detractione secutum, aut vulnus jam oblivione deletum, vel alio modo sanatum est? 491
32. An detractor excusetur a restitutione titulo compensationis, si etiam ipsemet ab infamato passus est in eodem genere delicti vel pari infamationem? 492
33. An justa compensatio censeatur, si quis famam ejus, qui detraxit, in alio genere augeat, aut cum eo familiariter converfetur? 493
34. An detractor liberetur ab onere restitutionis, si infamans ipsi condonet obligationem restituendi? 493
35. An Prælatus teneatur ad restitutionem famæ, qui non compescit detrahentem suo subdito, aut subditum detrahentem extero? 494
36. An detractor non solum teneatur ad restitutionem famæ, sed etiam damnorum exinde secutorum? 494
37. An & quomodo teneantur hæredes ad restitutionem famæ a testatore per detractionem ablatæ? 495
38. An & quomodo is teneatur ad restitutionem, qui per detractionem alium impedivit a consequendo beneficio? 495
39. An teneatur ad restitutionem famæ, qui crimen in alio loco jam vulgatum narrat in alio loco, ubi nondum erat notum? 495
40. Quænam sint causæ excusantes ab obligatione restitutionis in materia detractionis? 495
41. Quid sit suspicio? Et quotuplex? 496
42. Quid sit judicium temerarium? 496
43. An omnis suspicio de prava alterius actione vel intentione sit peccatum? 496
44. An omne judicium temerarium sit peccatum mortale? 496
45. Ex quibus indiciis colligatur, an judicium temerarium *firmum* sit? 498
46. Quid sit mendacium, æquivocatio, & restrictio mentalis? 498
47. Quotuplex sit mendacium? 498

48. An omne mendacium sit peccatum? 498

49. An sit mendacium, quod quis absolute affirmet, si dubitet, illud esse verum? 501

50. An sint mendacia, quando matres, nutrices &c. infantibus varias fabulas spe certa detegendæ suo tempore veritatis, quando ad maturiorem ætatem venerint? 501

51. An vera sit sententia P. Caroli Ambrosii Cattaneo S. J. qui in suis concionibus, seu ut vocantur, *Lectionibus*, scribit, in causa maximæ necessitatis verba proferri posse *materialiter* sine ulla significatione formali? 502

52. An aliquando & in quibus circumstantiis licitæ sint æquivocationes, aut amphibologiæ? aut restrictiones non pure mentales, sed sensibiles? 504

53. Quid requiratur ad licitam æquivocationem, amphibologiam, aut restrictionem non pure mentalem, sed sensibilem? 506

54. Qualis amphibologia, aut restrictio sensibilis licita sit confessario, uxori, reo, vel cuivis alteri, juste interrogatis de peccato, crimine, vel argento occulto? 506

55. An nunquam liceat uti restrictione pure mentali? 507

56. An testis in judicio possit testari, aut jurare in favorem rei cum æquivocatione vel restrictione sensibili? 508

57. An licitum sit juramentum cum restrictione non pure mentali, quando alioquin evitari non potest gravis damnificatio a latrone, tyranno, vel principe inferenda? 508

58. An reus in judicio se possit liberare a pœna mortis vel alio gravissimo malo per negationem vel juramentum sub restrictione non pure mentali, vel æquivocatione? 508

SECTIO X.

De Præceptis Ecclesiæ, in specie jejunandi, & dandi decimas.

§. I.

De Jejunio.

1. Quid sit jejunium? & quotuplex? 509

2. Utrum ab substantiam jejunii pertineat potius abstinentia a duplici refectione, quam abstinentia ab esu carnium? 509

3. An dispensati ad esum carnium censeantur etiam dispensati ad secundam refectionem? 509

4. An peccent mortaliter, qui dispensato in quadragesima esu carnium pro consuetudine diœcesana inolita sumunt secundam refectionem? 509

5. An dispensatus ad esum carnium in quadragesima possit in Dominicis bis sumere refectionem in carnibus? 509

6. Quinam dispensetur ratione laboris a lege jejunii? 509

7. Quinam excusentur a lege jejunii ratione itineris? 510

8. Quinam excusentur a lege jejunii ratione ætatis? 510

9. An lex jejunii Ecclesiastici obliget sub peccato mortali? 510

10. Quænam materia sit gravis vel levis circa fractionem jejunii? & quæ licita? 510

11. An tempore jejunii in collatione prohibeatur non sola ciborum nimia quantitas, sed etiam refectionis qualitas? 511

12. An licitum sit, pro collatione permiscere panem & vinum vel alium liquorem, & inde coquere velut offam? 512

13. An licitum sit, in Vigilia Nativitatis Dominicæ, Paschatis, & Pentecostes sumere collationem solito lautiorem? 512

14. An peccetur graviter, si sæpius per diem sumantur esculenta in parva quantitate? 512

15. An ille, qui semel fregit jejunium, possit illo die licite sæpius comedere? 512

16. An dispensati ad esum carnium possint simul cum carnibus comedere pisces, vel carnes non salubres v. g. porcinas? 513

17. Ad quid obligetur, qui ex causa rationabili transit in aliam Diœcesin, ubi Pascha ac dies cinerum ob diversitatem Calendarii observatur octiduo citius vel tardius? 513

18. Quandonam celebrandum jejunium vigiliæ S. Matthiæ, si incidat festum in die Cinerum vel in die Martis præcedentis? 513

19. An sit certa hora præscripta pro refectione tempore jejunii? 513

20. Quousque liceat protrahere prandium? 513

21. An & quomodo liceat interrumpere pran-

prandium tempore jejunii? 514
22. An liceat dividere justam refectionem pro prandio & collatione? 514
23. An frangat jejunium sumptio poculentorum? 514
24. Quantum liceat sumere panis, vel alterius electuarii ad potum? 515
25. An liceat tabacum fumare aut poma, limonia, uvas, &c. sumere pro sedanda siti, aut fame? 515
26. Quales personæ excusentur vel non excusentur a lege jejunii? 515
27. An detur obligatio abstinendi a lacticiniis tempore jejunii Ecclesiastici? & qualibus? 516
28. An, & quomodo graviter peccetur vel non peccetur contra legem abstinentiæ a carnibus? vel lacticiniis? 516
29. Quales requirantur causæ ad licite urgendam & conferendam generalem dispensationem in Quadragesima a lege jejunii? 516

§. II.

De Decimis.

1. Quid sint decimæ? 518
2. Quotuplex sit genus decimarum? 518
3. An solutio decimarum sit juris naturalis, divini, vel positivi? 519
4. Quo tempore obligatio reddendi decimas *quoad modum* præsentem cœperit esse juris positivi? & cujus? civilis vel Ecclesiastici? 522
5. Quæ sit origo Decimarum laicalium? 523
6. An decimæ ex primæva sua institutione sint tantum ordinatæ ad sustentationem clericorum? 523
7. Utrum administratio omnium Decimarum per totam Diœcesin ex primæva earum institutione & ex observantia Ecclesiæ primis decem sæculis pertinuerit ad solum Episcopum? 524
8. An peccent mortaliter, qui in notabili quantitate defraudant decimas? etiam pure laicales? 525
9. An graviter peccent, qui in dandis Decimis eligunt viliora? 525
10. An peccent, qui in agris Decimam messis partem numerant in singulis sulcis, non autem continuative per omnes sulcos continuos? 525
11. An Parochiani quoad decimas animalium teneantur computare numerum animalium decimabilium anno præterito incompletum? 525
12. An liceat Parochis, obligare parochianos ad præstandas decimas jam desuetudine exoletas? 525

IN TRACTATU

De Virtutibus.

§. I.

De Virtutibus in genere.

1. Quid sit virtus? 531
2. Quotuplex sit Virtus? 531
3. Quid sit virtus Moralis? 531
4. Quid sit virtus Theologica? 531
5. Quit sit Virtus naturalis & supernaturalis? 532
6. Quid sit virtus aquisita & infusa? 532
7. In quo consistat discrimen inter Virtutem Theologicam, & non Theologicam? 532
8. Quænam sint virtutes cardinales aut transcendentales? & quod sit earum virtutum ab aliis discrimen? 533
9. In quo differant Virtutes Christianæ & Philosophicæ? 534
10. Quid intelligatur per virtutes innatas? 534
11. Quid sint virtutes purgatoriæ, animi purgati, & exemplares? 534
12. In quo consistant virtutes physicæ? 534
13. Unde desumatur differentia specifica virtutum? 535
14. An virtutes morales sint connexæ inter se? 535
15. An etiam virtutes Theologicæ sint connexæ inter se? 535
16. An omnis virtus consistat in medio? 536

§. II.

De natura & divisione fidei.

1. Quid sit Fides? 536
2. Quotuplex sit Fides? 536
3. Quid sit Fides divina, aut humana? 536
4. Quid sit Fides Theologica? 536
5. Quid sit Fides historica? 537
6. Quid sit Fides Ecclesiastica? 537
7. Quale sit obejctum Fidei Theologicæ? 537
8. Quotuplex sit motivum seu objectum formale Fidei? 537
9. Quid sit Fides supernaturalis, aut naturalis? 537

10. An, & in quo sensu Fides supernaturalis sit donum Dei? 537
11. Quid sit Fides universalis, & particularis? 538
12. Quid sit actus Fidei elicitus, & imperatus? 538
13. Quid sit actus Fidei purus, & mixtus? 538
14. Quid sit actus Fidei immediatæ & mediatæ? 538
15. Quomodo possit elici actus Fidei? 539

§. III.

De Obligatione Fidei.

1. Quænam teneatur homo credere & sine necessitate medii? 539
2. Quos Articulos Fidei quilibet homo teneatur scire necessitate præcepti? 539
3. Quinam articuli fidelibus frequentius explicandi & inculcandi sint? 540
4. An sint capaces absolutionis, qui ignorant Symbolum Apostolicum memoriter? 540
5. Quoties in vita homo teneatur elicere actum Fidei? 540
6. An hæreticus possit pro suo libitu manere in sua Religione, aut nostram amplecti, eo quod credat, utramque esse probabilem? 541
7. An detur obligatio profitendi veram Religionem inter Hæreticos, vel Gentiles? 541
8. An pueri & puellæ impuberes postulantes recipi ad veram Ecclesiam possint excludi ob Statutum Magistratus hæretici, ne transeuntes ab una Religione ad aliam recipiantur ante annos pubertatis? 542
9. Utrum infideles non subditi temporali dominio Principis, v. g. Regis Hispani possint cogi saltem ad audiendam Fidem? aut amplectendam? 542
10. An saltem subditi Gentiles vel Hæretici possint a Domino territoriali cogi ad audiendam vel amplectendam veram Religionem? 543
11. An licita sit captio Maurorum sylvaticorum sub motivo, ut instruantur in Fide Christiana? 543
12. An servanda sint pacta cum Hæreticis & Gentilibus inita? 544

§. IV.

De Spe.

1. Quid sit Spes? 544
2. An Spes idem sit ac amor concupiscentiæ? 544
3. Quodnam sit objectum materiale Spei? 544
4. Quodnam sit objectum formale Spei? 544
5. In quo sensu Spes dicatur certa ac secura? 545
6. Quoties in vita homo teneatur elicere actum Spei? 545
7. Qualis possit esse formula eliciendi actum Spei? 545

§. V.

De Charitate.

1. Quid sit charitas? 545
2. Quodnam sit objectum materiale charitatis? 545
3. Quodnam sit objectum formale seu motivum charitatis? 546
4. An Charitas sit amor mixtus ex amore benevolentiæ & concupiscentiæ? 546
5. An charitas obliget ad actus practicos distinctos ab observatione aliorum mandatorum? 547
6. Quales sint illi actus practici, ad quos charitas obligat? 547
7. Quoties homo teneatur actum dilectionis exercere erga Deum? 547
8. An mandatum dilectionis obliget ad actum amoris reflexum, quo homo sciat & dicat, se amare? 554
9. An mandatum dilectionis requirat actum amoris explicitum? 554
10. Quæ possit esse formula eliciendi actum perfectæ Charitatis? 555

IN TRACTATU

De Jure & Justitia.

§. I.

De natura & divisione Justitiæ.

1. Quid sit *Justitia*? 555
2. Quid sit *Jus*? 555
3. Quid sit *Jus naturale* & *positivum*? 555
4. Quotuplex sit Jus positivum? 556
5. Quid sit *Jus in re*, & *Jus ad rem*? 556
6. Quid sit Justitia *commutativa* & *distributiva*? 556
7. Quid sit Justitia legalis & vindicativa? 556
8. Quid sit dominium? 557
9. Quotuplex sit dominium Jurisdictionis, Proprietatis, altum, bassum, directum, utile, perfectum, imperfectum? 557

§. II.

§. II.

De Jure & obligatione Clericorum circa Bona Ecclesiastica.

1. An Clerici teneantur jure naturali & divino bona Ecclesiastica erogare in causas pias? 559
2. Quodnam sit illud superfluum, quod Clerici tenentur erogare in causas pias? 560
3. Quæ summa constituat peccatum mortale, si erogatur a Clerico in causas profanas? 561
4. Quid intelligatur nomine causarum piarum? 561
5. An Clericus teneatur unam causam piam præferre alteri? 561
6. An Clericus teneatur bona Ecclesiastica erogare in causa pias, dum adhuc est in vita? 562
7. An ea obligatio etiam se extendat ad distributiones quotidianas, & Pensiones? 562

§. III.

De Dominio in homines.

1. An homo in alium habeat verum dominium, non tantum jurisdictionis, sed etiam proprietatis? 562
2. Quotuplex sit dominium unius hominis in alium? 563
3. An detur Jure naturæ dominium jurisdictionis unius hominis in alium? 563
4. An sapientiores arque ad regendum aptiores habeant a natura jus ad sumendum sibimetipsis regimen? 563
5. An licitum sit dominium proprietatis imperfectum unius hominis in alium? 563
6. An etiam apud Christianos possit esse licita talis servitus in Christianum? 563
7. Quot modis acquiratur dominium in alium hominem? 564
8. Qua ratione contrahatur servilis conditio ex nativitate; 564
9. Qua ratione quis servilem conditionem contrahat jure belli? 564
10. Qua ratione contrahatur servilis conditio ob crimen. 565
11. Qua ratione contrahatur servilis conditio emptione, & venditione? 565
12. An liceat servis a dominis suis fugere? 566
13. An justa sit negotiatio nostrorum Europæorum, de quibus constat, quod tantum lucri gratia a Principibus barbaris vel ab ipsis Europæis captos emant in servos? 566
14. Quot modis liberentur mancipia a servitute j 566
15. Quodnam sit Jus Dominorum, & mancipiorum? 567
15. An liceat integras regiones vendere potentiis exteris? 568

§. IV.

De Dominio in feras.

1. Quomodo a Theologis dividantur animalia? 568
2. Quorum sit dominium in animalia mansueta? 568
3. Quid dicendum de animalibus cicuris, v. g. de cervo cicurato? 568
4. Quid dicendum de falconibus. 569
5. Quid dicendum de columbis. 569
6. An licitum sit habere numerosa columbaria? 569
6. Quid dicendum de apibus; 570
8. An peccent, qui venantur vel piscantur in loco interdicto? Et ad qualem restitutionem teneantur. 570
9. An ea restitutio fieri debeat etiam in casu, quo quis jam subiit pœnam a lege statutam. 572
10. Quid dicendum de animalibus jam septo inclusis, aut de piscibus stagno conclusis? 572
11. Quid dicendum, si feræ egrediuntur e loco interdicto, licetne eas in loco non interdicto capere. 572
12. Quid dicendum de venatione aut piscatione illicita ratione temporis tantum, aut ratione instrumenti: quando v. g. ob bonum commune sub severis pœnis statutum est, ne quis certo anni tempore, vel cum quodam interdicto armorum genere venetur. 573
13. Utrum venari liceat feras, quæ agris aut satis inferunt damnum, si id aliter speretur non facile compensandum. 573
14. An possint licite aliena animalia emi capta a feripetis. 573
15. An taliter ementes teneantur ad restitutionem. 573
16. Quales possint constitui, ac constitutæ sint pœnæ in eos, qui venantur in locis interdictis, seu in feripetas. 573

17. An fera ab aliquo vulnerata, & ab alio capta sit vulnerantis, an vero capientis? 574
18. Si fera laqueo vel alio instrumento a te posito capta est, an alteri licet eam eruere, vel utrum jam tua sit? 574

§. V.

De Thesauris & aliis fossilibus.

1. Quid intelligatur nomine Thesauri? 574
2. Ad quem pertineat Thesaurus inventus? 574
3. Quid dicendum, si inveniatur in fundo Usufructuarii, Feudatarii, aut Emphiteutæ? 575
4. An de consuetudine Thesaurus pertineat ad principem? 575
5. Quid dicendum de Mineralibus aut venis metallorum retectis? 575
6. An liceat, pretio ordinario emere fundum, in quo scitur latere Thesaurus? 576

§. VI.

De Dominio bonorum incertorum, derelictorum, & inventorum.

1. Quæ sit divisio rerum inventarum? 576
2. Quid proprie intelligatur per bona incerta? 576
3. Quid proprie intelligatur per bona derelicta? 576
4. Ad quem pertineat dominum bonorum, quæ sunt nullius domini? 576
5. Ad quem pertineant bona derelicta? 577
6. Quid agendum cum bonis incertis? 577
7. Quanta requiratur longinquitas temporis, ut res, quæ dominum habuit, censeatur esse derelicta? 577
8. Ad quem pertineant bona vacantia Laicorum non peregrinorum, si eisdem nullus succedat vi testamenti, aut ab intestato? 577
9. Ad quem pertineant bona vacantia Laicorum peregrinorum? 577
10. Quid agendum cum bonis incertis ex delicto, v. g. ex furto? 577
11. Quid dicendum de bonis incertis, quæ tantum constat pertinere ad unum aliquem ex paucis, v. g. ex duobus, vel tribus? 578
12. An is, qui habet bona incerta ex delicto, sive ex injusta acceptione, possit ea sibi applicare, si ipsemet vere sit pauper? 578
13. An detur obligatio, bona inventa, vel alias incerta expendendi in causas pias? 579
14. Ad quid teneatur inventor rei alienæ, si Dominus primum compareat, postquam illam bona fide cepit possidere ut suam? 579
15. Quid agendum, si res jam fuerit erogata in pauperes, aut pias causas, & tunc primum Dominus compareat? 580
16. An inventor rei perditæ possit aliquid a Domino petere pro præmio inventionis? 580

§. VII.

De Jure lignandi & pascendi.

1. Quid de Jure lignandi statutum sit in Jure Bavarico? 580
2. Quid Jure Bavarico statutum sit de Jure pascendi? 580
3. An hæ leges obligent in conscientia etiam ante sententiam Judicis? 580
4. An teneantur ad restitutionem communitati faciendam, qui, cum sint pars communitatis, contra legem ligna cædunt in sylva communitatis? 581
5. Quid dicendum, si talis oppidanus vel pars communitatis notabile intulit damnum? 581
6. Quid dicendum, si oppidani furantur ex sylva communi alterius communitatis? 581
7. Unde desumenda sit gravitas peccati in cædendo ligna alienæ sylvæ? 582
8. Quid dicendum de eo, qui depascitur aliena pascua? 582
9. Quid dicendum de eo, qui depascitur loca sibi cum aliis ad pastum communia, attamen contra præscriptas leges? 582
10. Ad quam oporteat respicere regulam, dum in similibus quæritur de præsumpta dominorum voluntate? 582

§. VIII.

De modis acquirendi dominium Jure Gentium, præsertim de Præscriptione.

1. Quid sit Jus Gentium? 582
2. Quot sint modi Jure Gentium acquirendi dominium? 282

3. Quomodo acquiratur dominium per nativitatem? 583
4. Quomodo acquiratur dominium per alluvionem? 583
5. Quomodo acquiratur dominium per ſpecificationem? 583
6. Quid ſit acceſſio, & quomodo per eam acquiratur dominium? 583
7. Quid ſit confuſio, & quale per eam dominium acquiratur? 584
8. Quid juris in commixtione? 584
9. Quomodo acquiratur dominium per inædificationem? 584
10. Quomodo acquiratur dominium per plantationem? 584
11. Quomodo acquiratur dominium per ſationem? 585
12. Quomodo acquiratur dominium per ſcriptionem aut picturam? 585
13. Quomodo & quando acquiratur dominium per traditionem? 585
14. Quomodo acquiratur dominium bonorum naufragio ereptorum? 585
15. Cujus dominio cedat nova inſula in mari vel flumine? 585
16. An id, quod per alluvionem, aut novam Inſulam, aut alveum agro accreſcit, intelligatur accreſcere non ſoli domino proprietatis, ſed etiam uſufructuario, emphyteutæ & feudatario, ita ut habeant idem jus ad illud incrementum patens vel latens, quale habent in agrum? 586
17. An etiam præſcriptio pertineat ad modos acquirendi Dominium jure gentium? 586

§. IX.

De modo aquirendi Dominium per præſcriptionem.

1. Quid ſit præſcriptio? 586
2. Quod fuerit motivum introducendi hunc modum aquirendi dominium? 586
3. An præſcriptio valeat etiam pro foro interno? 586
4. An is, qui ex ignorantia juris rem præſcriptam reſtituit, poſſit eam repetere? 587

§. X.

De conditionibus ad præſcriptionem requiſitis.

1. Quæ requirantur conditiones ad legitimam præſcriptionem? 587
2. Quid ſit bona fides? 587
3. Qualis requiratur bona fides ad inchoandam præſcriptionem? 587
4. Qualis requiratur bona fides ad continuationem poſſeſſionis? 587
5. Qualis ignorantia, juris an facti, culpabilis tollat rationem bonæ fidei? 587
6. An & quomodo mala fides authoris noceat etiam ſucceſſori? 587. 588.
7. Utrum mala fides Prælati aut Rectoris in ordine ad præſcriptionem noceat monaſterio aut Eccleſiæ? 588
8. An mala fides quoad unam partem rei poſſeſſæ, v. g. fundi noceat bonæ fidei quoad alteram partem fundi? 588
9. In quibus caſibus poſſit aliquo modo præſcribi cum mala fide? 588

§. XI.

De poſſeſſione & Titulo ad præſcriptionem requiſitis.

1. Quid ſit poſſeſſio ad præſcriptionem requiſita? 588
2. Quotuplex ſit poſſeſſio? 589
3. Qualis requiratur poſſeſſio ad præſcriptionem? 589
4. Utrum poſſeſſio debeat eſſe continua, vel ſufficiat etiam interrupta? 589
5. An ad præſcriptionem requiratur poſſeſſionis continuatio ab uno eodemque poſſeſſore? 589
6. An ad præſcriptionem ſufficiat, ſi quis rem poſſidet alieno nomine? 589
7. Quid ſit titulus? 590
8. Quotuplex ſit titulus? 590
9. Qualis ad præſcriptionem requiratur titulus? 590
10. An ad præſcribendum tempore ordinario ſufficiat titulus præſumptus? 591
11. Qualis titulus requiratur ad præſcribendum tempore extraordinario? 591

§. XII.

De tempore ad præſcriptionem requiſito.

1. Quotuplex ſit tempus in ordine ad præſcriptionem? 591
2. Quanto tempore præſcribuntur res mobiles cum titulo? 591
3. Quanto tempore res mobiles præſcribantur ſine titulo colorato aut exiſtimato? 591
4. Quanto tempore præſcribantur res corporales immobiles concurrente aliquo titulo? 592

5. Quanto tempore præſcribantur res immobiles ſine titulo exiſtimato? 592
6. Quanto tempore præſcribantur res immobiles contra Eccleſias? 592
7. Quanto tempore præſcribatur contra Eccleſiam Romanam? 592
8. Quanto tempore præſcribantur bona tam mobilia quam immobilia contra civitates? 592
9. Quanto tempore præſcribantur bona vacantia contra fiſcum? 593
10. Quanto tempore præſcribantur res incorporales, ac inprimis Officia, Beneficia? 593
11. Quanto tempore præſcribantur ſervitutes? 593
12. Quanto tempore præſcribatur immunitas a ſervitute? 594
13. Quanto tempore præſcribantur, ſeu extinguantur actiones civiles civiliter intentatæ? item obligationes ortæ ex contractu? 594
14. Quanto tempore præſcribatur actionibus criminalibus criminaliter intentatis? item obligationibus ortis ex delicto? 594

§. XIII.

Quænam res, & a quibus, & contra quos poſſint præſcribi? Et quibus perſonis concedatur reſtitutio in integrum?

1. Quænam res poſſint præſcribi? 595
2. Quænam res abſolute nunquam poſſint præſcribi? 595
3. Quænam res præſcribi tantum poſſint tempore extraordinario? 595
4. Quænam perſonæ poſſint præſcribere? 595
5. Contra quas perſonas poſſit præſcribi? 596
6. Quando præſcriptio dicatur currere? 596
7. Quando dicatur præſcriptio dormire? 596
8. Quando interrumpi dicatur præſcriptio? 596
9. Quando concedatur reſtitutio in integrum adverſus præſcriptionem jam completam? 596

§. XIV.

De Reſtitutione.

1. An detur obligatio reſtituendi ex culpa tantum Jurica? 597
2. An per ſe independenter a ſpeciali contractu detur obligatio reſtituendi ex culpa Theologica ſolum veniali? 597
3. An ex culpa Theologica gravi detur obligatio reſtituendi exceſſum damni invincibiliter ignoratum? 598

§. XV.

De reſtitutione circa bona animæ, corporis, & famæ.

1. An detur obligatio reſtituendi & reparandi etiam damna animæ, v. g. data per ſcandalum vel ſeductionem? 598
2. Qualis detur obligatio reſtitutionis ex homicidio? 599
3. Quid reſtituendum ob mutilationem, debilitationem, deformationem, &c. 599
4. An, & quomodo reſtitui debeat honor aut fama? 599
5. Quandonam cenſeatur ſervari debitus ordo in propalatione criminis alieni? 600
6. Quænam excuſent a reſtitutione famæ? 600

§. XVI.

De reſtitutione circa bona fortunæ.

1. Ad quid teneatur, cujus fera vel quadrupes damnum intulit. 601
2. Ad quid teneatur dominus, ſi ſervus proprie dictus intulit damnum extraneo? 601
3. Ad quam reſtitutionem teneantur, qui intulerunt damnum in exercitio ſui officii, muneris, vel artis? 601
4. Quomodo detur obligatio reſtituendi ex cooperatione ad damnum. 602
5. Quos vel quales fructus reſtituere teneatur rei alienæ poſſeſſor, dum ea a vero domino evincitur. 603
6. Quis ſit ſervandus ordo in reſtitutione. 603
7. An, & quomodo ad reſtitutionem teneatur hæres defuncti. 604
8. Quænam ſint cauſæ excuſantes a reſtitutione? 604
9. An obligatio reſtituendi urgeat ſtatim, vel quando poſſit differri reſtitutio. 604
10. An debeat abſolvi pœnitens, qui cum potuerit, jam tamen diſtulit reſtitutionem. 605

IN TRACTATU

De Contractibus.

§. I.

De Contractibus in genere.

1. Quid sit Contractus. 606
2. Quotuplex sit contractus? 606
3. Quinam sint jure naturali vel positivo inhabiles ad contrahendum. 606
4. An Pupillus contrahendo sine authoritate Tutoris obligetur in conscientia ad servandum contractum. 606
5. An idem dicendum, si Pupillus ex contractu sit locupletior factus? 607
6. An idem dicendum sit de Minorenni contrahente sine authoritate Curatoris? 607
7. An contractus sub conditione turpi sint jure naturæ invalidi? 607

§. II.

Qualis error & dolus irritet contractum.

1. Quid, & quotuplex sit error? 610
2. Qualis error irritet contractum? 610
3. Cuinam conditioni censeri debeat alligata esse intentio contrahentis? 611
4. Quid agendum, si nihilominus omnibus consideratis dubium maneat, utrum contrahens alligarit intentionem conditioni ignoratæ? 611
5. Quid dicendum de dolo, & fraude? 612
6. Intra quod tempus actionem doli movere possit & debeat deceptus contra eum, qui dolo usus est? 612

§. III.

Quomodo vis & metus efficiant contractus nullos.

1. Qualis vis faciat contractum irritum? 612
2. Quomodo & quando metus irritet contractum? 612
3. Quando præsumendum sit nullum adfuisse consensum internum, dum contractus procedit ex metu? 612. 613
4. An valeat contractus procedens ex metu injuste incusso? 613
5. Quid agendum, si in foro externo stet præsumptio pro valore contractus, contrahens autem sciat, se nullum habuisse consensum internum? 613
6. An contractus metu gravi injuste extortus firmetur juramento, pariatque obligationem in conscientia? 613

De Contractibus in specie ex Tractatu de Contractibus.

§. I.

Di Precario.

1. Quid sit Precarium? 614
2. Quid sit Precaria? 614
3. Quid in Precario operetur pactum de non revocando ante certum tempus? 614
4. An Prælatus vel alius Administrator rerum Ecclesiasticarum possit precarium constituere sine justa causa? 614
5. An Prælatus vel alius Administrator rerum Ecclesiasticarum possit ex causa rationabili ad quinquennium Precarium constituere sine requisitis solennitatibus? 614
6. An Precarium solvatur morte concedentis vel Precatarii? 614
7. Ad quid obligetur Precatarius in casu, quo res precario concessa perit? vel deterioratur? 614

§. II.

De Commodato.

1. Quid sit commodatum? 615
2. Ad quid obligetur commodans? 615
3. Ad quid obligetur Commodatarius? 615

§. III.

De Deposito.

1. Quid sit Depositum? 616
2. Quotuplex est Depositum? 616
3. An Religiosi, Prælati, Minorennes possint in se recipere Depositum? 617
4. Ad quid obligetur Deponens? 617
5. Ad quid obligetur Depositarius? 617
6. An, & quando Depositarii teneantur ad præstandam culpam etiam levem? 617
7. Quænam sint causæ excusantes a restitutione Depositi? 618
8. An Depositarius in periculo incendii, vel hostilis incursionis teneatur potius servare res depositas præ rebus propriis. 618

§. IV.

De Emptione & Venditione.

1. Quid sit Emptio ac Venditio? 618
2. Quotuplex sit Emptio ac Venditio? 619
3. Quænam requirantur ad validam venditionem ac emptionem? 619
4. Quid & quotuplex sit pretium justum? 619
5. An, & quænam possit constitui generalis regula pro taxando pretio justo? 620
6. An, & quænam possit dari regula pro differentia inter pretium summum & infimum? 620
7. Ad quid obligetur venditor erga emptorem? 620
8. Ad quid obligetur empor erga venditorem? 621
9. An re nondum tradita dominium & & periculum rei venditæ sit penes emptorem vel venditorem? 622
10. Quid juris, si emptor aut venditor fuerit læsus in contractu? 624
11. Quænam læsio censeatur fieri ultra dimidium? 624
12. Quænam res possit vendi? 625
13. Quid agendum, si quis emerit vel emere modico pretio possit rem alienam vel furtivam? 625
14. An res raræ, v. g. gemmæ extraordinariæ, flores Indici, picturæ aut Monetæ antiquæ, Manuscripti Codices antiqui &c. possint vendi pretio, quocunque venditori liberit? 625
15. An is, qui scit, pretium mercis brevi notabiliter minuendum v. g. propter copiam frumenti aliunde advehendi, licite adhuc res suas vendat currente pretio non monito emptore. 626
16. Quales *actiones* sint annexæ venditioni & emptioni, ita ut juste intentari possint? 627
17. An tuta conscientia *retrahi* possit pro trecentis florenis prædium, quod ante ducentos annos emptum fuit pro trecentis florenis, nunc autem æstimatur tribus millibus florenorum, licet nulla accesserit melioratio? 627

§. V.

De Locatione & Conductione.

1. Quid sit locatio & conductio? 627
2. Quotuplex sit locatio? 627
3. Quinam possit locare, aut conducere? 628
4. An conductor possit rem conductam sublocare alteri inscio, aut invito Domino rei? 628
5. An, & quomodo locari possint res Ecclesiasticæ? 628
6. Quænam sit obligatio Locatoris erga Conductorem? 629
7. An locator teneatur conductori remittere mercedem ex toto vel ex parte pro illo anno, quo conductor ex re frugifera sibi locata nullum vel exiguum fructum absque sua culpa percepit? 629
8. An & quomodo locator possit expellere conductorem v. g. inquilinum ante finitum tempus locationis? 629
9. Ad quid obligetur Conductori locator operæ? 630
10. Quæ sit obligatio conductoris erga locatorem? 630
11. An conductor teneatur locatori præstare damnum, si hoc culpa lata vel levi unius ex famulis causatum est? v. g. si domus locata ex incuria famuli conflagravit, vel equus locatus ex ejus negligentia periit? 631
12. An conductor operarum teneatur solvere integram mercedem casu, quo uti non potest opera personæ conductæ v. g. ob morbum supervenientem famulo? 632
13. An successor teneatur stare locationi a suo prædecessore celebratæ. 632

§. VI.

De Emphiteusi & Vitalitio.

1. Quid sit Emphiteusis. 633
2. Quid sit Vitalitium. 633
3. Quale sit discrimen inter Emphiteusin & Vitalitium. 633
4. Quid sit laudemium. 633
5. Quid sit *Emphiteusis alterata*, ut vocatur, usitata in Bavaria. 633
6. An possit etiam dari *Vitalitium alteratum*. 633

7. Unde

7. Unde veniat Etymologia hujus nominis: *Emphiteusis*. 634
8. Quæ sit obligatio Emphitiutæ ergo Dominum directum. 634
9. Quæ sit obligatio Domini directi erga Emphiteutam. 634
10. An liceat petere triplex aut omnino quatruplex Laudemium sub titulo discessus & accessus? 635
11. Ex quibus causis Emphiteusis fiat caduca? 635

§. VII.

De rerum permutatione.

1. Quid sit permutatio? 636
2. An permutatio numeranda sit inter contractus innominatos? 636
3. An permutatio sit contractus bonæ fidei? 636
4. Quænam res permittuntur vel prohibentur permutari? 636
5. An revera sit Simonia, si permutentur duo beneficia inæqualia cum pacto, ut excessus redituum in uno beneficio compensetur summa pecuniaria? 636

§. VIII.

De Feudis.

1. Quid sit feudum? 637
2. Quotuplex est feudum? 637
3. Quænam sit obligatio Domini erga vasallum? 638
4. Quæ sit obligatio vasalli erga Dominum? 638
5. Ex quibus causis vasallus amittat feudum 638
6. An vasallus in his delinquendo peccet mortaliter? 638

§. IX.

De Pignore, pacto Antichreseos, pacto legis commissoriæ, Hypotheca, & aliis cautionibus.

1. Quid sit Pignus? 638
2. Quid sit Hypotheca? 639
3. Quid sit pactum Antichreseos? 639
4. Quid sit pactum legis commissoriæ?
5. Quotuplex sit Hypotheca? 639
6. Quænam dantur Hypothecæ tacitæ ex dispositione legum? 639
7. Quænam bona comprehendantur sub Hypotheca generali? 639
8. Quis sit effectus Hypothecæ? 639
9. Quid & quotuplex sit cautio? 640
10. Quinam possint constituere pignus vel Hypothecam? vel accipere? 640
11. Quæ res possint vel non possint oppignorari? 640
12. An oppignorationi licite adjiciatur *pactum legis commissoriæ*? 640
13. An oppignorationi licite adjiciatur pactum antichreseos? 641
14. Quænam jura consequitur creditor ex pignore? 641
15. Quæ sit obligatio creditoris erga oppignorantem? 641
16. Quæ sit obligatio debitoris oppignorantis erga creditorem? 641

§. X.

De Fidejussione.

1. Quid sit fidejussio. 642
1. Quotuplex est fidejussio. 642
3. Quis sit effectus fidejussionis. 642
4. Quinam possint fide jubere. 642
5. Qualia competant beneficia fidejussori. 643

§. XI.

De Solutionibus.

1. Quid sit solutio. 643
2. Quot sint modi se liberandi a solutione perfecta. 643
3. Quinam gaudeant beneficio competentiæ. 643
4. An redactis ad incitas absque sua culpa beneficium competat jure naturali. 643
5. An personæ, quæ gaudent beneficio competentiæ, possint ante sententiam Judicis sibi ipsis clam servare, vel etiam surripere competentiam. 644
6. An successor in Beneficio vel Prælatura teneatur solvere debita contracta a suo Antecessore. 644
7. Qui solvit per errorem, quod non debebat, an possit propria authoritate aperte vel clam repetere indebitum. 644
8. An detur in conscientia obligatio solvendi in specie, quod conventum est? an vero satisfiat præstando interesse. 645

9. In qua moneta sit præstanda solutio . 645
10. Quibus debeat solvi. 645
11. Quis creditorum ex obligatione conscientiæ sit præferendus quoad solutionem , quando omnibus satisfieri non potest. 645
12. Qualis servetur Ordo solutionis in foro externo per leges.
13. Quinam sunt creditores specialiter privilegiati. 646
14. Quænam sint creditores Hypothecarii specialis Juri prærogativa muniti. 646
15. Quinam sint Creditores Chirographarii privilegio personali instructi. 646
16. Quid sit, & quomodo fiat *solutio per compensationem*. 646
17. Quid sit, & quomodo fiat *solutio per Novationem*. 647
18. Quid sit, & quomodo fiat *solutio per delegationem*. 647
19. Quid sit & quomodo fiat *solutio per assignationem*. 647
20. An creditor teneatur solutionem recipere per partes. 647
21. Quodnam debitum censeatur esse expunctum , quando debitor partem solvit, non exprimendo , pro quo illam solvat debito. 647
22. Quo tempore debeat fieri solutio . 647
23. Quo loco debeat fieri solutio. 647
24. An liberetur ab obligatione iteratæ solutionis , qui solutionem misit per bajulum, aut expilatum a prædonibus. 648
25. Quid agendum debitori, si debito tempore & loco offerrat creditori solutionem , & is ob frivolam excusationem nolit eam acceptare. 648
26. An & quando creditori liceat uti compensatione publica, vel occulta, si debitor nolit solvere. 648

§. XII.

De Donationibus.

1. Quod sit donatio. 649
2. Quotuplex sit donatio. 649
3. Quinam possint donare. 649
4. Ex quibus causis facta donatio revocari possit? 650
5. An omnis donatio, & ob quamlibet ingratitudinem revocari possit? 650

§. XIII.

De Contractu Societatis.

1. Quid sit contractus Societatis? 651
2. An sit contractus societatis, si mercator suo institori promittat v. g. sextam lucri partem? 651
3. An pertineat ad contractum societatis vel mutui , si quis ad negotiationem conferat summam pecuniariam eo pacto , ut periculum sortis incumbat cæteris , ipse vero loco omnis lucri recipiat determinatam summam pecuniæ ? 652
4. Utrum dissoluta societate non tantum lucrum , sed ipsa etiam sors inter socios dividenda sit? 651
5. Quæ regula sit observanda in societate quoad pastum & fructum pecorum ? 652
6. Quæ sit obligatio reciproca sociorum ad invicem? 652
7. Quæ sint privilegia sociorum? 653
8. Quibus modis solvitur contractus societatis? 653

§. XIV.

De Testamento.

1. Quid sit Testamentum? 653
2. Quid sit codicillus? 653
3. Quid sit Legatum? 653
4. Quid sit Substitutio? 653
5. Quid sit Fideicommissum? 653
6. Quid sit legitima? 653
7. Quotuplex sit testamentum? 654
8. Quales requirantur solennitates de jure civili communi ad Testamentum *scriptum*? 654
9. Quales solemnitates requirantur ad Testamentum *Nuncupatum*? 654
10. Quænam testamenta sunt privilegiata, ut in iis requirantur præfatæ solennitates? 654
11. Quales requirantur solemnitates ad validum Codicillum? 654
12. Quid sit , & quid operetur *clausula codicillaris*, testamentis inseri solita? 655
13. Quid sit Trebellianica? 655
14. Quid sit Falcidia? 655
15. Quinam sint, vel non sint testes idonei in testamento? 665
16. An Testamentum *scriptum* , ut deficiat

ciat

ciat in solennitate requisita ad testamentum scriptum, habeat tamen solennitates requisitas ad testamentum *nuncupatum*, v. g. si desit subscriptio, & subsignatio testium, valeat etiam sine clausula per modum testamenti *nuncupativi*? 655

17. An testamentum *nuncupativum*, in quo testator non nominat hæredem, sed pro ejus designatione se refert ad schedam, in qua dicit esse scriptum hæredem, sit validum? 656

18. An valeat testamentum *nuncupativum* præcise nutibus, vel verbo approbativo factum ad alterius interrogationem? 665

19. An testamentum *imperfectum*, seu deficiens in aliqua solennitate substantiali sit irritum in foro externo? 656

20. An corruente testamento ob defectum alicujus solennitatis corruant etiam Legata & Fideicommissa particularia? 656

21. An testamentum ob defectum solennitatum in foro externo irritum valeat pro foro interno? 656

22. Utrum in codicillo quinque testes requirantur ad valorem, vel tantum ad probationem? 657

23. Utrum etiam in foro Canonico ad valorem Testamenti requirantur septem testes, an vero sufficiant duos vel tres cum Parocho? 657

24. Quid requiratur ad valorem Testamenti vel Legati pii? 657

25. Qualia testamenta aut legata possint vocari pia? 658

26. An valeant legata profana inserta testamento pio non solenni? 658

27. Quid requiratur ad valorem testamenti privilegiati inter liberos? 658

28. Quid requiratur ad valorem testamenti privilegiati militum? Et qui veniant hoc nomine? 658

29. Quid requiratur ad valorem testamenti rusticorum? Et qui veniant hoc nomine? 658

30. Quid requiratur ad valorem testamenti pestis tempore confecti? 658

31. Quid requiratur, ut valeat testamentum *ad acta* seu *apud acta* depositum? 659

32. Quinam possint vel non possint testari? 659

33. Quid requiratur ad legitime adeundam hæreditatem? 660

34. In quot partes soleat dividi hæreditas? Et quota pars dicitur legitima? 660

35. Quinam dicantur hæredes necessarii? 661

36. Ex quibus causis exhæreditari possint hæredes alioquin necessarii? 661

37. Quænam requirantur conditiones, ut exhæreditatio liberorum sit valida? 661

38. Quinam non possint institui pro hærede? 661

39. An testamentum conditum ante ingressum religionis vel ante professionem rumpatur per professionem? 662

40. An testamentum semper possit revocari? etiamsi intercessit pactum, vel juramentum de non revocando? 662

41. An possit scribi hæres incertus? v. g. volo esse hæredem quem Titius post meam mortem designaverit? 662

42. Quandonam locum non habeat Falcidia, vel Trebellianica? 662

43. Quibus modis *resolvitur*, seu annulatur testamentum? 663

44. Quotuplex sit *Executor* testamenti? 663

45. Quis possit constitui in Executorem testamenti? 663

46. Ad quid obligetur Executor testamenti. 664

47. Quis possit commutare ultimas voluntates. 664

48. Quo ordine *ab intestato* succedant hæredes in casu, quo nullum testamentum est confectum; vel quo illud est invalidum. 664

49. An nepotes & neptes defuncti succedant in capita vel in stirpes. 664

50. Quomodo ab intestato succedant privigni? 664

51. Quomodo succedant liberi *naturales*, spurii, legitimati &c. 664

52. Quis succedat Clerico ab intestato. 665

53. Quomodo succedant uxores ab intestato? vel mariti? 665

§. XV.

De Mutuo.

1. Quid ſit mutuum? 667
2. Quid ſit uſura. 667
3. An licitum ſit exigere auctarium ex mutuo, præciſe *titulo mutui*. 667
4. An mutuans poſſit aliquid ultra ſortem exigere *titulo Benevolentiæ* exhibitæ, alias indebitæ, vel *titulo gratitudinis*. 668
5. An *titulo damni emergentis*. 668
6. An *titulo lucri ceſſantis*. 668
7. An *titulo periculi de ſorte*. 669
8. Quænam requirantur conditiones ad hoc, ut poſſit aliquid accipi ultra ſortem *titulo damni emergentis*. 669
9. Quales conditiones requirantur ad hoc ut mutuans poſſit aliquid exigere ultra ſortem *titulo lucri ceſſantis*. 669
10. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut poſſit mutuans aliquid exigere ultra ſortem *ob periculum ſortis*. 669
11. An mutuans poſſit aliquid exigere ultra ſortem ob *ſtatutum principis* taxantis moderatum cenſum in favorem mutuantium. 670
12. An mutuans in caſu, quo non tenetur mutuare gratis, poſſit licite exigere auctarium ſortis titulo *emptionis cenſus ex re vel perſona frugifera*. 670
13. An mutuans aliunde non obligatus ad mutuandum gratis poſſit aliquid ultra ſortem accipere titulo *cenſus germanici*. 671
14. Quid ſit contractus cenſualis germanicus. 671
15. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut mutuans poſſit exigere auctarium ſortis ex titulo contractus germanici? 672
16. An licitum ſit celebrare contractum trium ad acquirendum auctarium ſortis nullo concurrente particulari titulo damni emergentis, lucri ceſſantis, vel periculi ſortis. 672

§. XIX.

De Negotiatione & Ludo.

1. Quid ſit Negotiatio. 674
2. An ſit licita. 674
3. An Negotiatio ſit etiam licita Clericis & Religioſis. 664
4. Quid ſit Ludus. 675
5. An licitum ſit ludere. 675
6. Quid requiratur ad hoc, ut Ludus ſit licitus. 676
7. An Ludus ſit licitus etiam pro pecunia. 676
8. Quandonam detur obligatio reſtituendi lucrum ex Ludo. 676
9. An detur obligatio reſtituendi, ſi quis alterum notabiliter excedat in arte ludendi. 677
10. Quandonam luſus ſit peccatum mortale. 677
11. An peccent graviter, qui tenent domum pro ludis prohibitis. 677

IN TRACTATU

De obligatione diverſorum Statuum.

§. I.

De obligatione Religioſorum.

1. Quid ſit Religioſus. 677
2. Quænam moderno tempore requirantur ex præcepto Eccleſiæ ad validam profeſſionem ſtatus Religioſi. 678
3. Quotuplex ſit Ordo Religioſus? 678
4. Quotuplex ſit Ordo Clericalis? 680
5. Quotuplex ſit Ordo Monachalis. 680
6. Quid notandum circa votum ingrediendi Religioſum Ordinem? 680
7. Ad quid obliget votum ingrediendi Religionem, quando defertur ad varias circumſtantias non præviſas? aut non ponderatas. 681
8. Quo tempore debeat impleri votum ingrediendi Religionem. 681
9. An vovens ingredi Religionem ſatisfaciat voto, ſi egrediatur ex Novitiatu. 682
10. Quænam poſſit eſſe rationabilis cauſa licite egrediendi ex Novitiatu? 682

11. Utrum

11. Utrum in Novitio habente votum assumendi statum Religiosum, si ob causam rationalem transitoriam, v. g. ob morbum, vel indigentiam parentum, egrediatur, obligatio Voti suspendatur vel extinguatur? 682
12. An valida sint Sponsalia, & licita in eo, qui ligatur voto ingrediendi Religionem? 682
13. Quid agendum, si ligatus voto ingrediendi Religionem jam contraxit, vel proximo die contracturus est matrimonium? 683
14. Qui agendum, si ligatus voto ingrediendi Religionem vult acceptare, vel actu suscepit Episcopatum? 684. 685
15. An pater possit directe irritare votum ingrediendi Religionem, emissum a filio impubere? 685
16. Quis possit dispensare in voto ingrediendi Religionem? 685
17. Qualis sit obligatio Religiosorum ad observautiam suæ Regulæ? 685
18. Quinam prohibeantur ingredi vel recipi in Religionem? 686
19. Quam dispositionem bonorum possint facere Novitii? 687
20. Quid notandum circa receptionem Novitiorum? 688
21. Quid notandum de tempore ad Novitiatum requisito? 689
22. Quid notaudum circa interruptionem anni probationis? 689
23. An Religiosi professi, quando transeunt ad alium ordinem, vel ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, teneantur subire novum Novitiatum? 691
24. Qualis sit jurisdictio Superioris seu Prælati in Novitium? 691
25. An Novitius possit valide confiteri Confessario approbato quidem ab Episcopo generaliter pro tota Diœcesi, non tamen approbato a Superiore seu Prælato etiam pro Novitiis? 692
26. Quibusnam privilegiis gaudeant Novitii? 697
27. Quid sit Professio Religiosa? 693
28. Quot modis Professio reddatur invalida? 693
29. Utrum in casu, quo valor Professionis est dubium, Episcopo competat potestas dispensandi in voto solemni dubie valido? 696
30. Utrum in casu, quo valor Professionis redditur dubius ex allegationibus professi, concurrentibus aliis adminiculis possit illi deferri juramentum Suppletorium? 699
31. Quænam sit in Religioso materia gravis quoad violationem voti paupertatis? 699
32. Ad quæ obbiget votum obedientiæ? 700

§. II.

De Officio & Obligatione Parochi.

1. Quid sit Parochus? 700
2. Quomodo differat Parochus a Vicario? 700
3. Quomodo differat Parochus a Vicario perpetuo? 701
4. Quomodo differat Parochus a Beneficiato curato? 701
5. An Parochus in suos Parochianos habeat jurisdictionem etiam externam, v. g. statuendo pœnas, vel dispensando a legibus? 701
6. Qualis sit Obligatio Parochi ante suam institutionem? 701
7. Quænam sint requisita in Parocho ad legitimam Institutionem? 701
8. Quæ sit formula Institutionis in Parochia? 702
9. Quæ sit formula actualis Introductionis in possessionem Parochiæ? 702
10. Quæ sit obligatio Parochi instituti ad deponendam Professionem fidei? 702
11. Qualis Obligatio Parochi ad recipiendum intra annum Presbyteratum? 703
12. Qualem Obligationem Parochus habeat quoad prædicationem Verbi divini? 703
13. Quæ sit Obligatio Parochi quoad Catechesin? 704
14. Quænam particulatim a Parocho in Concione & Catechesi sæpius explicanda sint? 705
15. Quænam sint aliæ Obligationes Parochi? 706
16. Qualis sit Obligatio Parochi quoad residentiam? 706
17. Quænam sit Obligatio Parochi quoad

ad

ad applicationem Missæ Parochialis? 707
18. Qualis sit Obligatio Parochi quoad administrationem Baptismi? 708
19. Qualis sit Obligatio Parochi circa administrationem Eucharistiæ? 708
20. Quodnam sit Officium Parochi circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ? 708
21. Quodnam sit officium Parochi quoad administrationem extremæ Unctionis? 709
22. Quodnam sit Officium Parochi quoad administrationem Matrimonii? 709
23. Quodnam sit Officium Parochi circa ægros aut moribundos? 709
24. Quodnam sit Officium Parochi quoad institutionem & directionem Scholarum? 710
25. Quænam sit Obligatio Parochi, ut cognoscat oves suas? 710
26. Qualis debeat esse vigilantia Parochi supra suas oves? 710
27. Qualis sit Obligatio Parochi quoad recitationem Breviarii, vel eo omisso ad restitutionem fructuum? 711
28. Quodnam sit Officium vel jus Parochi quoad Celebrationem Missarum? 711
29. Quæ sit Obligatio Parochi quoad conservandam Ecclesiæ fabricam? 712
30. Quæ sit Obligatio Parochi quoad conservandam Ecclesiis debitam reverentiam? 712
31. Quæ sit Obligatio Parochi quoad conservationem bonorum Ecclesiasticorum? 713
32. Quæ sit Obligatio Parochi quoad faciendas denuntiationes? 713
33. Quæ sit Obligatio Parochi quoad formam Imaginum, & Altarium, & Ornatuum in Ecclesia? 713
34. Quæ sit Obligatio Parochi quoad Benedictiones & Exorcismos? 714
35. Quæ sit Obligatio Parochi tempore pestis, vel morbi contagiosi?

§. III.

De Canonicis, & aliis Beneficiatis, vel Pensionariis Ecclesiasticis.

1. Quid sit Beneficium? 715
2. Quotuplex sit Beneficium? 716
3. An & quomodo Beneficium differat a Vicaria perpetua, a Capellania perpetua, a Præstimonio, vel pensione? 717
4. Quid intersit in praxi, utrum aliquod jus percipiendi Fructus Ecclesiasticos vocetur Beneficium *stricte* vel *late* dictum? 717
5. An & quo jure Beneficiati teneantur expendere suos redditus in causas pias? 718
6. An repugnet juri naturali & divino pluritas beneficiorum? 719
7. Ex quibus causis possit fierii unio vel dismembratio Beneficiorum? 719
8. Quales Beneficiis sint annexæ obligationes? 720
9. Qualis etiamnum Beneficiis inhæreat obligatio recitandi horas Canonicas? 720
10. An ad restitutionem fructuum teneantur etiam illi, qui choro intersunt, sed tamen non recitant Breviarium? 720
11. An etiam illi, qui solum habent Præstimonia, vel Pensionem Ecclesiasticam cum obligatione recitandi Officium v. g. B. Virginis, teneantur ad restitutionem? 721
12. Quænam alia a Beneficiatis notari debeant quoad Obligationem recitandi Horas Canonicas? 721
13. Quid notandum circa Residentiam Beneficiatorum; 721
14. Quænam causæ sunt excusent a Residentia? 721
15. Quid sint Distributiones quotidianæ? & quibus debeantur? 722
16. Quot modis acquirantur Beneficia? 722
17. Quænam sint notanda circa Electionem? 722
18. Quænam sit Orgo juris quoad *Præsentationem* vel *Nominationem* ad Beneficia? 723
19. Quænam sint notanda circa jus præsentandi ad Beneficia. 723

20.

20. Quid notandum circa *Collationem* Beneficiorum. 724
21. Quænam requiruntur conditiones ad obtinenda beneficia. 725
22. Quid agendum, si collatio Beneficii fuerit invalida. 725
23. Quibus modis beneficia amittantur. 726
24. Qualia sunt illa crimina, ob quæ *ipso jure* incurritur privatio Beneficii. 726
25. Quænam sunt illa crimina, ob quæ Beneficiatus beneficio privari potest *per sententiam Judicis*. 527
26. An illi, qui dicuntur *ipso jure* privati Beneficio, possint exercere omnes functiones sui Beneficii, & gaudere fructibus, donec declaretur crimen per sententiam Judicis. 728
27. Quales sint diversi effectus, si quis dicatur *ipso jure* privatus beneficio, vel si dicatur privatus *per sententiam*, cum in utroque casu requiratur sententia declaratoria Criminis. 728

§. IV.

De Judice.

1. Quid sit Judex. 728
2. Quid sit Judex Ordinarius, Delegatus, Pedaneus, Arbiter. 729
3. Quotuplex sit Jurisdictio. 729
4. Quænam sit Obligatio & potestas Arbitri pro foro interno. 730
5. Quænam sit pro foro interno potestas & Obligatio Judicis Delegati. 730
6. Quæ sit in foro interno potestas & Obligatio Judicis Ordinarii. 731
7. An Judex licite recipiat munera sponte oblata. 731
8. An Judex teneatur sequi litteram Legis humanæ positivæ, si in casu particulari oppositum ipsi videatur æquitati naturali conformius. 733
9. An Conjudex in publico Consilio regio, aulico, vel urbico, ubi moris est, ut gravissima negotia simul proponantur & statim resolvantur, tuta conscientia possit statim dare votum suum sine maturiori discussione ac deliberatione. 733
10. Quid agendum Judici, si ex utraque litigantium parte sit æqualis probabilitas. 734
11. An Judex teneatur adjudicare causam integram habenti causam probabiliorem. 734
12. An Judices Ecclesiastici teneantur sequi Corpus Juris Canonici. 734
13. Utrum ad sobrium ac prudentem usum Juris Canonici pertineat, ut Judex recurrat ad fontes textuum? vel potius ut sistat in ipsis textibus. 735
14. An Judex possit condemnare juxta allegata & probata reum, quem privata scientia novit esse innocentem. 736
15. An Judex ex Officio teneatur supplere ea, quæ a partibus & earum Advocatis ex ignorantia Juris vel facti in defensionem suæ causæ omissa sunt. 736
16. Ad quæ Judex teneatur ex Officio etiam non requisitus. 737
17. An Judex possit pœna mortis, vel alia pœna ordinaria afficere convictum, sed non confessum. 740
10. An Judex teneatur pro validis habere ac tueri legata & Testamenta Uxorum, facta ex aquæstu vel ex dote, non obstante pacto Conjugali, ut si improlis decedat, dimidia pars dotis redeat ad Consanguineos. 741
19. An Judex in subhastatione parentum teneatur liberis majorennibus assignare Salarium pro servitiis parenti præstitis. 741
20. An Judex etiam hominibus plebeis ac rusticis, ex mero infortunio absque sua culpa ad invitas redactis, in subhastatione recte concedat competentiam status. 741
21. Quæ sint aliæ Obligationes Judicum. 741
22. An Judex possit aliquando cognoscere in causa propria? 742
23. Utrum acta Judicis excommunicati sint licita & valida. 743

§. V.

De Advocato.

1. An Advocatus possit in se recipere causam mere probabilem? 744
2. Quinam & in quibus causis prohibeantur esse Advocati. 744
3. An Advocatus cum Cliente licite pacisci possit *de quota litis*? v. g. de tertia vel quarta parte Summæ obtinendæ per victoriam. 744

4. An Advocatus possit cum Cliente pacisci de certo Palmario seu præmio dando, si litem evicerit? 744
5. An Advocatus teneatur servire gratis in causis pauperum? 745
6. An Advocatus teneatur statim deserere causam, quando incipit amittere omnem spem victoriæ? 745
7. An & in quo casu teneatur Advocatus ad restitutionem? 745

§. VI.

De Testibus.

1. Quinam sint testes idonei? 745
2. Quænam a Jure requiruntur qualitates in teste legitimo? 746
3. Quinam sunt testes idonei solum in ceteris causis? 746
4. Quinam prohibeantur testari pro certis personis? 746
5. Quinam prohibeantur testari contra certas personas? 747
6. Quinam prohibeantur testari in certis causis? 747
7. In quibus causis admittuntur testes alioquin in Jure excepti? 747
8. An testes ante depositionem testimonii debeant esse jejuni? 748
9. Quomodo testes sint examinandi a Judice? 748
10. Quid juris tam in foro interno, quam externo, si testes varient? 749
11 Quinam testes possint vel non possint a Judice cogi ad ferendum testimonium? 750
12. An testis a competente Judice legitime interrogatus teneatur testari verum? 750
13. An testes uti possint æquivocatione, vel restrictione mentali absolute sensibili? 750
14. An Judex possit a teste per torturam extorquere veritatem, si eam ex malitia celare velle videatur? 751
15. An testis teneatur ante sententiam revocare testimonium, quando per errorem, vel oblivionem deposuit falsum? 751
16. An testis teneatur testari veritatem, si nulla præcesserunt publica indivicia criminis, idque solum forte duobus aut tribus cognitum fuerit, nisi crimen perniciosum sit? 751
17. An teneatur testari Medicus, Advocatur, Obstetrix, vir consilii causa interrogatus, vel amicus, intimus qui receperunt rem sub secreto, id non ignorante Judice? 752
18. Quot requiruntur testes ad plene probandum? 752

§. VII.

De Reo.

1. Quot modis possit procedi contra reum? 753
2. Quotuplex sit Inquisitio? 753
3. Utrum in generali Inquisitione liceat Judici denuntiare omnia crimina, quæ sciuntur? 753
4. Quænam requirantur ad hoc, ut Judex licite instituat Inquisitionem specialem? 754
5. Quid agendum Judici, si per indicia gravissima de crimine constet, nec tamen præcedat infamia? 755
6. An Judex reum jam convictum vel confessum licite possit interrogare, atque ad confessionem obligare de Sociis criminis? 755
7. An reus convictus vel confessus de uno crimine possit interrogari, & teneatur respondere verum etiam de alio crimine? 755
8. An reus possit a Judice interrogari, & ipse teneatur respondere verum de crimine, cujus nullum aliud habetur indicium, nisi ex judiciali confessione Socii? 756
9. An capitalis criminis reus a Judice legitime interrogatus teneatur fateri crimen suum? 756
10. Qualia requirantur indicia ad hoc, ut reus possit subjici torturæ, & obligari ad confessionem criminis? 757
11. Quid agendum vel consulendum reo, si Judex eum interroget de crimine, de quo nondum habentur indicia moraliter certa? 757
12. An reus Judici pro sua liberatione licite offerat, & Judex licite acceptet summam pecuniæ? 757
13. An reus possit licite fugere ex Carcere? 758
14. An aliis licitum sit juvare reum ad fugiendum, & effringendum Carcerem? 759

15. An

15. An licitum ſit, cuſtodem pecunia corrumpere pro liberatione amici? 759
16. An reo liceat decipere cuſtodem, v. g. copioſum cibum vel potum apponendo, eum alio mittendo &c. ut ſic claves arripi vel janua aperta detineri poſſit? 759
17. An juſte damnatus ad mortem, & juſſus ſumere venenum, vel alio modo ſe occidere, poſſit & debeat obedire? 759

§. VIII.

De Medico, Chirurgo, & Pharmacopola.

1. Quid requiratur in Medico, ut artem ſuam ſine peccato exerceat? 759
2. An omnibus liceat exercere artem Medicam? 760
3. An Medicus teneatur monere infirmum ad deponendam Confeſſionem? 760
4. An & quomodo Medicus teneatur ægro denunciare mortis periculum? 761
5. An Medicus ſemper teneatur præſcribere medicinas tutiores? 761
6. An Medicus vel Chirurgus licite præbeat medicinam prægnantibus? 761

§. IX.

De Officio & Obligatione Epiſcoporum.

1. Quid ſit Epiſcopus? 762
2. Qualis & quotuplex ſit poteſtas Epiſcopi? 762
3. Quales ſint obligationes Epiſcoporum? 762

§. X.

De Obligatione Regum ac Principum, præſertim circa res Eccleſiaſticas. 776

APPROBATIO CENSORIS.

THeologiam hanc Moralem, a Clariſs. D. EUSEBIO AMORT Can. Reg. Lat. Pollingano ex ſua præclariſſima THEOLOGIA ECLECTICA, Romæ diligenter reviſa, excerptam, & novo Tractatu *de obligatione diverſorum Statuum* auctam, non ſolum luce dignam, ſed etiam Parochis, Confeſſariis, aliiſque Theologiæ Moralis Cultoribus eximie commendandam Cenſeo.

Auguſtæ Vind. Die 20. Menſis Martii. 1756.

NICOLAUS ANTONIUS SEIZ,
J. U. Doctor, SS. D. N. Prælatus Domeſt. Proto-Notarius Apoſt. Eccl. Cath. Aug. Canonicus Capitularis, Archipresbyter & Summus Scholaſticus, Sereniſs. & Reverendiſs. Principis ac Epiſcopi Auguſtani Vicarius in Spiritualibus Generalis.

FRANC. JOSEPHUS DE HANDL,
SS. Theolog. Licent. Rev. & Sereniſs. Princ. Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Major Pœnitent. & Librorum Cenſor, nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maurit. Canonicus & Parochus.

FACULTAS

Reverendiſs. ac Ampliſs. D. D. Præpoſiti.

UT præſens Doctrinæ Moralis Syſtema moderatum, multorum annorum labore a Dilecto Capitulari noſtro, R. D. Euſebio Amort, ſolidis principiis ordinate ſuperſtructum, in optatam jam diu a pluribus lucem prodeat, facultatem libenter impertimur.
Pollingæ 25. Martii 1756.

Franciſcus Præpoſitu & Abbas Lateranenſis.

R. D.

R. D. EUSEBII AMORT
THEOLOGIA MORALIS PRACTICA.

TRACTATUS I.

De Conſcientia, & Actibus humanis in genere.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit Conſcientia?

QUæritur 1. Quid ſit Conſcientia?

Reſpondeo. Conſcientia eſt dictamen rationis de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei.

Quæritur 2. Quotuplex eſt conſcientia?

Reſpondeo. Conſcientia dividitur: 1. in erroneam & rectam. 2. in vincibiliter erroneam, & invincibiliter erroneam. 3. in vincibiliter erroneam ex ignorantia craſſa, & vincibiliter erroneam ex ignorantia affectata. 4. in erroneam invincibiliter potentia phyſica, & erroneam invincibiliter potentia morali. 5. in dubiam & certam. 6. in ſtricte dubiam & late dubiam. 7. in poſitive dubiam, & negative dubiam. 8. in ſpeculative dubiam, & practice dubiam. 9. in practice dubiam dictamine ultimo practico, & dictamine remote practico. 10. in ſcrupuloſam & non ſcrupuloſam. 11. in perplexam & non perplexam.

Quæritur 3. Quid ſit conſcientia *recta?* & quid ſit *erronea?*

Reſpondeo. Conſcientia *recta* eſt dictamen rationis *verum* de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei. Econtra conſcientia *erronea* eſt dictamen rationis falſum de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei.

Quæritur 4. Quid ſit conſcientia *vincibiliter* aut *invincibiliter* erronea?

Reſpondeo. Conſcientia *vincibiliter erronea* eſt dictamen rationis falſum de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei, quod *potuit & debuit deponi.* Sed conſcientia *invincibiliter erronea* eſt dictamen rationis falſum de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei, quod *vel non potuit, vel non debuit deponi*, puta, ſub peccato. Talis conſcientia invincibiliter erronea poteſt dari in Catholico verſante inter barbaros, Turcas, vel hæreticos circa novas Sanctiones Summorum Pontificum, quarum notitiam non tenetur ſibi comparare cum vitæ aut fortunarum ſuarum diſcrimine.

Quæritur 5. Quid ſit *ignorantia craſſa*, aut *affectata?*

Reſpondeo. Ignorantia *craſſa* eſt defectus ſcientiæ debitæ ortus ex culpabili neglectu mediorum obviorum, aut paratu facilium. Talis datur in eo, qui,

cum poſſet ſibi comparare ſcientiam debitam per conciones, catecheſes, vel lectionem librorum, ex pigritia, vel ex motivo aliarum occupationum negligit hæc media. *Ignorantia* autem *affectata* eſt defectus debitæ ſcientiæ ortus ex ſtudioſa voluntate evitandi media. Talis ignorantia affectata datur in eo, qui de induſtria vitat conciones & catecheſes, ne exinde moveantur ſtimuli conſcientiæ, ſicque ipſe turbetur in proſecutione voluptatum illicitarum. Eadem datur in Magiſtratibus, Judicibus, vel conſiliariis, qui licet facile poſſent legere libros circa obligationes ſui ſtatus, eos tamen ſtudioſe evitant, ne reperiant reprehenſionem ſuæ praxis injuſtæ. Conſimiliter reperitur ignorantia affectata in multis Theologis, Confeſſariis, Parochis, vel aliis Clericis, qui, ne teneantur deſerere doctrinas laxas, ſuæ commoditati, avaritiæ, vel ambitioni faventes, ſtudioſe evitant legere libros, e quibus poſſent inſtrui de falſitate ſuarum opinionum laxarum.

Quæritur 6. Quid ſit, conſcientiam eſſe erroneam invincibiliter potentia *phyſica*, vel *morali*?

Reſpondeo. Conſcientia eſt erronea invincibiliter *potentia phyſica*, quæ per vires naturæ nequit deponi. Sic gentilis in media Braſilia, quo lux Evangelii necdum pervenit, ſi exiſtimet, ad beatitudinem perfectam obtinendam ſufficere vitam rationi conformem, invincibiliter errat potentia phyſica non inquirendo baptiſmum explicite; quia ipſi *phyſice* impoſſibile eſt, habere cognitionem explicitam baptiſmi. Conſcientia autem erronea invincibiliter *potentia morali* eſt, quæ ſine maxima difficultate, per nullam legem præcepta, deponi nequit. Sic ſi ruſticus gravi infirmitate correptus non adeat Eccleſiam, ubi in diem Jovis promulgatur jejunium de præcepto, v. g. in vigilia S. Matthæi, comedet die Jovis carnes conſcientia invincibiliter erronea potentia morali; quia in eo ſtatu ipſi *moraliter* impoſſibile erat, habere notitiam de incidente præcepto jejunii.

Quæritur 7. Quid ſit Conſcientia *certa*, & *dubia*?

Reſpondeo. Conſcientia *certa* eſt dictamen rationis de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei *ſine* prudenti formidine oppoſiti. Econtra Conſcientia *dubia* eſt dictamen rationis de conformitate vel oppoſitione propriarum actionum ad legem Dei cum prudenti formidine oppoſiti.

Quæritur 8. Quid ſit conſcientia *ſtricte dubia*, *&* *late dubia*?

Reſpondeo. Conſcientia *ſtricte dubia* eſt dictamen rationis ſuſpenſivum omnis judicii in unam contradictionis partem circa conformitatem vel oppoſitionem propriarum actionum ad legem Dei. Conſcientia autem *late dubia* eſt dictamen rationis, quo homo judicat, probabilius dari conformitatem vel oppoſitionem propriarum actionum ad legem, attamen cum prudenti formidine oppoſiti. Hanc explicationem terminorum eſſe conformem menti veterum Theologorum probavi in *Tract. de pœnit. Th. Ecl.* ubi egi de obligatione confitendi peccata dubia?

Quæritur 9. Quid ſit conſcientia *poſitive dubia*, & *negative dubia*?

Reſpondeo. Triplex eſt apud authores horum terminorum explicatio. Nam *aliqui* ſic explicant; quod conſcientia *negative dubia* ſit illa, qua homo dubitat de conformitate vel oppoſitione ſuarum actionum ad legem Dei ſine prudenti motivo in alteram contradictionis partem. Sic homo *negative* diceretur dubitare, utrum ſtellæ ſint pares; quia non datur prudens ratio in alteram contradictionis partem. Pari modo quis ſenecio negative dubitaret, utrum ante ſexaginta annos in die primo Januarii mane primam cogitationem habuerit ad Deum vel ad mundum. *Alii* per conſcientiam *negative dubiam* intelligunt eam, qua homo dubitat de conformitate vel oppoſitione ſuarum actionum ad legem Dei ob prudens motivum ex utraque contradictionis parte, ita tamen, ut ea motiva non ſint ſufficientia ad ferendum judicium in alterutram

utram contradictionis partem. Sic si Petrus ante annum ex repentina ira Paulo minitatus fuerit mortem; ex eo autem tempore sæpius observatus sit amice cum illo conversari, secuta interfectione clandestina Pauli dantur quidem ex utraque parte præsumptiones pro & contra Petrum, ita tamen, ut non habeam sufficiens fundamentum, prudenter judicandi, Petrum esse homicidam, aut eum esse innocentem, sed eum habendi suspectum. Pari modo si quis dubitet, utrum anno ætatis septimo agnoverit sufficienter gravem malitiam actus inhonesti a se commissi, poterunt quidem dari præsumptiones in utramque contradictionis partem, quæ tamen non sufficiant ad ferendum judicium pro sua innocentia, aut malitia. *Tertio* denique per conscientiam *negative* dubiam intelligunt eam, qua homo dubitat de conformitate vel oppositione suarum actionum ad legem Dei ob gravissima motiva ex utraque contradictionis parte, quæ seorsim sufficiant ad ferendum judicium, ita tamen, ut enervantibus se invicem motivis suspendat judicium. Sic si duo testes gravissimi testentur, a se Susannam deprehensam fuisse in adulterio; & econtra duo alii gravissimi testes asseverent, se vidisse Susannam illo tempore in Ecclesia, enervabunt se invicem illa testimonia, & prudentiæ erit, suspendere judicium. Eodem modo contingere potest in judicio interno conscientiæ: Si enim homo habeat grave fundamentum, se cum plena advertentia malitiæ commisisse perjurium, blasphemiam, gravem detractionem, delectationem morosam &c. & ex altera parte sciat, se abhorrere ab omni gravi peccato, ita ut a sua juventute nullum mortale peccatum cum plena deliberatione commiserit, enervabunt se invicem hæ præsumptiones, & suspendetur judicium. P. La Croix l. 6. p. 2. n. 599. sumit *negative dubium* secundo & tertio modo. Verum quia uterque hic modus coincidit cum *dubio stricte tali*, nos, ubi de conscientia *negative dubia* sermo erit, accipiemus hunc terminum primo modo.

Quæritur 10. Quid sit conscientia *speculative dubia*, & *practice dubia?*

Respondeo. Conscientia *speculative dubia* est, qua homo dubitat *in genere de licentia directa* actionis. Conscientia autem *practice dubia* est, qua homo dubitat de licentia actionis a se *hic & nunc* ponendæ consideratis circumstantiis omnibus suæ personæ & conscientiæ. Sic si æger, impeditus a negotiis &c. dubitet in genere, an excusetur a lege jejunii, auditionis sacri, recitationis Breviarii, considerata qualitate præsentis infirmitatis, negotii vel conditionis; conscientia dicitur *speculative dubia*. Si vero dubitet an licite agat hic & nunc operando stante dubio directo vel reflexo, & anxietate, aut particulari conditione suæ personæ, v. g. specialiter illustratæ, conscientia erit *practice dubia*.

Quæritur 11. Quid sit dictamen *ultimum* practicum, & dictamen *remote* practicum?

Respondeo. Dictamen *ultimum practicum* est dictamen rationis, quod homo ultimo habet circa licentiam actionis, ad quam actu se resolvit. Dictamen autem *remote practicum* est, quo homo probabiliter judicat, licite a se *posse* vel *non posse* poni actionem consideratis gradu, statu, vel conditione suæ personæ, necdum tamen capta resolutione ultima agendi. Res patet ab exemplo quæstiunculæ præcedentis. Si enim homo se resolvat, quod licite *ageret* in actione hic & nunc ponenda stante dubio reflexo vel directo de licentia actionis, erit hoc dictamen remote practicum. Si autem ultimo conscientia dictet, consideratis omnibus principiis tam directis quam reflexis dubiam vel certam esse licentiam actionis, ad quam actu se resolvit, ita ut cum judicio intellectus ultimo simul concurrat determinatio voluntatis ad agendum, hoc dictamen erit *ultimum practicum*.

Quæritur 12. Quid sit conscientia scrupulosa?

Respondeo. Conscientia scrupolosa est conscientia dubia circa conformitatem vel oppositionem propriarum actionum

ad legem Dei, nixa levi motivo, non sufficiente ad formandum prudens dubium, seu causandam prudentem formidinem oppositi. Vocatur autem, *prudens dubium*, aut *prudens formido* oppositi, ubi non consideratur, quid absolute possit contingere *potentia physica*; sed quid possit præsumi spectato ordinario cursu causarum? Potest enim v. g. absolute contingere potentia physica, ut aliquis vir probus, qui a juventute nullum commisit peccatum mortale cum plena deliberatione & advertentia ad gravem malitiam, subito in momento consentiat in delectationem morosam, id tamen non prudenter præsumeretur in dubio, eo quod repugnet cursui ordinario causarum.

Quæritur 13. Quid sit conscientia perplexa?

Respondeo. Conscientia perplexa est, qua homo judicat, peccari a se contra legem Dei in utralibet contradictionis parte. Sic si inserviens moribundo in die festo, judicet a se peccari contra præceptum audiendi sacrum manendo apud infirmum; & non manendo peccari contra charitatem; talis dicitur habere conscientiam perplexam.

§. II.

De Conscientia erronea.

QUæritur 1. An & quomodo peccet, qui agit contra conscientiam erroneam?

Respondeo. Qui agit contra conscientiam erroneam, peccat eo genere peccati, gravis vel levis, quod committi dictat conscientia erronea. Sic, si quis erronee existimet, esse peccatum mortale furtum unius oboli, peccabit mortaliter auferendo obolum. Vel si quis existimet, esse juramentum hanc loquendi formulam: *In veritate* dico: *revera* sic est, talis committet perjurium, sub ista formula asseverando falsum. Ratio est; quia voluntas fertur in objectum, prout substat cognitioni. Ergo si objectum cognitioni substat tanquam graviter vel leviter peccaminosum in determinata specie, etiam eligitur a voluntate sub ea ratione.

Quæritur 2. An & quomodo peccet, qui in re prohibita agit juxta conscientiam vincibiliter erroneam?

Respondeo 1. Peccat, qui actionem de se illicitam ponit ex conscientia vincibiliter erronea, v. g., si quis cum Judæis vincibiliter judicet, Christum & Apostolos esse occidendos, tanquam blasphemos; vel si cum Ethnicis vincibiliter judicet, Christianos esse exterminandos, tanquam impios. Idem contingit, si quis vincibiliter judicet, sequendas esse sententias laxas notabiliter minus probabiles: si censeat, promovendos esse indignos, aut notabiliter minus dignos ad Episcopatus, Prælaturas, Parochias, Præfecturas, &c. si existimet sumendam vindictam sub prætextu justitiæ; si sibi ex passione privata aut sub prætextu boni communis persuadeat, persequendos esse bonos, non denuntiandos seductores sub prætextu charitatis, &c. *Responsio probatur* authoritate *S. Bernardi*, qui hanc veritatem ex variis Scripturæ textibus eleganter demonstrat. In Epistola 77. ad *Hugonem a S. Victore* contra quendam asserentem, non dari peccata ignorantiæ, sic scribit: " Veritatis testimoniis paucis & manifestis mendacium confutetur. Is forsitan, qui asserit, non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet dicentem: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*. Forsitan & reprehendet Deum, exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem. Si ignorantia nunquam peccatum est, cur dictum est in Epistola ad Hebræos; quia in secundo tabernaculo semel in anno Pontifex solus intraret, non sine sanguine, *quem offerret pro sui & populi ignorantia*? Si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo peccavit *Saulus*, *qui persecutus est* Ecclesiam Dei, quoniam *ignorans hoc fecit manens in incredulitate*: Bene itaque fecit, quod erat

„ *blasphemus* & *persecutor*, & *contumeliosus*, quod erat *spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, in „ hoc ipso *abundantius æmulator existens* „ *paternarum traditionum*. Non ergo „ debuit dicere; *misericordiam consecutus sum*, sed mercedem recepi; quippe quem ignorantia a peccato red„ debat immunem; insuper & æmu„ latio remunerabilem judicabat. Si, „ inquam, ignorantia nunquam pec„ catur, quid ergo causamur adversus „ occisores Apostolorum, quoniam non „ solum malum esse nescierunt, interfi„ cere illos; sed insuper id faciendo *arbi„ trati sunt*, *obsequium se præstare Deo?* „ Sed & frustra in cruce Salvator ora„ bat pro suis crucifixoribus, quippe „ ipso testante *nescientibus*, *quid fa„ cerent*; & sic nequaquam peccatori„ bus. Nunquid non ex his satis ap„ paret, in quantis jaceat ignorantiæ „ tenebris, qui ignorat, peccari posse „ interdum per ignorantiam? " Ita S. Bernardus. Huc pertinet illud Petri ad Judæos Act. 2. v. 38. & Act. 3. v. 15. 17. & 19. *Authorem vitæ interfecistis. Et nunc fratres scio; quia per ignorantiam fecistis. Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Et Apostolus 1. Cor. 2. v. 7. & 8. *Loquimur Dei sapientiam*; *quam nemo Principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Plura vide in Tract. *de Peccatis Theol. Ecle.* Disput. 1. quæst. 3. & 4. & in Tract. *de Conscientia* 1. quæst. Et in *Controversiis novis moralibus*, Augustæ a Veithio editis, ubi ex *P. Daniele* Soc. Jesu, & ex Epistola Patrum Benedictinorum Cong. S. Mauri in Gallia ad *P. Bernardum Pezium* fuse disserui.

Respondeo 2. Peccata ignorantiæ non sunt tantum peccatum *materiale*, sed etiam *formale*: Cum enim sint libera ac voluntaria in sua causa necdum sufficienter retractata, libertas seu voluntarietas præcedens, necdum per sufficientem retractationem destructa, adhuc moraliter permanet, & per modum formæ denominantis extrinsecæ afficit ac denominat actum internum ex ignorantia vincibili secutum; prout in Theol. Eclect. Tract. de Peccatis Disp. 1. quæst. 4. fusius explicavi. Id ipsum *D. Thomas* ordinate explicat in 2. Dist. 22. q. 2. a. 2. C. ubi ait: " Dicendum, quod ignorantia „ quædam ex toto excusat peccatum, „ quædam vero alleviat in parte, quæ„ dam vero nec in toto excusat, nec „ alleviat in parte. Et sciendum, quod „ ignorantiæ divisio tripliciter potest „ sumi. Primo ex parte ipsius scien„ tis; quia quædam est in potestate „ scientis, & hæc dicitur ignorantia „ vincibilis vel affectata. Quædam au„ tem non est in potestate ejus, & hæc „ dicitur invincibilis. Sed hoc, quod „ ignorantia sit in potestate ejus, qui „ ignorat, contingit dupliciter; quia „ vel est in potestate ejus secundum se, „ sicut qui ignorat aliquod præceptum, „ quod statim scire posset; vel est in „ potestate ejus quantum ad suam cau„ sam, licet non in se, ut patet in „ ignorantia ebrii; quia ebrietas, quæ „ est causa ignorantiæ, in potestate ejus „ fuit... His ergo visis sciendum est, „ quod ignorantia non excusat, nec „ minuit peccatum, nisi secundum quod „ causat involuntarium. Non enim „ potest esse voluntarium, quod est „ ignoratum... Si ignorantia sit ta„ lis, cui nullo modo admisceatur ratio „ culpæ, ex eo quod ignorantia est, sic „ excusat in toto, sicut ignorantia in„ vincibilis. Ignorantia vero quæ ra„ tionem culpæ habet, excusat quidem „ ad aliquid, scilicet inquantum igno„ rantia est, quia sic habet, quod in„ voluntarium causet; non autem ex„ cusat, inquantum culpa est, quia sic „ rationem voluntarii retinet. Et ideo „ ignorantia vincibilis, sive sit secun„ dum se vincibilis, sive secundum cau„ sam suam, excusat peccatum sequens „ non ex toto, sed a tanto. "

Quæritur 3. Quomodo possint sufficienter retractari peccata ignorantiæ?

Respondeo. Possunt retractari duplici modo; videlicet, *directe*, & *indirecte*. *Directe* retractantur, si homo agnoscat, se laborare ignorantia vincibili ob ne-

glectum studiorum, aut verbi divini, vel instructionis; atque adhibeat media *efficacia* ad destruendam illam ignorantiam. Dixi *efficacia*, si enim non adhibeat media in actu primo sufficientia ad pellendam sui status ignorantiam, & ipse peribit, & simul Confessarios non monentes de errore vel non adstringentes ad media destructiva ignorantiæ trahet in societatem damnationis. *Indirecte* retractantur peccata ignorantiæ per amorem Dei perfectum ac practicum, quo homo sepositis inutilibus recreationibus & commodis propriis vires suas omnes eo intendit ac dirigit, ut in omnibus suis actionibus præhabeat commoda Dei commodis propriis, quantum rationabiliter postulat lex amicitiæ inter Deum & hominem, & paterna bonitas Dei. Impossibile namque est, ut in ejusmodi generali proposito amplectendi ea, quæ Deo placent, non contineatur implicite tanquam in radice vis quædam indirecte destructiva ignorantiæ cujuscunque, licet homo non agnoscat in se ignorantiam. Cum ergo plerique homines in uno vel altero laborent ignorantia, utut determinate sibi non cognita, væ ills, qui errant in hoc ordine charitatis, aut qui consentiunt errantibus, prout fusius explicavi in *Theol. Eclectiva* Tract. *de Virtutibus Theologicis* De charitate; & in Tract. de Pœnit. Disput. 3.

Quæritur 4. An operans ex ignorantia vincibili necessario peccet, sive agat juxta, sive contra conscientiam vincibiliter erroneam?

Respondeo. Non necessario peccat. Dantur enim in quovis homine duo media destruendi voluntarietatem peccatorum ignorantiæ. Unum medium est *directum*, dum homo puritate & indifferentia animi, & perseverantia precum, & sacrificiis bonorum operum, & operibus misericordiæ &c. sese præparat ad recipienda divina lumina, & solicita discussione vitæ præteritæ exacte inquirit in neglectum scientiæ debitæ, cum proposito serio, idoneis mediis destruendi contractam ignorantiam. Alterum medium est *indirectum*, dum homo per amorem Dei extensive perfectum proponit efficaciter in omnbus suis actionibus præferendi gloriam & commoda Dei commodis propriis, quæcunque lex amicitiæ & paterna bonitas Dei spectata humana infirmitate rationabiliter ab eo requirit nutu beneplaciti & recto ordine charitatis. Hic enim amor Dei extensive perfectus, prout in Tract. *de charitate* & *Pœnitentia Theol. Ecl.* fusius explicavi, virtualiter aut implicite includit voluntatem seriam ad recipienda omnia media superius explicata, efficaciter destructiva ignorantiæ vincibilis. Verum quia in paucis, non solum Ethnicis & Judæis & hæreticis, sed etiam Catholicis, ignorantia vincibili laborantibus reperitur hujusmodi dispositio animi, plane timendum est, ne plurimi ob ignorantiam vincibilem circa doctrinas fidei & morum æternum sint perituri.

Si quis dicat; absurdum esse, quod Catholicus, cæteroquin probus, & solicitus ad vitanda peccata mortalia, si forte laboret ignorantia vincibili circa unum vel alterum punctum, præsertim secundarium doctrinæ moralis, æternum pereat, nisi habeat propositum destruendi ignorantiam per præfata media ardua, aut habeat amorem Dei extensive perfectum.

Respondeo. In hac materia ignorantiæ vincibilis dari malitiam gravem & levem. Si enim neglectus mediorum pro comparanda scientia debita sit tantus, ut constituat hominem in probabili seu gravi periculo ignorandi necessarias obligationes sui status, ea ignorantia ejusque effectus constituunt peccatum mortale. Si vero negligentia non sit tanta, ut hominem constituat in probabili periculo ignorandi obligationes notabiles sui status, illa ignorantia & ejus effectus erunt tantum peccatum veniale, quamvis ex suo genere gravius, & in purgatorio plectendum diuturnis suppliciis. Cum autem cujusque viri alioquin probi & in observatione mandatorum divinorum seduli negligentia exacte mensurari aut ponderari nequeat, nisi a solo Deo, nullus ob peccata ignorantiæ te-

temere judicandus, sed judicio divino relinquendus est. Hinc Apostolus ad Rom. 14. scribit: *Unusquisque pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus.... Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.*

Quæritur 5. An actus humani procedentes ex ignorantia vincibili possint esse meritorii?

Respondeo. Si actus tantum procedat ex ignorantia vincibili venialiter peccaminosa, non repugnat, eum esse meritorium. Si autem procedat ex ignorantia vincibili mortaliter peccaminosa, non potest esse meritorius in actu secundo, quamvis optima intentione fiat. Exemplum habetur in obstetricibus Ægyptiis, quæ præmiantur temporaliter a Deo, eo quod misericordia ductæ pepercerint parvulis masculis Judæorum, licet hanc suam misericordiam mendacio texerint.

Probatur autem responsio ex *S. Bernardo* l. de præcepto & dispositione c. 14., ubi ait: *In eo, qui malum facit, & bonum putat; laude dignam duxerim vel solam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocunque non erit decepta simplicitas.*

Quæritur 6. An ignorantia invincibilis semper excuset, etiam circa leges divinas & naturales?

Respondeo. Ignorantia invincibilis si vere talis sit, semper excusat. Id probatur ex damnatione sequentis propositionis, facta ab *Alexandro VIII.* 1690. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem reipsa non excusat a peccato formali.* Idem probatur ex ratione. Illud non est peccatum, quod nec est liberum in se, nec in sua causa: Sed ignorantia invincibilis cum suis effectibus nec est libera in se, nec in sua causa: ergo. *Min. patet* ex terminis. *Maj.* supponitur ex dicendis §. 6. q. 9. ubi ostendetur, ad rationem actus humani meritorii vel demeritorii requiri libertatem indifferentiæ. Hinc *S. Augustinus* docet: *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.*

Quæritur 7. An ad hoc, ut actus procedens ex ignorantia vincibili sit peccaminosus, requiratur actualis advertentia ad pravitatem actionis, vel ignorantiæ?

Respondeo. Ad hoc non requiritur advertentia actualis, neque reflexa, nec directa; nec in actu exercito, nec in in actu signato.

Probatur 1. Blasphemia in ebrietate prolata, aut omissio Breviraii in ebrio, quo tempore urget obligatio, sunt vere peccata, prout suppono ex Tract. de Peccatis; etiamsi in ejusmodi actu non detur actualis advertentia ad peccatum. Ergo idem est dicendum de effectibus ignorantiæ vincibilis.

Probatur 2. ex Scriptura, ubi peccata ignorantiæ condemnantur; quod fieri non posset, si requireretur actualis advertentia ad malitiam actionis: Nemo enim jure diceretur ignorans, qui actu advertit ad malitiam actus. Textus autem Scripturæ sunt isti. 1. Christus Joan. 16. ait: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur, se obsequium præstare Deo. Et hæc facient vobis; quia non noverunt Patrem, neque me.* 2. Proverb. 14. v. 12. dicitur: *Est via, quæ videtur homini justa, & novissima ejus deducunt ad mortem.* Idem habetur c. 16. v. 25. 3. Christus in cruce Luc. 23. v. 34. pro crucifixoribus orans ait: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* 4. Apostolus Rom. 10. v. 2. & 3. de Judæis loquens dicit: *Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, justitiæ Dei non sunt subjecti* &c.

Probatur 3. ex declaratione Episcoporum Galliæ & Facultatis Parisiensis, a quibus anno 1641. rejecta est hæc propositio: *Numquam peccatur, nisi prævia cognitione peccati animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur.*

Quæritur 8. An omnes, etiam docti ob peccata ignorantiæ sibi timere debeant?

Respondeo. Omnes nemine excepto merito ob peccata ignorantiæ sibi timeant. *Probatur* 1. Nemo dicere potest, se omnia scire, quæ agenda vel omittenda sunt, juxta illud Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* Cum ergo etiam nulli constare possit, omnem diligentiam a se impensam esse, merito de vincibili ignorantia omnes timeant. 2. In Actis 3. Apost. c. 17. v. 30. D. Paulus universum tempus vitæ humanæ tempus ignorantiæ vocat: *Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant*. 3. Apostolus ad Hebr. 5. v. 1. & 2. de omnibus hominibus loquens ait: *Omnis Pontifex assumptus pro hominibus constituitur in iis, qui ignorant & errant*. 4. D. Paulus 1. Cor. 4. v. 4. dicit: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. 5. 1. Joan. 1. dicitur: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, qui textus non potest intelligi de peccatis, quæ scienter commisimus. 6. *D. Chrysostomus* Hom. 4. in c. 3. Epist. 2. ad Thessal. ait: *Multa necessitas est, ut is, cui tam multorum cura incumbit, ignoret, & ex ignorantia peccet. Nam si unusquisque vestrum habens domum, uxorem, & filios, & servos, quos regat, alius quidem plures, alius vero pauciores; in tam paucis tamen & numeratu tam facilibus multa peccare cogitur, non ut vult, sed ut nesciens, aut ut corrigere aliquid volens, quanto magis nos, qui tanto præsumus populo?*

Quæritur 9. An possit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei?

Respondeo. Post adeptum usum rationis moralem, ne quidem per momentum, potest dari ignorantia invincibilis de existentia Dei, saltem sub prædicato convertibili cum Deo, puta, Supremi Legislatoris, primæ regulæ honestatis, Remuneratoris bonorum & Vindicis malorum. *Dixi* 1. *post adeptum usum rationis moralem*. Dantur enim Philosophi neoterici, qui non improbabiliter defendunt, quod infantes jam habeant usum rationis *physicum* primis infantiæ annis *circa objecta sensibilia*, circa quæ discurrunt inferendo unum ex alio. Sed postquam circa annum ætatis septimum incipiunt apprehendere etiam objecta insensibilia, & abstracta: videlicet principia honestatis, & separatam regulam morum, tunc primum dici potest, in iis incipere usum rationis *moralem*. *Dixi* 2. *sub prædicato convertibili cum Deo*, hoc est, quod soli Deo conveniat. Neque enim asserimus, Deum ignorari non posse invincibiliter aliquo brevi tempore sub prædicato explicito *Creatoris*, & hujusmodi.

Responsio sic explicata *Probatur*. 1. Si posset dari ignorantia invincibilis de existentia Dei saltem ad breve tempus, sequeretur, quod illo tempore, si quis ageret contra rectam rationem, daretur *peccatum* præcise *philosophicum*; Sed hoc dari nequit; ergo. *Maj. patet* ex definitione peccati philosophici. *Min. probatur* ex propositione damnata ab *Alexandro VIII.* 1690. quæ ita sonat: *Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum*.

Probatur 2. ex communi sensu Patrum, qui tradunt, notitiam Dei omnibus hominibus innatam esse. Sic enim S. *Joannes Damascenus* l. 7. de fide orthodoxa c. 1. ait: *Notitia Dei omnibus est a natura insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest*. Plures ejusmodi textus vide in *Theol. Eclect.* Tract. de Deo Disput. 1. quæst. 1.

Quæritur 10. An possit dari ignorantia invincibilis circa leges naturales?

Respondeo 1. Circa *prima principia* legis naturalis, & circa *præcepta primaria* ac universalia legis naturalis non potest dari ignorantia invincibilis. *Prima Principia* voco, in quibus continentur implicite omnia alia præcepta naturalia. Talia principia sunt: *Diliges Deum tuum ex toto corde; proximum autem sicut te-*

ipsum ..... *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*. *Præcepta* autem legis naturalis *Primaria* voco, quæ sine applicatione ratiocinii per instinctum naturæ omnes homines necessitant ad assensum, quamprimum intelliguntur. Talia præcepta primaria & generalia sunt. *Honora parentes*. *Non occides*. *Non furtum facies*. *Non mœchaberis*. *Non dicas falsum testimonium*. &c. *Responsio* sit explicata *Probatur* 1. ex *S. Ambrosio*, relato in c. *Turbatur* 1. q. 4. ubi ait: *Ignorantia juris naturalis omnibus damnabilis est*. *Probatur* 2. ex ratione. Deus omnibus animalibus indidit prima principia directiva operationum ad eorundem finem, v. g. araneæ, apibus, &c. Ergo etiam indidit homini consimilia principia; ne ullo tempore teneatur hærere in inquisitione principiorum, & sic sit præcise in statu philosophico sine principiis merendi. *Probatur* 3. D. Augustinus & D. Thomas agnoscunt, dari regulas morum, circa quas nulla excusat ignorantia; ergo id saltem admittendum est circa prima principia & præcepta primaria morum. *S. Augustinus* de Gratia & lib. arbit. c. 3. ait: *Ignorantia neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; sed fortassis ut mitius ardeat*. Et *D. Thomas* Quodl. 3. a. 20. scribit: *In his quæ pertinent ad fidem & mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusatur*. Idem habet in 2. Dist. 22. q. 2. a. 1. Et 1. 2. quæst. 76. a. 2. Similiter *S. Chrysostomus* Hom. 5. in Epist. ad Rom. *Ostendit, D. Paulus, neminem ex ignorantia, neque impune abiturum*.

Respondeo 2. Datur tamen ignorantia invincibilis legis naturalis circa præcepta legis naturalis *secundaria* & *mediata*. *Secundaria* voco, quorum generalis prohibitio, vel universalis licentia non versatur circa intrinsecam inhonorationem Dei, nec est absolute necessaria pro bono generis humani. *Mediata* autem voco, quæ primum ratiocinio humano ex principiis generalibus vel ex combinatione plurium præceptorum eruuntur. *Probatur* 1. authoritate & ratione D. Thomæ, qui 1. 2. q. 94. a. 6. sic scribit: " Ad legem naturalem pertinent „ primo quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota, quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum „ ergo ad illa principia communia lex „ naturalis nullo modo potest e cordibus hominum deleri in universali: „ Deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impenditur „ applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. „ Quantum vero ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de „ cordibus hominum vel propter malas „ persuasiones, vel propter pravas consuetudines & habitus corruptos" Cæterum quænam sint illa *præcepta secundaria*, quæ propter malas persuasiones Doctorum, præsertim Probabilistarum, e cordibus deleri possunt; & num eo pertineat mollities a Doctoribus Mahometanis tolerata, & usura moderata taxata per legem, & violatio immunitatis Clericalis quoad personalia &c. &c. ita ut in hoc genere dari possit ignorantia invincibilis, suis locis discutienda reservo. Interea censeo; etiam circa hæc objecta quatenus dicunt inhonestatem intrinsecam, nisi forte in pueris, aut in hominibus barbaris, dari non posse ignorantiam invincibilem. Ratio est; quia in hominibus jam ætate maturis nimis evidens videtur apparere oppositio hujusmodi actuum ad illa generalia principia, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; &; *reverenter & cum exceptione tractandas esse res & personas sacratas Deo*. *Probatur* 2. Responsio ex propositione damnata ab *Alexandro VIII.* 1690., quæ sic habet: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem reipsa non excusat a peccato formali*.

Quæritur II. An possit dari ignorantia invincibilis circa leges divinas positivas?

Respondeo. Potest dari ignorantia invincibilis circa leges divinas positivas,

Pro-

Probatur. Dantur multi Ethnici, quibus nondum ſunt promulgatæ leges divinæ poſitivæ, v. g. circa obligationem credendi myſterium Incarnationis, & SS. Trinitatis, vel circa obligationem ſuſcipiendi baptiſmum; nec Deus tenetur has leges promulgare per miraculum facientibus, quod eſt in ſe. Ergo poteſt dari ignorantia invincibilis circa leges divinas. *Antecedens quoad* 1. *memb. patet ex Hiſtoria*. *Et quoad* 2. *memb. prob.* Poteſt Deus ejuſmodi homines ſalvare per fidem implicitam, & per votum implicitum baptiſmi, dum paratum Deo offerunt animum, credendi omnia, quæ Deus revelaverit, & agendi, quæ præceperit, quam primum ſibi innotuerint. Ergo non tenetur iis promulgare leges divinas per ſpeciale miraculum. *Ant.* ſuppono ex dicendis *de fide*.

Dices 1. Chriſtus Luc. 12. v. 47. & 48. dicit: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*. Ergo etiam ignorantia iuvincibilis in pœna eſt. *Reſpondeo* diſt. vapulabit paucis, qui non cognovit vincibiliter. c. qui voluntatem Domini invincibiliter non cognovit. n. Chriſtus enim ibi expreſſe loquitur de eo, qui potuit & debuit cognoſcere voluntatem Domini ſui. Immo loquitur de ignorantia craſſa vel omnino affectata ſervi talentum ſui Domini ex pigritia abſcondentis, vel omnino in comeſſationibus cum oppreſſione conſervorum prodigentis, quæ omnia non dicunt puram ignorantiam invincibilem.

Dices 2. Gerſon l. de vit. ſpirit. lect. 4. Can. 3. teſtatur, ab omnibus Theologis negari ignorantiam invincibilem circa leges divinas. *Concors*, inquit, *eſt ſententia, nullam in his, quæ legis divinæ ſunt, cadere ignorantiam invincibilem*.

Reſpondeo. diſt. Aſſerit hoc de adultis inter Catholicos, & circa articulos generales legis divinæ c. de parvulis, vel ethnicis, aut circa articulos quoſvis particulares legis divinæ. n. Quod enim pueri aut Ethnici parum inſtructi ſcire nequeant quoſvis articulos legis Chriſtianæ, patet inſpicienti. Immo nec adulti inter ruſticos ſcire poſſunt ſingulos articulos legis divinæ, contentæ in Scriptura vel traditione.

Dices 3. D. Thomas l. cc. ait: *In his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem docentis alicujus Magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat*. Ergo idem dicendum circa leges divinas.

Reſpondeo. diſt. nullus excuſatur ob ignorantiam vincibilem. c. invincibilem. n. S. Doctor manifeſte loquitur de ignorantia vincibili; quia loquitur de eo, qui ſequitur opinionem unius Doctoris contra communem aliorum Doctorum, vel de eo, qui negligit conſulere alios Doctores. In talibus enim materiis tam magni momenti non ſufficit acquieſcentia in unius vel alterius Doctoris ſententia; ſed oportet inquirere & conſulere communem ſenſum Eccleſiæ.

Quæritur 12. An detur ignorantia invincibilis legis humanæ?

Reſpondeo. In foro interno coram Deo datur invincibilis ignorantia juris humani. In Foro autem externo tam Canonico quam Civili non ſemper excuſat ignorantia invincibilis legis humanæ, quando videlicet reperitur in perſonis, in quibus *non toleratur*, vel *non præſumitur* ignorantia juris. *Prius membrum* reſponſionis *patet*; quia dantur plurimæ leges tam Civiles, quam Canonicæ, quæ ſingulis individuis non ſunt promulgatæ, ita ut facile ab iis ſine ſua culpa ignorari poſſint, v. g. de impedimentis matrimonii. Idem *Confirmatur* ex variis textibus Juris. Sic c. *ut animarum* de Conſtitut. in 6. dicitur: *Ut animarum periculis obvictur, ſententiis per Statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia non fuerit craſſa, aut ſupina*. Et c. nullius 1. q. 4. *Nullius crimen maculat neſcientem*. Sed *quoad* 1. *memb. Reſponſio probatur* ex variis aliis textibus Juris. Sic c. *Si in laicis* diſt. 38. habetur: *Si in laicis vix tolerabilis videtur inſcitia, quanto magis in iis, qui præſunt, nec excuſatione*

tione

tione digna est, *nec venia*. Et Concilium Aurelianense 3. c. ult. *Hæc*, *quæ inspirante Deo communi consensu placuerunt; si quis Antistitum viventium*, *vel eorum*, *quos Spiritus Dei voluerit esse successores*, *custodire neglexerit*, *reum se divinitatis pariter & fraternitatis judicio futurum esse cognoscat*. *Quia canones suos nec ignorare quemquam*, *nec dissimulare permittitur*. Et c. *apostolicæ* de Cleric. excommun. *Quia tempore suspensionis ignari* (circa factum) *celebrastis divina*, *vos reddit ignorantia probabilis excusatos*. *Cæterum si forte ignorantia crassa & supina*, aut erronea (in quæstione juris) *fuerit*, *propter quod dispensationis gratia egeatis*, *eam vobis indulgemus*. Similes textus reperiuntur in Jure Civili, quos retuli in Tract. *de justitia* de Præscript. q. 3.

Quæritur 13. An & quando detur ignorantia invincibilis in quæstione *facti*?

Respondeo. Datur ignorantia invincibilis in quæstione facti tam in foro interno, quam externo. In foro tamen externo non toleratur ignorantia circa factum proprium. Immo ea nec toleratur in foro interno circa factum alienum, quando ignorans tenebatur solicite indagare in factum alienum. Hæc responsio *Probatur* ex variis textibus Juris. Sic in regula Juris 13. in 6. dicitur: *Ignorantia facti*, *non juris excusat*. E c. *quamvis* de Reg. jur. *Non potest esse pastoris excusatio*, *si lupus oves comedit*, *& pastor nescit*. De ignorantia in facto proprio varias limitationes ponit Card. *Tuschus* V. *Ignorantia* Concl. 22. n. 10. Excusat enim in homine oblivioso, multis negotiis occupato, aut circa factum gestum a diuturno tempore.

Quæritur 14. An ignorantia invincibilis excuset ab incurrenda pœna, v. g. excommunicationis, vel suspensionis.

Respondeo. Ignorantia invincibilis in foro interno excusat a pœna, prout patet ex dictis Q. 12. Sed in foro externo non semper excusat; quia præsumitur esse vincibilis. Hoc *Probatur* ex *Innocenito III.* in c. *per tuas* de Simon. ubi pronuntiat quemdam Subdiaconum esse reum Simoniæ ob quoddam pactum Simoniacum, licet ipse existimaverit, non esse Simoniacum. Cum enim non habens titulum requisitum ad suscipiendos sacros Ordines rogaret Presbyterum, ut se ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret, & sponsione facta, se nullam unquam portionem in ejus Ecclesia exacturum, presbyter consentiret, susceptis hoc modo Ordinibus *nil se illicitum egisse intellexit*, & tamen Pontifex eum ad superiores Ordines ascendere, vel in suscepto Ordine ministrare prohibuit, *nisi cum eo fuerit dispensatum*. Scire quippe poterat, illud pactum esse Simoniacum, si voluisset peritiores interrogare.

Quæritur 15. An ignorantia invincibilis excuset ab incurrendo casu reservato?

Respondeo. Author *Theologiæ Moralis Salmanticensis* Tract. 18. c. 4. §. 2. num. 13. censet quidem, non incurri casum reservatum ab ignorantibus, pro qua sententia etiam citat *Palud. Graff. Veloch. Quintanad. Dian. Thomam Hurt.* His tamen non obstantibus asserendum; reservationem incurri etiam ab ignorantibus. Ratio est; quia reservatio directe non afficit pœnitentem, sed confessarium, cujus jurisdictio quoad certa graviora peccata, ut competenter judicentur & puniantur, reservatur Superiori. *Nec obstat authoritas opposita*. Plerique enim hi authores intelligendi sunt de casibus Papæ in Bulla Cœnæ reservatis, qui reservantur ratione excommunicationis majoris annexæ peccato; ita ut reservatio tantum sit accessoria excommunicationi. Hinc si in ejusmodi peccatis ob ignorantiam invincibilem non incurritur excommunicatio, etiam non incurritur reservatio. Idem dicendum est de casibus reservatis Episcopalibus, quando tantum reservantur ratione excommunicationis annexæ peccato. Hoc autem loco quæstio est de peccatis *directe* reservatis, ita ut reservatio non se habeat per modum accessorii, sed per modum objecti *per se*, ac *ratione sui* intendibilis ac intenti, sive habeant censuram annexam sive non. Plura de hac re recurrent in Tract. *de Pænit.*

Quæ-

Quæritur 16. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrenda irregularitate?

Reſpondeo. Ignorantia invincibilis non excuſat ab incurrenda ea irregularitate, quæ eſt *ex defectu*, v. g. lenitatis; quia hæc irregularitas non eſt pœna, ſed tantum *inhabilitas*, ſtatuta ob majorem decorem ſtatus Clericalis. Sed ab incurrenda ea irregularitate, quæ eſt *ex delicto*, ſaltem in foro interno, excuſat ignorantia invincibilis, imo etiam vincibilis, dummodo non ſit craſſa & ſupina. Id patet ex c. *ut animarum*, relato Quæſt. 12. & ex c. *apoſtolicæ*, ibidem relato. Idem paſſim docent Doctores, v. gr. *Sylveſter*, *Navarrus*, *Rodrig. Hoſtienſ.* & alii.

Quæritur 17. An ignorantia invincibilis excuſet ab incurrendis impedimentis matrimonii?

Reſpondeo 1. Ignorantia invincibilis *juris* non excuſat ab incurrendis impedimentis matrimonii, ne quidem ab impedimento criminis. Ita ſuppono ex dicendis *de Matrimonio*. Ratio eſt; quia nullum impedimentum eſt ſtatutum *tantum* vel *principaliter* in pœnam delicti; ſed omnia ſtatuta ſunt ob bonum publicum, videlicet ad honeſtatem matrimonii, ad præcavendos infauſtos exitus, ad bonam educationem prolium &c.

Reſpondeo 2. Si tamen circa impedimentum criminis interveniat ignorantia invincibilis *facti*, v. g. ſi complex adulterii cum promiſſione futuri matrimonii ſit perſona ſoluta, & ignoret alteram perſonam complicem eſſe conjugatam, plures authores defendunt, non incurri illud impedimentum. Ita ſentiunt *Conink*, *Corneus*, *Dicaſt. Palao*, *Sanch. Gutierez*, *Diana*, *Salmanticenſes* &c. Ratio eſt; quia in hoc caſu ex parte unius complicis non datur adulterium *formale*, ſed tantum *materiale*.

Quæritur 18. An ignorantia invincibilis de exceſſu damni a damnificante illati excuſet a reſtitutione?

Reſpondeo. Si damnum grave eſt illatum *ex culpa theologice levi*, v. g. per levem negligentiam famuli in cuſtodiendo annulo ſui Domini, cujus pretium tantum æſtimat eſſe unius aurei, cum reipſa ſit decem aureorum, ignorantia invincibilis excuſat a reſtitutione exceſſus invincibiliter ignorati. Econtra ſi damnum grave eſt illatum *ex culpa theologice gravi*, ignorantia invincibilis de exceſſu damni non excuſat a reſtitutione totius exceſſus. Ita ſuppono ex Tract. *de juſtit.* Ratio eſt; quia eſt eminenter exoptabilius generi humano, in tali caſu *per ſe* potius obligari reum, quam innocentem ad ferendum totum damnum. *Dixi*, *per ſe*: niſi videlicet concurrant alii tituli excuſantes a reſtitutione ex toto, vel ex parte.

Quæritur 19. An ignorantia invincibilis excuſet damnificantem ex culpa theologice levi, ſi damnificans ex officio ſui ſtatus teneatur ad cavendam culpam etiam levem v. g. Judex, Advocatus, Medicus, caupo, auriga? &c.

Reſpondeo. Cum hæc obligatio oriatur non *ex lege*, ſed *ex contractu*, hoc eſt, ex intentione contrahentium; contractus autem in ejuſmodi circumſtantiis ſoleant eſſe contractus *bonæ fidei*, in quibus magis inſpicienda eſt *intentio tacita*, quam contrahentes habituri fuiſſent, ſi de caſu impræviſo cogitaſſent, obligatio *ex æquo & bono* a Confeſſario pro foro interno inter contrahentes partienda eſt. Ratio eſt; quia cum Confeſſarius agat partes Judicis nomine Dei, & Theologus agat partes Interpretis legum, haud dubie præ oculis habere debent illam regulam etiam ab Ulpiano, & aliis Ethnicis agnitam l. *quod ſi* 4. ff. *de eo, quod certo loco* & l. penult. ff. *de in integrum reſtitutione.* Et l. *placuit.* in fin. C. de Judiciis, ubi Imperator Conſtantinus & Licinius dicunt: *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatiſque quam ſtricti juris rationem.* Cum ergo *æquum* ex ipſa Etymologia nominis importet quandam æquationem, æqualitatem, ſeu partitionem jurium & obligationum cujuſque viribus ſeu facultatibus proportionatam, quod ad juſtitiam diſtributivam pertinet, manifeſtum eſt, in tali caſu, onera inter damnificantem & damnificatum conſiderata utriuſque facultate

juxta

juxta proportionem geometricam *æquo jure* dividenda esse.

Quæritur 20. An Confessarius teneatur admonere pœnitentem, si in eo deprehendat ignorantiam legis divinæ vel naturalis?

Respondeo 1. Confessarius tenetur pœnitentem admonere, si in eo deprehendat ignorantiam, de qua dubitat, utrum sit vincibilis vel non. Ratio est, quia alioquin illum exponeret periculo gravissimorum suppliciorum in inferno, si ignorantia sit graviter culpabilis; aut diutissimorum in purgatorio, si illa ignorantia sit tantum venialiter culpabilis.

Respondeo 2. Confessarius circa leges naturales & divinas tenetur admonere pænitentem de ignorantia, etsi existimet, eam esse invincibilem. Ratio est. quia cum Deus suas leges naturales & divinas velit *in omnium* notitiam pervenire, haud dubie etiam vult, ut ille qui suo nomine sedet in tribunali sacro delinquenti in legem promulget legem. Idem *Probatur* ex variis textibus S. Scripturæ, ex quibus ostenditur, Deum velle promulgationem suarum legum, etiamsi audientes prævideantur transgressuri leges. Sic 1. Ezechielis 33. v. 8. Deus ad Prophetam ait: *Si me dicente ad impium: impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* 2. Christus Joan. 15. v. 22. dicit: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* 3. S. Joannes B. non omisit increpare Herodem, etiamsi prævidere potuerit, se nil profecturum. *Dicebat illi Joannes; non licet tibi habere eam* (uxorem fratris tui) Matth. 14. v. 4. 4. Isaias c. 56. v. 10. & 11. dicit: *Speculatores ejus cæci omnes; nescierunt universi; canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Hæc bene quadrant in Confessarios, præsertim aulicos, qui non intelligunt suam obligationem, instruendi pœnitentes suos laborantes ignorantia, præsertim circa neglectum eliciendi suo tempore actum veri amoris erga Deum, quo involvitur propositum, in rebus gravis momenti, unde dependet ingens emolumentum divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ, suas commoditates ac recreationes continuas postponendi bono divinæ gloriæ & Reipublicæ juxta rectissimum Ordinem charitatis, prout in Tractatu *de virtutibus Theologicis* ostendo.

§. III.

De Conscientia dubia, & Probabilismo definitiones.

QUæritur 1. Quid sit *probabilismus?*

Respondeo. Probabilismus est doctrina regulans conscientiam per opiniones quascumque vere probabiles.

Quæritur 2. Quid sit *opinio probabilis?*

Respondeo. Opinio probabilis, prout a modernis Theologis hic terminus passim accipitur, est, quæ nititur gravi fundamento, potente movere virum prudentem ad assensum. In ore SS. Patrum autem, & Theologorum veterum τὸ *probabile* idem sonat, ac nunc *probabilius*, quod ut verum approbatur.

Quæritur 3. Quid sit opinio *vere probabilis?*

Respondeo. Opinio vere probabilis est quæ non tantum apparenter, sed reipsa nititur gravi fundamento, potente movere virum prudentem ad assensum.

Quæritur 4. Quid sit opinio tantum *probabiliter* seu *dubie probabilis?*

Respondeo. Opinio solum probabiliter probabilis est illa, de qua dubitare licet, an nitatur gravi fundamento, potente movere virum prudentem ad assensum. Ex hoc ipso autem colligitur, quid sit opinio *certo probabilis*.

Quæritur 5. Qu d sit opinio *theologice probabilis?*

Respondeo. Opinio theologice probabilis est illa, quæ habet omnes conditiones, ad veram probabilitatem a Theologis requisitas?

Quæ-

Quæritur 6. Quænam sunt illæ conditiones, ad veram probabilitatem a Theologis requisitæ?

Respondeo. A variis Theologis assignantur variæ. Inter has præcipuæ sunt. 1. Ut talis opinio non sit enervata fundamentis oppositæ sententiæ. 2. ut maneat comparative probabilis. 3. ut sit certo probabilis.

Quæritur 7. Quænam sunt signa opinionis *certo probabilis*?

Respondeo. La Croix l. 1. n. 120. ponit sequentia. 1. Si opinio sciatur esse communis Theologorum; vel si sciatur doceri a S. Thoma & ejus Schola. Quod si autem tantum vir magnæ authoritatis asserat, opinionem esse communem Theologorum, vel eam doceri a S. Thoma & Thomistis, tantum *probabiliter* poterit judicari, eam esse probabilem; quia unius dictum non poterit reddere certum. 2. Si opinio ab omnibus dicatur esse probabilis, solum uno excepto, cui videatur falsa. 3. Si opinio omnibus diligenter expensis absolute teneatur ut vera a quinque vel sex Theologis probitate, judicio, & scientia præstantibus. 4. Si tales Theologi de probabilitate opinionis non dubitent, etiamsi alii Theologi eam opinionem rejiciant ut falsam. 5. Illa opinio est viro docto & probo certo probabilis, quam ipse scit, se diligenter discussisse, & experitur, se sine passione vel inordinato affectu ob rationes graves tenere ut veram.

Quæritur 8. Quænam sunt signa opinionis tantum *probabiliter probabilis*?

Respondeo. La Croix l. 1. n. 127. ponit sequentia. 1. Si sapientes dubitent de probabilitate illius. 2. Si dubitetur, an ejus authores sint omni exceptione majores. 3. Si ratio ejus non videatur firma. 4. Si detur principium certum, & dubitetur, an ei opinio non repugnet. 5. Si sit opinio singularis authoris, qui rationem sufficientem non afferat. 6. Si unus vel alter eam tradat, & plures alii dicant eam vel improbabilem vel parum tutam, vel rejiciendam. 7. Si author vel authores illius non sint diu probatæ authoritatis, vel non sint mihi sufficienter noti ex suis scriptis vel aliunde. Idque verum est, etiamsi sint multi; quia sæpe unus exscribit ex alio, & sequitur velut ovis ovem. Ita la Croix, recte quidem; sed si omnes Probabilistarum opiniones, quas ipsi venditant tanquam probabiles, examinentur ad hanc normam qq. 7. 8. 9. 10. 11. & 12. a La Croix definitam, paucæ ipsorum opiniones remanerent *certo probabiles*, quas tamen practice tutas prædicant.

Quæritur 9. Quinam authores dicantur omni exceptione majores?

Respondeo. La Croix authores omni exceptione majores l. 1. n. 160. sic describit: Ille est omni exceptione major, „ contra quem opponi non potest una „ harum exceptionum. 1. Quod ejus opi- „ nio sit contra principium aliquod cer- „ tum. 2. Quod nitatur fundamento le- „ vi, æquivoco, vel sophistico. 3. Quod „ ipse alias varia improbabilia, & a „ cæteris Theologis rejecta docuerit. 4. „ Quod sit merus Summista, qui sen- „ tentias, utrinque non examinatas a se „ tantum sumat ex aliis, & solum ex- „ scribat. Idque verum est, etiamsi ta- „ lis author sit alioquin vir probus & „ doctus. Non tamen authoritati Scri- „ ptoris omni exceptione majoris obstat, „ quod aliqua ipsius sententia sit post- „ modum damnata. *Ibid. n.* 161. Ne- „ que etiam illi inter meros Summistas „ recensendi sunt, qui licet collegerint „ Casus in parvas Summas, tamen id „ fecerunt post doctam Theologiam, „ præsertim moralem, aut post exami- „ natas authorum sententias. Tum enim „ doctrinam suam jam ante cum suis „ rationibus cognitam sæpe cum magno „ judició collegerunt in compendia pro „ majore commoditate legentium. Et „ tales sunt Cajetanus, Navarrus, To- „ letus, Sa, Busenbaum, aliique plures „ qui pariter esse possunt omni exce- „ ptione majores." Ita La Croix. l. cc. An tamen Busenbaum mereatur referri in hanc Classem, non liquet.

Quæritur 10. Quid sit Author *Classicus*?

Respondeo. La Croix l. cc. n. 165. respondet: „ Author omni exceptione „ major vocari solet *Classicus*; quia ejus „ authoritas in Scholis vel tribunalibus

„ reci-

„ recipitur tamquam probabilis. Qui „ autem non est hujus authoritatis, di- „ citur *proletarius*.

Quæritur 11. Utrum author reddere possit opinionem probabilem, cujus quis scripta non legit?

Respondeo. *La Croix* negat, ejusmodi authoris opinionem tamquam probabilem recipiendam esse l. cc. n. 164. sic scribit: „ Author, cujus librum aut „ scripta non legi, non facit mihi opi- „ nionem suam probabilem; licet sciam „ esse Doctorem Theologiæ in aliqua „ Universitate, nisi forte ex fama pu- „ blica vel aliunde satis resciam de ejus „ probitate & doctrina. Nam alioqui „ non potero esse certus, quod mate- „ rias debite excutiat, aut prudenter „ concludat.

Quæritur 12. An opinio possit haberi pro certo probabili; si pro illa in aliquo authore reperiantur citati plures alii authores?

Respondeo. *La Croix* l. cc. n. 165. id negat. Sic enim scribit: „ Licet inveniam „ in aliquo authore plures alios citatos „ pro aliqua opinione, ex hoc præcise non „ semper potero prudenter judicare, il- „ lam opinionem esse probabilem; tum „ quia non ideo scio, an ille citans autho- „ res illos inspexerit vel intellexerit, & „ an ipse, atque ab ipso citati, sint „ omni exceptione majores; tum etiam „ quia citationes sæpissime fallunt, uti „ experientia didici, & qui pro una „ opinione citantur, stant pro opposi- „ ta. " Ita la Croix, qui tamen addit exceptionem his verbis: " Communiter „ tamen, quando authores citantes sunt „ aliunde noti de scientia & fidelitate, „ simulque citati sunt pariter satis no- „ ti, opinio relata censeri poterit pro- „ babilis? "

Quæritur 13. Quid sit opinio *extrinsece*, vel *intrinsece* probabilis?

Respondeo. Opinio *ab extrinseco probabilis* dicitur illa, cujus valor nititur *judicio* gravium authorum. Econtra *ab intrinseco probabilis* vocatur illa, quæ nititur gravi ratione vel *testimonio* gravium testium. Nam si agatur de lege naturali, ratio intrinseca dependet ex *recto ratiocinio*; & si agatur de lege positiva, motivum intrinsecum constituunt testimonia Scriptorum veterum & Patrum, ad nos transmittentium traditionem, ubi tantum agunt personam testium.

Quæritur 14. Quid sit opinio probabilis *quoad se*, vel *quoad nos*?

Respondeo. Opinio probabilis *quoad se* vocatur, quæ nititur intrinseco motivo gravi, licet motivi illius intrinseci gravitas *judicio* communi authorum non agnoscatur. Econtra opinio probabilis *quoad nos* dicitur, quæ ab authoribus judicatur niti motivo intrinseco gravi, licet reipsa grave non sit.

Quæritur 15. Quid sit, opinionem esse *comparative* probabilem, aut eam esse probabilem tantum *secundum se* seorsim spectatam?

Respondeo. Opinio *comparative probabilis* vocatur, quæ etiam consideratis motivis oppositæ sententiæ adhuc potest movere virum prudentem ad assensum. Econtra opinio *secundum se* tantum probabilis, ac *seorsim spectata*, dicitur illa, cujus motiva, si solitarie & absolute spectentur, possunt quidem movere virum prudentem ad assensum; si tamen spectentur *relative* seu *comparative* ad argumenta oppositæ sententiæ, vel enervantur, vel ob pondus *respective* tenue cessant movere virum prudentem ad assensum. Sic testimonium unius testis a visu vel auditu, si fuerit alioquin gravis, erit quidem probabile *secundum se*, *absolute* ac *seorsim* spectatum: si tamen centum alii testes de visu vel auditu æque graves, testentur oppositum; ejusmodi testimonium unius, utut alioquin viri gravis, non manebit amplius *comparative* probabile.

Quæritur. 16. Quid sit opinio *speculative* probabilis, & quid sit *practice* probabilis?

Respondeo. Speculative probabilis vocatur illa opinio, quæ abstrahendo a circumstantiis ordinarie comitantibus objectum potest esse vera: si tamen consideretur cum circumstantiis reipsa in praxi comitantibus objectum, non potest esse vera. Sic authores asserunt,

speculative esse probabile, attactum partium obscœnarum ex motivo delectationis *sensibilis* esse tantum peccatum veniale. Sed quia in praxi semper concomitatur periculum grave delectationis *sensualis* seu *carnalis*, disponentis ad commotionem spirituum genitalium, ea opinio non est *practice* probabilis.

Quæritur 17. Quid sit opinio *tenuiter* probabilis?

Respondeo. La Croix l. 1. num. 126. hunc terminum sic explicat, ut opinio tenuiter probabilis idem sit ac opinio tantum *apparenter*, & *non vere* probabilis: sic enim scribit: " Opiniones tenuiter probabiles habent motivum, " sed ita leve, ut censeatur imprudens, " qui illi assentitur; ideoque recte notat Cardenas, duos illos terminos, " *tenuis probabilitas*, esse veluti oppositos; nam tò *probabilitas* simpliciter " & absolute dicit habere grave fundamentum; tò *tenuis* autem hoc tollit; sicuti quando aliquem dico tenuiter prudentem, significo, non esse " absolute prudentem, sed habere parum prudentiæ, seu defectum illius: " Possunt enim ejusmodi termini sumi " æquivoce pro re *vera*, & *apparente*, " gravi, & levi. Inde infert Cardenas, sententiam oppositam opinioni " tenuiter probabili communiter esse " moraliter certam aut fere certam, quia " cum communiter occurrant rationes " pro & contra; si ratio pro hac sit tenuis; erit pro illa tanto fortior, ideoque accedat ad certitudinem. " Ita La Croix. *Secunda explicatio* horum terminorum, priori explicationi quoad substantiam non multum dissimilis est ista, quod opinio *tenuiter probabilis* idem sit, ac opinio *dubie probabilis*, seu *tantum probabiliter probabilis*, prout opponitur opinioni *certo probabili*. Verum, cum Probabilistæ ad veram probabilitatem theologice talem requirant, ut opinio sit certo probabilis prout q. 6. dictum est; manifestum est, in eorum idiomate quoad substantiam idem esse; opinionem esse *dubie*, seu *tantum probabiliter* probabilem; & eam *non vere* esse probabilem. *Tertia* explicatio horum terminorum est, quod opinio *tenuiter* probabilis idem sit, ac opinio vere quidem probabilis, attamen cum vehementi formidine, & eminenter majori credibilitate ac verisimilitudine oppositi. Sic si pro opinione stet quidem duorum authorum classicorum authoritas, pro opposita autem stet decem authorum classicorum, authoritate, & ratione eminenter potiorum, authoritas; manifestum erit, priorem opinionem comparative esse tantum *tenuiter probabilem*. Hæc tertia explicatio sequenda est; quia, ut infra dicetur, conformis est usui & acceptioni Sedis Apostolicæ; quod colligitur ex propositione damnata ab Innocentio XI. 1679. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Quæritur 18. Quid sit opinio *notabiliter* minus probabilis?

Respondeo. Opinio *notabiliter* minus probabilis vocatur illa, in qua intellectus manifeste experitur talia motiva, ut, si ferendum esset judicium, sine hæsitatione ferret judicium potius pro opinione probabiliori. Ex hac descriptione patet, opinionem *tenuiter probabilem*, & *notabiliter minus* probabilem in praxi difficulter discerni posse.

§. IV.

An & quando liceat sequi sententiam probabilem?

QUæritur 1. An liceat sequi dictamen ultimum practicum *præcise probabile*? vel probabilius?

Respondeo. Non licet sequi dictamen ultimum practicum præcise probabile, sed requiritur, ut ultimum dictamen practicum sit ad minimum *moraliter certum*. Ita ferme omnes, vix uno vel altero hesterno excepto. *Probatur*. Dictamen ultimum practicum præcise probabile est illud, quo homo diceret; *probabile est, me in hac actione offensurum graviter Deum, & incursurum reatum damnationis æternæ*; sed hoc non licet; ergo

ergo. *Maj. patet* ex definitione terminorum. *Min. prob.* Est grave peccatum se exponere periculo proximo irremediabili graviter offendendi Deum, & incidendi in reatum damnationis æternæ; ergo. *Ant. patet* tum ex sensu communi veterum omnium Theologorum, vix uno & altero *proletario* excepto, haud dubie fundato in dictamine luminis naturalis, quod dictat, securitatem amicitiæ divinæ & salutis æternæ, saltem moralem, præferendam esse etiam propriæ vitæ; tum ex illa generali regula morum, divinitus ab Apostolo tradita Rom. c. 14. v. 24. *Omne, quod non est ex fide* (hoc est, persuasione firma circa licentiam practicam actionis) *peccatum est*. Vide de his plura in Quæstionibus disputatis quæst. 2. & 4. in *Theol. Eclect.*

Quæritur 2. An liceat sequi sententiam probabilem in materia fidei relicta evidenter probabiliori?

Respondeo. Id non licet. *Probatur* 1. Character Religionis veræ est, quod Deus teneatur eam reddere *evidenter credibiliorem* religionibus cæteris, prout a me ostensum est in *Demonstratione Critica Religionis Catholicæ* edita Venetiis. Ergo, ubi evidenter credibilior seu probabilior est religio, eoipso habetur de ejus veritate nota characteristica certissima; ac consequenter non licet sequi oppositum. *Probatur* 2. ex propositione damnata ab Innocentio XI. 1679. quæ sic habet: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili*. Vide de hoc plura in Tract. de *Virtutibus Theologicis* de *Fide*.

Quæritur 3. An liceat sequi sententiam probabilem in materia Sacramentorum, ubi agitur de eorundem valore?

Respondeo. Extra casum necessitatis nunquam licet sequi sententiam probabilem relicta tutiore in materia Sacramentorum, ubi agitur de eorundem valore. Casum autem necessitatis voco illum, ubi alioquin periclitaretur salus illius animæ, cui administratur Sacramentum. *Probatur* 1. Irrogatur gravis irreverentia Sacramento, si absque necessitate exponitur periculo nullitatis, prout tamen fieret, si eligeretur opinio probabilis relicta tutiore. *Probatur* 2. ex propositione damnata ab Innocentio XI. 1679. quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Queritur 4. An liceat sequi sententiam probabilem Judici?

Respondeo 1. Judici non licet judicare juxta sententiam minus probabilem. *Probatur* 1. Judex obligatur partibus partim ex *tacito contractu* tanquam membris Reipublicæ, partim *ex lege* ad ferendam sententiam conformem intentioni legum & litigantium. Cum ergo tam intentio litigantium quam legum poscat, ferri sententiam in favorem illius potius, qui *potior jure*, non licebit ipsi judicare juxta sententiam minus probabilem. *Probatur* 2. ex propositione damnata ab Innocentio XI. 1679. quæ sic habet: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.*

Respondeo 2. Nec licet Judici judicare juxta sententiam æque probabilem in favorem unius collitigantium, seu ut Hispani loquuntur, *in favorem patroni*. *Probatur* 1. Justitia exigit, ut cuique tribuatur jus suum; ergo ubi jus partium colligitantium æquale est, illud ex æquo inter litigantes dividendum est. Idem *probatur* 2. ex propositione 26. damnata ab Alexandro VII. 1665. quæ sic habet: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Respondeo 3. Juri naturali & æquitati conforme est, ut in dubio juris *valde intricati, ita ut ipsa major unius partis probabilitas non sit eminenter, evidenter, & certo major*, prout do-

cet *Cardinalis de Luca* Tomo decimo de fideicommiſſis diſcurſu vigeſimo quinto numero ſexto & ſeptimo, juxta probabilitatem cujuſque partis dividatur jus; hoc eſt, ut illi, qui habet pro ſe majorem probabilitatem, adjudicetur major pars, illi autem, qui pro ſe habet minorem probabilitatem, adjudicetur ſaltem aliqua pars; quod nihil aliud eſt, niſi compellere partes ad æquam compoſitionem. *Probatur* 1. hic mos perpetuo obſervatur in Jure Civili tam Juſtinianeo, quam in *Digeſtis & Codice*; ergo æquitati naturali conformis eſt. *Ant.* poſſet *probari* ab inductione; in ſpecie autem ex iis, quæ dicentur in tract. *de Juſtit.* de aquirendo rerum dominio jure gentium. v. g. de *theſauris*, *inventione*, *foſſilibus*, *alluvione* &c. *Probatur* 2. Non eſt conforme Juri & æquitati naturali, ut alicui adjudicetur totaliter jus certum ob jus alterius incertum; ergo etiam in caſu inæqualis probabilitatis jura juxta æſtimationem Judicis dividenda ſunt. Huic reſponſioni contradicit quidem *la Croix* l. 4. n. 1483. ſed ſine allegatione ullius authoris. Ratio ipſius eſt; quia leges ita diſpoſuerunt: Sed nullam legem ſic diſponentem allegat. Quando autem præcipitur ferri ſententia pro eo qui jure potior; id non prohibet, quin alteri parti pro rata probabilitatis aliquid concedendum ſit. Ea res non turbat tranquillitatem Reipublicæ, ſed potius lenit animos.

Quæritur 5. An liceat Medico eligere medicinam probabilem relicta tutiore?

Reſpondeo. Id Medico non licet, niſi ex conſenſu tacito vel expreſſo conducentis rationabili, puta, in caſu, quo pauperi ægroto vel notabiliter ob majus pretium, vel ob faſtidium probabilioris medicinæ licitum fuerit eligere minus probabilem. Ita omnes. *Probatur*. Medicus ſe habet ad infirmum per modum locantis ſuam artem pro ſalario; ergo cum obligetur ex contractu juxta intentionem tacitam vel expreſſam conducentis, non poterit licite applicare medicinam probabilem relicta tutiore, niſi ex conſenſu tacito vel expreſſo conducentis.

Quæritur 6. An liceat ſequi ſententiam probabilem relicta tutiore, quando agitur de præjudicio tertii?

Reſpondeo. Non licet ſequi ſententiam probabilem relicta tutiore, quando agitur de præjudicio de tertii. Ita docent ipſimet Probabiliſtæ v. g. *Buſenbaum* l. 1. c. 2. dub. 2. n. 1. ubi expreſſe apponit probabiliſmo hanc clauſulam; *ſecluſa tamen omni injuria, & periculo proximi*. *Probatur*. Non licet ob jus incertum proximo inferre damnum aut gravamen certum; Sed uti ſententia probabili eſt uti jure incerto, & proximum exponere periculo gravis præjudicii ac illi inferre gravamen certum; ergo.

Quæritur 7. An liceat ſequi ſententiam *dubie* tantum probabilem, ſeu præciſe *probabiliter* probabilem?

Reſpondeo. Id non licet. *Probatur* 1. Sequens opinionem præciſe *probabiliter probabilem* non poteſt ſibi formare dictamen ultimum practicum moraliter certum de licentia ſuæ actionis; ergo id non licet. *c. patet* ex *q.* 1. *Ant. prob.* Talis non poteſt formare ſibi hoc dictamen reflexum: *Moraliter certum eſt, licitum eſſe ſequi opinionem præciſe probabiliter probabilem*: ergo. *Ant. patet* ex eo, quia ipſimet Probabiliſtæ a potiori ad licentiam actionis requirunt, ut opinio ſit *certo probabilis*; conſequenter per dictamen reflexum nec ab authoritate nec a ratione haberi poterit certitudo moralis practica de licentia actionis. *Probatur* 2. ex reſponſis ſequentibus.

Quæritur 8. An liceat ſequi ſententiam præciſe *tenuiter* probabilem?

Reſpondeo. Id non licet. *Probatur* 1. ex damnatione ſequentis propoſitionis, proſcriptæ ab Innocentio XI. 1679. *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. *Probatur* 2. ex reſponſo ad q. ſequentem.

Quæritur 9. An liceat ſequi ſententiam

tiam

tiam notabiliter minus probabilem?

Respondeo. Non licet eam sequi. *Probatur* 1. Qui sequitur sententiam notabiliter minus probabilem, agnoscit, suam actionem probabilius esse prohibitam; Sed talis non agit licite; ergo. *Min. prob.* Qui agnoscit, suam actionem esse probabilius a Deo prohibitam, non judicat, suam actionem esse licitam; Sed talis non agit licite; *Maj.* ergo *patet*; quia non potest homo judicare, illud esse verum, quod agnoscit, probabilius esse falsum. *Min. prob.* *Omne quod non est ex fide*, juxta Apostolum Rom. 14. v. ult. *peccatum est*; Ergo qui non judicat, suam actionem esse licitam, non agit licite.

Si dicas. Apostolum loqui de judicio practico, & non de judicio speculativo. *Contra est*. Qui sequitur sententiam notabiliter minus probabilem, non potest sibi formare ultimum dictamen practicum moraliter certum. Ergo eoipso non licet sequi sententiam notabiliter minus probabilem. *Ant. prob.* Judicium ultimum practicum deberet formari hoc syllogismo, vel alio simili ratiocinio. *Moraliter certum est, quod liceat sequi sententiam vere probabilem, quamvis sit notabiliter minus probabilis, sed hæc sententia &c. est talis. Ergo*. In hoc enim syllogismo *Major* est manifeste falsa, cum illi reclament plusquam centum graves authores, quos enumeravi in mea Theologia Eclectica in Tract. de Conscient. *disp.* 2. *q.* 4. *prob.* 1. Dein totis sedecim sæculis Ecclesia non agnovit distinctionem inter judicium speculativum & practicum, inter judicium directum, & reflexum; immo ridiculus foret totus discursus Apostoli l. cc. si supponeret, judicium practicum posse esse diversum a judicio speculativo, quia admissa hac distinctione everteret seipsum, & totam suam doctrinam ibi traditam. Ergo habetur ex constanti traditione Ecclesiæ, eum non agere licite, qui judicio speculativo ac directo agnoscit, suam actionem probabilius esse prohibitam a Deo. Plura alia argumenta videantur in *Quæstionibus disputatis* q. 3. & 4. in mea *Theologia Eclectica*, ubi etiam reperientur solutiones objectionum. Legi etiam meretur P. *Paulus Gabriel Antoine* S. J. in sua Theologia Morali de Conscientia C. 4. q. 2. Et P. *Antonius Mayr* S. J. in Theol. Schol. de Actibus humanis, qui & ipsi oppositam sententiam rejiciunt cum centum aliis Theologis.

Quæritur 10. An liceat sequi sententiam æque probabilem minus tutam relicta tutiore?

Respondeo 1. Stante dubio, stricte dicto, de existentia legis, non licet sequi sententiam minus tutam relicta tutiore. Ratio est, quia stante dubio non est verum dicere, quod operans agat *ex fide*, seu ex credulitate propriæ conscientiæ de existentia directa legis permissivæ. *Omne* autem, *quod non est ex fide, peccatum est*.

Respondeo 2. Quandocunque datur æqualis probabilitas inter duas sententias oppositas circa directam existentiam legis, dubium hoc speculativum per dictamen reflexum, seu concomitans potest tolli, & formari judicium de non existentia directa legis. *Probatur* hæc Responsio ex eo, quia in tali casu possum formare hunc Syllogismum, vel judicium concomitans. Quandocunque existentia legis non redditur credibilior non ipsa, moraliter certum est, non dari legem; sed in hoc casu existentia legis non redditur credibilior non ipsa, Ergo. *Maj. patet* ex natura providentiæ divinæ, quæ, sicut tenetur suam Religionem reddere evidenter credibiliorem seu probabiliorem non ipsa, ita etiam tenetur suam legem reddere notabiliter credibiliorem seu probabiliorem non ipsa. Huc etiam referri possunt illi Textus D. *Pauli* 1. Cor. 4. *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Et illud *D. Gregorii Nazianzeni* Orat. 39. *Ubi dubietas, vincat humanitas* ἐν δὲ ἀμφίβολον, νικάτω τὸ ἀνθρώπινον.

Quæritur 11. An liceat sequi sententiam probabiliorem relicta tutiore?

Respondeo. Id licet. Probatur 1. Licet

cet sequi sententiam æque probabilem relicta tutiore, prout proxime ostensum est; ergo multo magis licet sequi sententiam probabiliorem relicta tutiore. *Probatur* 2. ex damnatione sequentis propositionis, prohibitæ ab Alexandro VIII. 1690. *Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam.*

Dices contra hanc & priorem responsionem. Etiam ille, qui sequitur sententiam æque probabilem, vel præcise probabiliorem, non potest sibi formare dictamen ultimum practicum moraliter certum. Nam sequendo sententiam probabiliorem homo nondum est moraliter certus, quod non agat contra legem Dei; ac consequenter, quod non incurrat indignationem divinam & damnationem æternam; ergo cum homo teneatur se constituere in morali certitudine salutis æternæ, eoipso peccat sequendo sententiam probabiliorem relicta tutiore.

Respondeo neg. ant. ad probationem dist. nondum est moraliter certus *per motiva* sententiæ controversæ c. nondum est moraliter certus per generale *dictamen naturale concomitans* n. a. Lumen enim naturale cuivis dictat, & quivis per lumen naturale sine ullo ratiocinio videt, a Deo tanquam sapiente & provido gubernatore religionem & leges divinas debere homini reddi evidenter credibiliores non ipsis. Itaque ubi non conspicitur hic character legis divinæ, habetur eoipso moralis certitudo, non dari legem divinam. Id patet in simili: Si enim aliunde novi insignia Regis, vel alterius viri nobilis, quæ apprimere solet suis Edictis vel scripturis, quandocunque ea insignia non reperio, sum moraliter certus, hoc edictum, utut aliis probetur argumentis probabilibus, non esse verum seu authenticum. Similiter si aliunde novi notas characteristicas Regis & ejus famulorum & nuntiorum, ubi has notas characteristicas non reperio, eoipso sine operoso ratiocinio agnosco, eum hominem non esse Regem, aut famulum, aut nuntium Regis. Hinc, si homo velit uti ratiocinio explicito, poterit sibi formare dictamen ultimum practicum moraliter certum hoc syllogismo. *Moraliter certum est, ibi non dari legem prohibentem, ubi non datur character talis legis. Sed in hac v. g. re, an liceat artificiose pingere die festo, non datur character legis prohibentis. Ergo non datur lex prohibens.* *Major* est evidens lumine rationis. *Minor* probatur. *Character legis est, ut sit prudenter credibilior, seu probabilior opposito, sed hoc non fit in ista re. Ergo.*

§. V.

De Conscientia Scrupulosa.

QUæritur 1. Quid sit scrupulus? *Respondeo*. Est imprudens apprehensio peccati ordinarie cum quadam passione vani metus conjuncta. *Dixi* 1. *Imprudens*. Non enim ad rationem scrupuli requiritur, ut detur *vana* & *inanis* apprehensio peccati, ubi *reipsa* peccatum non est: vel ut physice aut metaphysice repugnet, intervenisse vel intervenire posse peccatum, prout scrupulosi plerumque vellent: Sed ad scrupulum sufficit, quod detur apprehensio meticulosa & anxia peccati, ubi *prudenter* non potest præsumi, seu timeri peccatum. Sic enim, si vir probus, qui a plurimis annis summa sollicitudine vitavit peccata non solum mortalia, sed etiam venialia plene deliberata, repente dubitet, an uno vel altero momento cum sufficiente deliberatione consenserit delectationi obscœnæ, aut desiderio gravis vindictæ, est quidem metaphysice aut physice possibile, quod reipsa consenserit; cum tamen id de animo sic comparato prudenter præsumi aut timeri non possit, anxietas ea de re, ac meticulositas ad scrupulos referenda est. *Dixi* 2. *cum quadam passione vani metus conjuncta*. Sicut enim omnis inordinatus motus animi rationem præveniens, aut rationi præeunti inobediens *passio* vocatur, quales sunt passio amoris, odii, concupiscentiæ carnis, iræ, tristitiæ, invidiæ &c. ita non est dubium, me-

tum inordinatum, aut anxietatis stimulum, rationi rectæ non consonum, & obsequum, ad passionem animi referendum esse.

Quæritur 2. Quis merito dicatur scrupulosus?

Respondeo. Ille meretur nomen scrupulosi, qui *ex habitu* solet cedere & actiones suas conformare scrupulis. Non enim ille jure vocatur *scrupulosus*, qui in uno vel altero actu aut raro inani ac frivolo ejusmodi metu corripitur, sed qui vel ob dispositionem complexionis melancholicæ, vel ob contractam consuetudinem ex frequentatis actibus cedendi hujusmodi scrupulis radicari permiserunt passionem metus vani in hac materia. Ad eam vero passionem radicandam & corroborandam plurimum contribuere potest Confessariorum imperitia, ignorantium rectam scrupulosos tractandi methodum.

Quæritur 3. Quænam sint causæ scrupulorum?

Respondeo. Possunt variæ esse causæ, quas ut Confessarius bene discernat, summe necessarium est: Alioquin attribuet pertinaciæ, vel stultitiæ, quod sæpe ex speciali providentia Dei ad tempus disponitur. Causæ autem possunt esse sequentes. 1. Temperamentum melancholicum concurrente naturali indole timida, imbecillitate judicii, & debilitate cerebri, quæ vel est ex natura, vel ex immoderatis jejuniis, ac vigiliis. 2. Superbia, pertinacia, mentis inconstantia quoad variationem resolutionum & mentis per diversas ejusdem objecti considerationes volubilitas. 3. ignorantia. 4. pusillanimitas & abjectio animi, qua quis negligit adhibere conatum contemnendi passionem metus. 5. conversatio cum scrupulosis. 6. fraus dæmonis; partim ut hominem a seria applicatione ad obligationes sui status impediat; partim ut a cogitationibus magis utilibus & exercitatione virtutum profectuque retrahat; partim ut hominem, alioquin ad suscipienda opera ardua pro Dei gloria & salute animarum idoneum, pro stulto haberi faciat, sicque ineptum efficiat. 7. specialis providentia Dei, qui suos specialiter electos scrupulis aliquandiu cruciari permittit; partim ut eorum fidelitatem etiam in minimis probet; partim ut eos hoc purgatorio tribulationis internæ purgatos majorum donorum capaces efficiat; partim ut eos ab aliis gravioribus tentationibus interea præservet.

Quæritur 4. Quænam sunt remedia contra scrupulos?

Respondeo. Remedia sunt sequentia. 1. ut scrupulosus ex signis scrupulosorum convincatur esse scrupulosus: Nisi enim ipsemet dicat, & credat, se esse scrupulosum, reliqua media parum aut nihil proderunt. 2. ut scrupulosus convincatur, meticulositatem & anxietatem animi esse veram passionem depravatæ naturæ, aut consuetudinis, sicut est prava passio iræ, concupiscentiæ &c. cui proin passioni metus inanis cedere æque sit peccatum, ac cedere passioni iræ, luxuriæ, invidiæ &c. Instruendus proin est, ut semper confiteatur hoc peccatum veniale, si extra consueta examinandæ conscientiæ tempora ejusmodi meticulosis cogitationibus deliberate vel momento inhæserit. 3. Ut in actionibus externis & exercitiis nil omittat eorum, quæ consueta sunt, nec quidquam insuetum, quod ab aliorum proborum more recedat, suscipiat. 4. Ut in iis, quæ non sunt intrinsece mala, humiliter sequatur suum Directorem spiritualem. 5. Si fuerit persona, quæ non solet afferre, nisi meros ferme scrupulos, ut non permittatur in confessione ordinaria afferre plura, nisi tria vel quatuor peccata putatitia, reliqua omnia reservando in confessionem menstruam vel annuam: nisi hæc ipsa reservatio deprehendatur animum scrupulosi nimis detinere in anxietatibus vel cogitationibus scrupulosis; in tali enim casu doceatur, talia peccata dubia perpetuo omittere. 6. Si Confessarius moraliter certus sit, personam scrupulosam vix unquam committere peccata plene deliberata, ut ipsi non permittatur octiduana, aut alias frequens confessio, sed permittatur tantum confiteri singulis mensibus, aut si adire confessionale necesse sit, aliquoties prohibeatur exponere

nere suos scrupulos, & nihilominus jubeatur adire sacram communionem, ut sic discat suos inanes metus contemnere. 7. Ut quotiescunque senserit se pulsari anxietate, dubio, seu scrupulo circa agenda, nisi apertum ac certum agnoverit peccatum, eum metum tanquam pravam passionem aut tentationem dæmonis consideret, sicque agat *contra scrupulum* operando e diametro oppositum cum proposito melius inquirendi, aut consulendi Confessarium, si dubietas perseveraverit. 8. Si scrupulus vel anxietas versetur non circa agenda, sed circa actus præteritos, ut recurrente anxietate propositum concipiet, in proxima confessione exponendi actum ut *dubium peccatum*, & de reliquo nec momento amplius reflectendi supra actum, nec ullatenus indagandi in actus certitudinem, vel falsitatem. Hoc ipsum enim est effectus occultæ superbiæ, si homo indagando & reflectendo in actus præteritos conetur sibimet ipsi demonstrare, se esse innocentem. Econtra humilitatis est, si in ejusmodi circumstantiis, ubi certitudo aut nullatenus aut non nisi difficillime haberi potest, se coram oculis divinis ut dubie reum agnoscat, seque per actus detestationis & fervidos actus amoris perfecti hilari animo sese ad Deum, & ad sua negotia convertat. 9. Summa solicitudine in id incumbat, ut vitet peccata venialia plene deliberata: Nisi enim hæc solicitudo concurrat, timendum, ne anxietates animi non vani scrupuli sed stimuli & puncturæ sint conscientiæ reæ, a peccato veniali saltem in actu dubio non exemptæ. 10. Proborum & doctorum vitam attentius consideret. 11. Non permittatur in singulis dubiis ad Directorem spiritualem recurrere; sed cogatur, sibiipsi formare conscientiam ex generalibus semel acceptis regulis. Itaque non audiatur, si velit proponere dubia, nisi una vel altera vice per mensem. 12. Ut vitet otium, in quo animus redit in lusus animi consuetos. 13. Ut discat timere grave peccatum, & enormem blasphemiam, si habeat Deum pro tyranno, & pro legislatore stulto, quasi suos amicos pro sua gloria & culto sollicitos, ob res levissimas moraliter inevitabiles, & sine plena cognitione ac deliberatione, a sua amicitia excludat, & ad æternas pœnas rejiciat. 14. Ut causas scrupulorum, quantum fieri potest, destruat, si a prava natura, aut a superbia vel pertinacia proveniant. Sic melancholicus medicamentis, & hilari conversatione, cui tamen omnis dissolutio, aut indecentia status desit, naturam pro viribus corrigat. 15. Ut in examine conscientiæ consueto statum sed breve tempus constituat. 16. Ut discat, ejusmodi scrupulosos non obligari ad exponenda peccata dubia, si a multis annis in nullum peccatum mortale cum plena deliberatione consenserint.

Quæritur 5. Quænam sint signa scrupulosi?

Respondeo. Signa scrupulosi sunt 1. Si unius Confessarii docti responsis non aquiescunt; sed varios, etiam indoctos, consulunt; nec tandem ullius stabilis Directoris consiliis obediunt. 2. Si ex variis considerationibus frequenter circa idem objectum mutent judicium. 3. Si ex conflictatione tot considerationum in actionibus externis perturbate agant, arripiendo ex impetu animi repentino media inordinata, aut suas obligationes sine debita applicatione peragendo, aut a modo agendi aliorum in publico non sine aliorum risu recedendo. 4. Si faciant reflexiones infinitas circumstantiarum circa actus præteritos. 5. Si sæpius cum iisdem prorsus dubiis, ut jam satis explanatis, ad Directorem spiritualem redeant: Hoc enim signum est, quod non firmiter apprehendant doctrinas & principia, sed perturbate. 6. Si in omnibus apprehendant peccatum contra aliorum proborum judicium, & ipsimet advertant, plures ejusmodi apprehensiones fuisse vanas. 7. Si Confessarius declaret, eos esse scrupulosos. 8. Si experiantur, anxietatem animi esse nimiam, inordinatam, & impetuosam: Quæ enim a Deo sunt, tranquilla sunt, & præcise monitoria & increpatoria sunt, & constantia sine perpetua variatione. Hæc pro praxi sufficiant. Vide *Brencola* Can.

Reg.

Reg. Lat. in ejus *Strada della perfezione*. Et *Pontasium* in Dictionario Casuum Conscientiæ V. *Scrupulus*. Ambo in hoc consentiunt, vere Scrupulosis, de quibus non timetur peccatum mortale, non esse permittendas frequentes confessiones.

§. VI.

De Actibus Humanis in genere.

QUæritur 1. Quid sit actus humanus?

Respondeo. Actus humanus dicitur, *qui ex voluntate deliberata procedit*. Hinc illæ actiones, quas homo sine deliberatione peragit, quales solent esse, ex subitanea apprehensione & motu naturæ more brutorum, abigere muscam, ictui obvertere manum, fugere serpentem, &c. non vocantur a Theologis *actiones humanæ*, sed tantum *actiones hominis*, quia non fiunt ab homine inquantum est homo, *modo* videlicet *libero*; sed more brutorum ex subita apprehensione & motu naturæ sine deliberatione.

Quæritur 2. Quænam sint proprietates actuum humanorum?

Respondeo. Quatuor sunt proprietates actuum humanorum, nempe sequentes. 1. quod sint voluntarii. 2. quod sint liberi. 3. quod tendant ad finem. 4. quod sint moraliter boni vel mali.

Quæritur 3. Quid sit voluntarium?

Respondeo. Voluntarium est *motus ab intrinseco cum cognitione finis*. Quamvis enim etiam creaturæ irrationales moveantur ab intrinseco, v. g. lapis deorsum, ignis sursum, brutum ad pastum, non tamen cognoscunt finem distinctum ab his objectis, ad quæ ex impulsu naturæ aguntur.

Quæritur 4. An omne voluntarium sit liberum?

Respondeo. Non omne voluntarium est liberum: Volumus enim omnes *Beate vivere*; & hoc velle non est nobis liberum, sed ex instinctu naturæ necessarium. Hinc etiam omnis homo necessario amat *bonum* in genere, & *verum*; quamvis ipsi liberum sit, applicare attentionem animi ad cogitandum de bono & vero, quæ necessario vult & amat. Idipsum jamdudum observaverat *Aristoteles* l. 3. Ethic. c. 2. ubi ait: *Ita loquimur: Volumus esse felices; absurdum autem foret, si quis diceret, eligimus esse felices.* Hinc etiam *Urbanus VIII.* damnavit hanc propositionem Jansenii: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione*, hoc est, nuda voluntarietas necessaria.

Quæritur 5. An & quomodo violentia causet involuntarium?

Respondeo. Actus interior voluntatis non potest esse simpliciter involuntarius. 2. Actus exterior, inquantum provenit a principio extrinseco, & *præcise passive* recipitur, v. gr. distorsio membrorum in equuleo, potest esse *simpliciter involuntarius*. 3. Si autem actus externus sit imperatus a voluntate, sed cum circumstantia contraria inclinationi naturali, prout contingit, si quis corpulentus ascendat in altum montem, ille actus erit quidem *simpliciter voluntarius*, sed *involuntarius secundum quid*. Ita respondet *D. Thomas* 1. 2. *q*. 6. *a*. 5. *ad* 1. 2. & 3. Voluntarium, *inquit*, di„citur non solum actus, qui est imme„diate ipsius voluntatis, sed etiam actus „a voluntate imperatus. Quantum igi„tur ad actum, qui est immediate ip„sius voluntatis, violentia voluntati in„ferri non potest; sed quantum ad „actum imperatum voluntas potest pa„ti violentiam; & quantum ad hunc „actum violentia involuntarium facit. „*Et ad* 2. Voluntarium dicitur, quod „est secundum inclinationem volunta„tis... Unde cum actio infertur ab „aliquo exteriori, cum aliquis vult pa„ti ab alio, non est simpliciter violen„tum; quia licet ille, qui patitur, non „conferat agendo, confert tamen vo„lendo pati. Unde non potest dici in„voluntarium. *Et ad* 3. Motus ani„malis, quo interdum movetur animal „contra naturalem inclinationem cor„poris (v. g. connitendo sursum) etsi „non sit naturalis corpori, est tamen

„ quodammodo naturalis animali, cui „ naturale est, quod secundum appetitum moveatur. Et ideo hoc non est „ violentum *simpliciter*, *sed secundum* „ *quid*. Et similiter est dicendum, cum „ aliquis inflectit membra contra naturalem dispositionem. Hoc enim est „ violentum *secundum quid*, scilicet „ quantum ad membrum particulare, „ non tamen *simpliciter*, quantum ad „ ipsum hominem.“

Quæritur 6. An & quomodo *metus* causet involuntarium?

Respondeo 1. Actio procedens ex metu tanquam motivo intrinseco, sive ille metus sit juste vel injuste incussus, sive proveniat a causa intrinseca, sive extrinseca quacunque, est *simpliciter voluntaria*, *& involuntaria secundum quid*. Exemplum habetur in projectione mercium tempore tempestatis ex metu naufragii.

Respondeo 2. Si tamen metus est tantum *concomitans*, vel antecedens, ita tamen, ut præcise *excitet* animum ad eliciendum actum ex *alio motivo*, illa actio ne quidem erit involuntaria secundum quid. Exemplum habetur in contritione concepta ex metu inferni. Si enim metus inferni solum antecedenter vel concomitanter *excitet* ac *stimulet* animum ad eliciendum actum contritionis perfectæ ex motivo amoris perfecti, ille actus contritionis, conceptus ex solo motivo intrinseco amoris perfecti, *nullatenus interveniente motivo intrinseco metus*, ita erit simpliciter voluntarius, ut ne quidem sit involuntarius *secundum quid*; prout fusius declaratur in mea Theolog. Eclectica *Tract. de pœnit.* Quoad priorem responsionem tota doctrina in terminis est *D. Thomæ* 1. 2. *q. 6. a. 6. C.* „ Dicendum, *inquit*, quod „ sicut Philosophus dicit, & Gregorius „ Nyssenus, hujusmodi, quæ per metum aguntur, mixta sunt ex voluntario & involuntario. Id enim, quod „ per metum agitur, in se consideratum, non est voluntarium; sed fit „ voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum, quod timetur. Sed „ si quis recte consideret, magis sunt „ hujusmodi voluntaria, quam involuntaria: sunt enim voluntaria *simpliciter*, involuntaria autem *secundum* „ *quid*. -- Quod fit per metum, est „ voluntarium, inquantum scilicet hic „ & nunc est impedimentum majoris „ mali, quod timebatur; sicut projectio „ mercium in mare fit voluntarium „ propter timorem periculi. Unde manifestum, quod *simpliciter* voluntarium „ est. Sed ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc „ non est, nisi secundum rationem tantum; & ideo est involuntarium *secundum quid*, id est, prout consideratur extra hunc casum existens.“

Si quis objiciat; hanc doctrinam D. Thomæ non esse veram in casu, quo agens ex metu vult & amat ipsam existentiam supplicii, vel alterius rei inferentis metum, v. g. si quis velit & amet existentiam inferni vel purgatorii, virgæ, indignationis paternæ, increpationis &c. ut ex talium objectorum metu homo facilius superet suas passiones inclinantes ad peccatum.

Respondeo. Talem actum, si quis amet existentiam inferni ex eo motivo, ut homines absterreantur ab offendendo Deo, fore actum amoris, non timoris: Sic enim etiam Deus & beati amant existentiam inferni, non quod ipsi infernum timeant, sed aliis timendum videant. Sic & talis homo initio agens ex metu se elevat ad actum amoris, quo stante non amplius agit principaliter *ex metu*.

Quæritur 7. An & quomodo *concupiscentia* causet involuntarium?

Respondeo. Concupiscentia, sive per eam intelligatur *appetitus inordinatus in animo*, quam aliqui vocant concupiscentiam *antecedentem*, sive per eam intelligatur *passio inordinata in sensu* interiore vel exteriore corporis, quam aliqui vocant *consequentem*, quamdiu relinquit liberum usum rationis, non tollit, sed potius auget voluntarium; adeoque nec causat involuntarium secundum quid. Ita *D. Thomas* 1. 2. *q. 6. a. 7. C.* ubi hanc responsionem declarat & probat. *Dicendum*, inquit, *quod concupiscentia*

non causat involuntarium, sed magis facit aliquid voluntarium, ex eo, quod voluntas in id fertur. Per concupiscentiam autem voluntas inclinatur ad volendum id, quod concupiscit: & ideo concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.

Si quis objiciat 1. Sæpe hominem invitum trahi a concupiscentia, ita ut ipsimet vehementia suæ passionis & actionis exinde consequentis displiceat, eaque sit involuntaria.

Respondeo ex D. Thoma l. cc. ad 2. ejusmodi hominibus displicere suam concupiscentiam & ejus effectus *speculative* antecedenter & consequenter ad actum; non tamen eam displicere *practice* in ipso actu; sed potius præcedens judicium & inclinationem rationis in ipso actu retractari. *Dicendum*, inquit, *quod in eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur. Sed in eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quæ repudiabat illud, quod concupiscitur; sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat.*

Si quis objiciat 2. Per concupiscentiam turbari rationem, & sic minui deliberationem requisitam ad peccandum mortaliter; consequenter etiam minui voluntarium.

Respondeo. Hæc duo valde diversa esse; minui *voluntarium*, & minui *usum rationis*, seu *liberum arbitrium*. Hæc enim ipsa diminutio debitæ considerationis ac plenæ deliberationis est effectus nimii voluntarii liberi erga peccatum. Hanc responsionem insinuat D. Thomas l. cc. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod si concupiscentia totaliter cognitionem auferret, sicut contingit in illis, qui propter concupiscentiam fiunt amentes, sequeretur quod concupiscentia voluntarium tolleret; nec tamen proprie esset ibi involuntarium; quia in his, quæ usum rationis non habent, neque voluntarium est, neque involuntarium. Sed quandoque in his, quæ per concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio; quia non tollitur potestas cognoscendi; sed solum consideratio actualis in particulari agibili: & tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntatis, ut non agere, & non velle; similiter autem & non considerare. Potest enim voluntas passioni resistere.* His verbis *D. Thomas* vult dicere, non indeliberationem esse causam involuntarii minus liberi, sed potius e converso plenam libertatem & nimiam voluntarietatem esse causam indeliberationis & inconsiderationis præeuntis ad actum externum peccaminosum.

Quæritur 8. An & quomodo *ignorantia* causet involuntarium?

Respondeo 1. Ignorantia *concomitans*, qua etiam non data nihilominus poneretur actio, v.g. si ignorans esse diem jejunii comedo carnes, comesturus eas nihilominus, etsi scirem esse diem jejunii, non causat involuntarium. 2. Ignorantia *consequens*, hoc est, ea, quæ est voluntaria in sua causa, eo quod homo noluerit, aut non curaverit obtinere notitiam debitam, si sit *affectata*, nullo modo causat involuntarium. Si autem non sit affectata, attamen *culpabilis*, causat involuntarium *secundum quid*. 3. Ignorantia *antecedens*, quæ non est voluntaria in causa, causat *simpliciter* involuntarium. Hæc responsio cum exacta terminorum explicatione est D. Thomæ 1. 2. q. 6. a. 8. C. „ Dicendum, „ *inquit*, quod ignorantia habet causare „ involuntarium ea ratione, qua privat „ cognitionem, quæ præexigitur ad vo„ luntarium. Non tamen quælibet igno„ rantia hujusmodi cognitionem privat. „ Et ideo sciendum, quod ignorantia tripli„ citer se habet ad actum voluntatis. Uno „ modo *concomitanter*; alio modo *conse„ quenter*; tertio modo *antecedenter*. *Con„ comitanter* quidem, quando ignorantia „ est de eo, quod agitur, tamen, etiamsi „ sciretur, nihilominus ageretur. Tunc „ enim ignorantia non inducit ad volen„ dum, ut hoc fiat, sed accidit, simul esse „ aliquid factum & ignoratum; sicut „ in exemplo, cum aliquis vellet qui„ dem occidere hostem (*ita ut jam*

„ *voluntate absoluta sit determinatus ad* „ *perpetrandum hoc homicidium proxima* „ *oblata occasione*) sed ignorans occidit „ eum (*casu fortuito*) putans occidere „ cervum : & talis ignorantia non facit „ involuntarium ; quia non causat ali- „ quid, quod sit repugnans voluntati ; „ sed facit *non voluntarium* ; quia non „ potest esse *actu* volitum, quod igno- „ ratum est. *Consequenter* autem se ha- „ bet ignorantia ad voluntatem, in- „ quantum ipsa ignorantia est volunta- „ ria. Et hoc contingit dupliciter se- „ cundum duos modos voluntarii. Uno „ modo ; quia actus voluntatis fertur in „ ignorantiam (*eam volendo* ,) sicut „ cum aliquis ignorare vult, vel ut „ excusationem peccati habeat, vel ut „ non retrahatur a peccando, secun- „ dum illud Job. 21. *Scientiam viarum* „ *tuarum nolumus*. Et hæc dicitur igno- „ rantia *affectata*. Alio modo dicitur „ ignorantia *voluntaria* ejus, quod quis „ *potest scire & debet*. Sic enim non „ agere & non velle voluntarium dici- „ tur. Hoc modo dicitur ignorantia, „ cum aliquis actu non considerat, quod „ considerare potest & debet, quæ est „ ignorantia malæ electionis vel ex paf- „ sione vel ex habitu proveniens ; sive „ cum aliquis notitiam, quam debet „ habere, non curat aquirere ; secundum „ hunc modum ignorantia universalium „ juris, quæ quis scire tenetur, volun- „ taria dicitur, quasi per negligentiam „ proveniens. Cum autem ipsa igno- „ rantia sit voluntaria aliquo istorum „ modorum ; non potest causare *simpli-* „ *citer* involuntarium : Causat tamen „ *secundum quid* involuntarium, inquan- „ tum præcedit motum voluntatis ad „ aliquid agendum, qui non esset scien- „ tia præsente. *Antecedenter* autem se „ habet ad voluntatem ignorantia, quan- „ do non est voluntaria, & tamen est „ causa volendi, quod alias non vellet : „ sicut cum aliquis homo ignorat ali- „ quam circumstantiam actus, quam „ non tenebatur scire, & ex hoc ali- „ quid agit, quod non faceret, si sci- „ ret ; Puta, cum aliquis diligentia „ adhibita nesciens aliquem transire per „ viam projicit sagittam, qua interficit „ transeuntem. Et talis ignorantia cau- „ sat involuntarium simpliciter.

Quæritur 9. Quænam requiruntur ad libertatem actus humani?

Respondeo. Ad libertatem actus humani requiruntur tria. 1. *indifferentia judicii*, ita ut homo agnoscat, se ab objecto non necessitari ad illud eligendum vel aversandum, sed positis omnibus ad agendum requisitis se posse velle & non velle. 2. *Ultimum judicium practicum*, quo homo judicat, omnibus consideratis hic & nunc istud potius sibi esse agendum vel omittendum. 3. *Consensus voluntatis*, quo voluntas approbat, confirmat, & amplectitur judicium practicum inhærendo objectis, quibus inhærendum ducit ultimum judicium practicum. Hinc colligitur; in omni actu libero simul concurrere actum intellectus & voluntatis.

Quæritur 10. Quid sit, actum esse *semiliberum*? vel *semideliberatum*?

Respondeo. Quando dicitur, actum humanum esse *semiliberum*, hic modus loquendi non debet intelligi in eo sensu, quasi in tali actu desit aliquod essentiale constitutivum libertatis, quia sublato unico essentiali constitutivo libertatis tolleretur simpliciter libertas actus. Itaque hic modus loquendi tantum potest significare eum statum internum mentis, in quo homo præ ligatione vel turbatione internorum sensuum circa objectum ex suo genere mortaliter peccaminosum non potuit considerare omnes ejus circumstantias, quarum consideratione constitueretur in genere peccati mortalis. Rem explico in exemplis circa duo genera peccatorum mortalium. *Primum genus* peccatorum mortalium constituunt illa peccata, quæ recipiunt parvitatem materiæ, v. g. furtum, detractio, injuriatio, damnificatio proximi, datio scandali, contristatio, inobedientia &c. Si ergo aliquis semidormiens, semiebrius, semievigilans, semieexrapulans, semiamens, semifuriosus, abreptus subitanea passione vindictæ, turbatus animo &c. in ejusmodi objectis apprehendat subito solum eas

cir-

circumstantias, quarum consideratione solum apparent tanquam leviter opposita justitiæ, charitati, legi Dei; in ea subitanea apprehensione prima, necdum collectis sensibus ad ponderandam gravitatem rei, dicitur actus humanus *semiliber*, *semideliberatus*. *Alterum genus* peccatorum mortalium constituunt illa peccata, quæ non recipiunt parvitatem materiæ ex parte objecti. Talia sunt blasphemia, hæresis, delectatio morosa venerea. Circa talia objecta potest imperfectio libertatis, & defectus plenæ deliberationis habere locum in hoc sensu, inquantum homo pravis phantasiis vel pravis motibus tentatus advertit quidem periculum labendi in consensum formalem vel interpretativum, præ turbatione autem internorum sensuum non considerat omnes circumstantias in prima apprehensione, quarum consideratione appareret, periculum esse grave & propinquum. Idem contingit in iis, qui eas pravas phantasias, ac commotiones, quas in suis internis potentiis ex impressione dœmonis vel alterius naturalis causæ sentiunt tantum *passive*, ob turbationem internam apprenhedunt tanquam volitas, causatas, toleratas, vel prodeuntes a se *active*. Nam licet juxta eorum erroneam apprehensionem objectum tale active volitum non reciperet parvitatem, ob eorum tamen perplexitatem & moralem impossibilitatem corrigendi errorem, potest tale objectum ipsis repræsentari ut moraliter inevitabile, adeoque peccatum veniale; cum reipsa sit physice inevitabile, utpote, ut ponitur, solum inhærens passive ex impressione dœmonis vel alterius causæ. Itaque negligentiæ parvæ, si quas forte in corrigendo suo errore committunt, vel in excludendo periculo reipsa solum remoto consensus admittunt, poterunt eatenus dici semiliberæ, semideliberatæ. Hoc postremum genus semideliberationis potissimum locum habet in scrupulosis, qui, dum apprehendunt assensionem ad delectationes *passive* impressas tanquam possibilem, eam ut jam realiter a se præstitam concipiunt, assuetudine & habitu meticulositatis jam contracto ad hoc inducti.

Quæritur II. Ex quibus regulis prudens judicium formari possit, utrum actus humanus, seu assensus objecto præstitus, fuerit plene liber, ac plene deliberatus, vel tantum semiliber?

Respondeo. Id colligi poterit ex sequentibus indiciis.

Regula prima. Quando homo extra somnum, phrenesin, furorem, ebrietatem, turbationem phantasiæ, &c. dum est plene sui præsens, jam a pluribus annis etiam inter gravissimas tentationes nullum plene deliberatum peccatum mortale commisit, secure poterit præsumere, deliberationem ad peccatum mortale sufficientem non intervenisse. *Dixi: secure*, hoc est, morali certitudine, quæ in homine amante Deum, quamvis certitudinem physicam non habeat, sufficit ad securitatem & tranquillitatem conscientiæ, & fiduciam in Deo habendam de facili post contritionem conditionatam venia, si gravior malitia intervenisset.

Regula secunda. Quando gravis malitia objecti dependet a serie multorum effectuum, vel a complexo multarum circumstantiarum, quarum conditionum vel considerationum unica deficiente tollitur gravis malitia objecti, prout contingit in verbis aut factis scandalosis, injuriosis, propositis aut desideriis vel complacentiis peccaminosis, homines timoratæ conscientiæ, qui scienter ac plene deliberate probabilius non committerent peccatum mortale, possunt tuto præsumere, se non considerasse in objecto omnes sequelas vel circumstantias ad gravem ejus malitiam requisitas, si ejusmodi affectio non diu duravit, sed cito transiit, & facta reflexione ea statim displicuit, aut, si diu quidem duravit, mens tamen eo tempore somno, vel potu, vel turbatione interna ita ligata fuit, ut certum sit, eo tempore alia gravia negotia, si tractanda fuissent, non potuisse expedite assumi, & debita attentione ac circumspectione tractari. Et sic judicandum, quandocunque personæ timoratæ conscientiæ dubitant, an consenserint tentationi de in-

inferendo aliis damno in bonis famæ vel fortunæ, de inferenda gravi injuria, de causanda aliis gravi contristatione, de inhærendo pertinaciter errori hæreticali, de sumenda gravi vindicta &c. In ejusmodi enim objectis multæ circumstantiæ possunt effugere debitam considerationem in animo turbato, vel ligato, quarum tamen consideratio requiritur ad gravem malitiam actus. Et quamvis verum sit, ab homine spectata *potentia absoluta ac physica* deponi posse illam turbationem mentis seu ligamen, non est tamen præsumendum, a Deo ab amicis suis sub peccato mortali exigi plus, quam conatum moralem operandi, vincendi, ac præstandi id, quod fieri, superari, considerari, & præstari possit potentia morali. Et hinc censendum est, a personis alioquin timoratæ conscientiæ, quando agitantur ejusmodi tentationibus, necdum captam esse resolutionem firmam, aut finitam esse constrictationem internam, donec quidpiam serena mente statuant, vel ipso opere in plena vigilia compleant.

Regula tertia. Si finito actu, de cujus plena libertate dubitatur, adhuc duret ebrietas, somnus, delirium, &c. vel si homo finito brevissimo lucido intervallo statim in priorem statum somni, vel delirii reincidit, presumendum est, libertatem intermediam actus fuisse imperfectam, semiliberam, & insufficientem ad peccandum graviter, vel ad se noviter obligandum sub gravi obligatione. Aliter tamen judicandum in dispositione pia, nec repugnante justitiæ, nec gratitudini, nec christianæ charitati, facta tempore lucidi intervalli a febricante antecedenter & consequenter ad lucidum intervallum delirante. Quia talis hæredum ab intestato obligatio, quam iis ponit moribundus, cedit in hujus favorem. Itaque vel totaliter pronuntiandum in favorem disponentis, vel, si casus sit intricatus, & obnoxius appellationi eventus incerti, jus inter partes dividendum, prout §. 4. q. 4. dictum est.

Regula quarta. Si quis immediate ante somnum, ante accessum delirii, vel alterius passionis involuntariæ, eliciat sæpius firmum propositum contra determinatum vitium, sensusque suos ac seipsum jam notabili aliquo tempore ab occasionibus vitii non necessariis caute custodiat, in dubio præsumendum est, eum in statu mentis, necdum a ligamine somni, delirii, vel passionis plene ac certe libero, vitio non consensisse ea libertate, quæ ad peccatum mortale requiritur. *Ratio* est, quia hoc complexum circumstantiarum rarissime conjungitur cum peccato mortali plene deliberato; ergo nec præsumendum est, quod quis tam præcipitanter in statu mentis ligato vel turbato in peccatum mortale irruat. Hæc tamen & tertia Regula non procedit in iis, qui assueti sunt vitio cum plena deliberatione. Si enim in somnolentia talia animo statuant, & necdum retractato peccato somno, ebrietati, &c. se committant, contra eos stat præsumptio.

Quæritur 12. Utrum ad libertatem actuum humanorum requiratur deliberatio prævia?

Respondeo. Si per deliberationem præcise intelligatur *cognitio objecti operativa ad primam regulam morum cum judicio indifferentiæ* de bonitate objecti non necessitante ad assensum, verum est, quod ad libertatem actus humani prærequiratur deliberatio prævia. Si vero per deliberationem intelligatur *consultatio* prævia rationis *comparativa motivorum absterrentium & allicientium cum cognitione reflexa ad malitiam actionis*, sic falsum est, ad essentiam actus humani liberi requiri deliberationem præviam. Responsio *probatur imprimis* authoritate D. Thomæ, qui docet; ad essentiam actus liberi requiri deliberationem, sumendo eam pro simplici judicio indifferentiæ; eandem vero non requiri, si sumatur pro consultatione animi. Si enim statim primo obtutu in momento manifestum est; ex parte objecti v. g. homicidii, blasphemiæ, lasciviæ &c. reperiri oppositionem ad legem æternam Dei; totamque bonitatem in homicidio, blasphemia, lascivia &c. reperibilem non esse tantam, ut necessitet ad sui amorem, sed relinquere indifferentiam

tiam judicii & voluntatis, eoipso sine ulla alia deliberatione consultiva habentur omnia requisita ad libertatem actus humani. *D. Thomas* 1. 2. q. 13. a. 1. ad 1. ubi objicitur, quod electio importet quandam collationem, qua unum præfertur alteri, respondet: „Dicendum, „ quod electio importet (*ordinarie*) collationem quandam præcedentem; non „ quod essentialiter sit ipsa collatio.

Quæritur 13. In quo sensu intelligendum sit, quod aliquæ actiones humanæ dicantur esse *liberæ in se*, aliæ vero dicantur tantum esse *liberæ in sua causa*?

Respondeo. Illæ actiones humanæ dicuntur esse *liberæ in se*, quæ sunt personales & dependent immediate ab exercitio aut imperio voluntatis per potentiam parentem rationi. Tales actiones *in se liberæ* sunt imprimis actus interni voluntatis v. g. amor, odium, & omnes actiones etiam externæ potentiarum obedientium rationi, v. g. loqui, conversio oculorum ad objectum, movere manum, aut pedem. Econtra actiones *liberæ in sua causa* dicuntur, quæ non dependent immediate ab imperio voluntatis; dependent tamen ab actu humano immediate libero in se. Tales actiones *liberæ in sua causa* sunt ignorantia, error intellectus, blasphemia in ebrietate, homicidium per dejectionem tegulæ, scandala, seductiones &c. In hoc sensu *D. Thomas* in 2. dist. 39. q. 1. a. 1. ad 4. de peccato ignorantiæ, vel erroris intellectualis loquens ait: „ Dicendum, quod ille error, qui est in „ ratione, secundum quod æstimat bo„ num, quod non est bonum, est se„ cundum ignorantiam electionis (*libe„ re positam seu volitam in sua causa.*) „ Et hæc ignorantia non causat invo„ luntarium; quia voluntas hujusmo„ di ignorantiæ quodammodo causa est „ dum passiones non cohibet, quæ ra„ tonem in æstimando absorbent, qua„ rum cohibitio in potestate voluntatis „ est. Et ideo peccatum recte voluntati „ imputatur. *Et* 1. 2. *q.* 77. *a.* 7. *C.* „ Si sit talis passio (*v. g. iræ*) quæ to„ taliter involuntarium reddat actum „ sequentem, totaliter a peccato excu„ sat, alioquin non totaliter. Circa „ quod duo consideranda videntur. Pri„ mo quidem, quod aliquid potest esse „ voluntarium vel *secundum se*, sicut „ quando voluntas directe in ipsum fer„ tur; vel *secundum suam causam*, quan„ do voluntas fertur in causam & non „ in effectum; ut patet in eo, qui vo„ luntarie inebriatur. Ex hoc enim „ quasi voluntarium ei imputatur, quod „ per ebrietatem committit. Secundo „ considerandum est, quod aliquid di„ citur voluntarium *directe* vel *indire„ cte*: Directe quidem id, in quod vo„ luntas fertur. Indirecte autem illud, „ quod voluntas potuit prohibere, sed „ non prohibet. Secundum hoc ergo „ distinguendum est; quia passio quan„ doque est tanta, quod totaliter aufert „ usum rationis; sicut patet in his, „ qui propter amorem vel iram insa„ niunt; & tunc si talis passio a prin„ cipio fuerit voluntaria, imputatur „ actus ad peccatum, quia est volunta„ rius in sua causa; sicut etiam de „ ebrietate dictum est. Si vero causa „ non fuerit voluntaria, sed naturalis, „ puta cum aliquis ex ægritudine, vel „ aliqua hujusmodi causa incidit in ta„ lem passionem, quæ totaliter aufert „ usum rationis, actus omnino redditur „ involuntarius, & per consequens to„ taliter a peccato excusatur.„ Hucusque D. Thomas de actibus humanis liberis *in sua causa*.

Quæritur? 14. Quid sit moralitas actuum humanorum.

Respondeo. Per moralitatem actuum humanorum intelligitur earum honestas vel inhonestas, bonitas vel malitia, conformitas vel difformitas ad rectam rationem, & earum habitudo ad præmium vel supplicium æternum.

Quæritur 15. Unde desumatur *moralitas*, hoc est, bonitas vel malitia actuum humanorum

Respondeo? Moralitas actuum humanorum sumitur ex *tribus*. 1. *ex fine*. 2. *ex objecto*. 3. *ex circumstantiis*. Sumitur inprimis *ex fine*. Nam etiamsi actus humanus, v. g. erogatio eleemosynæ ratione objecti, & circumstantiarum bo-

nus

nus sit, si tamen non ordinetur ad finem debitum hominis, nempe ad finem ultimum saltem virtualiter, sed v. g. ad vanam gloriam, non erit ille actus moraliter bonus. Similiter etiamsi actus humanus ordinetur ad finem ultimum, sicut a Judæis fuit ordinata occisio Christi & S. Stephani, non erit ille actus moraliter bonus, quia non est bonus *ex suo objecto*. Sic etiam, licet oratio ordinetur ad finem ultimum, ac licet sit bona ex suo objecto; si tamen fiat tempore indebito, ubi esset laborandum, ille actus non erit moraliter bonus, quia non est bonus *ex circumstantia*.

Quæritur 16. Quotuplex sit finis actuum humanorum?

Respondeo. Finis dividitur 1. in proximum & remotum. 2 in ultimum & subordinatum. Finis *proximus* est, in quo voluntas immediate quiescit, quin explicite referatur ad alium finem, v. g. dum homo comedit, dormit, aut se recreat ad restaurandas vires, vel recuperandam sanitatem; restauratio virium, vel recuperatio sanitatis erit finis *immediatus* ac *proximus*. Si vero vires & sanitatem ulterius ordinet ad recte obeundas obligationes sui status, ad studia, conciones, administrationem reipublicæ, recta perfunctio obligationum, vel administratio officii erit finis *remotus*. Quod si ipsam suarum obligationum impletionem, vel officii administrationem rursus ulterius actualiter, virtualiter, aut habitualiter ordinet ad suam æternam beatitudinem, seu fruitionem Dei, suus *ultimus finis* erit beatitudo, quæ est in Deo. Reliqui autem priores fines erunt *subordinati* ad finem ultimum.

Quæritur 17. An detur obligatio, omnes suos actus ordinandi in Deum, tanquam finem ultimum?

Respondeo. Homo tenetur, omnes suas actiones *saltem virtualiter* referre in Deum tanquam suum finem ultimum. Dicitur autem homo suas actiones referre in Deum, inquantum omnia, quæ agit vel eligit, eligit tanquam medium perveniendi ad Deum, tanquam suum summum bonum ac beatitudinem, seu finem ultimum, & promovendi ejus gloriam. Quando ergo homo se & omnia sua *actualiter* hoc modo ordinat in Deum, dicitur ea intentio seu ordinatio *actualis*. Quando vero *dependenter* ab ista intentione actuali præterita, v. g. matutina, pergit suas actiones diurnas sic obire, ut nunquam quiescat *in sola oblectatione* animi vel corporis, sed in suis omnibus actionibus intendat finem utilem, rationi conformem, a Deo in bonum generis humani ordinatum; ea intentio, qua pro fine immediato assumit aliquam actionem utilem a Deo ordinatam, vocatur *intentio virtualis* referendi suam actionem in Deum. Hoc modo etiam moderatæ recreationes animi vel corporis, v. g. auditio musicæ, deambulatio, hilaris conversatio, ludus &c. possunt virtualiter ordinari in Deum, inquantum sunt & considerantur tanquam medium restaurandi vel conservandi vires animi & corporis, ut melius, & alacrius iisdem serviatur juxta cujusque vocationem Deo. Theologi vero Scholastici hanc quæstionem examinant sub his terminis, An *possit dari actus humanus indifferens in individuo*? sub quibus terminis eandem etiam Scholis exactius discutiendam relinquo. Interim Responsio sic *probatur* 1.

Omnes Patres, & Theologi, qui de hac re scripserunt, unanimiter usque ad sæculum XV. docuerunt, omnes actiones earumque concomitantes oblectationes esse ordinandas ad aliquam vitæ utilitatem vel necessitatem. Ergo hoc est indubitato verum. *Consequentia* probari potest ex eo, quia impossibile est, omnes Patres, & Theologos per 14. sæcula uniformiter falli circa regulam morum tam necessariam, & universalem circa innumeras actiones humanas. Nam ut bene observat D. Thomas 1. *q.* 79 *a.* 12. C. dictamen conscientiæ nihil aliud est, quam habitus intellectualis a natura homini infusus, quo homo per lumen naturale agnoscit primaria ac generalia morum principia, ut sciat quid sibi agendum, vel omittendum sit. *Synderesis*, seu conscientia, inquit, *est habitus principiorum practicorum, sicut intellectus est habitus principio-*

cipiorum ſpeculabilium, *nam oportet*, *naturaliter nobis eſſe indita*, *ſicut principia ſpeculabilia*, *ita & principia operabilium*. Quis autem credat, omnes Patres & Theologos uſque ad *Majorem*, hoc eſt, *Mayrium*, Scriptorem ſæculi XV. erraſſe in tam univerſali principio innumerarum actionum moralium, ut cenſuerint, actiones omnes neceſſario eſſe referendas ad finem naturalem diſtinctum ab oblectatione? *Confirmari* poteſt ex eo; quia regula circa actiones humanas in ordine ad finem naturalem attingit ferme dimidiam actionum humanarum partem, prout fatentur ipſimet Adverſarii, dum exaggerant arduitatem conrroverſæ obligationis ex multitudine *innumerarum*, ut ajunt, actionum, ad quas ea obligatio ac periculum *innumerabilium* peccatorum venialium ſe extendit. Ergo intereſt providentiæ divinæ, ut aliquam de hac re promulget regulam vel per lumen naturale ac dictamen conſcientiæ, vel per legem divinam poſitivam. Neutrum autem potuit ab omnibus univerſim Patribus aut Theologis per quatuordecim ſæcula ignorari.

Probatur igitur *antecedens* ex textibus Patrum & Theologorum.

1. *Clemens Alexandrinus l.* 2. *Pædag. cap.* 1. „Quando quis a ratione deductus eorum, quæ in homine ſecundum naturam eveniunt, contemplationem didicerit, ſciet, non eſſe ſtudium in res externas conferendum. Alii homines, vivunt, ut comedant, nobis autem Pædagogus præcipit, comeſſe, ut vivamus; neque enim nutritio noſtrum munus eſt, neque inſtitutum, ſcopusque noſter voluptas, ſed ea nutritio eſt ad conſervationem hujus præſentis vitæ.... Audent (quidam) appellare nutritionem ſtudium deliciarum.... Nondum didicerunt, Deum paraſſe opificio ſuo homini cibum & potum, ut conſervetur, non autem ut voluptate afficiatur.... Sicut autem delitias a guſtu amovimus, ita certe a viſu, & odoratu ſenſus titillantem voluptatem amandamus, ne per ſenſus ei aditum in animam pateſaciamus.

Ibid. cap. 8. de odoribus agens dicit „Suavis odoris ſtudium eſt eſca otii & mollitiei, quæ ad intemperantiam cupiditatem paulutim attrahit. Qui eſt enim intemperans, undequaque ducitur, & a cibo, & a ſtrato, & a converſatione, & ab oculis, & ab auribus, & a maxillis, atque etiam a naribus.... Quoniam autem voluptati nihil loci tribuimus, quæ cum ullo uſu, qui vitæ conferat, conjuncta eſt, age hic quoque eas diſtinguamus', id quod eſt utile, eligentes; dantur enim ſuaves odores, qui ſunt utiles, ac cerebrum alunt, & ſtomachum corroborant &c.

Idem lib. 3. *cap.* 10. „Sicut de alimento diximus, ita etiam dicendum eſt ubique in omnibus. Non ad voluptatem vita agenda eſt, ſed ad mediam vitæ rationem, quæ pura eſt ab utroque vitio, delitiarum & parcitatis.

Idem lib. 2. *Stromatum*. „Non eſt omnino neceſſaria affectio voluptatis, ſed acceſſio quædam naturalium neceſſitatum, famis, ſitis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri poſſet, ut abſque ea vel biberetur, vel alimentum ſuſciperetur, vel liberi procrearentur, non poſſet oſtendi alius voluptatis uſus. Neque enim operatio, neque affectio, ſed neque pars aliqua noſtri eſt voluptas, ſed vicarii miniſterii gratia in vitam acceſſit, quemadmodum dicunt acceſſiſſe ſales nutrimenti concoquendi cauſa.

Idem lib. 3. *Stromatum*. „In ſumma generaliter procedat oratio de matrimonio, nutrimento, & aliis, ut nihil faciamus ex cupiditate: velimus autem ea ſola, quæ ſunt neceſſaria. Non oportet conſiderare continentiam in uno tantum genere, ſed in quibuſcunque, quæ concupiſcit anima, non contenta neceſſariis, ſed ſolicita de deliciis. Plures hujus antiquiſſimi Patris textus ſimiles vide in *Theol. Eclect.* ubi & bene *lib.* 2. & 3. *Strom.* oſtendit, per amorem cujuſcunque voluptatis turbari libertatem, pacem, & tranquillitatem animi.

II.

II. *Gregorius Nyssenus lib. de virginit. cap.* 31. „ Compertum est, neminem posse ad Dei puritatem accedere nisi sit liber a mundanis affectibus. Certe necessarium est, ut se magno & firmo muro interjecto a voluptatibus removeat. Cum enim voluptas genere una sit, velut aqua, aliqua, quæ ab uno fonte manans in varios rivulos dividitur, sic illa per singulas sensuum vias sese in voluptatum amatores diffundit. Igitur qui ex uno aliquo ejus voluptatis sensu victus est, in corde plagam accepit; quoniam qui oculorum sensu cupiditatem explevit, corde is peccati labem concepit. Quare ne hoc unquam eveniat, regula est hæc adhibenda, ut animum nunquam ad aliquid quis adjungat, in quo aliqua admixta est voluptatis cupiditas .... ut non voluptatem, sed necessarium in singulis usum pro delectationis termino constituamus.

III. D. *Augustinus*, *lib.* 10. *Confess. cap.* 31. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta sic alimenta sumpturus accedam. Sed cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur. In his tentationibus positus certo quotidie: & quis est, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Ego non sum, quia homo peccator sum. *Ibid. cap.* 33. In sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi voce cantantur, fateor, aliquantulum aquiesco. Delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sæpe me fallit, dum præcurrere ac ducere conatur; ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio, tamen cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare fateor.

Ibid. cap. 35. „ Accedit alia forma tentationis, vana & curiosa cupiditas animæ, quæ concupiscentia oculorum vocatur. In quam multis curiositas quotidie nostra tentatur, & quam sæpe labamur quis enumerat? Quoties narrantes inania primo quasi tolleramus, deinde paulatim libenter advertimus? Canem currentem post leporem in circo non specto, at in agro, si transeam, avertit me fortassis, deviare me cogens cordis inclinatione, & nisi cito admoneas, vanus hebesco. *Idem lib.* 83. *quæstion. q.* 30. „ Frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem; utimur ea, quam referimus ad id, unde voluptas capienda est. Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Hominis ratio utitur quibusdam ad valetudinem, quibusdam considerandis ad aliquod veritatis documentum. Omnibus sensis & non sensis utitur, nec aliquod tertium est. Solo Deo non utitur sed fruitur: neque enim ad aliud aliquid Deus referendus est.

IV. *S. Leo Serm.* 5. *de Jejun.*, Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates. Rationabilis enim animus aut Dei amator est aut mundi. Æternis bonis inhærendum: temporalibus utendum est, ut peregrinantibus nobis, quidquid de prosperitate mundi occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.

Plures hujusmodi Patrum textus reperies in *Theol. Eclect.* uti & Alensis, Bonaventuræ, & Scoti. Vide & Cardenam in Crisi Theologica Dissert. 7. cap. 1. art. 3. num. 36. 37. 38. ubi docet, *nullum esse peccatum*, *audire Musicam ob solam delectationem*, esse propositionem virtualiter damnatam.

Probatur 2. Diversis rationibus Patrum. Nam 1. Omnem delectationem, cui animus acquiescit, concomitatur simul quædam sensualis affectio potentiæ appetitivæ, quæ dum corroboratur frequentatis actibus, transit in habitum, ac demum non solum incipit difficulter parere rationi, sed etiam nititur trahere rationem. Hinc 2. omnis delectatio potest & debet considerari per modum tentationis provenientis frequenter a corrupta natura aut a dœmone. 3. Omnes delectationes sunt ejusdem generis. Ergo si animus semel consuevit cedere affectioni oblectationis in uno genere, faci-

facile sinet se moveri in alio; sicut qui libenter comedunt salsa, aut dulcia non distinguunt multum varietatem ciborum alias idoneorum, dummodo reperiant genus salsedinis aut dulcedinis sibi acceptum. Hinc 4. Qui dediti sunt illecebris voluptuosis in uno genere, plerumque probantur esse voluptuarii in alio quovis genere. 5. Omnes delectationes enervant mentem & reddunt mollem, sic, ut non sapiant seria, divina, & ardua Dei negotia. 6. Omnes delectationes tollunt aut turbant animi pacem ac tranquillitatem, quamprimum iis acquiescitur, quia omnia in animo volunt esse ordinata ad alium finem. 7. Non datur medium inter bona *fruenda & utenda*. Voluptas autem temporanea non est id, quo frui appetit natura; cum non sit bonum infinitum; ergo pertinet ad utenda. 8. Natura ordinat voluptatem ad finem a voluptate distinctum. Ergo & operans debet eam sic ordinare, aut saltem non nisi in circumstantiis, in quibus ad finem suum applicatur, usurpare. 9. Omnis humana volitio oritur ex appetitu boni universalis, ergo nil potest prudenter eligi, nisi vel ipsum bonum universale seu finis ultimus, vel tanquam medium rite ordinatum ad illum finem. Ergo & voluptas non potest aliter eligi, nisi tanquam ipsum bonum universale, quod esset perversum, vel tanquum medium, quale non foret, nisi per subordinationem ad finem naturalem a Deo tanquam Authore naturæ intentum.

Probatur 3. D. *Thomas* id docet & probat in his textibus.

Textus primus 1. 2. q. 18. ar. 9. C. *Oportet, quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a deliberativa ratione procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem, quod vel ordinetur vel non ordinetur ad debitum finem: unde necesse est, omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse vel malum.*

Textus secundus l. cc. ad 3. *Dicendum, quod omnis finis a deliberativa ratione intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii. Nam hoc ipsum, quod aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. Et idem patet in aliis.*

Textus tertius 2. 2. q. 141. ar. 6. C. *Dicendum, quod, sicut ex supradictis patet, bonum virtutis moralis præcipue consistit in ordine rationis. Nam bonum hominis est secundum rationem esse, ut Dionysius dicit de Div. Nom. Præcipuus autem ordo rationis consistit in hoc, quod aliqua in finem ordinat; & in hoc ordine maxme consistit bonum rationis. Nam bonum habet rationem finis, & ipse finis est regula eorum, quæ sunt ad finem. Omnia autem delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad suum finem. Et ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitæ, sicut regulam delectabilium, quibus utitur, ut scilicet eis tantum utatur, quantum necessitas hujus vitæ requirit.*

Textus quartus in 1. Sent. q. 3. ad 3. *Secundum Theologum* (id est, juxta Theologos) *nullus actus procedens a voluntate deliberata est indifferens; quia si referatur ad Deum, supposita gratia meritorius est. Si autem non est referibilis, peccatum est. Si vero est referibilis, & non refertur, vanus & otiosus est. Otiosum autem juxta Theologum inter peccata computatur.*

Textus quintus l. cc. C. *Dicendum, quod quæcunque sunt bona* (appetibilia ac eligibilia) *non habent bonitatem, nisi in quantum accedunt ad similitudinem bonitatis divinæ* (quæ ratione sui est appetibilis) *Unde oportet, cum bonitas sit ratio dilectionis & desiderii, ut omnia amentur in ordine ad bonitatem primam. ... rebus mundi utendum est vel in quantum conferunt ad Dei cognitionem osten-*

dentes ipsius magnitudinem, vel quod præbent subsidium vitæ nostræ ordinatæ in Deum. Similiter opera nostra, quæ mala non sunt, ab ipso (Deo) *sunt, & propter ipsum facienda, non quod quamlibet operationem oporteat semper actualiter referre in Deum, sed sufficit, ut habitualiter* (hoc est, *virtualiter*, prout alibi D. Thomas hunc terminum, *habitualiter*, explicat) *in Deo constituat finem suæ voluntatis*.

Textus sextus. In Epist. ad Colofs. ad illa verba: *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU Christi facite*, addit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*.

Probatur 4. Christus condemnat quodvis verbum otiosum; ergo etiam condemnat actum indifferentem. *Antecedens* patet ex illo Matth. 12. ubi Christus ostensurus, quanta severitate sint judicanda verba blasphema aut detractoria intentione blasphemandi aut detrahendi contra Christum prolata; id ostendit a majori, quia & verba, quamvis non pernitiosa, attamen otiosa, districte erunt judicanda: *Dico vobis*, inquit, *quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*.

Consequentia probatur. Eadem est ratio verbi otiosi, & actus indifferentis; ergo si illud reprehensione dignum, nec iste effugiet pœnam. *Antecedens probatur*. Verbum otiosum est, quod non servit ad finem utilem loquentis vel audientis, & actus indifferens est, qui consimiliter non servit ad finem utilem operantis, aut proximi, ergo. *Antecedens* quoad primum membrum probatur ex SS. Patribus, qui ita definiunt verbum otiosum. I. Basilius in Regulis moralibus Reg. 25. *Quod nullo modo verba otiosa debent proferri, ex quibus nulla utilitas nascatur*. Et in Constitutionibus Monasticis c. 12. *Verborum ea utilitas fuerit, si ad rei alicujus, quæ facienda instet, usum, sermo accommodetur, aut ad audientium ædificationem referatur. Qui in alio quovis genere sermones versantur, ii rejici tanquam supervacanei ac inutiles debent*. II. Hieronymus in c. 12. Matth. *Otiosum verbum est, quod sine utilitate & loquentis dicitur & audientis*. III. Gregorius lib. 7. Mor. c. 17. *Otiosum verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret*.

Confirmatur 1. Christus loquitur de tali verbo otioso, de quo *reddenda est ratio*; ergo non loquitur de verbo aliunde positive deordinato, sed præcise de inutili. *Consequentia probatur*; reddere rationem in ore Christi idem sonat ordinarie, ac demonstrare utilitatem ex re sibi concredita Domino suo obtentam: sic enim illud verbum sumit Matth. 18. *Assimilatum est regnum cœlorum Regi, qui voluit* rationem ponere *cum servis suis*. Et Matth. 25. *Venit Dominus servorum illorum, &* posuit rationem *cum eis*. Et Luc. 16. Redde rationem *villicationis tuæ*.

Confirmatur 2. Si Christus per verbum otiosum non intellexisset verbum inutile, sed aliunde deordinatum, incongrue subjunxisset immediate illam propositionem causalem aut conclusionem universalem: *Ex verbis enim tuis justificaberis, aut condemnaberis*; quorum verborum juxta *Origenem* argum. 1. n. 3. in Theol. Eclect. relatum is est sensus; omnia verba subitura sunt aut sententiam condemnationis & punitionis, aut sententiam approbationis & præmiationis. Si enim Christus tantum fuisset locutus de verbo aliunde deordinato, & non de verbo, opinione hominum innocentissimo, quale est inutile, incongrue allegaret causalem universalem, aut subjungeret conclusionem universalem; *omne verbum improbandum aut approbandum* in ordine ad condemnationem vel justificationem; daretur enim verbum, nempe indifferens, ex quo homo nec condemnaretur, nec justificaretur.

Probatur 5. Deus ex quovis talento hominibus concredito exigit lucrum suæ gloriæ, ergo consimile lucrum exigit ex quavis actione humana. *Consequentia* patet ex eo; quia in qualibet actione humana concurrunt plura dona Dei, seu

quod

quod idem, talenta: concurrit enim concursus Dei, gratia, temporis momenta, conservatio virium animæ, cogitationes congruæ, organa corporis &c.

Antecedens probatur 1. ex variis parabolis Evangelii: sic enim Matth. 25. Dominus servo pigro, qui unicum, quod acceperat, talentum, reliquerat otiosum, dicit: *Serve male & piger; oportuit te committere pecuniam nummulariis, & recepissem, quod meum est, cum usura. Tollite itaque ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*. Simile habetur Lucæ 19. de servo pigro, qui acceperat Mna unicum, illudque reliquerat otiosum in sudario. Et huic namque a Domino dicitur: *Serve nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum usuris exegissem illam*. Matthæi 21. & Marci 12. reprobantur cultores vineæ, qui Domino vineæ non retulerunt fructum. *Marci* 11. maledicit Christus cum ira ficulneæ non ferenti fructum. *Lucæ* 13. eradicari & in ignem projici jubetur ficulnea, nisi labori sui cultoris rependerit fructum. *Matthæi* 3. Joannes Baptista dicit: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*. Similiter quinque fatuæ virgines ex eo excluduntur a regno, quia dormiendo neglexerunt fructum boni operis, ut habetur Matth. 25. Ex his omnibus colligitur, Deum ex omnibus actionibus humanis deliberatis requirere usuram & fructum suæ gloriæ. Cum enim in omni actione concurrat portio talenti, & anima semper se habeat instar arboris plantatæ in domo Dei seu Ecclesia ad fructificandum, semper exigitur fructus boni operis, quandocunque homo congrue potest fructificare: sicut enim prudens Paterfamilias non solum exigit fructum ex summa totali servo concredita, aut ex tota arbore, sed etiam ex singulis partibus, aut ramis, ita idem Deus exigit ex singulis actionibus deliberatis, in quibus utique homo fructificare poterit Deo, si dependenter a priori suo proposito, quo se & omnia sua ordinavit ad Deum, operetur conformiter rationi.

Probatur antecedens 2. Deus & natura nihil faciunt frustra, ut fert Axioma Philosophorum: & Proverb. 16. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Et Deut. 26. *In cunctis gentibus, quas creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam*. Similia, quod Deus omnia fecerit in gloriam suam, habentur multa testimonia in Scriptura; immo ea divina intentio satis insinuatur illo textu, ubi dicitur: *Plena omnis terra gloria ejus*. Isaiæ 6. Cum ergo Deus etiam operetur ipsam actionem humanam tanquam concausa partialis, & huic tribuat existentiam, non est dubium, ab eo intendi gloriam suam modo congruo obtinibilem; quam modo condecente ex tali actione libera non obtineret, nisi homo se & omnia sua efficaciter ordinaret in gloriam Dei.

Probatur antecedens 3. Deus opera sua non sinit esse vacua influxu suæ sapientiæ & aliarum suarum perfectionum divinarum, inquantum reperit capacitatem in iis subjectis; ergo nec relinquit ea vacua influxu sui zeli pro gloria divina, ubicunque reperit in suis operibus capacitatem congruenter obtinendi suam gloriam. Hanc autem capacitatem reperit in actionibos deliberatis hominum.

Antecedens colligitur ex illo Sapientiæ 14. *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera*, id est, *sine sapientia*. Pari ergo modo dicere licebit; ne sint ejus opera sine *zelo gloriæ* divinæ, aut sine *providentia, justitia &c.*

Probatur 6. Monita Apostolica, frequenter inculcata, operanti valde salubria, ad fines a Deo præstabilitos moraliter necessaria, nec ullo motivo retrahente difficilia, non possunt recusari sine deordinatione rationis; sed talia sunt monita Apostolica, omnia referendi ad gloriam Dei, ac operandi meritorie. Ergo non possunt recusari sine deordinatione rationis, seu peccato veniali. *Major patet*, quia si deliberatur in gravi negotio, ubi ex una parte reperiuntur motiva suasiva gravissima, ex altera vero parte reperiuntur motiva retrahentia levissima, contra rationem ageret, qui amplecteretur motiva retrahentia.

Probatur ergo *Minor* ex inductione & ponderatione variorum textuum Scripturæ.

Textus Primus. 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. In hoc textu particula illativa, *ergo*, est relativa ad dubium conscientiæ de licito vel illicito esu idolothitorum eo toto capite discussum. Dubium illud resolvit Apostolus; non esse formandum scrupulum conscientiæ, si quis sine scandalo comedat idolothita, & gratias agat Deo. *Itaque*, infert, *ad illibatam servandam conscientiam universim, quisquis edit, vel bibit, vel aliud agit, id in gloriam Dei referat*. Hæc expositio illius particulæ illativæ probatur ex eo, quia non potest afferri verosimilior ratio illius particulæ illativæ & connexivæ, nisi & subsequentia æque ac antecedentia proferantur ab illibatam servandam conscientiam.

Textus secundus, ad Coloss. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo & Patri per ipsum*. Hoc monitum Apostolicum ponitur ab Apostolo in medio documentorum, quæ Apostolus judicabat pro instructione Christiani præcipua, quarum pleraque manifeste continent rationem præcepti, alia autem comprehendunt primaria quædam perfectionis Christianæ capita aut subsidia.

Præsens monitum videtur Apostolus referre ad primarium aliquod caput perfectionis Christianæ; nam in versu immediate præcedente dicit: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia*. Itaque & hoc monitum pertinet ad ordinem sapientiæ Christianæ, cui non licet deliberate refragari sine deordinatione rationis, ubi vires & circumstantiæ permittunt, nullo motivo graviore retrahente.

Confirmatur 1. a pari. Si quis diceret: [*Non est illicitum, comedere cum sensu voluptatis, dummodo comestio ordinetur ad finem a natura intentum, nempe ad sustentationem; Ergo si comedas, ordina comestionem ad sustentationem corporis*: omnes intelligerent, insinuari per *to ergo* obligationem ordinandi comestionem ad sustentationem corporis. Ergo etiam similis obligatio insinuatur in priori textu D. Pauli 1. Cor. 10.

Confirmatur 2. SS. Patres in his duobus textibus agnoscunt obligationem omnia ordinandi ad Deum; ergo revera in his duobus textibus continetur non solum ratio consilii, sed etiam ratio præcepti.

Antecedens probatur 1. *S. Ambrosius* super verba Malachiæ cap. 1. dicit: *Christianus debet omnia in Dei laudem referre*. 2. *S. Bernardus* Serm. de Divin. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei*. 3. *S. Thomas* in Epist. ad Coloss. ad præfatum textum: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*.

Textus tertius, ad Coloss. 1. *Non cessamus orantes pro vobis, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*. Ergo est voluntas Dei, ut in omni opere placeamus Deo, & fructificemus. Quando autem ab Evangelistis, vel Apostolis Ecclesiæ proponitur *voluntas* Dei, regulariter non significatur voluntas solum beneplaciti, seu consilii, sed voluntas præcepti. Cum ergo pro sensu famosiori & usitatiori stet præsumptio, etiam hoc loco stabit præsumptio pro voluntate præcepti.

Textus quartus. Jubemur *omne tempus utiliter collocare*; *instanter operari bonum; omni tempore orare*; quæ omnia impleri non possunt, quin teneamur omnia referre ad Deum, sicque jugiter elevare mentem ad Deum.

Antecedens probatur ab inductione. 1. ad Ephes. 5. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, redimentes tempus*. Hac cautione non foret opus, si liceret operari, *quia libet*, *quia placet*, *quia delectat*. 2. ad Col. 4. *In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, redimentes tempus*. Ergo non sapienter, sed insipienter agit, qui finit perire tempus per actus indifferentes. 3. Ecclesiastis 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instan-*

stanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Hoc loco Salomon insinuat, pœnituros, qui neglexerunt occasionem operandi bonum, ac placendi Deo. Quod autem pœnitendum, hoc contra rationem est. 4. Ecclesiastici 14. *Memor esto, quoniam mors non tardat. Ante mortem benefac amico tuo; & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. Da, & accipe, & justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum.* Hoc loco iterum Sapiens insinuat, damnum fore pœnitendum ac irreparabile, si quis vel *particulam* temporis perire sinat sine fructu justitiæ. 5. 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in omnibus vobis.* Hæc voluntatis divinæ inculcatio referenda est ad omnia præcedentia, quia non est major ratio de uno præcedentium, quam de altero. *6.* ad Ephes. *6. State induti loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, ut possitis tela nequissimi extinguere; & galeam salutis assumite; per omnem orationem orantes omni tempore.* In hoc textu videtur Apostolus insinuare, jugem orationem, quæ est elevatio mentis ad Deum, esse partem armaturæ Christianæ adversus continuas nullo momento quiescentis adversarii insidias, adeoque necessariam. Jam vero ex omnibus his textibus sic licet argumentari: Contra rationem agit, qui sine gravi motivo vitandi majoris mali, aut procurandi majoris boni resistit gravissimis adhortationibus paternis aut divinis, inculcatis inter primaria ac summaria paterna aut divina monita. Ergo etiam contra rationem agit, qui deliberate negligit præfata Scripturæ monita ponendo actum indifferentem, cum facillime se & omnia sua referre posset ad Deum, & in virtute hujus propositi operari conformiter rationi, ut decet filium Dei.

Probatur 7. Innocentius XI. damnavit eam doctrinam, quod liceat *edere & bibere, & exercere opus conjugii* ob solam voluptatem; Ergo nec licet ullam aliam actionem ponere causa solius voluptatis. *Ant. patet* ex propositionibus duabus damnatis sequentibus. 1. *Comedere & bibere ob solam voluptatem usque ad satietatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* 2. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa ac defectu veniali.* Nec satisfaciunt Adversarii respondendo; quod detur duplex discrimen inter has voluptates & alias. Nam *primo*, istæ connexæ sunt cum periculo excessus & deordinationis; non autem aliæ, v. g. voluptas *ex auditione musicæ, aspectu floris, ambulatione per hortum. Secundo.* Illæ voluptates ex sua natura ordinatæ sunt ad alium finem a natura intentum, nempe ad sustentationem corporis, & propagationem generis humani: Econtra voluptates posterioris generis sunt tantum ordinatæ ad oblectationem animi. Hæ, inquam, responsiones non satisfaciunt; quia jam supra ostensum est, in hoc statu naturæ corruptæ omnes delectationes sensuum exteriorum continere periculum excessus ac deordinationis, si eligantur ratione sui cum animi affectione: & ex altera parte nulla datur oblectatio sensuum, quæ non ordinetur ad alium finem. Ita expresse docet *D. Thomas* 2. 2. q. 141. a. *6.* C. *Omnia*, inquit, *delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem tanquam ad finem.* Idem patet ex textibus generalibus SS. Patrum supra relatis.

Dices. Peccator, qui orat, dat eleemosinam, vel peragit aliud bonum opus, neque peccat, neque meretur per tale opus. Ergo datur actus indifferens in esse meritorio.

Respondeo. In tali peccatore opus *moraliter bonum*, hoc est, rationi & legibus conforme, ordinari in Deum tanquam ultimum suum finem saltem *mediate*, inquantum ordinatur ad obtinendam facilius a Deo conversionis gratiam & misericordiam. Itaque eatenus tale opus moraliter bonum est saltem meri-

torium gratiæ per modum *meriti late dicti*, hoc est per modum dispositionis & minoris indignitatis ad gratiam. Quia tamen homo tenetur, suos actus non solum mediate ac inefficaciter referre ad Dei gloriam, sed etiam proxime ac efficaciter, *concedo*, quod omissio hujus efficacis ordinationis in Deum concomitans actum sit peccatum veniale, quin per hanc omissionem concomitantem vitietur in sua bonitate morali ipse actus. Sic etenim etiam D. *Bernardus* L. de præcepto C. 14. observat; in eodem actu partim ex intentione virtuosa, partim ex ignorantia venialiter peccaminosa posito reperiri simul rationem meritoriam & demeritoriam. *In eo*, inquit, *qui malum facit, & bonum putat, laude dignam duxerim vel solam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas; attamen sine malo quocunque non erit decepta simplicitas.*

Alias Objectiones, quæ in hac re formari solent, solutas reperies in mea *Theologia Eclectica* Tractatu *de Actibus humanis*, quæst. 4.

TRACTATUS II.

De Legibus.

§. I.

De natura & divisione Legum.

Quæritur 1. Quid sit Lex?

Respondeo. Lex est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet; animo stabiliter obligandi promulgata*. Ita D. Thomas 1. 2. q. 90. a. 4.

Dicitur 1. *ad bonum commune*, per quod hoc loco non intelligitur tantum *bonum privatum* alicujus familiæ, sed integræ alicujus Reipublicæ, aut corporis Politici, vel Ecclesiastici, quod ex diversis hominum statibus sub directione unius Superioris constituitur.

Dicitur 2. *animo stabiliter obligandi*. Si enim Superior non habeat animum subditos obligandi, ejus ordinatio solum habebit rationem *consilii*. Si autem non habeat animum obligandi stabiliter, sed tantum ad horam, diem, vel aliud breve tempus, ejus ordinatio tantum habebit rationem *mandati* transeuntis.

Quæritur 2. Quotuplex sit Lex?

Respondeo Lex dividitur in *Naturalem* & *positivam*. *Lex naturalis* vocatur, *quam author naturæ omnes homines per lumen rationis vel instinctum naturalem circa obligationes humanas generi humano absolute necessarias docuit*. *Lex* autem *positiva* est, *quam Legislator divinus vel humanus ad melius esse generis humani legibus naturalibus superaddidit*. Exemplum legis naturalis habetur in his: Deum adora; honora parentes, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, &c. Ejusmodi enim obligationes sunt adeo necessariæ generi humano, ut sine iis bonum commune generis humani conservari nequeat. Et de his legibus loquitur *Apostolus* ad Rom. 2. ubi ait: *Gentes, quæ legem non habent, ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Exemplum autem legis positivæ est, lex circumcisionis, lex observandi Sabbati, celebrandi paschatis, audiendi sacrum in die festo, recitandi Breviarium, &c. Hæ enim leges partim divinæ partim humanæ non versantur circa obligationes absolute necessarias generi humano, sed præcise utiles.

Quæritur 3. Quomodo dividitur *Lex positiva*?

Respondeo. Lex positiva dividitur in *divinam* & *humanam*. *Lex humana* rursus subdividitur in *Ecclesiasticam* & *Civilem*. *Lex divina* vocatur, *quæ statuitur a Deo*, quales sunt omnes leges Moysi dictatæ a Deo, vel Apostolis datæ a Christo, v. g. lex baptismi. *Lex humana* est, quæ ponitur a legislatore humano, puta a principe, magistratu, &c. *Lex Ecclesiastica* est, quæ ponitur *a Legislatore Ecclesiastico*, puta a Papa, Concilio, Episcopo, Generali Ordinis, &c. *circa obligationes respicientes salu-*

tem animarum. *Lex Civilis* est, quæ ponitur *a Legislatore civili circa obligationes immediate respicientes bonum temporale subditorum*. Hinc si in Superiore Ecclesiastico simul concurrat potestas temporalis gubernandi subditos, poterit pro iis ferre leges non solum Ecclesiasticas, sed etiam Civiles.

Quæritur 4. Quales sunt aliæ divisiones legum?

Respondeo. Lex dividi solet variis etiam aliis modis. 1. in *pœnalem*, & non præcise pœnalem. 2. in legem *directivam* & *præceptivam*. 3. in *affirmativam* & *negativam*. 4. in *prohibentem* & *irritantem*. 5. in *favorabilem* & *odiosam*. 6. in *Jus publicum* & *jus gentium*. 7. in legem *Municipalem* & *Provincialem*.

Quæritur 5. Quid sit lex *pœnalis*, & non præcise pœnalis?

Respondeo. Lex pœnalis est, quæ subditos non obligat sub peccato ad opus a lege præscriptum, sed tantum ad subeundam sine resistentia pœnam a lege taxatam. Tales leges pœnales sunt, si prohibeatur invectio vel evectio certarum mercium sub pœna confiscationis, vel sub alia mulcta pecuniaria. Leges ejusmodi saltem obligant transgressores ad hoc, ne violenter resistant ministris constitutis a legislatore, si ab iis deprehendantur. Leges autem non pure pœnales sunt, quæ sub peccato obligant etiam ad ipsam actionem vel omissionem præscriptam a lege.

Quæritur 6. Quid sit lex *directiva* & *præceptiva*?

Respondeo. Lex præceptiva vocatur, quæ sub peccato obligat ad præscripta; sed lex directiva vocatur, quæ dum aliquos, pro quibus fertur, ligat, alios, pro quibus non fertur, si ea se patiantur dirigi, saltem eximit a justa reprehensione & culpa. Sic Responsa sacrarum Congregationum Tridentini & Rituum vel Rotæ emanata ad partes litigantes serviunt omnibus directive, ut si in similibus circumstantiis se iis conforment, certi sint, se non erraturos culpabiliter. Idem fit, si in Gallia, Hispania, vel aliis Regnis, quæ legibus Imperialibus Juris Civilis subjecta non sunt, Judices sequantur ductum justarum legum Juris Imperialis. Idem contingit, si allegentur aliarum Synodorum Provincialium, vel Diœcesanarum Statuta. Faciunt enim, ut ea sequentes non errent, nisi obstet positiva lex contraria.

Quæritur 7. Quid sit lex *affirmativa* & *negativa*?

Respondeo. Lex *affirmativa* vocatur, quæ præcipit aliud agendum. Talis lex est: *Diem Sabbati sanctifices*; *Honora patrem & matrem*. Lex autem *negativa* est quæ prohibet aliquam actionem. v. g. *Non occides; non furtum facies*. Apparet tamen, quamlibet legem, quæ *directe* est affirmativa, indirecte esse negativam; non tamen vicissim eam, quæ est *directe* negativa, indirecte esse affirmativam. Qui enim præcipit sanctificationem Sabbati, & honorationem parentum, indirecte prohibet profanationem Sabbati & inhonorationem parentum. Sed econverso non sequitur, quod illi, cui prohibetur homicidium & furtum, indirecte præcipiatur aliqua actio.

Quæritur 8. Quid sit lex *irritans* & *solum prohibens*?

Respondeo. Lex irritans est, quæ actum sive de jure licitus, sive illicitus sit, declarat vel reddit nullum. Sic, licet nemini prohibitum sit ad contestandam suam ultimam voluntatem solum adhibere duos testes, ejusmodi tamen Codicillus vel testamentum in foro Civili erit irritum. Matrimonium contractum cum consanguinea intra quartum gradum est simul prohibitum & invalidum. Emptio & venditio cum læsione ultra dimidium pretii, etiamsi fiant ex ignorantia invincibili, sunt irritæ per leges civiles. Econtra dantur aliæ leges solum prohibentes, quæ non sunt simul irritantes. Sic Parocho prohibetur administratio baptismi in statu peccati mortalis; baptismus tamen valet. Sic etiam prohibetur matrimonium habenti simplex votum castitatis; contractum tamen contra prohibitionem nihilominus valet.

Quæritur 9. Quid sit lex *favorabilis* & *odiosa*?

Respondeo. Lex *favorabilis* dicitur, quæ *ob emolumenta publica, quæ in majori parte communitatis causat sine præjudicio boni communis, ex ipsa intentione legislatoris meretur extendi ad casus consimiles non expressos a lege*. Brevius sic potest describi: Lex favorabilis est, *cujus extensio ad casus consimiles in lege non expressos conformiter ad intentionem legislatoris est bono communi melior*. Sic lex in favorem pupillorum lata, ut illis nequeat nocere malitia aut negligentia tutoris, est favorabilis, ac propterea extenditur etiam ad Ecclesias, & alia loca pia, ut illis non noceat malitia vel negligentia tutoris. Lex autem *odiosa* est, *quæ dum plerosque ex iis, quos afficit, gravat, conformiter ad intentionem legislatoris ob paritatem vel identitatem rationis non petit extendi ad casus consimiles non expressos a lege*. Sic pœna statuta in adulterium uxoris non eo ipso extenditur ad adulterium mariti, licet ob speciales circumstantias aggravantes adulterium mariti possit esse par aut etiam major malitia delicti.

Quæritur 10. Quid sit *Jus publicum* & *Jus gentium*?

Respondeo. Jus publicum est corpus legum, a nationibus diversis per specialia pacta vel confœderationes reciprocas constitutum. Huc pertinent varia Concordata Summorum Pontificum cum natione Gallica, Germanica, &c. Pacificationes in puncto Religionis inter varios Status in Anglia, Gallia, Belgio, Germania; Tractatus pacis v. g. Westphalicæ, Rysvvicensis, Rastadianæ, &c. *Jus gentium* vocatur *Æquitas naturalis quoad conversationem liberam & negotiationem populorum ad invicem*. Huc pertinet immunitas Legatorum a molestia; genus bellandi armis paribus non venenatis; libertas marium, sanctitas fœderum &c.

Quæritur 11. Quid sit lex *Municipalis* & *Provincialis*?

Respondeo. Lex *municipalis* est, quæ respicit tantum urbem; *provincialis*, quæ obligat integram provinciam.

Quæritur 12. Quid sit lex *localis* & *personalis*?

Respondeo. Lex *localis* est, ad quam Legislator suos subditos tantum obligare intendit, quamdiu morantur intra territorium, v. g. ad celebrationem alicujus festi Diœcesani. Lex *personalis* est, ad quam Legislator suos subditos obligare intendit, etiam si existant extra territorium. Eatenus enim obligatio sequitur personam, quocunque devenerit. v. g. Si subdito præcipiatur gestatio habitus patrii, quocunque devenerit. Eodem modo posset etiam lex dividi in *realem* & *personalem*, ita ut *realis* sit, quæ directe respicit dominium rerum subditarum, *personalis* autem, quæ directe respicit gubernationem personæ in ordine ad actiones civiles, seu sociales.

§. II.

De natura Legis naturalis.

Quæritur. 1. An Lex naturalis sit immutabilis?

Respondeo. Lex naturalis est immutabilis.

Probatur. 1. Lex naturalis se habet per modum artis, v. g. artis medicæ, artis militaris, artis œconomicæ, artis Politicæ &c. Quæ artes, licet pro diversitate circumstantiarum pro iisdem hominibus præscribant diversas, imo inter se contrarias medicinas, aut actiones, manent tamen in seipsis invariatæ & immutabiles. Ergo etiam lex naturalis censenda est manere immutabilis, etiamsi pro diversitate circumstantiarum videatur exigere vel tolerare actiones diversas *Ant. prob.* authoritate D. Augustini & Alensis. *D. Augustinus* l. de vera Relig. C. 31. n. 57. scribit: *Nec ambigendum est, incommutabilem naturam Deum esse, & ibi esse primam vitam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, & ars omnipotentis artificis*. *Alensis* vero part. 3. q. 27. memb. 3. art. 2. sic habet: *Dicendum secundum B. Augustinum, quod sicut videmus, quod medicina est ars immutabilis, tamen medicus aliquando mu-*

tat præcepta languentibus; *& tamen ratio artis præcepti in se est immutabilis. Nec venit mutatio ista ex parte artis, sed ex parte alia, scilicet ejus, cui ministratur ex arte. Ita lex immutabilis est quantum ad rationem suorum præceptorum & sanctionum; non tamen quantum ad observantiam omnium sanctionum, sicut medicina.* Alios textus S. Augustini vide in Probat. 2. sequentis Quæstionis.

Dices: Reperiuntur varia exempla, in quibus leges naturales videntur fuisse mutatæ. Ab initio enim omnia bona erant communia, & omnes erant æquales sine subjectione unius ad alium; quæ tamen successu temporum mutata sunt.

Respondet Alensis l. c. ad 1. hoc modo. *Dicendum, quod jure naturali essent omnia communia, & omnium una libertas; & hoc fuit ante peccatum, & post peccatum quædam sunt quibusdam propria. Et hæc duo sunt per legem naturalem. Sicut enim ars medicinæ dictat vinum esse sanum, & eadem ars vinum negat ægro; ita eadem lex dicit, quod sanæ naturæ omnia sunt communia, & quod ita debet esse; & tamen eandem negabit naturæ ægræ proprietatem, nec mutatur propter hoc quantum ad rationem sanctionis; imo eadem ratio, quæ dictat omnia esse communia in natura bene instituta, dictat aliqua esse propria in natura destituta per peccatum. Et sic solum est mutatio quantum ad observantiam sanctionum, & effectuum; & non quantum ad rationes ipsorum.*

Quæritur 2. An Deus in lege naturali possit dispensare?

Respondeo. Deus non potest dispensare in lege naturali.

Id probatur. Dispensatio solum habet locum circa leges, quarum positio dependet a libera voluntate legislatoris. Sed positio legum naturalium non dependet a libera voluntate legislatoris. Ergo. *Major* patet ex definitione Dispensationis, quæ est relaxatio legis facta ab eo, qui habet potestatem ponendi vel non ponendi legem. Min. prob. Objectum legum naturalium est solum bonum *absolute necessarium* pro bono generis humani, seu ordo æternus ac immutabilis rerum. Ergo. *antec. patet* partim ex authoritatibus in Q. 2. & 3. adductis, partim ex D. Thoma, qui 1. 2. q. 100. a. 8. ad objectionem 2. quod Deus possit dispensare circa præcepta Decalogi, sic respondet: *Dicendum, quod sicut dicit Apostolus, Deus seipsum negare non potest. Negaret autem seipsum, si ordinem sua justitiæ auferret, cum ipse sit ipsa suæ justitia. Et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi justitiæ ejus secundum quæ homines ad invicem ordinantur.*

Dices. 1. Deus actu dispensavit circa leges naturales. Ergo potest dispensare. *Ant. prob.* Deus dispensavit Abrahamo circa homicidium, præcipiendo necem sui filii. Cum Israelitis dispensavit quoad furtum tribuendo licentiam auferendi Ægyptiis omnia pretiosa. Circa fornicationem dispensavit cum Osea Propheta, jubendo ut accedat ad uxorem fornicariam, vel adulteram.

Respondeo. n. a. ad prob. n. a. In his enim casibus Deus non dispensavit quoad homicidium, furtum, fornicationem; sed tribuendo jus in vitam, bona, & corpus aliorum sustulit tam materiale quam formale constitutivum homicidii, furti, & fornicationis. Formole enim constitutivum horum vitiorum est, quod sit *injusta* usurpatio vitæ, bonorum, & corporis alieni; quæ non reperitur in his casibus; Materiale horum vitiorum est, quod & vita alterius, & bona, & corpus sint res *aliena*. Fatendum tamen, a Deo nec tolli posse materiale aut formale vitii, nisi eam inordinationem ordinis naturalis compenset per majus bonum ordinis supernaturalis.

Dices 2. Dantur varia præcepta legis naturalis, quæ dependent a liberrima voluntate Dei præcipientis vel prohibentis. Ergo multo magis possunt in casu particulari a Deo relaxari per dispensationem. *ant. prob.* Sacrificia per immolationem alicujus victimæ apud omnes nationes etiam barbaras recepta, observatio hebdomadaria Sabbati, solutio decimarum. immunitas personarum Ecc-

clesiasticarum, &c. sunt juris naturalis, & nihilominus evidens est, Deum potuisse statuere alium modum pro suo cultu, pro sustentatione suorum Ministrorum, & pro eorundem reverenti veneratione.

Respondeo. n. a. ad prob. n. a Hæc enim omnia vel sunt præcepta tantum legis humanæ Ecclesiasticæ, vel legis divinæ positivæ. Lex naturalis nullum aliud respicit bonum, nisi quod necessario præcipitur a Deo, vel quod necessario mandatur præcipi a potestate humana.

Quæritur 3. An lex naturalis dubia transeat in materiam legis positivæ?

Respondeo Affirmative. *Ratio* est, quia lex naturalis nunquam est dubia, nisi quando dubitatur, an hoc vel illo modo explicata, extensa, seu appplicata sit absolute necessaria pro bono communi vel decentia necessaria generis humani. Nam prout §. 1. q. 2. dictum est, lex naturalis tantum versatur circa bona generis humani absolute necessaria. Jam vero in dubio, an lex sit generi humano absolute necessaria, potest poni triplex casus. Potest enim aliquid bono communi generis humani in ordine ad obtinendam æternam beatitudinem esse absolute necessarium judicio divino, quin hoc sit evidens ac certum intellectui humano. Et sic lex naturalis *dubia quoad nos* indiget declaratione, seu *magis specifica expressione* divina, hoc est, lege positiva divina, quam Theologi vocant specificationem legis naturalis. Alter casus potest esse, quando lex naturalis hoc vel illo modo explicata, extensa seu applicata videtur bono communi generis humani ad ejus beatitudinem temporalem vel æternam esse necessaria judicio eximie sapientum, qui habent vastem comprehensionem omnium obstaculorum & mediorum ad finem, quamvis ea absoluta nenessitas minus perspicacibus non sit perspecta, evidens, ac certa. Et sic lex naturalis dubia indiget *declaratione*, *seu magis specifica expressione* Legislatorum eximie ac notorie sapientum, seu *lege positiva humana*, *specificativa* legis naturalis. Tertius casus est, quando lex naturalis hoc vel illo modo explicata, extensa seu applicata non est quidem absolute necessaria ad obtinendam beatitudinem temporalem vel æternam generis humani, ea tamen judicio Sapientum requiritur, ut bonum commune temporale & æternum generis humani obtineatur modo decentissimo, ordine rectissimo, via breviore, securiore, tranquilliore, ac stabiliore. Et sic lex naturalis dubia quoad applicationem, quando finis legis potest obtineri pluribus modis & viis æque vel inæqualiter bonis, non indiget declaratione seu specificatione legis naturalis, sed *determinatione* Legislatorum eximie & notorie sapientum, seu lege positiva humana *determinativa* legis naturalis generalis quoad ejus applicationem. Hoc ipsum jam dudum observavit D. Thomas 1. 2. q. 100. a. 1. C. ubi sic scribit.

Quædam enim in humanis actibus „ sunt adeo explicita, quod statim cum „ modica consideratione possunt approbari vel reprobari per illa communia „ & prima principia. Quædam vero „ sunt, ad quorum judicium requiritur „ multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare non est „ cujuslibet sed sapientum; sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad „ solos Philosophos. Sic igitur patet, „ quod cum moralia præcepta sint de „ his, quæ pertinent ad bonos mores; „ hæc autem sunt, quæ rationi conveniunt; omne autem humanæ rationis „ judicium aliqualiter a naturali ratione „ derivatur, necesse est, quod omnia „ præcepta moralia pertineant ad legem „ naturæ; sed diversimode. Quædam „ enim sunt, quæ statim per se naturalis ratio cujuslibet hominis dijudicat „ esse facienda, & non facienda; sicut, „ honora patrem & matrem; &, non „ occides; non furtum facies & hujusmodi, sunt absolute de lege naturæ. „ Quædam vero sunt, quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda, & ista sic sunt „ de lege naturæ, ut tamen indigeant

„ dis-

„ disciplina, qua minores a Sapientibus „ instruantur; sicut illud: Coram cano „ capite consurge; & honora personam „ senis, & alia hujusmodi.

Ex his magni momenti principiis *inferes in praxi* 1. Leges naturales dubias non debere determinari a quibusvis Judicibus, Dicasteriis, Principibus, de quorum vasta comprehensione, & eximia sapientia non constat ex consensu prudentum, tribunalium, Statuum, vel populorum. 2. cum bonum commune generis humani non solum temporale sed etiam æternum attendatur per leges naturales, circa ejusmodi leges naturales dubias determinationem non esse faciendam a solis Legislatoribus laicis, sed simul etiam ac potissimum Ecclesiasticis, quos Deus ordinat & illuminat ad declarandas leges naturales, reipsa divinas. 3. Leges declarativas vel determinativas legum naturalium semel ab iis legislatoribus constitutas, quos consensu populorum constat fuisse eximie sapientes, non facile ac temere sine necessitate esse mutandas. 4. Si principes circa determinationem vel declarationem legum naturalium dubiarum nimium præsumant privative quoad casum secundum & tertium, quamvis coram Deo peccent peccato præsumptionis, locum esse tolerantiæ Ecclesiasticæ quoad ejusmodi acta ex ignorantia. 5. Idem sentiendum circa sonsuetudines nonnunquam declarativas vel determinativas legis naturalis dubiæ, ita ut tolerari possint, donec a Legislatore legitimo examinentur & judicentur. 6. Quilibet tamen tenetur semper consilio & auxilio tendere ad modum determinativum optimum legis naturalis dubiæ, quia ad hunc etiam tendit sua perpetua intentione Deus, author legis naturalis. Hæc pauca circa eas leges dicta sunto, quæ sunt *quoad substantiam* juris naturalis, quoad modum vero juris positivi

Quæritur 4. An possit dari invincibilis ignorantia legis naturalis?

Respondeo. De hac re vide dicta in Tract. *de Conscientia*. §. 2. q. 10.

§. III.

De Lege Positiva.

QUæritur 1. Quænam debent esse proprietates legis humanæ?

Respondeo. S. Isidorus l. 5. C. 21. Etimolog. sequentes enumerat. *Lex*, inquit, *erit* 1. *honesta*. 2. *justa*. 3. *possibilis secundum naturam*. 4. *secundum consuetudinem patriæ* 5. *loco temporique conveniens*. 6. *necessaria*. 7. *utilis*. 8. *manifesta seu clara*, *ne aliquid per obscuritatem in captione contineat*. 9. *nullo privato commodo sed pro communi utilitate civium scripta*. 10. *ratione constet*. 11. *Religioni congruat*. 12. *disciplinæ conveniat* 13. *saluti proficiat*. His proprietatibus addi potest. 14. *se non tantum extendat ordinarie ad casus prorsus extraordinarios rarissime contingentes*, *sed ad casus sæpe occurrentes*. Utinam hæ proprietates convenirent *omni* & *semper*!

Quæritur 2. An lex debeat se extendere ad casus frequenter occurrentes?

Respondeo. Id distinguendum. Si enim casus sint prorsus extraordinarii ac rarissime contingentes, non sunt regulandi per legem, nisi contineant malitiam prorsus extrordinariam; quales casus sunt parricidium, proditio patriæ, occisio regis, &c. Peccata enim valde enormia, utut rara, merentur, ut legibus specialibus prohibeantur severissimis. Talia sunt Sodomia, bestialitas, solicitatio pœnitentium ad turpia in confessionali &c.

Responsio autem *probatur* ex l. 3. 4. 5. ff. l. 1. Tit. 3. ubi sic habetur; *Jura constitui oportet in his*, *quæ ut plurimum accidunt*, *non quæ ex inopinato*. Et l. 4. *Ex his*, *quæ forte uno casu accidere possunt*, *jura non constituuntur*. Et l. 5. *Ad ea potius debet aptari jus*, *quæ & frequenter & facile*, *quam quæ perraro eveniunt*. Idem D. Thomas 1. 2. q. 96. a. 1. sic probat: *Oportet leges humanas esse proportionatas ad bonum commune*. *Bonum autem commune constat ex multis*, *& ideo oportet*, *quod lex ad multa respiciat*, *& secundum personas*, *& secundum negotia*, *& secundum tempora*.

pora. Hæc proprietas legis iterum bene notari meretur; alioquin gravabitur memoria subditorum innumeris legibus, quarum tamen usus est rarissimus. Melius ejusmodi leges, si quæ pro casu extraordinario scribendæ fuerint, scriberentur pro solis iis, qui communitati præsunt, & quidem extra corpus aliarum legum.

Quæritur 3. An & quando lex humana se conformare debeat consuetudini patriæ?

Respondeo. Tunc convenienter lex humana se conformat consuetudini patriæ, quando ex mutatione consuetudinis timenda sunt mala *majora*, *plura*, & *diuturniora*, quam sperantur per legem bona, alioquin moraliter non necessaria ad bonum commune & honestatem religionis. Si enim bonum, quod ex mutatione consuetudinis speratur, tantum servit ad melius esse, & ob pravam dispositionem hominum subditorum timentur graves ac diuturnæ turbæ, per quas impediri possunt magna bona, prudentiæ legislativæ est, relate ad ejusmodi communitates male dispositas non ponere aut non urgere legem non necessariam. Hæc responsio colligitur ex iis, quæ scribit S. *Augustinus* Epist. 118. ad Nebridium, ubi interrogatus, an esset introducenda nova lex, in cœna Domini legendi duas Missas, unam mane, alteram post occasum solis, sic respondet: „ Quæris, quid „ per quintam feriam ultimæ hebdomadis quadragesimæ fieri debeat; an „ offerendum sit mane, & rursus post „ Cœnam propter illud quod dictum est; „ *Postquam cœnatum est*? An jejunandum, & post cœnam tantummodo offerendum? An etiam jejunandum, „ & post oblationem sicut facere solemus, cœnandum? Ad hæc itaque ita „ respondeo, ut quid horum sit faciendum, si divinæ Scripturæ præscribit „ authoritas, non sit dubitandum, quin „ ita facere debeamus ut legimus, ut „ jam non quomodo faciendum, sed „ quomodo Sacramentum intelligendum „ sit disputemus. Similiter etiam, si „ quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam & hinc, quia ita „ faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. Sed neque hoc, „ neque illud inest in eo, quod tu quæris. Restat igitur, ut de illo tertio „ genere sit, quod per loca regionesque „ variatur. Faciat ergo quisque, quod „ in ea Ecclesia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum „ contra fidem fit, aut contra mores, „ hinc vel inde meliores. His enim „ causis, id est, aut propter fidem, „ aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel instítui, quod non fiebat. Ipsa quippe „ mutatio consuetudinis, etiam quæ „ adjuvat utilitate, novitate perturbat. „ Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter „ noxia est.„ In hoc textu S. Augustinus manifeste insinuat, spectandam esse in legibus circa mutationes consuetudinum utilitatem vel inutilitatem comparativam.

Quæritur 4. An omnia vitia, & quæ potissimum, per legem humanam cohibenda sint?

Respondeo. A Legislatore illa potissimum vitia sunt cohibenda, quæ aut *graviora* aut *proximo nociva* sunt; aut quorum *coercitio moraliter necessaria* est bono communi. Illa autem vitia tolerari possunt, quorum emendatio ob pravam dispositionem hominum a majori parte communitatis prudenter sperari non potest. Ita quoad rem respondet S. *Thomas* 1. 2. q. 96. a. 2. C. ubi ait: „ „ Oportet, quod leges imponantur hominibus secundum eorum conditionem, „ quia, ut Isidorus dicit: Lex debet esse possibilis & secundum naturam, & „ secundum consuetudinem patriæ. Potestas autem sive facultas operandi „ (*moralis possibilitas*) ex interiori habitu seu dispositione procedit. Non „ enim idem est possibile ei, qui non „ habet habitum virtutis & virtuoso: „ sicut etiam non est idem possibile puero & viro perfecto, & propter hoc „ non ponitur eadem lex pueris, quæ „ ponitur adultis. Multa enim pueris „ permittuntur, quæ in adultis lege pu-

„ nuintur; vel etiam vituperantur. Et „ similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ „ non essent toleranda in hominibus „ virtuosis. Lex autem humana ponitur multitudini hominum, in qua „ major pars est hominum non perfectorum virtute, & ideo lege humana non prohibentur omnia vitia, a „ quibus virtuosi abstinent; sed solum „ graviora, a quibus possibile est, majorem partem multitudinis abstinere, „ & præcipue quæ sunt in nocumentum „ aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset; „ sicut prohibentur lege humana homicidia, & furta, & hujusmodi." Et „ ad 2. „ Lex humana intendit homines inducere ad virtutem non subito, „ sed gradatim, & ideo non statim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ „ sunt jam virtuosorum, ut scilicet ab „ omnibus malis abstineant; alioquin „ imperfecti hujusmodi præcepta ferre „ non valentes in deteriora mala prorumperent: sicut dicitur Prov. 30. Qui „ nimis emungit, elicit sanguinem. Et „ Matth. 9. Quodsi vinum novum, id „ est, præcepta perfectæ vitæ, mittatur „ in utres veteres, id est, in homines „ imperfectos, utres rumpuntur, & vinum effunditur, id est, præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt. „ Et *ad 3. Lex humana deficit a lege æterna. Dicit enim Augustinus l.* 1. *de lib. arbit. C.* 5. *Lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedit, atque impunita relinquit, quæ per divinam providentiam vindicantur. Neque enim, quia non omnia facit, ideo, quæ facit, improbanda sunt. Unde etiam lex humana non omnia potest prohibere, quæ prohibet lex naturæ.* Ita S. Thomas. Huc pertinet, quod SS. D. N. *Benedictus* XIV. in suo tomo 2. Bullarii refrœnaturus in Statu temporali Pontificio nimiam licentiam, in ultima die Bachanalium protrahendi choreas usque mane diei Cinerum per totam noctem, eam licentiam solum usque ad medium noctis restringat, quia plus se obtenturum non sperat.

Quæritur 5. An lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius?

Respondeo. Leges non sunt mutandæ, nisi causa *evidentissimæ utilitatis, ejusque maximæ*, vel *causa necessitatis*. Ita sapienter respondet S. *Thomas* 1. 2. q. 97. a. 2. C. ubi sic scribit: „ Lex humana in tantum recte mutatur, in „ quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipsa legis mutatio, quantum in „ se est, detrimentum quoddam communis salutis; quia ad observantiam „ legum plurimum valet consuetudo, „ in tantum, quod ea, quæ contra communem consuetudinem fiunt, etiam „ si sint leviora, de se graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in „ quantum tollitur consuetudo, & ideo „ nunquam debet mutari lex humana, „ nisi ex aliqua parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex „ ista parte derogatur. Quod quidem „ contingit vel ex hoc, quod aliqua „ maxima & evidentissima utilitas ex „ novo Statuto provenit; vel ex eo, „ quod est maxima necessitas, ex eo, „ quod lex consueta aut manifestam „ iniquitatem continet, aut ejus observatio est plurimum nociva. Unde dicitur a Jurisperito, quod in rebus novis constituendis evidens debet esse „ utilitas, ut recte recedatur ab eo jure, „ quod diu æquum visum est. „ Et *ad* „ 1. Ea, quæ sunt artis, habent efficaciam ex sola ratione, & ideo, ubicunque melioratio occurrit, est mutandum, quod prius tenebatur. Sed „ leges habent maximam virtutem ex „ consuetudine, ut Philosophus dicit in „ 2. Polit. & ideo non sunt de facili „ mutandæ. „ Et *ad* 2. *ac* 3. ubi objiciebatur, quod in antiquis legibus contineantur *multæ ruditates*, & quod circa agibilia in particulari per experientiam successive aquiratur perfectior cognitio; sic respondet: *Ratio illa concludit, quod leges sunt mutandæ; non tamen pro quacunque melioratione, sed pro magna utilitate vel necessitate.*

Quæritur 6. Qua regula agnosci possit mens Legislatorum quoad leges humanas?

Respondeo. Ea mens obligandi vel deobligandi nulla alia Regula meliori agnosci potest, quam ex sensu Doctorum expertorum, eruditione & pietate insignium. Ratio est; quia omnis lex humana derivatur a lege naturali vel *per modum conclusionis*, vel *per modum determinationis seu specificationis*, prout §. 2. q. 3. ostensum est. Utroque autem modo sensus expertorum Doctorum, *numero*, *eruditione*, & *pietate* potiorum pro regula habenda est. Si enim lex positiva derivetur a lege naturali per modum conclusionis, ex dictis §. 2. constat, eam pertinere ad legem naturalem, quæ ex communiori sensu Doctorum eruditione & pietate insignium agnoscenda est, prout §. 2. ostensum est. Si vero lex positiva derivetur a lege naturali per modum *determinationis*, seu *specificationis*, iterum modum determinationis, quatenus legi naturali aptissime congruit, nemo melius agnoscit, quam consensus sapientum, numero, eruditione, ac pietate manifeste potiorum. Ita docet S. Thomas 1. 2. q. 95. a. 2. ad 4. ubi ad objectionem Juristarum, quod non possit omnium legum humanarum ratio assignari, sic respondet: *Dicendum, quod verbum illud Jurisperiti intelligendum est in his, quæ introducta sunt a majoribus circa particulares determinationes legis naturalis; ad quas determinationes se habet expertorum & prudentum judicium, sicut ad quædam principia; in quantum scilicet statim vident, quid congruentius sit particulariter determinandum. Unde Philosophus dicit in 6. Ethic. quod in talibus oportet attendere expertorum & seniorum vel prudentum indemonstrabilibus enuntiationibus & opinionibus, non minus quam demonstrationibus.*

§. IV.

De materia Legum.

QUæritur 1. An materia legis humanæ possit esse actio indifferens?

Respondeo. Distinguendum esse inter indifferentiam actionis *materialem*, & *formalem*. Actio vel res dicitur *materialiter* indifferens, in quantum secundum se spectata neque utilitatem causat bono communi neque damnum, v. g. levatio festucæ, resectio unius capilli, abstinentia vel comestio pomi. *Formaliter* autem indifferens dicitur res vel actio, si neque servit ad finem bono communi vel religioni utilem ex intentione præcipientis. Possunt enim actiones secundum se indifferentes servire ad tentandam vel demonstrandam obedientiam subditi. Hoc prænotato *Dico*, actionem tam formaliter quam materialiter indifferentem non esse materiam legis. *Ratio* est, quia *objectum formale* legis est *ratio melioris* in ordine ad bonum commune, prout §. 3. quæst. 2. ostensum est. Si autem actio sit tantum indifferens materialiter, potest esse materia legis, si saltem ex intentione præcipientis per circumstantias nota ordinetur ad finem utilem bono communi vel religioni.

Quæritur 2. An etiam præcepta legis naturalis vel divinæ possint esse materia legis humanæ?

Respondeo. Leges humanæ circa objectum legis naturalis vel divinæ possunt tantum esse pœnales.

Probatur. Legislator humanus prohibendo v. g. homicidium, adulterium, furtum, &c. neque intendit imponere novam obligationem in conscientia, neque prudenter posset habere intentionem imponendi novam obligationem in conscientia. Ergo ejusmodi leges tantum imponunt novam obligationem ad pœnam temporalem in hoc mundo, adeoque sunt tantum pœnales.

Dices. Potest quis circa objectum legis naturalis ac divinæ semetipsum in conscientia speciali obligatione religionis obli-

obligare per votum. Ergo etiam poterit a Legislatore humano circa tale objectum obligari speciali obligatione seu titulo obedientiæ.

Respondeo }. c. a. n. C. & p. Disparitas est, quia ejusmodi obligatio privata personalis per votum cedit ad majorem Dei gloriam, sicque est Deo accepta, quia, cum vovens possit facile suas ponderare vires, in tali voto, prudenter, ut supponitur, emisso, non augetur sed potius minuitur periculum plurium peccatorum. Econtra, si legislator humanus toti multitudini, per se proclivi ad transgressiones legum divinarum & naturalium, imponeret novam obligationem in conscientia, manifeste augeret periculum plurium inhonorationum divinarum, idque *sine necessitate & fructu*. Qui enim non absterretur a peccato per jussionem divinam *directam*, qualis datur per legem naturalem & divinam; nec absterrebitur ex additione jussionis divinæ *indirectæ*, quæ datur per legislatorem humanum, tanquam vicarium Dei.

Quæritur 3. An actio de se tantum venialiter peccaminosa aut solum indifferens possit esse materia legis humanæ graviter obligantis?

Respondeo. Actio de se indifferens vel tantum venialiter peccaminosa potest esse materia legis graviter obligantis, si motivum legis, seu bonum commune, petat gravem obligationem. Id patet ab exemplis. Sic in multis urbibus gravissime prohibetur gestatio armorum, v. g. gladii, quia ex generali licentia sequerentur multa homicidia. Sic etiam belli duces militibus in terris neutralibus sub pœna mortis interdicunt furta exigua. Sic nonnunquam Clericis sub excommunicatione prohibetur frequentatio hospitiorum, cum tamen excommunicatio non possit infligi, nisi pro priori præsupponatur transgressio legis obligantis sub peccato mortali. Attamen advertendum; a legislatore humano non facile statuendas esse ejusmodi obligationes ac pœnas graves in re levi, nisi post iteratas monitiones accesserit contemptusi nterpretativus, & iteratæ transgressiones bono communi inferant grave præjudicium, aut, si circumstantiæ non patiantur moram, & ex obligatione solum levi nullus speretur fructus ad avertenda gravia damna, prout fieri solet in castris.

Quæritur 4. An materia de se gravis possit esse materia obligationis levis?

Respondeo, Esse distinguendum. Si enim materia de se gravis petat præcipi vel prohiberi sub obligatione gravi, peccat legislator tantum imponendo obligationem levem v. g. pro homicidio, adulterio, blasphemia, proditione patriæ &c. solum determinando levem aliquam pœnam. Si autem materia, relate ad bonum commune jam præsupposita lege naturali aut divina graviter obligante, non petat prohiberi sub pœna gravi, aut aliunde obligatio gravis non exigatur a bono communi, poterit prohiberi solum leviter. Id patet in furto unius aurei, quod licet sit lege naturali ac divina graviter prohibitum, a lege tamen Canonica & civili potest prohiberi sub pœna levi.

Quæritur 5. An actus interni possint esse materia legis Ecclesiasticæ?

Respondeo 1. Distinguendum esse inter actus internos. Aliqui enim actus sunt *Mere interni*, qui nullum per se petunt concomitantem actum externum, v. g. actus internus fidei, spei, charitatis, dolor de peccatis, meditatio alicujus mysterii divini, examen conscientiæ nocturnum, amor parentum &c. Si ergo Ecclesia præciperet, ut homo quotidie eliciat actum internum fidei & spei, ut quolibet die festo eliciat actum internum amoris erga Deum, ut semel per hebdomadam impendat quadrantem horæ ruminationi internæ quatuor novissimorum, ut quotidie instituat saltem spatio unius Pater & Ave Examen conscientiæ nocturnum cum actu contritionis & propositi, ut sub Missa die festo eliciat actum dilectionis erga parentes, inimicos, & defunctos &c. Sic diceretur præcipere actum *mere internum*. Actus autem non mere internus, sed *actus internus cum externo per se connexus* est, qui vel jure naturali vel divino

vino vel ex contractu actui externo adnectitur. Sic jure divino actui externo confessionis sacramentalis adnectitur verus dolor internus & propositum. Communioni jure divino, immo jure naturali ex natura actus adnectitur interna reverens susceptio & puritas animi; orationi & cuivis actui religionis externo jure naturali & divino adnectitur devotio interna; econtra applicatio interna Missæ actui externo adnectitur ex contractu prius cum offerente eleemosynam vel cum suis superioribus inito; similiter Clerici ex tacito contractu cum Ecclesia in receptione sacrorum inito se obligant ad votum internum castitatis, ad devotam recitationem Breviarii, & ad serviendum Deo gratis, atque ad vitandam omnem Simoniam non solum in procuratione, sed etiam in receptione Beneficiorum Ecclesiasticorum, &c. His prænotatis.

Respondeo 2. Ecclesia non potest directe præcipere meos actus internos; potest autem internos actus præcipere indirecte.

Probatur responsio *quoad primam partem*, quia eousque se extendit potestas legislativa Ecclesiæ, quousque ea indulta fuit a Christo. Sed Ecclesiæ non fuit indulta potestas legislativa ad actus mere internos. Ergo. Min. prob. Ecclesia per sedecim sæcula numquam fuit usa hac potestate. Ergo non fuit indulta. ant. patebit ex solutione objectionum. Idem *confirmatur* ratione & authoritate D. Thomæ, qui 1. 2. q. 91. a. 4. C. sic scribit: *De his potest homo* (convenienter) *legem facere, de quibus potest judicare; judicium autem hominis* (in foro externo) *esse non potest de interioribus motibus, qui latent; sed solum de exterioribus actibus, qui apparent. Et ideo lex humana non potest cohibere & ordinare NB. sufficienter interiores actus.* Et 1. q. 100. a. 9. C. *Præceptum legis habet vim coactivam. Illud ergo directe cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit. Coactio autem est per metum pœnæ. Nam illud proprie cadit sub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur. Ad instituendam autem pœnam aliter se habet lex divina, & aliter lex humana. Non enim pœna legis infligitur, nisi pro illis, de quibus legislator habet judicare; quia ex judicio lex punit. Homo autem, qui est legislator legis humanæ, non habet judicare, nisi de exterioribus actibus. Secundum hoc igitur dicendum, quod modus virtutis respicitur quantum ad aliquid a lege divina, sed non a lege humana. Modus autem virtutis in tribus consistit. Primum est, si operetur aliquis sciens. Secundum est, ut operetur volens; in quo importatur motus interior voluntatis & intentionis. Et ista duo non dijudicat lex humana; sed solum divina. Lex enim humana non punit eum, qui vult occidere & non occidit. Punit autem lex divina* In his textibus videtur D. Thomas præcise ostendere, quod Ecclesiæ non fuisset convenienter indulta potestas legislativa in actus *mere internos*, abstrahendo, an absolute potuerit conferri, quod non negat.

Dices. Ecclesia jam sæpius præcepit actus mere internos. Ergo habet potestatem præcipiendi actus mere internos. *Ant. prob.* 1. Ecclesia præcipit sub peccato mortali, ne quis sit sub recitatione Breviarii per integram horam voluntarie distractus. 2. Idem fidelibus præcipit sub auditione sacri in die festo de præcepto; quamvis ipsa natura actus non faciat peccati mortalis reum, si quis recitet Breviarium vel audiat sacrum ex devotione, & nihilominus toto tempore sit voluntarie distractus. 3. Beneficiatis & Regularibus præcipit applicationem Missæ. Immo etiam Superiores Regularium solent præcipere applicationem Missæ ad suam intentionem. 4. In Statutis Religiosorum Ordinum solet præscribi quotidiana meditatio horaria vel semihoraria, & examen conscientiæ vespertinum. 5. Damnatæ sunt duæ sequentes propositiones: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Item *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Ergo interna dispositio animi tam in Sacramento Pœnitentiæ, quam Eucharistiæ cadit sub præcepto Ecclesiæ. 6. Prohibetur ab Ecclesia Simonia etiam

men-

mentalis & *confidentialis* circa beneficia, licet ista simonia non sit juris divini, sed tantum Ecclesiastici. Ergo actus internus simoniæ hujusmodi pertinet ad solam legem Ecclesiæ. Tenor Bullæ *Intolerabilis*, editæ a S. Pio V. 1569. 1. Junii, quæ non reperitur in Bullario edit. Luxenburg. refertur autem per extensum a P. Reiffenstuel. l. 5. Tit. 3. sic habet: *Si quis beneficium qualecunque ex resignatione cujuscunque personæ cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illud in eventum regressus vel accessus eidem dimittatur vel alteri postea conferatur, aut illius fructus vel eorum pars alii concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hoc confidentia censeatur. Si quis denuo receperit beneficium, quod dimiserit, in quo confidentiæ pravitas sit contracta, casus his litteris comprehendatur, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum*. 7. Potestas ligandi & solvendi Petro illis verbis a Christo concessa: *Quidquid ligaveris super per terram, erit ligatum & in cœlo* &c. est indefinita sine ulla limitatione ad solos actus externos. Ergo non est limitanda sine positiva ratione convincente, qualis non datur. 8. Potest Confessarius in pœnitentiam injungere meditationem, Examen conscientiæ vespertinum, actus trium virtutum theologicarum, oblationem dolorum, &c. Ergo idem potest Pontifex. *C. prob.* Lex *privata* non est perfectior aut potentior lege *publica*. 9. Potestas gubernativa Ecclesiæ Petro concessa est eo fine, ut fideles per idonea media perducantur ad æternam beatitudinem. Ergo necessarium erat saltem moraliter, ut Petro concederetur etiam potestas legislativa circa actus internos. *C. prob.* Fideles ad æternam beatitudinem non diriguntur per solos actus externos, sed potius per actus internos. 10. In parentibus & tutoribus datur potestas irritandi actus internos, nempe vota liberorum impuberum & pupillorum. Ergo etiam Papæ convenienter adscribitur potestas circa actus internos. *C. prob.* Voluntates fidelium non minus subordinantur Papæ per Christum, quam voluntates liberorum ac pupillorum parenti aut tutori. 11. In potestate legislativa non necessario concurrit simul cum potestate directiva potestas vindicativa. Ergo ratio ex D. Thoma adducta nil probat. *Ant. prob.* In Ecclesia potestas vindicativa sufficienter suppletur per metum inferni, & per sacramentales pœnitentias, & per reservationem casuum. 12. Potest ab Ecclesia reservari hæresis mere interna; atque pœnitenti potest imponi obligatio, se personaliter sistendi superiori, a quo pœnitens absolvi potest extra sacramentum, etiamsi superior, v. g. Episcopus vel Papa necdum esset Sacerdos. Ergo Ecclesia etiam potestate jurisdictionis potest ligare & solvere suos fideles, obligando Confessarios per subtractationem jurisdictionis, ut neminem absolvant recusantem parere decretis Ecclesiasticis circa actus internos. 13. Ecclesia solet edere excommunicationes incurrendas ipso facto circa delicta externa occulta, v. g. hæresis, bestialitatis, etiamsi physice sit impossibile, ea ullo teste aut indicio, etiam ad movendam solam suspicionem sufficiente probari posse. Ergo etiam circa actus mere internos similis potestas exerceri posset, quin requiratur facultas cognoscendi de crimine in foro externo. 14. Verosimile est, in primitiva Ecclesia, etiam actus mere internos. v. g. idololatriæ vel hæresis mentalis, fuisse subjectos publicæ pænitentiæ canonicæ. Ergo ejusmodi actus substant potestati legislativæ Ecclesiæ. 15. Ecclesia statuit impedimentum dirimens criminis ex conjugicidio conjuncto cum adulterio & intentione cum adultera matrimonium, etiamsi hæc intentio conjugicidæ non fuerit manifestata complici. Ergo hæc lex irritans respicit actum mere internum. 16. Quando Ecclesia prohibet ficta sponsalia vel confessionem fictam, non prohibet actum externum, sed tantum fictionem internam.

Respondeo n. a.

Ad 1. Dico, hanc obligationem gravem vitandi distractiones voluntarias sub recitatione Breviarii neque oriri ex *directo præcepto* Ecclesiæ obligante *directe* ad

ad devotionem internam, neque ex *natura actus*, cum per se non sit peccatum mortale distractio sub recitatione precum; sed *ex tacito contractu* Ecclesiæ cum Clericis in receptione sacrorum Ordinum inito. Sicut enim aliis contractibus humanis insunt conditiones tacitæ, v. g. de præstando consensu reciproco; ita etiam receptioni Sacrorum Ordinum ab Ecclesia apponitur generalis conditio, ultro emittendi votum castitatis, seu sacrandi corpus & animam castam Deo; seque obligandi obligatione gravi ad devote recitandas Horas Canonicas.

Ad 2. Dico; obligationem præstandi cultum religiosum Deo animo devoto, esse *quoad substantiam* juris naturalis, ac divini. Hinc quando Ecclesia determinat illius cultus religiosi tempora, gravis obligatio devote obeundi hunc cultum inest cultui *ex natura actus* temporibus ab Ecclesia determinandis jure naturali ac divino debiti.

Ad 3. Dico; Ecclesiam non præcipere eatenus obligationem novam, sed declarare obligationem tacitam cum fundatoribus ex contractu innominato, *do, ut facias*, initam. Aut si non est locus declarationi, prout contingit in Conventibus non clericalibus, vel non habentibus bona immobilia, dico; eam obligationem esse quoad substantiam juris naturalis titulo gratitudinis; ita ut Ecclesia solum determinet modum & tempus reddendæ gratitudinis. Superiores vero Regularium suos subditos possunt obligare *ex contractu* in professione inito, nempe concurrendi pro sustentatione & bono communitatis modis congruis statui, determinandis a Superiore. Immo hic *contractus tacitus* potest etiam admitti inter Papam & Clericos ac Regulares tacite initus in receptione sacrorum Ordinum & in confirmatione Ordinum Religiosorum.

Ad 4. Dico; eam obligationem oriri *ex tacito contractu* inter Religionem & religiosum in professione inito; quia religiosus se obligat ad recipienda a superioribus media perfectionis suæ vocationi congrua.

Ad 5. dico; propositum dolentis in pœnitentia, & puritatem animi in receptione Eucharistiæ requiri *ex natura actus*. Sicut ergo in aliis contractibus v. g. venditionis, sponsalium, matrimonii &c. contrahens obligando directe ad actus externos simul indirecte alterum obligat ad consensum internum reciprocum, ita etiam verum est, quod Ecclesia directe obligando ad actum externum confessionis sacramentalis & communionis simul indirecte obliget ad connexos actus internos jure divino exactos.

Ad 6. Dico; etiam in collatione aut permutatione beneficiorum, cum bona beneficialia sint oblata Deo ad usus pios, jure divino excludi animum mercenarium, prout ostensum est in *Tract. de Jure & Justitia*. Itaque Ecclesia directe prohibendo contractus beneficiales expresse mercenarios, recte etiam directe prohibet omnes actus externos, ex quibus sumi potest prudens præsumptio de animo interno mercenario, quod solum fit in Bulla Pii V. Neque enim ibi sermo est *de intentione simoniaca* nullis omnino externis indiciis, quæ prudentem præsumptionem tacitæ pactionis simoniacæ probent manifestata. Id patet ex ipsa Bulla, ubi Pontifex declarat, ipsam præstationem pensionum, aut reservationem regressus in foro externo habendam esse pro argumento animi simoniaci saltem præsumptive. Pontifex sic scribit: *Intelleximus, vitium quidem confidentiæ occulte repsisse, sed præsumptiones & conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui confidentias exercebant, propter difficultates probandi in judiciis confidentias, beneficia sic recepta retinere. Quare volentes audaciam novi juris subsidio cohibere, ad probandum plane confidentiarum abusum, inter alias præsumptiones & conjecturas etiam hæ habeantur legitimæ. Si quis post resignationem fructus perceperit, &c. Si recipiens beneficium dimittenti, parentibus, vel propinquis, de fructibus beneficii perceptis vel percipiendis donationem fecerit, &c.* Et his patet, Bullam versari circa actus externos, ex quibus præsumptive

ve arguitur animus mercenarius jure divino prohibitus.

Ad 7. Dico; propositiones indefinitas respicere solum ad eam universalitatem objectorum, quæ congruit sapientiæ loquentis. Christum autem non sapienter respecturum fuisse aut respicere voluisse ad actus mere internos, colligitur satis convincenter ex eo, quia illa potestate Ecclesia nunquam fuit usa.

Ad 8. Dico; id fieri posse ex contractu tacito, seu sponsione pœnitentis, & sub hac *conditione* nomine Dei absolventis.

Ad 9. Dico: opportunum quidem fore medium, fideles perducendi ad vitam æternam, si Ecclesia haberet potestatem directe obligandi ad actus mere internos, sed istud medium obnoxium foret multis abusibus, perplexitatibus, & querelis quarum periculo Christus noluit sine necessitate exponere Ecclesiam.

Ad 10. Dico; a parentibus & tutoribus non posse irritari vota mere interna, sed solum transeuntia in actum externum, in quantum præjudicant eorum liberæ gubernationi.

Ad 11. Dico; non quidem concurrere potestatem vindicativam cum directiva necessaria necessitate absoluta; concurrere tamen *necessitate congruentiæ*; quia ex sola potestate directiva sequi possent multi abusus, perplexitates, & quærelæ, quæ non impedirentur, sed potius augerentur per hoc, quod potestas vindicativa suppleretur per metum inferni, & pænitentias sacramentales, & reservationes casuum.

Ad 12. Dico; id fieri non posse a Superiores, qui non est Sacerdos. Quomodo enim peccatum mere internum reservaret suæ cognitioni, cum confessio sacramentalis petat esse secreta jure divino. Si autem Superior sit sacerdos, poterit peccatum mere internum suæ cognitioni reservare limitando jurisdictionem Confessario inferiori

Ad 13. Dico; disparitatem esse; quia licet circa talia delicta in uno vel alio individuo actu non possit habere locum potestas vindicativa, actus tamen ex suo genere sunt ita comparati, ut possint puniri in foro externo. Dein licet in actu individuo per accidens non concurrat potestas puniendi, actus tamen ex sua natura sunt adeo determinati, ut si feriantur tali lege in turba aliorum actuum sui similium occultorum quidem, sed qui absolute probari possent, nullum sit ex parte Ecclesiæ periculum de abusu potestatis, quale foret circa potestatem directe obligandi ad actus internos.

Ad 14. Dico; non esse verosimile. Quod si tamen ita factum esset, ea obligatio publicandi delictum non fuisset orta ex lege, sed ex privato judicio Confessarii, cui non repugnat esse imprudentem; ac consequenter *ex contractu*, non aliter nisi sub tali conditione impertiendi absolutionem.

Ad 15. Dico: in hoc casu impedimentum statui in actum externum homicidii & adulterii, ita ut intentio adulteri interna se tantum habeat per modum conditionis, qua posita lex constitutiva impedimenti transeat in absolutam seu completam.

Ad 16. Dico; neque prohiberi confessionem ac promissionem, neque fictionem, sed concretum; sicut, dum generatur totum physicum, v. g. ignis, planta, homo, &c. neque fit materia, neque forma, v. g. anima, sed totum, in quantum actio productiva disponit materiam ad formam; sicque pro suo termino habet ipsum totum. Sic etiam Deus neque prohibet solum materiale furti aut blasphemiæ, neque solum formale, sed totum concretum. Pari modo Ecclesia neque præcipit solum actum externum, neque solum actum internum, sed concretum ex utrisque, licet ejus actio legislativa directe solum terminetur ad actum externum ut relativum ad internum, sicut actio generativa hominis virtute sua non terminatur ad animam, quæ creatur, sed tantum ad corpus animatum anima rationali.

§. V.

De Subjecto Legum.

Quæritur 1. An Legislator humanus teneatur suis legibus?

Respondeo. Distinguendum esse inter leges triplicis generis. Aliquæ enim sunt tantum *explicatoriæ* legis naturalis, quæ, ut D. Thomas 1. 2. q. 94. a. 6. & a. 1. 2. 4. & q. 91. a. 3. & q. 95. a. 2. loquitur, se habent *per modum conclusionis* necessaria consequentia deductæ ex primis principiis legis naturalis. Cum autem ejusmodi leges positivæ simpliciter pertineant ad legem naturalem, haud dubie etiam legislator iisdem tenebitur. Aliæ leges sunt *Determinativæ* legis naturalis, quæ, ut D. Thomas l. c. loquitur, se habent ad legem naturalem per modum *determinationis* seu *specificationis*. Quid autem sit *specificatio*, vel *determinatio* legum naturalium, explicavi §. 2. quæst. 3. Cum ergo Legislator humanus quoad determinationem legum naturalium agat tamquam vicarius Dei, non poterit tanquam persona privata pro suo libitu ejusmodi determinationes jure stabili privato immutare. Sic Papa non posset pro suo libitu privatim Diem Dominicæ celebrare feria secunda vel tertia. Tertii generis leges sunt *adiaphoræ*, seu *indifferentes*, quæ tantum serviunt ad majorem uniformitatem actionum in subditis. De his Aristoteles dicit 5. Eth. *Justum legale est, quod principio nihil differt, utrum sic vel aliter fiat*. Sic per se nihil ad salutem animarum vel ad bonum commune refert, sive quis in Missa utatur veste alba, vel nigra. Circa hujusmodi leges *adiaphoras*, circa quas ad dispensandum facilis ratio sufficit etiam in subditis, legislator non tenetur suis legibus; quia non est præsumendus, circa talia objecta dependentia a liberrimo arbitrio suo voluisse ligare se ipsum, aut suos successores.

Quæritur 2. An Episcopus teneatur stare legibus Synodalibus, a suo Antecessore in Synodo editis?

Respondeo. Negative. Ita respondet SS. D. N. Benedictus XIV. *De Synodo* l. 8. C. 5. n. 2. his verbis: Quod dicimus, Synodales Constitutiones esse perpetuas, non est ita accipiendum, quasi nequeant ab eodem Episcopo, ejusve successore revocari. *Etenim perpetuæ dicuntur hoc tantum nomine, quod scilicet sint regulæ stabiles propositæ communitati, quæ moraliter eadem perseverat; atque insuper, quia spectata earundem natura durant post mortem legislatoris, nisi ab ipsomet, aut a successore abrogentur. Nequaquam vero perpetuæ dicuntur, quasi sint immutabiles; cum interdum novæ emergentes rerum circumstantiæ illas delendas, atque abrogandas suadeant, uti bene ratiocinatur Suarez*.

Quæritur 3. An peccet Legislator non observando suas leges?

Respondeo. Circa leges primi & secundi generis, si eas transgrediatur, & materia sit gravis, peccat graviter. Ratio est, quia leges primi generis *simpliciter* sunt juris naturalis vel divini, ex quo connexione necessaria per modum conclusionis deducuntur. Leges autem secundi generis sunt *quoad substantiam* juris naturalis vel divini, (§. 2. qq. 3.) Si autem leges sint tertii generis, solum peccabit, si ex ejus transgressione oriri facile possit scandalum. Si oriri possit scandalum grave, & nulla transgredientem excuset necessitas, peccabit graviter; si autem scandalum fuerit leve, & transgredientem nulla sufficiens causa excuset, peccatum ejus erit veniale. In praxi autem Superior transgrediendo suas leges raro excusabitur a transgressione suæ legis, nisi concurrat causa dispensationis sufficiens etiam pro privato. Raro enim concurrent circumstantiæ, in quibus tollatur omnis deordinatio rationis reperibilis in hoc, quod sit res pravi exempli, in observatione legum, præsertim si sint onerosæ, non præire exemplo. Convenientia enim naturalis omnibus inscripsit illam legem, quæ refertur C. *cum omnes*, de Constitut. *Patere legem, quam ipse tuleris. Nam jus, quod quisque in alterum statuit, ipse eodem uti debet*.

Quæ-

Quæritur 4. An Infideles obligentur legibus Ecclesiæ?

Respondeo. Distinguendum esse inter infideles laborantes ignorantia *vincibili* & *invincibili* mysteriorum & jurisdictionis nostræ Ecclesiæ. Infideles laborantes ignorantia invincibili non obligantur legibus Ecclesiæ neque in foro poli, seu interno, neque in foro fori, seu externo Ecclesiæ. Sed qui laborant ignorantia vincibili, obligantur in foro interno omnibus legibus Ecclesiæ *explicativis* aut *specificativis* juris naturalis vel divini, quamvis iis non adstringantur in foro externo. Legibus autem Ecclesiæ *adiaphoris*, quæ dependent a liberrimo Ecclesiæ arbitrio, aut quæ sunt tantum necessariæ ad melius esse Ecclesiæ, neque obligantur in foro interno, neque externo. *Ratio prioris* est, quia omnis ille, qui obligatur lege naturali aut divina indefinita, tenetur illa juxta explicationem aut determinationem illius, quam scit, vel scire tenetur & potest, habere potestatem explicandi aut determinandi legem, cui subjicitur. Ergo Gentilis vel Judæus laborans ignorantia vincibili nostræ Ecclesiæ saltem in foro interno obligatur ad omnes leges Ecclesiæ *explicativas* vel *specificativas* juris naturalis aut divini. *Ratio posterioris* est, quia licet infidelis laborans ignorantia vincibili nostræ religionis, in foro interno teneretur se submittere legibus veræ Ecclesiæ, si quas ad eos dirigeret; quia tamen Ecclesia de facto suas leges adiaphoras non vult dirigere ad infideles sine ullo discrimine, aut exceptione laborantium ignorantia vincibili, iisdem non ligantur: Hæc responsio est conformis doctrinæ *Innocentii III.* in C. gaudemus, *de divortiis*, ubi sic scribit: *Utrum pagani uxores accipientes in secundo vel tertio gradu sibi conjunctas, sic conjuncti post conversionem debeant separari, edoceri postulasti. Super quo taliter respondemus; quod cum Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat, & in præmissis gradibus a paganis quoad eos licite sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur; quid enim ad nos secundum Apostolum de his, qui foris sunt judicare? fideles hujusmodi possunt licite remanere conjunctim.* Ita Pontifex circa leges dependentes a solo arbitrio Ecclesiæ. Verum circa leges explicativas aut specificativas legis naturalis, qualis est lex Christi sublativa *libelli repudii*, & lex Ecclesiæ explicativa verborum Christi, in quantum ille libellus nequidem causa fornicationis permittitur, SS. D. N. *Benedictus XIV.* in Bulla *Apostolici ministerii*, edita 1747. sic scribit: *Ex verbis Christi per legitimam consequentiam inferunt Theologi, in præsentiarum non amplius licere Hebræis proprias uxores repudiare: neque per libellum repudii matrimonii vinculum amplius dissolvi. Quamobrem decernimus, ut Hebræus ad fidem conversus, si uxorem Hebræam habet, eam more solito interpellet, an etiam ipsa converti & cohabitare velit sine contumelia creatoris, &c.*

Quæritur 5. An ebrii teneantur legibus Ecclesiæ, Dei, vel naturæ?

Respondeo Ebriis omnes transgressiones legum, sive sint naturales, sive sint divinæ, sive Ecclesiasticæ, imputantur ad novum peccatum formale, si ejusmodi transgessiones fuerunt ipsis liberæ in causa, non, dum efficaciter retractata. Censentur autem esse liberæ in causa, quando potuerat & debuerat prævideri talium committendorum periculum. Ratio est, quia omnes actus de se materialiter peccaminosi, si sint liberi in sua causa necdum retractata, imputantur a Deo ad novum formale peccatum, in quantum effectus ejusmodi peccaminosi denominantur a libertate antecedente, tanquam a forma denominante extrinseca, sicque constituunt unum concretum morale novum, quod est objectum indignationis divinæ, prout in Tract. *de peccatis* Disp. 1. ostensum est

Dixi, *novum*, quia concreta tam physica quam moralia multiplicantur juxta multiplicationem materiæ, licet maneat eadem forma denominans, prout l. c. ostensum est.

Confirmatur ex D. Thoma, qui 2. 2. q. 79. a. 3. ad 3. sic scribit: " Si aliquis „ de sero se inebriaverit, & non potest „ sur-

„ surgere ad Matutinas, ut debet, di-
„ cunt quidam, quod tunc incipit pec-
„ catum omissionis; quando aliquis se
„ applicat ad actum illicitum & incon-
„ possibilem cum illo actu, ad quem
„ tenetur. Sed hoc non videtur verum;
„ quia dato, quod excitaretur per vio-
„ lentiam, & iret ad Matutinas, non
„ omitteret. Unde potest dici, quod
„ præcedens inebriatio non fuit omis-
„ sio sed omissionis causa. Unde di-
„ cendum est, quod omissio incipit ei
„ imputari ad culpam, quando fuit
„ tempus operandi, tamen propter cau-
„ sam præcedentem, ex qua omissio se-
„ quens redditur voluntaria." Ita Angelicus. Ex hoc autem sequitur, gravis peccati reos esse; qui ejusmodi ebriis præbent occasionem augendi sua peccata. v. g. per blasphemias, luxurias, lusus prohibitos, prava colloquia, lites, rixas, &c. aut qui in caupona apponendo ebriis novum potum inebriativum augent ebrietatem. Væ ejusmodi Cauponibus in judicio Dei! Quæ enim illis erit excusatio! Norunt fallere sobrios iniquis fraudibus, & nesciant pio dolo fallere ebrios?

Quæritur 6. An legibus Ecclesiæ obligentur amentes?

Respondeo. Si amentia sit tantum *respectiva* ad determinatum genus objectorum & actionum, ita ut relinquat adhuc usum rationis moralem circa ea, quæ sunt ad Deum; eo ipso hujus generis amentes obligantur legibus Ecclesiæ, Dei, & naturæ. Si vero amentia sit *universalis*, ita ut nec remaneat usus rationis circa res divinas, stante tali amentia non ligantur quidem in *actu secundo* ullis legibus, neque transgressiones legum ipsis imputantur, nisi ipsimet ejusmodi amentiæ suis peccatis causa fuerint. Hinc in praxi tria advertenda sunt. 1. Etiam amentes adstringendos esse ad observationem legum naturalium, divinarum, atque Ecclesiasticarum; cum homo scire nequeat utrum non in hunc amentiæ statum se amens culpabiliter conjecerit, vel utrum non habeat tenuem usum rationis moralem, ita ut sit adhuc capax peccati mortalis. 2. Gravissime peccare eos, qui ejusmodi amentes incitant ad actus luxuriosos, blasphemos, vel alias peccaminosos, tum quia sic amentes contrahunt pravos habitus, quos difficulter exuerent, si quando redirent ad mentem; tum quia sollicitans hoc modo ostendit, se habere complacentiam circa actus legi contrarios, quod non licet. Si enim Deus habuit complacentiam in jejunio brutorum & infantium, tamquam signo protestativo animi dolentis in Ninivitis, quanto magis habebit ex opposito displicentiam in actibus legi naturali vel divinæ contrariis ab amente perpetratis incitante vel connivente homine rationis compote, ac eoipso protestativis complacentiæ, quam incitantes vel conniventes demonstrant circa ejusmodi actus? 3. Etiam amentes ejusmodi adstringendos esse ad actus externos religionis; quia nescitur, an non ex usu externo actuum religionis aliquando facilius veniant in notitiam Dei, ac rerum divinarum mediante quodam tenui lumine rationis.

Quæritur 7. An & qualiter infantes obligentur legibus?

Respondeo. De infantibus ante usum moralem rationis eodem modo discurrendum est, ac de amentibus, quod nempe *in actu secundo* non obligentur legibus. Observandum tamen in praxi est iterum 1. quod gravissime peccent, qui eos incitant ad actus lascivos, blasphemos, &c. tum quia nescitur, an non circa ejusmodi actus jam in infantibus prævertat aliquod modicum lumen rationis moralis; tum quia sic natura jam per se depravata magis inclinatur in malos, contrahendo pravos habitus, difficulter mobiles, quando ad usum rationis plenum pervenerint. Sic vir quidam nobilis fassus est pravos suos & scandalosos habitus provenire magna parte ex eo, quod adhuc infans in Gynœceo educatus ab altero sexu ad lascivos actus incitatus sit. 2. Quod sic incitantes vel conniventes etiam ea de causa gravissime peccent, quia promovendo transgressiones materiales legum inclinant suum animum ad conformandum suum

suum affectum objectis prohibitis; imo circa talia objecta actu demonstrant suam complacentiam. Quod si jejunium infantium Ninivitarum, demonstrativum displicentiæ de peccatis in præcipientibus fuit objectum complacentiæ & commiserationis divinæ, prout in *Jona* propheta habetur, e contrario sequitur, ejusmodi transgressiones materiales legum causatas in infantibus esse objectum displicentiæ & indignationis divinæ relate ad incitantes vel conniventes. 3. Etiam peccare eos, qui sine causa rationabili, v. g. ad absumendas residuas carnes, vel ob paupertatem, quam approbat usus Ecclesiæ, infantibus apponunt carnes in diebus abstinentiæ. Deus justo suo judicio dæmoni tribuit majorem potestatem in tales infantes.

Quæritur 8. Quibus legibus Ecclesiæ teneantur impuberes?

Respondeo 1. Impuberes obligantur lege Confessionis & communionis annuæ, quam primum naturam Sacramenti pœnitentiæ, & Eucharistiæ, intelligunt.

Probatur ex C. *utriusque Sexus*, edito in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. ubi sine ullo discrimine ætatum dicitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum.* Cæterum, quandonam in dubio circa Sacramentum Eucharistiæ sufficiens discretio præsumi possit, differui in Tract. *de Eucharistia*.

Respondeo 2. In dubio, an pueri vel puellæ habeant sufficientem discretionem de Sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ, Sacramentum utrumque illis recte confertur. Ratio est, quia Sacramentum pœnitentiæ est Sacramentum lapsis ad salutem necessarium saltem in voto. Dein cum pueri facile possint incurrere peccatum mortale, difficulter autem justificari per solam contritionem perfectam, videtur intentioni Christi conformius, si ob salutem animarum plus attendatur ad securitatem salutis, quam ad aliquale periculum irreverentiæ irrogandæ sacramento, si forte ob indispositionem pœnitentis redderetur nullum; præsertim cum periculum hujus irreverentiæ præcaveri possit per absolutionem conditionatam. Quoad Sacramentum autem Eucharistiæ etiam probabilius est, quod non ponentibus obicem *per accidens* conferat primam gratiam, & quod conferat specialem protectionem adversus insidias dæmonum. Verum de hac re uberius scripsi in Tractatu de Eucharistia.

Respondeo 3. Pueri & puellæ etiam ante annos pubertatis tenentur statim post adeptum usum rationis ad abstinentiam a carnibus, & auditionem Missæ in diebus festis. Ratio est, quia in re dependente a sola voluntate ac intentione Ecclesiæ standum est sensui communi Doctorum & praxi seu consuetudini fidelium, qui fere omnes hanc obligationem vel supponunt, vel recognoscunt.

Respondeo 4. Pueri & puellæ ante annos pubertatis non adstringuntur Censuris Ecclesiasticis latis ab homine. Ita colligitur generaliter ex C. *pueris*, de delictis puerorum, ubi Gregorius IX. sic scribit: " Pueris grandiusculis peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis quatuordecim, cum pubescere cœperint; quod merito credere-mus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare, furta, mendacia, & perjuria non esse peccata? At his plena est puerilis ætas. Quamvis in eis non ita ut in majoribus punienda videantur. Et ibidem C. *referente* Alexander III. Referente nobis H. intelleximus, quod cum filius ejus decennis cum aliis pueris sagittaret, quidam nepos ejusdem H sagitta percussus interiit, quod idem filius ejus, cum inter alios luderet, fortuito casu dicitur peregisse; propter quod Abbas S. Remigii a præfato H secundum consuetudinem illius terræ

„ centum solidos instantius requirebat. „ Unde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis profectioris ætatis humanæ leges dicunt severius corrigendum, mandamus, quatenus si constiterit, filium prædicti H infra decimum quartum ætatis suæ annum eundem excessum commisisse, memoratum Abbatem compellas, ut ab eodem H prædictos centum solidos propter illam consuetudinem non exigat, nec ab ipso pro temporali pœna requirat. " Cum ergo Pontifex in tali homicidio nullam agnoscat causam censuræ, irregularitatis, vel excommunicationis, & censuræ sint pœnæ omnium gravissimæ, Doctores merito ejusmodi ætatem a censuris *latis ab homine* eximunt.

Respondeo 5. Pueri tamen doli capaces incurrunt censuras *a jure latas*. Ita Suarez & communior.

Probatur ex C. *super eo*. Et C. *pueris*. Et. C. *quamvis*. De Sent. Excommun. ubi non per modum exceptionis a regula generali, sed per modum legitimæ illationis seu consequentiæ ex regula generali dicitur: " Si Clerici infra pubertatis annos se ad invicem, „ aut unus alterum percusserit, non sunt „ ad Apostolicam Sedem mittendi, quia „ eos ætas excusat. " In quo textu supponitur incursa excommunicatio. Et Can. 60. " Pueris, qui in Canonem „ inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante sive post pubertatem postulent „ se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium imperti„ri. Cum propter defectum ætatis, in „ qua fuit commissus excessus, rigor sit „ mansuetudine temperandus. Ita Gregorius IX. Et Can. 58. Incidens in „ Canonem latæ sententiæ propter violentam manuum injectionem, non „ aliter quam per Sedem Apostolicam „ absolutionis potest beneficium obtinere, nisi puerili vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento „ Canonico retrahatur. Cæterum quibusdam prædictorum, videlicet qui „ temporali impedimento laborant, exceptis pueris, sub debito juramenti „ censuevit injungi, ut impedimento „ cessante ad Apostolicam Sedem accedant. " In his textibus, licet pueri specialiter excipiantur ab incurrenda reservatione, non tamen uspiam apparet indicium, quod excipiantur ab incurrendis aliis excommunicationibus generaliter latis, aut quod ab eorum generali immunitate excommunicationum excipiatur sola percussio Clerici. In praxi tamen pueri ante annos pubertatis ab incurrendis aliis excommunicationibus plerumque excusari possunt ob ignorantiam invincibilem; quia censuræ non incurruntur ab invincibiliter ignorantibus. Pueri autem vix ullam excommunicationum habent notitiam, nisi quæ incurritur ob percussionem Clerici.

Quæritur 9. An viatores teneantur particularibus legibus locorum, in quibus transeunt?

Respondeo. Viatores non tenentur *per se* legibus *directivis* locorum particularium in quibus transeunt: tenentur tamen legibus illorum locorum *pænalibus*, quæ indefinite pro omnibus, etiam viatoribus, ex mente legislatoris scriptæ sunt.

Dixi 1. *Per se*, hoc est, nisi ex tali transgressione apud loci incolas oriretur scandalum.

Dixi 2. Legibus *directivis*, quæ nullam habent adjectam pœnam, quales leges sunt de observatione festi particularis v. g. dedicationis Ecclesiæ, vel Patroni localis; vel de instituenda solenni comprecatione, &c.

Dixi 3. *Legibus pænalibus indefinite latis*. Utrum enim Legislator loci particularis voluerit sua lege pœnali comprehendere etiam extraneos, præsertim viatores, ex usu, aut ex natura subjectæ materiæ, aut ex aliis circumstantiis, ac præsertim ex fine legis ad bonum commune necessario, nec aliter facile obtinibili, nisi comprehendantur etiam viatores, desumi debet.

Dixi 4. *Viatores*. Viatores autem recte dicuntur, qui *eo animo locum ingrediuntur, ut intra paucos dies prima opportunitate iter suum ad destinatum ter-*

mi-

minum prosequantur. Responsio sic explicata

Probatur 1. Legislatores locorum particularium non intendunt suis legibus ligare viatores transeuntes, nisi ubi necessitas boni publici postulat, metu legum pœnalium coercere etiam viatores transeuntes. Ergo per se non obligantur in conscientia legibus directivis locorum particularium: *ant. prob.* Illud Legislatores locorum particularium in re præcise dependente a suo arbitrio non intendunt, quod eos non intendere censent authores plerique, numero & authoritate potiores. Sed id fit in præsenti. Ergo; min. prob. Ita teste Layman censent 1. *Glossa* in c. illa dist. 12. v. *veneris*, ubi concordatura textus in hac re discordantes ait: *Refert, an viatores sint moraturi, vel cito recessuri*. 2. *Paludanus*. 3. *S. Antoninus*. 4. *Sylvester*. 5. *Rosella*. 6. *Bartolus*. 7. *Medina*. 8. *Angles*. 9. *Azor*. 10. *Sanchez* uterque 11. *Conink*. 12. *Sayrus*. 13. *Avila*. 14. *teste Palao* hic §. 2. n. 12. *Emanuel Sa*, *Lessius*, *Navarrus*, *Lopez*. His accedunt *Salmanticenses* in Theol. Mor. a quibus pro hac sententia etiam adducuntur *Toletus*, *Bonacina*, *Granadus*, *Vega*. Addi possunt *Viva* & plures alii. *Probatur* 2. Si viatores ligarentur legibus locorum particularium, etiam sortirentur forum in omnibus locis, in quibus transeunt, ita ut ubique possent judicari. Sed hoc est absurdum. Ergo; min. prob. ex sensu etiam gentilium, qui judicarunt, hoc esse absurdum. Nam l. 19. *hæres absens* ff. l. 5. tit. 2. dicitur. *Eum, qui a mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem scit confestim inde profecturum, oportet domicilium sequi ejus* (si velit eum super contractu celebrato convenire.) *Nam ubi sic venit, ut confestim discedat, quasi a viatore emptis, vel ab eo, qui prætervehebatur, emit, durissimum est quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendi. At si quo loco consistit, tabernulam, pergulam, horreum, armarium, officinam conduxit, ibique distraxit, egit, defendere se eo loci debebit*. Ex hoc textu patet, quod etiam gentiles judicaverint esse inconveniens, viatorem ad tot tribunalia trahi posse.

Probatur 3. Sacri Canones prohibent, ab Episcopo excommunicari alterius Episcopi subditum, aut suis legibus subjici. Ergo cum viator nec fiat subditus Episcopo locali ratione domicilii, vel quasi domicilii, nec ratione delicti, nisi peccet in leges naturales, divinas, vel communes Ecclesiasticas, nec ratione contractus, vel rei sitæ, non poterit subjici legibus, nisi pœnalibus circa ea, quæ præjudicant bono communi. Eodem modo discurrendum est circa Legislatorem locorum particularium civilem. *ant. prob.* ex c. *a nobis* 21. De Sent. Excommun. ubi Clemens III. sic scribit: *A nobis fuit ex parte tua quæsitum, utrum si quis ita pronuntiaverit, quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit, hæc generalis clausula ad ipsius Excommunicatoris subditos referatur; an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius? Ad quod dicimus; quod hac sententia non nisi subditi obligantur, nisi forte plus contulerit major & largior authoritas delegantis*. Hic textus non videtur referri posse, nisi ad viatores vel peregrinos. De aliis enim extraneis existentibus extra Diœcesin ne quidem poterat moveri prudens dubium.

Quæritur 10. An saltem peregrini teneantur legibus locorum particularium? Et quinam vocentur proprie peregrini?

Respondeo 1. Peregrini proprie vocantur illi, qui habent quidem alicubi domicilium vel quasi domicilium, ad quod redire intendunt, interea tamen in alio loco notabili tempore morantur negotii causa absque subjectione personali ad jurisdictionem Præsidentis localis.

Dixi 1. *Habent domicilium vel quasi domicilium*. Quasi domicilium communiter dicitur contrahi ab eo, qui habet animum commorandi in loco per majorem anni partem. Verum hæc descriptio *quasi domicilii* non sufficit. Dantur enim aliqui qui contrahunt quasi domicilium, etsi non habeant animum commorandi in loco per majorem anni par-

partem. Tales sunt ancillæ & famuli, qui, ut in urbibus fieri solet, solum conducuntur ad trimestre, vel quadrimestre, & studiosi Juristæ in Universitatibus; hi enim eoipso, quod personali subjectione se subjiciant ad jurisdictionem Judicis localis, vel Rectorum Universitatis, sortiuntur quasi domicilium. Econtra, qui nullam personalem subjectionem debent Magistratui loci, v. g. mercatores hyemantes in locis exteris, peregrinantes juvenes nobiles vel artifices in nationes exteras sciendi causa, negotiorum gestores in Curiis, turmæ militares destitutæ suo Curione missæ in stationes varias &c. aliquando habent animum manendi & actu manent per majorem anni partem, quin tamen propterea possint dici contrahere quasi domicilium, quamdiu habent animum, finito negotio redeundi ad suum domicilium vel quasi domicilium. Neque enim ejusmodi homines recte conjungerentur matrimonio a Parocho loci; neque etiam in plerisque urbibus a parochis loci adstringuntur ad communionem Paschalem sumendam in Parochia sua, in qua habent hospitium. Hinc *quasi domicilium* rectius describitur quod sit *Habitatio in loco per notabilem anni partem cum subjectione personali ad jurisdictionem Magistratus localis*.

Respondeo 2. Peregrini *per se* non tenentur legibus directivis locorum particularium.

Probatur 1. In materia præcise dependente ab arbitrio legislatoris humani standum est sensu Doctorum potiorum authoritate & numero. Sed utrumque concurrit in præsenti. Ergo; min. *quoad* 1. *m.* non potest esse dubium. Ut enim peregrini teneantur legibus directivis locorum particularium, neque petit lex naturalis, neque divina, nec bonum Reipublicæ aut Ecclesiæ necessarium. Ergo ea obligatio præcise dependet ab arbitrio legislatoris humani. *Quoad* 2. *m.* probatur partim ex inductione, partim ex testimonio Authorum. Nam de antiquis Doctoribus propria confessione id testatur *Suarezius*, ut ut adversæ sententiæ addictissimus, dum in Tom. I. de Relig. l. 2. c. 14. n. 2. sic scribit: " Prima sententia esse „ potest, absolute negans, advenas obli- „ gari legibus loci, in quo morantur „ nisi perpetuo habitaturi illuc acce- „ dunt. Ita sentit *Glossa* in c. *quæ* „ *contra* d. 8. & in c. *illa* d. 12. v. „ *veneris*. Nam licet dicat, referre, an „ sint moraturi, vel cito recessuri, ta- „ men se remittit ad dicta in priori „ Glossa, & ita in eodem sensu vide- „ tur intelligere distinctionem, ut soli „ illi dicantur moraturi, qui ibi per- „ petuo mansuri accedant. Et ita pla- „ ne sentit *Archidiaconus* dicto c. *illa*, „ referens *Hostiensem*; *Paludanus* in 4. dist. 15. *Ledesma*, *Quarti*, *Sylvester*, *Rosella*, *Medina*, *Turrecremata*". Juxta hos Doctores Suarez putat, ad incurrendam obligationem legum particularium locorum requiri habitationem perpetuam. An vere omnes hi Doctores requirant *habitationem perpetuam*, nolim discutere, illud tamen ipsa confessione Suarezii evincitur, eos stare eatenus pro nostra sententia, quod peregrini solum notabili tempore morantes in loco, quin contrahant quasi domicilium, non ligentur legibus directivis locorum particularium. Idem communis sensus Doctorum veterum probatur testimonio eruditi *P. Azorii* S. J. qui l. 5. Institutionum Moralium c. 11. q. 3. sic scribit: Quæritur, an ii, qui „ non sunt legislatoris potestati subje- „ cti, ejus legibus vel statutis tenean- „ tur? Quod est quærere, an externi, „ hoc est, advenæ, & peregrini statu- „ tis vel legibus alligentur, quibus strin- „ guntur incolæ & subditi cives? Hanc „ quæstionem disputant Civilis Juris In- „ terpretes in l. cunctos populos. C. de „ Summa Trinitate, *Cynus*, *Dy-* „ *nus*, & *Bartolus*, *Salicetus*, Pon- „ tificii juris Doctores in C. a nobis. „ De Sent. Excom. *Innocentius*, *Ho-* „ *stiensis*, *Joannes Andreas*, *Anchara-* „ *nus*, *Ant. Butrius*, *Abbas*, & *Feli-* „ *nus*. Item *Sylvester* v. Excommun. „ 2. n. 5. 6. 7. 8. *Angelus* Excomm. „ 1. q. 10. Communis omnium est sen- „ tentia, eos legibus vel Statutis mini-

„ me

„ me teneri, ea ratione, quod Legiſ-„ lator jus & poteſtatem in externos „ non habet." Ita Azor. Plures alios Doctores pro hac ſententia, quam & ipſe ſequitur, recenſet *P. Layman* Theol. Mor. l. 1. Tract. 4. c. 12. n. 4. his verbis. " Advenæ & peregrini dum in „ aliena terra non inhabitandi, ſed tan-„ tum hoſpitandi cauſa adſunt, non „ obligantur legibus & conſuetudinibus „ ejus loci propriis ac ſpecialibus. v.g. „ Peregrinus veniens Auguſtam die S. „ Udalrici, qui eo loco feſtus eſt, non „ tenetur, per ſe loquendo, & ſcanda-„ lo ceſſante, Miſſam audire, & a ſer-„ vilibus operibus abſtinere, licet to-„ tum diem ibi manſurus ſit. Hæc aſ-„ ſertio eſt ad mentem *Gloſſæ* in C. „ illa d. 12. *Paludani*, *Antonini*, *Syl*-„ *veſtri*, *Roſellæ*, *Bartoli*, *Medinæ*, „ *Angles*, *Azor*, *Sanchez*, *Conink*, *Say*-„ *ri*, *Avilæ*. " Ita Layman. *Author Theologiæ Mor. Salmant.* Tract. 11. c. 3. punct. 5. §. 1. pro hac ſententia, quam & ipſe ſequitur, pariter recenſet *utrumque Sanchez*, *Dianam*, *Granadum*, *Bonacinam*, *Vegam*, *Toletum*. Hos inter authores ſpecifice adduci merentur textus Paludani, S. Antonini, & Toleti. *Paludanus* in 4. diſt. 15. q. 4. art. 3. ſic ſcribit: *Si conſuetum eſt in aliqua diæceſi, quod jejunetur certo die; illi de Diæceſi tenentur jejunare; ſicut & tenerentur, ſi Epiſcopus indiceret. Alienigenæ vero, ſi veniunt animo habitandi, ex tunc obligantur jejunio conſuetudinario, ſicut & ſcripto. Si autem tranſeunt ſolum per terram; non ligantur conſuetudinibus nec ſtatutis. Tamen tenentur non ſcandalizare. Unde occulte comedere poſſunt ſecundum morem terræ ſuæ; ſed non publice. Excuſantur etiam a jejunio indigenæ provinciæ vel Diæceſis, ubi non jejunatur etiam a viris morigeratis in vigiliis Jacobi, Bartholomæi, &c. Item excuſantur alienigenæ, quamvis in terra eorum jejunetur, ex quo venerunt animo remanendi. Qui autem tranſitum facit per terram, ſicut non obligatur ad jejunia illius terræ; ſic non liberatur n jejuniis terræ ſuæ.* Hæc omnia de verbo ad verbum ſua facit S. Antoninus part. 2. Tit. 6. l. 2. §. 2.; ubi notandum eſt; quod Paludanus & S. Antoninus hos duos terminos: *animo habitandi*, & *animo remanendi*, ſumant pro Synonimis, eoſque ambos æqualiter opponant ad celerem tranſitum; ex quo ſequitur, quod hi duo eximii authores ſolos eos adſtringant ad leges locorum particularium, qui habent *animum remanendi* in tali loco. *Toletus* l. 6. c. 5. in fine. *Dubium occurrit, an quando aliquis pervenit ad locum, in quo jejunant tali die, in quo non jejunatur in loco, a quo profectus eſt, an teneatur jejunare & abſtinere a cibis prohibitis. Reſpondet Sylveſter V. Jejun. cum diſtinctione. Cum enim illuc pervenit commorandi cauſa, tenetur obſervare tale præceptum. Cum vero non* (cauſa commorandi) *ſed animo remeandi, vel ulterius tranſeundi, non tenetur, ſi citra ſcandalum id poteſt facere.* Ita Toletus explicans mentem Sylveſtri.

Probatur 2. Illa obligatio non eſt aſſerenda, quam nec ipſi SS. Patres auſi ſunt aſſerere. Sed hanc obligationem, de qua agitur, nec ipſi SS. Patres auſi ſunt aſſerere. Ergo; min. prob. SS. Patres, quando agebatur de obligatione peregrinorum, nullam aliam agnoverunt obligationem, niſi prudentiæ, ne proximo præbeatur anſa querelarum vel ſcandali; neque prætenderunt legem, obligantem per ſe, ſed monſtrarunt exemplum virorum probatiſſimorum, quod pertinet ad Conſilium. Ergo; *ant. prob.* ab inſigni teſtimonio S. Auguſtini, qui in Epiſt. 118. ad Januar. ſic ſcribit: „ Primo tenere te volo, Chriſtum leni „ jugo ſuo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ le-„ vi. Unde Sacramentis numero pauciſ-„ ſimis, obſervetione facillimis ſocie-„ tatem novi populi colligavit. Illa, „ quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodi-„ mus, quæ quidem toto terrarum or-„ be obſervantur, dantur intelligi vel „ ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Con-„ ciliis, commendata atque ſtatuta reti-„ neri. Alia vero, quæ per loca terra-„ rum regioneſque variantur, ſicuti eſt, „ quod alii jejunant Sabbato, alii non; „ totum hoc genus rerum liberas habet „ obſervationes, nec diſciplina ulla eſt

„ in

„ in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo „ agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque forte devenerit. Quod enim „ neque contra fidem, neque contra „ bonos mores injungitur, differenter est habendum, & pro eorum, „ inter quos vivitur, societate servandum est. Credo, te ex me aliquando audisse, sed etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me „ consecuta invenit Ecclesiam Sabbato „ non jejunantem. Cœperat perturbari „ & fluctuare, quid ageret. Cum ego „ talia non curabam; sed propter ipsam „ consului de hac re Beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit; se nihil docere me posse, nisi „ quod ipse faceret; quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque „ ego putassem, nulla reddita ratione „ authoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunaremus; „ subsecutus est, & ait mihi: Cum „ Romam venio, jejuno Sabbato; cum „ hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, „ ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus „ morem serva, si cuiquam non vis „ esse scandalo, nec quemquam tibi. „ Hoc cum matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego vero de hac „ sententia etiam atque etiam cogitans „ ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpe dolens & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ „ neque Scripturæ sanctæ authoritate, „ neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate „ ad certum possunt terminum pervenire; tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia „ in sua patria sic ipse consuevit, aut „ quia ibi vidit, ubi peregrinationem „ suam quo remotiorem a suis, eo doctiorem factam putat, tam litigiosas „ excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi „ faciunt, nihil rectum existiment. Sit „ aliquis peregrinus in eo forte loco, „ ubi perseverantes in observatione quadragesimæ nec quinta Sabbati (hoc „ est, nec die Jovis) levant, relaxantque jejunium. Non, inquit, jejunabo. Quæritur causa. Quia non fit, „ inquit, in patria mea. Quid aliud „ ille, nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur? „ Non enim de Libro Dei hæc recitaturus est, aut universæ, quacunque „ dilatatur, Ecclesiæ plena voce certabit; aut ostendet, istum contra fidem „ facere; se autem secundum fidem, „ moresque hinc optimos aut illum violare, aut se custodire convincet. Violat sane quietem & pacem suam de „ superflua quæstione rixando. Mallem „ tamen in rebus hujusmodi, ut & „ ille in hujus, & hic in illius patria „ ab eo, quod cæteri faciunt, non abhorreret. Faciat ergo quisque, quod „ in ea Ecclesia, in quam venit, „ invenerit." Hæc omnia ostendunt non dari legem, obligantem *per se*; sed tantum *per accidens*, se conformandi legibus locorum particularium. Si enim daretur obligatio *per se*, cur S. Ambrosius responderet; *se nihil docere posse?* cur solum remitteret interrogantem ad suam observantiam? cur suæ observantiæ nullum aliud afferret motivum, nisi periculum scandali? cur S. Augustinus hoc scandali periculum explicaturus & probaturus rationem scandali non ponit generalem, quod oriretur in populo ex transgressione legis scriptæ etiam pro peregrinis, sed tantum periculum contentionum? cur non dicit; quod peregrinus teneatur se conformare jejunantibus quinta feria in quadragesima? cur culpat solam contentionem? cur solum dicit; *se malle* eam conformationem? ubi enim de observatione & transgressione alicujus legis agitur, D. Augustinus non utitur hoc termino, *mallem*, sed terminis urgentissimis. Sic in eadem Epistola, ubi de Statutis vel consuetudine universalis Ecclesiæ agitur, c. 5. ait. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.*

Di-

Dices. S. Augustinus in præfato textu expresse docet, *gravis prudentisque Christiani esse* se conformare moribus ac legibus locorum particularium. Ergo oppositum non licet, quia nunquam licet agere contra gravitatem & prudentiam Christianam. 2. Datur periculum generale scandalizandi indigenas loci, si peregrinus longo tempore in urbe causa negotiorum commorans non audiat Sacrum, nec jejunet, nec abstineat a labore servili in diebus ibi præceptis. 3. Juxta *S. Augustinum* & juxta superius in §. 2. & §. 3. dicta, ubicunque datur evidenter ratio melioris, datur lex æterna, imo lex positiva generalis, atqui in præsenti quæstione datur evidenter ratio melioris pro conformitate ad leges indigenarum. Ergo; maj. prob. ex Regula, quam S. Augustinus in Epist. 119. c. 18. tradit Januario his verbis: *Miror, quid ita volueris, ut de iis, quæ varie per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem, cum & non sit necessarium, & una in his saluberrima regula retinenda sit, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquarum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est.* 4. Est proverbium, quod Glossa in c. illa, dist. 12. adducit: Si fueris Romæ, Romano vivito more. Si fueris alibi; vivito sicut ibi. 5. Jure gentium, & usu Ecclesiæ introductum est, ut pro bono communi vel Reipublicæ, vel Episcopatuum conservando etiam peregrini legibus constringi, & transgressores puniri possint. 6. Est de natura legum localium, ut omnes existentes in loco afficiant. Ergo etiam afficiunt peregrinos. 7. Æquitas poscit, ut peregrini, dum eximuntur legibus localibus sui territorii, & gaudent privilegiis localibus territorii, in quo existunt, hujus vicissim subeant leges & onera; juxta Reg. 55. in 6. *Qui sentit commodum, sentire debet & onus*. 8. Certum est, peregrinos subjici variis legibus locorum particularium, in quibus morantur. Ergo cum sit eadem ratio aliarum legum, subjiciuntur etiam religionis legibus. *ant. prob.* Sic enim peregrinus servare sequentes leges tenetur: Ne quis noctu arma ferat, ne triticum evehat, ut in contractibus præscriptas consuetudines & formam servet. 9. Si peregrinus transgrediatur leges naturales aut divinas, puniri potest a Domino vel Episcopo loci. Ergo etiam puniri potest, si transgrediatur leges territorii. 10. Dominus vel Episcopus loci absolute potest peregrinos stringere suis legibus. Ergo præsumendum est, quod ita velit, quia id exigit bonum commune. 11. Lex generalis Ecclesiæ, dum in C. f. *de feriis*, præcipit servari omnia festa ab Episcopo præscripta, & C. 2. de observat. jejun. omnia jejunia ab Episcopo præscripta, non distinguit inter peregrinos, & indigenas. Ergo saltem dicendum, quod Ecclesia universalis obliget ad hæc duo genera legum localium. 12. Authores communiter docent, quod leges communes, utrique territorio, nempe illi, a quo exitur, & illi, in quod transitur, sint observandæ a peregrinis. Ergo non est ratio, cur non detur obligatio circa cæteras leges. 13. In C. *quæ contra* dist. 8. ex D. Augustino l. 2. Confess. c. 8. dicitur: *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate sunt vitanda, ut pactum inter se gentis, aut civitatis consuetudine vel lege firmatum nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis est enim omnis pars universo suo non conveniens.*

Respondeo.

Ad 1. c. a. d. C. Ergo hoc non licet *per se*, vi legis territorialis, n. per accidens vi legum prudentiæ & honestatis, *subdist*. sub reatu peccati venialis, si nulla interveniat causa rationabilis excusans a conformatione ad legem localem, c. sub peccato mortali, aut, si rationabilis causa excuset a conformatione, sub peccato veniali, n. Si daretur obli-

obligatio per se ad legem localem v. g. jejunii, audiendi sacri, abstinendi a labore servili, &c. Peregrinus transgrediendo hanc legem peccaret mortaliter; aut saltem deberet habere causam gravem, quæ illum posset excusare a lege jejunii vel sacri. At vero, si ad sui conformationem cum indigenis solum ex honestate, vel prudentia obligatur, sufficit levis ratio, quæ illum excusat; & si etiam agat contra prudentiam aut gravitatem Christianam, quam etiam in omnibus suis actionibus aliunde observare tenetur, peccabit solum venialiter. Magnum proin discrimen est inter obligationem *per se* fundatam directe in lege locali; & inter obligationem *per accidens*, fundatam præcise in honestate morali, admittente facilem exceptionem ob ipsas leges reciprocæ honestatis.

Ad 2. d. datur periculum scandali levis, nisi appareat honesta ratio peregrinum excusans, c. scandali gravis, n. Cum enim homines scire possint & debeant, peregrinum non teneri legibus localibus loci, non poterunt sumere prudens scandalum grave, nisi in eo ex neglectu continuo accedentibus aliis circumstantiis observarent contemptum interpretativum legum localium. Immo, cum *gravis & prudentis* Christiani sit, interpretari benigne aliorum actiones, indigenarum erit, ut præsumant, adfore peregrino rationem honestam excusantem a convenientia se conformandi.

Ad 3. d. lex æterna, ubi datur ratio melioris melioritate non solum rei sed etiam legis, c. solum melioritate rei n. In præsenti melior quidem foret conformatio peregrinorum ad leges locales, sed non foret melior lex obligans peregrinos ad illam conformationem. Nam ejusmodi lex foret obnoxia innumeris difficultatibus. Aliquæ enim leges, quæ indigenis ab infantia assuetis faciles sunt, v. g. abstinentia a lacticiniis, immo apud Græcos etiam a piscibus, vel a vino, exteris sunt valde difficiles; dein circa punitionem exterorum orirentur innumeræ deordinationes per citationes, excusationes, impensas, linguæ exteræ imperitiam, retardationes peregrini, negotiorum alibi gerendorum quoad præfixum terminum incertum tempus, calumniatorum & delatorum iniquitas facilis, & defensionis difficultas. Hinc credo, quod intra centum annos aut nulla aut pauca reperiantur exempla, quod peregrinus fuerit a judice vel ab Episcopo loci vocatus in jus, nisi violaverit vel leges naturalem, vel divinam, vel concernentem directe bonum publicum, vel legem *realem*, hoc est, concernentem bona temporalia. Ob leges enim alias pure *directivas* in foro interno Episcopi non solent convenire peregrinos, si absit scandalum.

Ad 4. d. dicitur hoc, innuendo obligationem honestatis, a qua ratio honesta facile excusat, c. innuendo obligationem fundatam in lege, n. sensus patet ex dictis.

A 5. d. Est introductum, ut peregrinos legibus & pœnis constringere possint, ubi ob naturam subjectæ materiæ id exigit bonum commune c. ubi id bonum commune non exigit, n. Immo Jus gentium potius exigit, ut peregrini non subjiciantur legibus municipalibus universis, sed tantum iis, quæ necessariæ sunt ad conservandum bonum commune illius territorii.

Ad 6. d. est de earum natura, ut omnes afficiant capaces ejusmodi legum conformiter ad leges prudentiæ legislativæ, c. non sic capaces, n. peregrini nou sunt subjectum capax, in quod respiciat vel operetur prudentia legislativa in omni genere legum.

Ad 7. d. Id poscit æquitas cæteris paribus, c. cæteris non paribus. n. Si enim peregrini subjicerentur universim omnibus legibus directivis locorum particularium, sequerentur innumeræ inconvenientiæ, prout ostensum est. Itaque non fieret nuda compensatio commodorum & incommodorum, sed fieret aggravatio peregrinorum maxima.

Ad 8. Dico: has omnes leges esse vel *reales*, vel *connexas* cum bono publico loci, vel, quod jure naturali nulli licet violare.

Ad 9 c. a. n. C. & p. disparitas est, quia, cum per transgressionem legum na-

naturalium & divinarum offendatur earum immediatus auctor obligans omnes Judices territoriales quoad punitionem talium criminum, non puniunt nomine proprio sed nomine Dei, cujus sunt constituti Ministri in vindictam malefactorum.

Ad 10. d. potest illos stringere, ubi illud exigit bonum commune, aut imperium authoritatis superioris c. ubi id non exigunt n. Est enim contra jus gentium, vexare aut ligare vel onerare peregrinos sine necessitate.

Ad 11. d. non distinguit explicite; c. implicite. n. Nam in c. f. de feriis dicitur: *Debet judicialis strepitus conquiescere in solemnitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo* (haud dubie, suo) *duxerint solemniter venerandas.* In c. 2. de observ. Jejun. præter sequentia nihil aliud dicitur: *Super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observari.* Cum ergo tempore Innocentii III. qui ista ad Archiepiscopum Bracharensem scribit, Canonistæ peregrinos a legibus locorum particularium absolverint, haud dubie tunc temporis non erat consuetudo, obligandi peregrinos ad eas leges; ac consequenter sola consuetudo obligandi indigenas urgeri potuit & debuit.

Ad 12. c. a. n. C. Ratio enim est; quia omnes leges, quæ vocantur *locales*, sunt primario ac principaliter *personales*. Leges enim directe feruntur in personas actualiter vel habitualiter subditas in territorio subjecto suæ jurisdictioni. Hinc dependet a liberrimo arbitrio legislatoris an, & ad quos actus, personas sibi subditas velit obligare etiam peregrinantes in terras exteras. Sic possunt obligari ad portandum certum genus vestium, ad rescribendum, ad redeundum, ad solennitates particulares testamentorum, &c. &c. Cum ergo Episcopi prudenter obligare possint ad servandas leges communes, etiam sic obligare suos Diœcesanos præsumendi sunt, mentem eorum sic interpretante sensu communi fidelium & Doctorum.

Ad 13. d. Docet S. Augustinus, ut non violetur a peregrino pactum inter civitates vel gentes reciprocum, c. pactum non reciprocum; *subdist.* petulanter operando in contemptum legis municipalis; c. operando ex causa rationabili præter legem, idque sine ullo præjudicio boni communis vel scandalo; n. D. Augustinus loquitur ibi de pacto tacito vel expresso diversarum gentium vel Diœcesium inter se. Hinc

Quæritur 11. Ad quas leges locorum particularium teneantur etiam peregrini?

Respondeo. Peregrini obligantur ad leges locorum particularium 1. statim eo momento, quo incipiunt contrahere domicilium vel quasi domicilium in loco. Eo enim momento desinunt esse peregrini, & incipiunt fieri indigenæ. 2. Obligantur ad servandas præscriptas leges contractuum, & solemnitates in loco requisitas. Ad has enim leges se obligant pacto tacito jure gentium. Hujus indicium est, quia in Jure Civili, ubi maxime attenditur æquitas naturalis & jus gentium, constanter definitur, peregrinos sortiri forum ratione contractus in loco contractus; v. g. l. *quod si nolit.* ff. de ædil. & l. *si hæres absens* ff. de judic. Idem approbatur a Jure Canonico c. *dilecti*, & c. fin. de foro compet. Excipitur tamen ab hac regula casus, in quo executio contractus ex voluntate contrahentium vel ex natura contractus, prout fit in constitutione dotis, in alium locum destinata est. 3. Obligantur ad leges communes territorio, a quo discessit, & illi, ad quod venit, prout in præcedente Responsione ad objectiones, *ad* 12. ostensum est. 4. Obligantur ad eas leges, quarum exacta observatio ob exigentiam boni communis specialiter sub gravissimis pœnis solet exigi etiam a peregrinis, v. g. ne certum genus mercium, victualium, aut pecuniarum evehatur ex territorio. Ratio est, quia omnes jure naturali prohibentur inferre grave damnum, vel præjudicium non solum personis particularibus, sed etiam integris communitatibus, vel nationibus. 5. Obligantur legibus universalibus Ecclesiæ vel Imperii, etiamsi earum observantia in patria ipsius peregrini per con-

contrariam consuetudinem legitimam fuerit introducta. Sic Mediolani, & in regno Castellæ in die Sabbati non observatur generalis lex Ecclesiæ abstinendi ab intestinis & extremitatibus pecorum. Si ergo Mediolanensis vel Castellanus veniat in aliam provinciam, ubi viget lex universalis abstinentiæ, tenetur observare legem communem. Aliud exemplum solet dari circa abstinentiam a lacticiniis, si Germanus veniat in Italiam vel aliam regionem, ubi in Quadragesima & aliis diebus jejunii abstinetur a lacticiniis. Verum, utrum abstinentia a lacticiniis fuerit aliquando introducta potius per legem universalem, vel potius per consuetudinem particularem locorum, vel utrum hoc privilegium Germanorum ex prima eorum conversione sit potius nationale seu personale, quam locale, examinabitur in Tract. *de præceptis Ecclesiæ*. Certe *Jonas* Episcopus Parisiensis, qui sæculo nono scripsit contra errores tunc recentes Græcorum, testatur, Germanos vesci lacticiniis, exinde probans in hac re variare consuetudinem nationum. Vide *Fleyrium* in Hist. Eccles. Sic etiam consuetudo celebrandi in fermentato est potius *jus*, aut *privilegium* nationale quam locale a primis Christianismi temporibus *retentum* aut *concessum* respectu Græcorum.

Quæritur 12. An liceat egredi ex una Diœcesi in aliam eo solum fine, ut quis possit uti privilegio illius Diœcesis contra legem Diœcesanam, v. g. animo declinandi jejunium Diœcesanum?

Respondeo. Id non licet sine rationabili alia causa accedente præsumpta licentia proprii Episcopi. Ratio est; quia leges Diœcesanæ directe afficiunt & ligant subditas jurisdictioni personas, quocunque se conferant, quandiu habitualiter adhuc perseverant subjectæ; & consuetudo alterius Diœcesis non habet ullam vim exemptivam a legibus generalibus Ecclesiæ vel alterius Episcopi, nisi a voluntate Ordinarii consentientis consuetudini. Cum ergo neuter Episcopus, quatenus fungitur officio prudentis Legislatoris, possit dare licentiam ejusmodi vanis hominibus ad declinandas justas leges nulla accedente rationabili causa, non erit licitus ejusmodi egressus; sed peccabunt transgredientes legem graviter vel leviter juxta modum varium temeritatis, qua præsument Ecclesiæ vel Ordinarii licentiam. Ac certe pro generali regula haberi potest, illam licentiam non dari, cujus collatio turpis est & ignominiosa nostræ Ecclesiæ; talis autem foret ea, de qua agitur, licentia. Ergo; min. prob. ex ipsis exemplis, quæ ab authoribus adducuntur. Quis enim gentilium, turcarum, vel hæreticorum non rideat, si audiat 1. In Ecclesia Romana primis quatuor diebus Quadragesimæ omnibus, ubi non viget contraria antiquissima consuetudo, prohiberi esum carnium, licitum tamen esse finitimis, se conferre illo tempore in locum, v. g. Mediolanum, ubi viget illa contraria consuetudo, idque eo solo fine, ut quis declinet legem jejunii? 2. eodem modo posse declinari legem audiendi Sacri, si in una parochia sit dies festus, in altera vicina dies ferialis. 3. Eodem modo, si in urbe die festivo sint Missæ usque ad horam duodecimam, in vicino autem pago nulla est Missa, licere urbe egredi non audito prius sacro. 4. Eodem modo, si in uno loco sit jejunium in altero nullum, licere statim mane sumere frustum carnis pro jentaculo; dein vero egredi in alterum locum, ubi non est jejunium. Quia non obligatus ad jejunium in cœna nec teneri dicunt in prandio. Quis, inquam, gentilium vel hæreticorum non irrideat has torsiones legum, & intentionum legalium, quæ in Legislatore qua tali semper justissimæ ac sapientissimæ præsumendæ sunt?

Quæritur 13. An leges pœnales circa peccata quibus ab Episcopo v. g. infligitur excommunicatio reservata Ordinario, incurrantur a peregrino, si in eo genere peccati peccet extra Diœcesim sui Episcopi? vel si delictum commissum adhuc fuerit in Diœcesi?

Respondeo. In hoc genere quæstionum tam ab infligente censuras aut alias gravissimas pœnas, quam a passo censuram bene distinguendas esse leges jure naturali

rali vel divino certas, & dubias. Ille enim nullas infligat, nisi *jure certo*: iste, si dubium juris est, timeat & revereatur etiam dubias. Certum itaque est. 1. Excommunicari posse subditum extra territorium existentem, si delictum ejus vel mandato vel opera commissum fiat in ipso territorio. Ita docent Sylvester, Angelus, Suarez, Bonacina, Covarruvias, Palao, & alii. Casus autem possunt esse sequentes. Si subditus extra territorium existens sagitta vel globo trajiciat existentem in territorio. Si per mandatarium interficiat quenquam, vel furetur in territorio, si censura feratur aut lata sit in beneficiarios absentes. Si fur, qui fit subditus ratione delicti in territorio commissi, excommunicetur, nisi v. g. intra mensem satisfecerit, vel nisi se sistat judici suo legitimo. Ad quod tamen requiritur, ut jam sit gravatus indiciis moraliter certis. Si subditus extra territorium existens jubeatur in se recipere negotium in magnam utilitatem Municipii, Dioecesis vel Reipublicae, & ille id renuat. Si subditus extra territorium existens vendat arma hostibus; vel illos doceat artem expugnandi urbes patriae; si Clericus Dioecesanus excommunicetur in casu, quo accesserit monasteria Monialium extra Dioecesin sita. In omnibus his casibus censura vel lex poenalis stringit subditum in alieno territorio etiam absentem, quia delictum *completur* in proprio territorio, nempe homicidium, furtum, damnificatio Reipublicae, gravis prostitutio, ac specialis extraordinaria ignominia propriae Dioecesis. 2. Probabilius est, subditum delinquentem extra territorium vel Dioecesin posse subjici legibus tam directivis quam poenalibus, etiamsi delictum non cedat *specialiter* in praejudicium proprii territorii vel Dioecesis. Ita *Bonacina* de *censur.* d. 1. p. 11. n. 11. & favet Palao. Ratio est; quia subditus, quamdiu habitualiter perseverat stare sub jurisdictione prioris Domini territorialis vel Episcopi, neque jure naturali, neque jure positivo habet potestatem ponendi limites jurisdictionis suo Legislatori divinitus sibi ordinato in suam personam, actiones, & res. Ergo tenetur parere ejus justis legibus scriptis in personam versantem etiam extra proprium territorium. 3. Si peregrinus in Dioecesi non sua delictum inchoavit, & in alia tertia consummavit, v. g. in Dioecesi Parisiensi puellam rapiendo, in alia vero Dioecesi eam violando, puniri potest in Dioecesi, in qua delictum inchoavit. Ita teste Palao docet communis, Felinus, Abbas, Bartholus, Baldus, Marsilius, Suarez &c. Ratio est, quia inchoatio & consummatio delicti in aestimatione morali constituunt unum peccatum; itaque etiam in poena dividi non debent. *Nec obstat*, quod alia sit poena delicti inchoati, & alia consummati. Id enim tunc solum attenditur, quando *imperfectio* actus spectatur divisim & *absolute*, non autem *relative* ad subsequentem actualem completionem.

Quaeritur 14. An *vagi* teneantur legibus locorum particularium, ubi transeunt & qui dicantur vagi?

Respondeo. Vagi tenentur legibus Ecclesiasticis locorum particularium, saltem solennibus & notoriis. Vagi autem proprie loquendo dicuntur, qui nec habent nec proxime habituri sunt saltem quasi domicilium.

Dixi, *nec proxime habituri sunt*. Famuli enim, ancillae, artifices, &c. qui ex una urbe migrant in aliam, ibi proxime domicilium vel quasi domicilium inventuri, peregrinis rectius aut viatoribus quam vagis accensentur. Responsio sic explicata *probatur*. Vagi quoad contractum matrimonialem subjiciuntur a Concilio Tridentino non cuivis sacerdoti, sed parocho & Ordinario loci, in quo morantur. Ergo praesumendum est, ex mente Ecclesiae vagos subjici Ordinario loci etiam quoad alias leges Ecclesiasticas publicas; *ant. prob.* Tridentinum sess. 24. c. 7. dicit: *Multi sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam & plerumque plures illa vivente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, parochis praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fece-*

fecerint, & re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Si ergo Parochi & Ordinarii tenentur inquirere in eorum vitam & mores, illorum erit etiam inquirere, an non contemnant interpretative leges Diœcesanas, vel an sint parati, se iis subjicere in posterum, ut monstrent vitam, ut decet, Christianam. Ex eodem textu Concilii simul habetur, quinam proprie pro vagis habendi sint.

Probatur 2. Illis legibus quisque fidelium adstringitur, ad quas ex mente præsumpta Christi & Ecclesiæ adstringendus est in foro pœnitentiali in ordine a Vicario Dei ad obtinendam peccatorum veniam. Sed vagi hoc modo in foro pœnitentiali adstringendi sunt ad leges locorum particularium publicas. Ergo; min. prob. Confessarii denuntiando pœnitentibus leges Dei vel Ecclesiæ tenentur illis aperire eam præsumptam mentem Christi & Ecclesiæ, quam præsumunt plerique Doctores. Sed hanc mentem Dei & Ecclesiæ plerique Doctores agnoscunt, prout ex eorum libris patet. Ergo; min. prob. *Palao* de legibus tr. 3. D. 1. p. 24. §. 4. sic scribit: *De vagis sentit Lessius & Sayrus, idem esse dicendum ac de peregrinis & viatoribus, cum affirmet, peregrinos & viatores nullis legibus oppidi, qua transeunt, adstringi, & de vagis censet, idem esse dicendum. Et ita tenet Joa. Sanchez.* (addi posset & Layman.) *At merito ab omnibus aliis Doctoribus rejicitur hæc sententia, etiam ab illis qui affirmant peregrinos & forenses exemptos esse a legibus municipalibus & Episcopalibus. Nam in vagis est specialis ratio. Et ita tenet Thomas Sanchez, Azor, Bonacina, Suarez, &c.* Ita Palao.

Quæritur 15. An Clerici teneantur legibus Civilibus Principum?

Respondeo 1. Clerici obligantur legibus Principum *realibus*, seu *scriptis in res* Ecclesiasticas antequam donarentur Ecclesiis, nisi speciali concessione Principum fuerint exemptæ ab onere reali, vel jam antecedenter ad donationem Ecclesiis factam fuerint bona allodialia. Certe Childericus Rex Francorum in legibus, quas sæculo septimo suis Gallis & Bavaris scripsit, hanc suam legem sic exorsus est; *Liceat cuivis sua allodialia donare Ecclesiis*. Cum autem alia bona, quæ originaliter non fuerunt allodialia, tam mobilia quam immobilia originaliter fuerint subjecta *dominio alto*, & *exactionibus* Principum, partim ordinariis partim extraordinariis, pro diversa necessitate boni communis variis, consequens erat, ut illa bona *per se* cum illis oneribus transirent ad Ecclesiam, nisi ipse Princeps tacite vel expresse illa bona cum privilegio immunitatis generalis vel particularis quoad certum genus præstationum Ecclesiis *licite* & *valide* transcripserit. Responsio sic explicata *probatur ex P. Layman*, qui *de Legibus* C. 13. n. 2. sic scribit: *Ecclesia non recipit, sed reprobat eas sæcularium principum leges, quæ de Ecclesiasticis bonis decernunt. Sed limitari debet; nisi bona seu Ecclesiarum seu Clericorum propria mere reali onere Principi sæculari obligata fuerint, antequam ad Ecclesiasticos transirent, sicuti notavit Abbas. C. Ecclesia de Constitut. n. 23. Nam res transit cum suo onere C. ex litteris. De pignoribus. Item si cum tali pacto vel conditione Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis data sint, ut tamen sæcularium jurisdictioni vel exactioni alicui subsint. arg. C. verum de condit. appositis*. Cæterum præsumendum est, ea bona, quæ venerunt Ecclesiis a Regibus, a supremis Pricipibus, vel eorum descendentibus, saltem in regnis ac provinciis, in quibus jus coronæ vel principatus est hæreditarium, & non electivum, aut a primæ dignitatis & antiquitatis familiis, fuisse allodialia. Hujusmodi enim primores familiarum ex prima divisione terrarum, regnorum, bonorum vel aquæstuum erant plerumque quasi parvi reguli.

Respondeo 2. Clerici obligantur legibus civilibus, quæ ad Reipublicæ bonam gubernationem aut quietem pertinent, neque Canonibus, vel Clericorum statui repugnant. Tales leges sunt, quibus taxatur pretium frumenti, prohibe-

hibetur aliquod genus armorum, præscribitur modus ædificandi, testandi, contrahendi, &c. Ita teste *P. Layman* h. c. docet communis Canonistarum & Theologorum, in specie Sylvester, Sotus, Bartholus, Navarrus, Bellarminus, Suarez, Vasquez, &c. Ratio est; quia Clerici quoad actiones sociales vitæ civilis se habent tanquam membra unius corporis moralis, quale est respublica. Membra autem unius corporis jure naturali obligantur ad cooperandum pro bono communi totius corporis juxta directionem animæ moventis.

Respondeo 3. Clerici præfatis legibus civilibus obligantur *per se*, ac *directe*. Ita *Palao* l. c. §. *6.* n. *6.* contra *Vasquezium*, qui censet, Clericos ad eas leges solum obligari *indirecte*, in quantum lex naturalis obligat ad *honestatem se conformandi* aliis conpartibus Reipublicæ. Item contra *Suarez*, qui censet, Clericos tantum eatenus adstringi indirecte ad illas leges, in quantum approbantur ab Ecclesia. Responsio autem sic *probatur*. Ex una parte redeundo ad legem naturalem non datur moralis necessitas postulans exemptionem Clericorum ab ejusmodi legibus civilibus; in lege enim naturali ipsi primores familiarum fungebantur simul principatu, & sacerdotio, aut certe alii a primoribus familiarum constituti ac consequenter subordinati summis in familia sacerdotibus; ex altera parte non constat de exemptione circa illas leges per legem divinam aut Ecclesiasticam. Ergo quoad ejusmodi leges relinquuntur sub dispositione legum naturalium & civilium.

Dices: Ex hoc sequeretur, quod re vera personæ Ecclesiasticæ aliqua ex parte relinquerentur subjecti jurisdictioni temporalium Principum. Sed hoc jure naturali repugnat reverentiæ ac venerationi statui Clericali debitæ.

Respondeo. n. ant. Per hoc enim, quod Clerici *per se* ac *directe* obligentur præfatis legibus civilibus, non sequitur subjectio personarum vel actionum pure personalium, sed tantum subjectio rerum & actionum socialium. Sic etiam Rex obligatur *directe* ac *per se* rustico ad solvendum pretium exempto, & ad illius defensionem contra raptores ex ipso officio regio, etsi nec ejus persona nec ejus actiones sint subjectæ rustico. Hinc

Respondeo 4. Clerici non obligantur legibus civilibus respicientibus tantum eorum personam, actiones præcise personales, aut eorum congruam sustentationem.

Id probatur. Omnes gentes, & Imperatores etiam Ethnici, & Imperatores Christiani, uno vel altero discolo excepto, agnoverunt, sacratos Deo sacerdotes, ac Clericos deputatos ad ejus cultum publicum, non esse subjiciendos communibus aliorum legibus quoad eorum personas, actiones pure personales, & quoad eorum congruam sustentationem. Ergo ex hoc universali ac respective uniformi sensu nationum præsumendum est, congruentiam hujus exemptionis esse præceptam jure naturali. *Ant. patebit* ex dicendis in sequenti q.

Respondeo 5. Clerici, si forte Principes sæculares per violentiam usurpare præsumant jus in eorum personas, actiones personales, & congruam sustentationem, obligantur jure divino ad non resistendum violentiæ.

Id probatur; quia SS. Patres illa verba Christi ad Petrum Matth. 17. v. 25. *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis vel ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jesus. Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum; & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me & te*. Hæc, inquam, verba SS. Patres semper sic intellexerunt, quod a Clericis non sit resistendum violentæ usurpationi Principum, prout patebit ex textibus proxime referendis. Hinc

Quæritur 16. An Clerici jure naturæ, gentium, divino, & positivo a dispositione legum civilium quoad eorum personas, actiones mere personales, & congruam sustentationem exempti sint?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex constanti sensu gentium Imperatorum, & Patrum. Nam, quod attinet exemptionem personalem,

1. *Aristoteles* l. 1. Metaphys. C. 1. testatur, quod statim post primam divisionem gentium in regno Ægypti Sacerdotes ab operibus servilibus & oneribus exempti fuerint, ut liberi a negotiis ad conquirenda vitæ sæcularis commoda necessariis possent vacare sapientiæ ac scientiis divinis. *Cum plures artes invenirentur*, inquit, *quarum aliæ ad necessaria, aliæ ad commode vivendum essent, illis jam omnibus inventis, istæ, quæ neque ad commode vivendum, neque ad necessaria conducunt, inventæ sunt in illis locis, ubi primo vacabant. Quare circa Ægyptum Mathematicæ artes constitutæ sunt. Illic enim gens sacerdocum vacare permissa est.*

2. De Immunitate personali sacerdotibus ethnicis quoad negotia sæcularia indulta testatur etiam Concilium Aureliense IV. anno 541. Can. 13. his verbis: *Si quis judicum Clericos de quolibet corpore venientes atque altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula Ecclesiæ teneantur inscripta, publicis actionibus applicare præsumpserit, si a sacerdote commonitus emendare noluerit, cognoscat, se pacem Ecclesiæ non habere. Similiter & a tutelæ administratione pontifices, presbyteros, atque diaconos ideo excusatos esse decrevimus, quia quod lex sæculi etiam paganis sacerdotibus & ministris ante præstiterat, justum est, ut erga Christianos specialiter conservetur.*

3. Post Imperatores gentiles *Constantinus M.* prout Eusebius l. 10. Hist. C. 7. testatur, in Epistola ad *Anulinum* Præfectum Africæ hæc scribit: *Clericos ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conservari, ne errore aliquo, aut casu sacrilego a cultu summæ divinitatis debito abstrahantur*. D. Augustinus Epist. 68. adducit responsionem *Anulini* ad *Constantinum*, in qua sic scribit: *Cum omni omnino munere indulgentia Majestatis vestræ liberati esse videantur Clerici, custodita sanctitate legis debita reverentia divinæ legi inserviunt.*

4. *Theodosius* M. in Codice Theodos. L. 16. T. 2. l. 1. 2. *Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est, hi, qui Clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne sacrilego livore quorundam a divinis obsequiis avocentur*. Et l. 7. *Minime ad Curias devocentur, sed immunitate potissima potiantur.*

4. De usu immunitatis personalis *in Gallia* testatur Gregorius Turonensis l. 5. C. 27. & 28. dum asserit, Chilpericum regem Galliæ contra morem receptum Clericos juniores ad servitia militaria sub mulcta pecuniaria compulisse. *Post hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Ecclesiæ & Basilicæ bannos jussit exigi pro eo, quod in exercitum non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exolverent publicam functionem.*

5. De immunitate personali *in Hispania* ab origine Christianismi testatur Concilium Toletanum IV. Can. 47. ait: *Præcipiente Domino atque Excellentissimo Sisenando Rege id constituit sanctum Concilium, ut omnes ingenui Clerici pro officio religionis ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, ut libere Deo serviant, nullaque præpediti necessitate ab Ecclesiasticis Officiis retrahantur.*

Quoad exemptionem realem in rebus pertinentibus ad sustentationem congruam reperiuntur sequentia testimonia.

1. *Constantius*, Constantini M. filius, in Cod. Theod. l. 16. Tit. 2. l. 8. scribit: *Juxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, & vos & mancipia vestra nullus novis obligationibus obligabit: sed vacatione gaudebitis præterea; neque hospites suscipietis. Et si qui de vobis alimoniæ causa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur*. Et lege 10. *Idem*. *Ut Ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur, Clericis ac juvenibus præbeatur immunitas. Repellatur ab his exactio munerum sordidorum; negotiatorum dispendiis minime obligentur; cum certum sit, quæstus, quos ex tabernis & ergasteriis colligunt, pauperibus profuturos. Ab hominibus*

nibus etiam eorum, qui mercimoniis student, cuncta dispendia esse sancimus. Parangariarum quoque parili modo cesset exactio. Quod & conjugibus pariter & liberis eorum, & ministeriis, maribus pariter & fœminis indulgemus, quas a censibus etiam jubemus perseverare immunes. Hæc lex ad universos Episcopos Romani Imperii scripta est. Cæterum *sordida munera*, prout Thomassinus de Vet. Discipl. p. 3. l. 1. C. 33. n. 5. observat, in his versari solebant; in muniendo vias & pontes; in suppeditando ad ea opera calcem, currus, carbones, ligna, animalia, farinas, panes, furnos, &c. & in aliis ejusmodi servitutibus v. g. ad necessitates exercituum, & ad convehenda eorum alimenta, quæ servitutes *parangariæ* vocabantur. *Idem* Constantius eam immunitatem ita explicavit, ut solum ad eos Clericos pertinere videretur, qui præcise haberent congruam sustentationem; non vero ad eos, qui mercatorum tabulæ immatricati essent, aut qui amplas possessiones haberent. Sic enim l. c. l. 15. scribit. *Clerici ita a sordidis muneribus debent immunes atque a collatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitumque conquirent. Reliqui autem, quorum nomina negotiatorum matricula comprehendit eo tempore, quo collatio celebrata est, negotiatorum munia & pensitationes agnoscant. Quippe postmodum se Clericorum cœtibus aggregarunt. De his sane Clericis, qui prædia possident, sublimis authoritas una non solum eos aliena juga* (onera seu extraordinarias servitutes) *nequaquam statuet excusare, sed etiam his, quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri. Universos namque Clericos, possessores duntaxat, provinciales pensitationes fiscalium recognoscere jubemus. Maxime cum Episcopi probaverint, id maxime juste convenire, ut præter ea juga & professionem, quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia sustinenda translationesque faciendas omnes Clerici* (ampla bona, ultra sustentationem congruam, & conservandum decorem Ecclesiæ) *debeant adtineri*. Hanc legem sanxit Constantius post Concilium Ariminense; paulo tamen ante obitum promulgavit aliam legem, qua omnes sui imperii Clericos, etiam qui in vicis & castris ministrarent, ab oneribus personalibus & extraordinariis absolvit, hanc subjiciens rationem: scientes, magis religionibus, quam officiis & labore corporis vel sudore nostram rempublicam contineri.

3. Cum *Julianus* Apostata eas Clericorum immunitates tolleret, eas *Valentinianus* Imperator statim in eum statum restituit, quem habuerant per ultimam Constantii legem præfatam, paulo ante ejus obitum editam. Nam l. c. l. 18. ait: „ Quam ultimo tempore divi Constantii sententiam fuisse claruerit, valeat. Nec ea in assimilatione aliqua convalescant, quæ tunc decreta vel facta sunt, cum Paganorum animi (Juliani Apostatæ & ei adhærentium) contra sanctissimam legem quibusdam sunt depravationibus excitati. “

4. *Gratianus* Imperator l. c. l. 24. Omnes Clericos perinde, ac qui primi sunt, personalium munerum expertes esse præcipimus. *Theodosius* M. l. c. *l. 26. Custodes Ecclesiarum vel sanctorum locorum*, hoc est, Clericos destinatos ad canendas diu noctuque laudes, prout *Blanchinus* occasione *custodum Clericorum*, quos *Leo* Papa ad sepulchrum Petri & Pauli collocavit, explicat, in eadem immunitate confirmavit addita hac ratione: *Quis enim capite censos patiatur esse devinctos, quos necessario intelligit supra memorato obsequio mancipatos?*

5. *Valentinianus III.* Imperator l. c. l. 36. *Quicunque Catholicæ Religionis Clerici intra eum modum, unde victus, emendi vendendique usum lege præfinitum exercent, ab auraria pensione habeantur immunes. Ab iis quoque, quos a publici laboris actu & gradus Clericatus & quod minus est, sanctior vita defendit, præcipimus temperari*; ne videlicet ab iis auraria pensio exigatur. Loquitur hoc loco Imperator de *Clericis seu Canonicis, proprietati bonorum renunciantibus*, hoc est,

est, iis, qui abdicatis omnibus bonis temporalibus sectabantur in vita communi vel privata paupertatem Evangelicam. De his enim S. *Ambrosius* Epist. 1. dixerat: *Non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ergo nihil debeo Cæsari, quia nihil hujus mundi habeo. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei, non debebat* (Paulus,) *qui plus prædicabat. Non debebat filius Dei, non debebat Petrus, in adoptionem* (filiorum Dei) *adscitus a Patre. Sed ne scandalizentur*, inquit, *vade ad mare, &c. Idem* in Evang. Lucæ Hom. 9. *Si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere, quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis regi nihil debere terreno, relinque omnia & sequere Christum.* Ex his omnibus elicitur, immunitatem Clericorum *circa personas* & *congruam sustentationem* esse juris naturalis & divini, ac consequenter, Cæsarem, regem, aut principem, si quoad ista Clericos onerant, non agere tanquam *Legislatores*, aut *ex officio* supremi muneris, sed *usurpatione* & *abusu personali* supremæ potestatis, in hoc præsenti sæculo & futuro exemplariter vindicandis a Deo.

Dices 1. Imperatores etiam boni subjecerunt Clericos capitationi. Ergo non sunt jure naturali exempti a jurisdictione principum. *Ant. prob.* Arcadius & Honorius Imperatores laudatissimi, licet Clericis confirmaverint immunitates alias personales a prioribus Imperatoribus concessas, tamen eos subjecerunt capitationi. Nam prout habetur in Codice Theodosiano L. 16. T. 2. l. 29. 30. 33. *Arcadius* jussit, ut omnes Clerici Ecclesiarum ruris, vicorum, & Oratoriorum, subessent ordinariis exactionibus: *Ut propriæ capitationis onus ac sarcinam recognoscant.* Et ibidem *Honorius* l. 40. *Nihil præter Canonicam illationem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit*, (Clericorum) *functionibus adscribatur.* Item *Theodosius* Junior l. c. L. 11. T. 1. l. 33. solam Ecclesiam Thessalonicensem a capitatione exemit: *Thessalonicensis Ecclesia civitatis excepta, ita tamen ut aperte sciat, propriæ tantum capitationis modum beneficio mei numinis sublevandum.*

Respondeo. *Distinguendum* esse inter tempora & personas. Clerici erant subjecti capitationi, quo tempore illis adhuc licitum erat exercere negotiationem, seu mercaturam, atque immatriculari tabulæ mercatorum. *Concedo.* Quo tempore hoc illis non amplius erat licitum, *nego*. Nam tempore Arcadii & Honorii & Theodosii Junioris nondum Clericis fuerat per leges Imperatorias interdicta negotiatio, prout ex superius adductis textibus patet. Primus eam libertatem indefinitam Valentinianus III. sustulit, ac Clericis nullam aliam negotiationem, nisi quæ ad parandum necessarium victum ac vestitum requiritur, indulsit, simul tamen etiam capitationem seu aurariam pensionem sustulit, manifesto indicio, ipsummet Imperatorem agnovisse, repugnare juri naturali ac divino, si exigatur capitatio seu auraria pensio a Clericis præcise præditis congrua sustentatione ex collatione populi seu bonis Ecclesiæ. Novella 12. Valentinianus sic habet: *Jubemus, ut Clerici nihil prorsus negotiationis exerceant, si velint negotiari, sciant, se judicibus subditos, Clericorum privilegio non muniri.*

Dices 2. Etiamsi nonnulli Imperatores vel Reges concesserint Clericis immunitatem quoad personam & honestam sustentationem, non sequitur, eam a successoribus non posse revocari, aut eam esse juris naturalis, ita ut revocatio immunitatis sit invalida.

Respondeo. Dist. Non sequitur, eam immunitatem esse irrevocabilem, si declaratio legis naturalis dubiæ specificativa seu determinativa circa res aut personas Deo dicatas pertineat ad arbitrium vel judicium potestatis sæcularis tr. si tantum spectet ad judicium potestatis Ecclesiasticæ. n. Suppono, quod Christus per institutionem Sacrorum Ordinum & Hierarchiæ Ecclesiasticæ diviserit Jus sacrorum a potestate Imperatorum & Regum, qua talium. Hoc principio semel posito, quod nullus Catholicorum negare potest, per se sequitur,

tur, etiam judicium, ac determinationem legis naturalis circa res aut personas Ecclesiasticas potius pertinere ad potestatem Ecclesiasticam, quam ad potestatem sæcularem. Cum ergo immunitas quoad personas & honestatem sustentationis Clericorum fuerit determinanda a potestate Ecclesiastica, signum est, eam potius fuisse *agnitam* ab Imperatoribus, quam *concessam*. Si autem ab iis *non concessa*, sed *agnita* solum est, ab iis revocari non potest.

Dices 3. SS. D. N. Benedictus XIV. in l. 7. de Synodo C. 35. videtur agnoscere, solam eam immunitatem esse jure naturali ac divino immobilem, atque independentem ab Imperatoribus, quæ pertinet ad jus sacrorum; sed honesta sustentatio Clerici non pertinet ad jus sacrorum.

Respondeo; potestatem determinandi legem naturalem dubiam, circa res aut personas dicatas Deo præsupposita divisione potestatis Ecclesiasticæ a potestate seculari facta a Christo, esse rem pure spiritualem; adeoque eam pertinere ad jus sacrorum. Ita non obscure semetipsum SS. D. N. Benedictus XIV. l. c. n. 2. & 12. explicat his verbis: *Principem locum obtinent causæ, quæ versantur circa res mere spirituales, puta circa fidem, sacramenta, religionem seu cultum divinum quas in solo foro Ecclesiastico esse pertractandas, nullus Catholicorum ambigit. Episcopus ad hoc primo intendat, ne princeps sæcularis sibi unquam arroget jus sacrorum, hoc est, ne in ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, mere scilicet spiritualibus & Ecclesiasticis*. Cum ergo res & personæ consecratæ Deo pertineant ad religionem seu cultum divinum, consequitur earum conservationem honestam incumbere directe quoad specificationem ad potestatem Ecclesiasticam, licet quoad executionem congruam pertineat ad potestatem sæcularem, nisi etiam quoad hoc in Conciliis Generalibus vel alia occasione præcesserint solennia concordata inter Sacerdotium & Imperium, quibus facto aut usurpatione particularium principium præjudicari non potest. Hinc si aliquando per concordata expressa vel tacita Parochis, vel Beneficiatis præcise pro congrua sustentatione assignata est ex bonis Ecclesiasticis portio, annuentibus principibus, etiamsi consistat in agris & fundis, ea a successoribus, oneribus realibus nec licite nec valide diminui potest sine speciali concessione summi Pontificis, & speciali cognitione causæ per delegationem Apostolicam. Si enim ea circumstantia onerationis circa sustentationem Clericorum congruam in Supplicatione silentio suppressa fuerit, ipsa concessio eatenus subreptitia censenda erit. Quod si nihilominus sustentatio congrua Clerici oneretur exactionibus iniquis, nulla quidem violentia se licebit opponere, locum tamen habebit illud D. Ambrosii Epist. 32. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum. Nemo nostrum intervenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris invidiam, tollant eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego*. Non donat Ambrosius rapienti, quod ex largitione anteriorum Principum ex bonis allodialibus vel emancipatis Dei est. Videant autem ejusmodi Principes, an iis donet ea sua bona Deus, qui in ordine ad suum cultum, suo & suorum Sanctorum, non profanorum judicio congruentem, habet ex bonis temporalibus *jus naturale anticipatum ad Principem*, unde regulandum est *jus naturale Principis ad subditum*.

§. VI.

De promulgatione Legum.

QUæritur 1. An promulgatio sit de essentia legis?

Respondeo 1. Promulgatio *in voto*, seu propositum promulgandi, est de essentia legis. Ratio est, quia Legislator non potest habere animum obligandi subditos ad legem, nisi simul habeat animum illis aperiendi suam mentem obligandi.

Respondeo 2. Promulgatio *in re*, seu

actualis, non est de essentia legis *in actu primo* spectatæ. Ratio est, quia prius est, existere legem, quam promulgari.

Respondeo 3. Promulgatio actualis pertinet ad essentiam obligationis legalis *in actu secundo* spectatæ. Ratio est; quia non potest dari obligatio legum in actu secundo sine actuali earum promulgatione. Cæterum an promulgatio actualis pertineat ad essentiam obligationis legalis in actu secundo per modum *partis* vel per modum *conditionis*, in Theologia morali non vacat examinare.

Quæritur 2. Qualis requiratur promulgatio legis?

Respondeo. Ad obligationem legum in actu secundo requiritur *promulgatio proxime sufficiens ad hoc, ut lex possit commode venire in notitiam singulorum, ad quos dirigitur intentio legis*.

Dixi primo, *proxime sufficiens*. Si enim v. g. Imperator Augustus condat coram tribus suis aulicis legem: eum reum mortis fore, qui proximo abstulerit dimidium argenteum, aut rem ejusdem valoris, stulti potius quam legislatoris partes ageret, nisi legem adeo severam juberet promulgari in singulis sui Imperii provinciis & urbibus. Quamvis enim promulgatio coram tribus aulicis facta *absolute* ac *potentia saltem remota* posset venire in omnium notitiam, ea tamen promulgatio non est de se idonea ad prudenter sperandam omnium notitiam.

Dixi secundo *ad quos dirigitur intentio legis*. Potest enim contingere, quod Legislator legem suam dirigat solum ad judices tribunalium aut magistratus, ut in caufis criminalibus vel civilibus judicent conformiter ad legem, v. g. ut fures posthac damnent ad lapicidinas, quin eam legem promulgent populo; vel potest Legislator a sua lege eximere certum genus hominum, v. g. Clericorum, peregrinorum, advenarum, juvenum &c. ad quos nolit dirigere suam intentionem.

Responsio sic explicata *Probatur* ex ipsa natura legis, quæ est *ordinatio rationis ad bonum commune*. Ordinatio autem obligatoria subditorum rationabilis esse nequit, nisi intendatur, procuretur, & prudenter speretur notitia legis in iis, ad quos dirigitur intentio Legislatoris.

Quæritur 3. Qualis requiratur & sufficiat promulgatio circa leges naturales?

Respondeo. Ad obligationem legum naturalium in actu secundo requiritur & sufficit promulgatio, quæ fit per testimonium conscientiæ propriæ de verisimiliori existentia legis naturalis. Major autem verisimilitudo, seu credibilitas legis naturalis habetur quando homo per lumen proprium rationis manifeste agnoscit, credibilius esse, quod lex detur, & si ferendum prudens judicium directum de existentia vel non existentia legis, se potius judicaturum, quod detur existentia legis. Vel, ubi homo proprio lumine rationis anceps seu dubius est de existentia legis, ita ut in neutram partem propendeat judicium rationis, reperiri poterit verisimilitudo seu credibilitas evidenter major de existentia vel non existentia legis, si pro ea stet judicium Doctorum plerorumque, pietate, scientia, & authoritate illustrium.

Dixi primo, *Doctorum plerorumque*. Cum enim Deus sit providus, condendo pro hominibus legem naturalem, tenetur naturæ humanæ conferre tantum lumen, & talem instinctum naturæ, quibus mediantibus lex in singulorum notitiam venire possit. Hoc autem non contingeret, nisi illud lumen & instinctus naturæ saltem a subjectis optime dispositis, qualia sunt Doctores pietate & scientia illustres, adverti luculentius, & quodammodo sensibilius percipi possent.

Dixi secundo, *authoritate illustrium*. Hoc ipsum enim pertinet ad officium providentiæ divinæ, ut eos in authoritate, ac velut in candelabro Ecclesiæ constituat, per quos intendit notitiam legum æternarum venire ad singulos.

Responsio sic explicata *probatur*. Deus vi suæ providentiæ ad hanc promulgationem tenetur, ut lex fiat credibilior a singulis, & ad majorem promul-

gatio-

gationem, ut existentia legis singulis fiat moraliter certa, non tenetur. Ergo requiritur & sufficit circa leges naturales ea promulgatio, quæ fit in mente plerorumque Doctorum, pietate, scientia, & authoritate illustrium. *Ant. q.* 1. *m.* patet, quia etiam in humanis Dominus non prudenter obligaret famulum ad sequendas suas voluntates; nisi quæ *probabilius* seu *credibilius* dantur. Idem *ant. q.* 2. *m.* probatur partim *negative*, quia illa obligatio Dei probari nequit; partim *positive*, quia de facto Deus etiam in materia religionis obligat ad eligendam religionem evidenter credibiliorem; & quia ab experientia constat, circa plurimas leges naturales nullam dari moralem certitudinem, quin verosimile sit, Deum spectare transgressionem suarum legum indifferenter.

Corollarium. Hinc sequitur; circa leges naturales semper sequendam esse sententiam communem Doctorum pietate scientia & authoritate insignium; nec esse licitum, ab ea communi sententia talium Doctorum recedere præcise ob probabilem sententiam quorundam Doctorum nec pietate, nec scientia, nec authoritate illustrium, nisi ubi determinatio legis naturalis pertinet ad legem positivam.

Quæritur 4. Quæ requiratur & sufficiat promulgatio circa leges divinas?

Respondeo. Circa obligationem legum divinarum in actu secundo requiritur & sufficit promulgatio per testimonium conscientiæ propriæ de verisimiliori existentia legis. Quamprimum enim homo consideratis omnibus judicat, potius dari legem quam non dari, obligatur ad observantiam legis.

Probatur. Deus nec tenetur nec solet homini conferre moralem certitudinem de existentia suarum legum. Ergo, cum non possit prudenter non velle observantiam suarum legum, manifestum est, eum velle, ut homo observet suas leges posita majori credibilitate de existentia legum.

Confirmatur. Deus obligat ad amplectendam Religionem evidenter credibiliorem. Ergo etiam obligat ad sequendam legem evidenter credibiliorem. C. *prob.* Est par ratio circa legem sectandæ religionis divinæ, & sectandæ legis divinæ; imo cum sit *minor difficultas* in executione aliarum particularium legum divinarum, quam in receptione Religionis credibilioris, videtur etiam major ratio præcipiendi observantiam legis evidenter credibilioris, quam observantiam religionis credibilioris.

Corollarium. Hinc sequitur, circa leges divinas nunquam esse licitum recedere a communi sententia Doctorum pietate, scientia, & authoritate potiorum, nisi ubi determinatio legis divinæ pertinet ad legem positivam. Hæc enim sicut nova lege, ita nova consuetudine legitima, occasionata per novum sensum Doctorum, variari potest.

Quæritur 5. Qualis requiratur promulgatio circa leges positivas?

Respondeo. Ad obligationem legis positivæ in actu secundo requiritur & sufficit promulgatio per testimonium conscientiæ propriæ de verisimiliori intentione Legislatoris. Cum enim Legislator humanus ad inducendam obligationem in subditis pro diversitate legum possit exigere diversam promulgationem, unice ad intentionem Legislatoris respiciendum est. Sic enim potest Legislator velle, ut, ubi necessitas boni publici poscit, quilibet teneatur observare legem, quamprimum habuerit notitiam privatam legis, vel si fuerit promulgata solum in metropoli cujusque provinciæ, vel si in singulis urbibus, vel in singulis pagis, vel in singulis domibus, vel in singulis familiis ejudem domus. Sic enim novi, anno 1749. ultimo die Decembris legem vestiariam in singulis familiis cujuslibet domus Monachii, ubi tunc versabar, promulgatam esse.

Quæritur 6. An leges Ecclesiasticæ Summorum Pontificum, promulgatæ Romæ, ante promulgationem in singulis diœcesibus obligent totam Ecclesiam?

Respondeo. 1. Id unice dependere ab intentione Summorum Pontificum. Si enim Pontifex ex motivis gravissimis velit obligare omnes fideles; quampri-

mum in eorum notitiam lex devenerit, etiamsi in diœcesibus & parochiis non fuerit promulgata, ad obligationem ejusmodi legis in actu secundo non requiritur promulgatio per Episcopos.

Id probatur. Urbanus VIII. in Bulla: *In eminenti*, actu obligavit omnes fideles ad non scribendum in materia de auxiliis gratiæ, etiamsi hæc ejus constitutio non fuerit promulgata per Episcopos; Ergo dependet ab intentione Summorum Pontificum sic obligare fideles ad observantiam suarum legum. *Ant. prob.* In præfata Bulla sic habetur: *Ut præsentes nostræ Litteræ in omnium notitiam deducantur, nec illarum ignorantia ab aliquo allegari possit, volumus præsentes Litteras* (in Urbe) *publicari & affigi, publicationemque hujusmodi in omnibus, & quoad omnia sufficere, & pro solemni ac legitima haberi; nec aliam publicationem in Regnis, Provinciis, Civitatibus, Oppidis, & locis requiri aut expectari debere, omnesque & singulos perinde arctare & afficere, ac si unicuique nominatim ac personaliter intimatæ atque præsentatæ fuissent*.

Respondeo 2. Utrum Pontifex ad observantiam suæ legis velit obligari in actu secundo fideles ex notitia privata promulgationis Romanæ, etiamsi lex in Provinciis ac Diœcesibus non fuerit promulgata, desumi debet 1. ex tenore Bullæ. 2. ex subjecta materia legis. 3. ex fine, necessitate, ac gravitate legis. Hæc responsio patebit ex adducendis exemplis. Hinc

Respondeo 3. Pontifex præsumendus est observantiam legis velle obligare in actu secundo omnes fideles ex notitia privata promulgationis Romanæ, etiamsi lex in Provinciis ac Diœcesibus non fuerit promulgata in sequentibus casibus.

Primo. Quando Pontifex in Bulla aut Decreto explicite exprimit, prout expressit Urbanus VIII. ad inducendam obligationem non esse expectandam aliam promulgationem in Provinciis ac Diœcesibus.

Secundo. Quando id Pontifex præcipit per terminos æquivalentes, asserendo obligationem sub hac forma in multis Bullis contenta *Volumus has litteras affigi & publicari* (in Urbe in locis consuetis,) *sicque publicatas & affixas omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare & afficere, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent*.

Tertio, Quando Pontifex in Bulla Ordinariis locorum expresse præcipit promulgationem legis, nec apparet ulla rationabilis causa, quæ Ordinarium movere potuerit ad suspendendam promulgationem. Ratio est; quia in tali casu constat de seria voluntate Pontificis, omnes obligandi ad legem; quam suam intentionem *tam efficacem* Legislator non censetur velle frustrari per negligentiam manifestam Ordinarii.

Quarto. Quando Pontifex obligationi in actu secundo inchoandæ ponit moram & diem: v. g. asserendo, ut lex Romanos obliget *post quindecim dies*, Italos *post tresmenses*, Ultramontanos *post octo menses*, vel annum: nec apparet rationabilis causa, quæ Ordinarios movere potuerit a suspensione ulteriore promulgationis authenticæ. Ratio est, quia etiam in hoc casu præsumendus est Pontifex habere intentionem *efficacem & absolutam* urgendi universaliter ac uniformiter legem *posita* sola notorietate publica, aut solum *præsumpta*, quam intentionem tam seriam non censetur velle frustrari ex negligentia unius vel alterius Ordinarii impedientis, vel minuentis notorietatem publicam legis.

Quinto. Quando Bulla Pontificia non est *constitutiva legis novæ*, sed *declarativa legis jam constitutæ* v. g. legis naturalis, vel legis divinæ, vel alterius anterioris legis Ecclesiasticæ, jam prius sufficienter promulgatæ. Ratio est; quia hoc modo instructus de genuino sensu legis anterioris, ad eandem observandam sub modo non obligatur vi novæ legis, aut declarationis, sed vi prioris legis per authenticam interpretationem Summi Pontificis explicatam.

Sexto. Quando Bulla Pontificia statuit pœnam Excommunicationis, Suspensionis, Irregularitatis, vel inhabilitatis

tatis ipso facto incurrendæ in actum jam aliunde lege naturali, divina, aut Ecclesiastica graviter prohibitum. Ratio est, quia adjectio pœnæ Ecclesiasticæ ad actum jam aliunde graviter prohibitum proprie non est nova lex præcedens actum, sed effectus consequens actum peccaminosum, consistens in privatione peccatori indebitæ gratiæ. Excommunicatio enim privat communibus suffragiis Ecclesiæ, Suspensio privat permissione habituali ad exercitium ordinum, Irregularitas privat facultate recipiendi ordines; inhabilitas ad officia vel gradus Ecclesiasticos privat jurisdictione vel missione ad directionem fidelium. Hæ omnes gratiæ, cum unice dependeant a potestate Ecclesiastica, etiam tolli possunt ab eo, qui violat leges aliunde sufficienter promulgatas.

Septimo. Quando Bullæ Pontificiæ sunt revocatoriæ gratiarum dependentium in foro interno a sola voluntate Summorum Pontificum: v. g. quando sunt revocatoriæ Indulgentiarum, vel jurisdictionis pro absolutione pœnitentium v. g. complicum in delicto. Ratio est, quia ejusmodi gratiæ absolute tolli possunt etiam ignorantibus dispositionem novam. Ergo multo magis convenienter tolluntur ab iis, qui novæ dispositionis habent privatam notitiam.

Octavo. Quando Bullæ Pontificiæ *irritant* actus vel contractus, quorum valor unice dependet a potestate Ecclesiastica; v. g. dum irritantur promissio sponsalitia de præsenti ex metu, collatio beneficiorum obtentorum Simoniace, alienatio bonorum Ecclesiasticorum sine solemnitate. Ratio est; quia conferens valorem actui potest eum tollere etiam ab ignorante ex motivo boni publici; ergo etiam convenienter eum tollit ab iis, qui habent privatam notitiam legis.

Nono. Quando Bullæ Pontificiæ præcise præscribunt formam judicialem pro actu externo. Ratio est, quia, cum omnis actio humana tacite subordinetur dispositioni legum quoad forum externum, ad incurrendam eam subordinationem actuum ad novas leges non requiritur cognitio legis.

Respondeo 4. Pontifex non est præsumendus obligare in actu secundo ad observantiam legis in Provincia vel Diœcesi non promulgatæ, quando ex observantia paucorum timoratorum, ex notitia privata observantium legem, nasceretur magna perturbatio vel aliud grave præjudicium Ecclesiæ. Ratio est, quia lex est ordinatio rationis ad bonum commune. Ergo leges se non extendunt ad eas circumstantias locorum & temporum, in quibus obligatio legis potius præjudicaret bono communi Ecclesiæ.

Tales autem circumstantiæ sunt 1. Si ex diversa administratione Sacramentorum, præsertim pœnitentiæ, nasceretur grave scandalum; v. g. dum uni solicitatas obligant ad denuntiandum; alii vero, qui tenent sententiam requirentium promulgationem Diœcesanam, aut provincialem, non obligant. Dum uni perseverant complices absolvere, quia in eorum Diœcesi hæc lex non est promulgata, alii autem non absolvunt, &c. Si enim omnis spes inducendæ uniformis observantiæ disspareat, per observantiam timoratorum potius nascitur scandalum fidelium, & bonorum sacerdotum pro lege Zelantium contemptus, vilipensio, irrisio, ac fuga, idque sine fructu. 2. Si ex observantia timoratorum privata, v. g. ex non lectione librorum prohibitorum, dum alii eos passim legunt, eo quod non sit promulgata prohibitio, Zelatores legis fiunt potius inutiles Ecclesiæ, utpote contempti ob rerum novarum ignorantiam. Hinc aliud remedium aptius ad præcavenda hæc mala non occurrit, nisi ut Summi Pontifices in suis Constitutionibus severe urgeant promulgationem suarum legum, vel ut faciant per suos Nuntios statis temporibus celebrari Synodos Provinciales, & Diœcesanas, in quibus ipsi Nuntii præsentes sint, & promulgent novas leges Pontificias, renovent antiquas. Itaque quando leges a *Summis Pontificibus pro tota Ecclesia* eduntur, eas quisque juxta earum tenorem ac mentem servare & promovere studeat. Si dubium est; utrum particulares circum-

cumstantiæ locorum ac temporum tales sint, quæ Legislatorem prudenter movere possent ad suspendendam obligationem in actu secundo pro tali provincia, Diœcesi, vel circumstantia, consulat quisque sensum Doctorum nationalium eruditione & pietate insignium, mentem suorum antistitum, exemplum ac praxin notoriam timoratorum, ac ipsas leges prudentiæ, ex quibus intelliget, an considerato complexo circumstantiarum regionalium obligatio legis Pontificiæ in actu secundo ex obedientia paucorum observantium plus perturbationis, scandali, & præjudicii quam commodi bono communi Ecclesiæ per legem intento allatura sit. Hæc enim ipsissima, ut videtur, ratio est, cur Summi Pontifices ordinarie in suis Bullis abstrahant ab obligatione ulterioris promulgationis faciendæ vel non faciendæ in Diœcesibus, ut quandam relinquant facultatem considerationum regionalium, & libertatem ampliorem interpretandi mentem Pontificiam diversam pro diversa congruentia locorum & temporum. Si enim, prout habetur in C. *si quando* de Rescriptis, Summi Pontifices *patienter sustinent* omissionem præscriptorum in Rescripto seu *mandato personali*, ubi circumstantiæ observantiam non permittunt, multo magis patienter sustinebunt interpretationem mentis Pontificiæ in lege generali indefinita quoad modum vel ordinem requisitæ in quavis lege particulari. Hæc observatio notabilis, quæ in multis casibus servire potest pro *Regula generali* ac *fundamentali* pro regnis ac populis a Roma valde remotis, seu ut vocari solent, *ultramontanis* vel *ultramarinis*, fundatur in constitutione *Bonifacii* VIII. relata in c. *licet* 1. de constitut. in 6. his verbis: *Licet Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur. Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta, cum sint facti & in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare.* Quod hoc loco Pontifex declarat circa constitutiones *revocatorias*, recte extenditur ad constitutiones novæ legis *constitutivas*. Cæterum generaliter loquendo, sive habeatur scientia legis ex notitia privata, sive ex notorietate publica, sive ex promulgatione authentica Ordinarii, cum obligatio unice dependeat a mente Summorum Pontificum, illud ratum fixumque divinitus manet, quod Christus Lucæ 12. v. 48. sanxit: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non facit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Horum verborum prima pars spectat ad eos, qui, dum decreta Pontificum sciunt, se non *præparant* ad eorum *congruam* observantiam, exemplo suo, quantum in se est, inducendam & roborandam, nisi forte Regula *Bonifacii* VIII. obstiterit: altera pars eorum est, qui negligunt aquirere scientiam decretorum Ecclesiæ & Summorum Pontificum. Neutri enim amant Deum, quia non amant ordinem & decorem Ecclesiæ, sponsæ Christi.

§. VII.

De obligatione Legum, præsertim in dubio Conscientiæ.

Quæritur 1. An leges Civiles obligent in conscientia?

Respondeo. 1. Leges Civiles justæ obligant in conscientia. Justæ autem sunt, quæ ordinantur ad bonum commune servata æqua proportione onerum in subditos. Ita respondet D. Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. c. ubi sic discurrit: „Dicendum, quod leges humanæ sunt „justæ vel injustæ. Si justæ sint, ha„bent vim obligandi in foro conscien„tiæ a lege æterna, a qua derivantur, se„cundum illud Proverb. 8. *Per me reges* „*regnant, & legum conditores justa de*„*cernunt*. Dicuntur autem leges *justæ* & ex

„ *& ex fine*, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune, & *ex authore* quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis, & *ex forma*, quando ſcilicet ſecundum *æqualitatem proportionis* imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum, quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis: ſicut & quælibet pars id, quod eſt, eſt totius. Unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges hujuſmodi onera *proportionabiliter* inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt *leges legales*. Injuſtæ autem ſunt leges dupliciter. Uno modo *per contrarietatem* ad bonum humanum econtrario prædictis: vel *ex fine* ſicut cum aliquis præſidens leges imponit onerofas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam: vel etiam ex authore, ſicut cum aliquis legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem; vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini diſpenſatur, etiamſi ordinentur ad bonum commune. Et hujuſmodi magis ſunt violentiæ, quam leges; quia, ſicut Auguſtinus dicit l. 1. de lib. arbit. c. 5. *Lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit*. Unde tales leges non obligant in foro conſcientiæ; niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod homo etiam juri ſuo debet cedere. Alio modo leges poſſunt eſſe injuſtæ per contrarietatem ad bonum divinum, ſicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud, quod ſit contra legem divinam. Et tales leges nullo modo licet obſervare.

Reſpondeo 2. Leges Civiles juſtæ etiam pure pœnales obligant in conſcientia ad non reſiſtendum miniſtris juſtitiæ, ſi delinquentem in tranſgreſſione deprehenſum, vel ſufficientibus indiciis gravatum trahant ad pœnam lege taxatam. Id.

Probatur ex Apoſtolo ad Rom. 13. ubi ſic ſcribit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi a Deo. Quæ autem a Deo ſunt, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem aquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoque neceſſitati ſubditi eſtote; non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

Reſpondeo 3. Tamdiu & eatenus leges civiles habendæ ſunt pro juſtis, quamdiu & quatenus non evidenter conſtat, eſſe injuſtas. Ratio eſt, quia moraliter impoſſibile eſt, ſubditis particularibus perſpectum eſſe ſufficienter ſtatum & neceſſitatem Reipublicæ, vel regni. Subditis enim frequenter videntur ſuperflui ſumptus, qui pertinent ad congruæ magnificentiæ virtutem, vel ad ſecuritatem tranquillitatis publicæ. Itaque niſi aut defectus ordinationis ad bonum commune, aut defectus improportionis manifeſti ſint, non licet injuſtitiæ damnare legem civilem. *Dixi eatenus*, quia aliquæ leges ſunt diviſibiles.

Quæritur 2. Unde colligi poſſit, utrum ſit tantum pœnalis, ſeu obligatoria ſolum ad pœnam?

Reſpondeo. In hac re dari poſſe ſequentes Regulas.

Regula 1. Illæ Leges Civiles obligant in conſcientia, quarum ſimul & *finis*, & ſimul *gravis obligatio* moraliter neceſſaria ſunt ad bonum commune. Sic, quando Tributa, vectigalia, ſteuræ, & aliæ collectationes vel exactiones ordinantur ad congruentem ſuſtentationem principis,

pis, vel ad dissolvenda debita regni vel Reipublicæ, hic *finis* haud dubie necessarius est bono communi subditorum, ad quod proin juxta ordinatam divisionem Principis subditi tenentur jure naturali concurrere. Sicut enim Principis est, taxare pretium mercium; ita ejus est, taxare singulorum ratum seu portionem & modum pro contributione & cooperatione ad bonum commune. Sed quamvis ipse finis, puta, conservatio Principis, militiæ, munitionum, legatorum, religionis, bonarum artium, & fidei publicæ datæ circa contractus & pacta &c. sit moraliter necessarius ad bonum statum regni vel Reipublicæ, non tamen sequitur, quod ad conquirenda idonea huic fini media semper & universim moraliter necessaria sit *gravis obligatio* in conscientia; quia videtur, ad obtinendum illum finem aliquando sufficere obligationem ad pœnam, seu legem pœnalem. Sive enim subditus obligetur in conscientia, sive non obligetur, princeps nihilominus æque certo obtinet steuras, & alias præstationes ordinarias adhærentes familiis habentibus quasi domicilium in provincia. Hinc ad inducendam obligationem in conscientia non solum requiritur, ut *finis* per leges civiles intentus sit moraliter necessarius pro bono communi, sed etiam ut *gravis obligatio* in conscientia sit ad bonum commune necessaria. Sit proin

Regula 2. Ad præstationes introductas Jure gentium pro conservatione boni communis moraliter necessaria est gravis obligatio in conscientia. Ratio est, quia nisi daretur ad ejusmodi præstationes gravis obligatio in conscientia, non committeret grave crimen, qui exactores præstationum ante vel post earum actualem exactionem fraude, dolo, mendacio, aut incussione metus eluderet; sed hoc non potest dici. Ergo; min. prob. Hoc repugnat inprimis honestati religionis, quæ jure gentium & naturæ spectatur tanquam primarium constitutivum bonæ Reipublicæ vel imperii; secundo generalis licentia seu deobligatio a gravi peccato manifeste cederet in grave damnum boni communis; tertio id repugnat sensui communi populorum, etiam gentilium, & dictamini naturali parendi jussis justis principum.

Regula 3. Leges Civiles dictantes *habentibus* solam mulctam pecuniariam nec divites nec pauperes obligant in conscientia, nisi ad pœnam sine violentia subeundam. Ratio est; quia si obligarent in conscientia, etiam divites subjici deberent castigationi corporali, æque ac pauperes.

Regula 4. Leges Civiles præcipientes vel prohibentes actum sine taxatione pœnæ pecuniariæ vel corporalis ante exactionem personalem pœnæ tunc solum obligant in conscientia, quando deobligatio a peccato gravi vel cedit in religionis gravem ignominiam, vel in grave præjudicium boni communis, vel in grave periculum familiarum multarum. Hæc regula est consentanea sensui communi Doctorum & indoctorum. Ergo est admittenda *ant. prob.* ex solutione objectionum.

Dices 1. Æque probabilis est sententia opposita, asserens, nullam legem, saltem civilem, quæ in transgressores statuit pœnam temporalem, obligare sub peccato mortali, vel in conscientia, nisi id legislator expresserit. *ant. prob.* hujus sententiæ est Navarrus & plures alii relati a Palao. 2. Princeps sæcularis ne quidem habet jurisdictionem pro foro interno. Ergo non potest obligare in conscientia. 3. Principes Christiani eodem modo nunc obligant suos subditos, quo illos prius obligaverant Principes gentiles; sed principes gentiles non intendebant obligare in conscientia. 4. Non sunt laquei conscientiarum subditis injiciendi sine necessitate, sed nulla est necessitas hujusmodi obligationis in conscientia. Ergo; min. prob. Principes terrore pænarum sufficienter obtinent finem legum. 5. Principes sciunt probabilitatem hujus sententiæ & praxin; & tamen nunquam transgressores *maleficii* seu prævaricationis contra legem naturalem vel divinam condemnant. 6. Consuetudo etiam proborum ac timoratorum habet, ut, ubi possunt, declinent a via ad declinanda vectigalia, vel ut studeant

sub-

ſubterfugere exactionem tributorum, cenſitionem ac deſcriptionem bonorum immobilium, æſtimationem mobilium & jurium, capitationem, cenſum ungularium, focarium &c. non obſtante quod principes ſerio præcipiant ingenuam deſignationem bonorum, & obſervantiam viæ publicæ &c. 7. Si a nobis obligatio legum civilium pro conſcientia ſolum reſtringitur ad hoc, ut nulla fraude utamur poſt exactionem, vel citationem, aut interpellationem, videtur idem dici, quod dicit ſententia oppoſita.

Reſpondeo

Ad 1. n. a. Authores enim oppoſitæ ſententiæ non conveniunt inter ſe, & plerique eorum non tuentur illam tanquam æque probabilem, ſed præciſe ut probabilem agnoſcunt addentes, noſtram eſſe probabiliorem. Dein ſola probabilitas extrinſeca non eſt bona regula morum circa leges naturales & divinas.

Ad 2. c. a. d. c. Ergo non poſſunt obligare directe & in materia Eccleſiaſtica. c. indirecte in materia politica. n.

Ad 3. c. maj. diſt. min. gentiles legislatores non obligarunt in conſcientia intentione perſonali. tr. intentione legali n. m. Nam etiam legislatores Ethnici, quamvis aliqui eorum forent athei, intentione tamen legali, *quatenus* intendunt fungi officio boni legislatoris, volunt ſubditos obligare modo meliore, quo poſſunt. Imo etiam tales athei cum ſint hypocritæ, in ſubditis potius fovent exiſtimationem religionis.

Ad 4. c. maj. n. min. ad prob. n. a. Si enim non daretur obligatio in conſcientia, non eſſet peccatum mortale, ſed veniale tantum, ſi quis dolo, mendacio, vel fraude ſe liberaret a legum onere. Conſequenter cum homines non curent peccata venialia, innumeræ multiplicarentur transgreſſiones legum civilium, v. g. loco tributi vel ſteuræ dando falſam monetam; mentiendo infortunia, fingendo falſas ſchedas ſolutionisfactæ, aut falſa ſigna mercium, aut falſas teſtimoniales mercium *in tranſitu* &c. &c.

Ad. 5. Dico, eam principum moderationem non eſſe ſignum approbationis vel conſenſus legalis; ſed eſſe ſignum dubitationis de veritate aut falſitate ſententiæ. In dubio autem nondum determinato per Eccleſiam non decet principes agere criminaliter adverſus transgreſſores.

Ad 6. Eſt ea praxis timoratorum, ſi ejusmodi declinatio legum poſſit fieri ſine fraude, dolo, mendacio &c. continente intrinſecam malitiam repugnantem legi divinæ, naturali, pactis, aut aliis legibus Eccleſiaſticis &c. tr. ſecus. n.

Ad 7. n. a. Patroni enim ſententiæ oppoſitæ tenentur admittere, eos non peccare mortaliter, qui fraude, vel mendacio, vel dolo illicito, vel terrore ſe liberant a lege in re gravis momenti; quod negatur in noſtra ſententia.

Dixi dolo illicito. Non eſt autem dolus illicitus, uti jure ſuo, v. g. ſequendo aliam viam, reticere vel tegere bona, uti æquivocatione licita, ut effugiatur cenſorum vel exactorum circumſpectio. Omnis autem falſatio verborum, ſignorum, ſchedarum, &c. ad fraudem ac dolum illicitum referenda eſt; & relate ad hunc finem ſeu ad decipiendum principem in ſuis miniſtris merito habetur pro objecto gravis indignationis, & eoipſo meretur etiam punitionem corporalem, ac continet inhoneſtatem publicam etiam in æſtimatione communi, quæ frequentata a Chriſtianis inter Ethnicos, vel a catholicis inter hæreticos cederet in contemptum & ignominiam noſtræ religionis. Ex moribus enim communitatis ducitur præſumptio pro vel contra religionem.

Quæritur 3. An leges divinæ obligent cum detrimento vitæ, aut gravi detrimento honoris & bonorum?

Reſpondeo 1. Leges divinæ circa objecta neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem obligant cum detrimento etiam vitæ. Voco autem neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo etiam invicibiliter ignorato non poteſt obtineri ſalus. Ratio eſt, quia ſalus animæ ſaluti corporis præponenda eſt. Tale medium eſt profeſſio

fessio & adoratio unius Dei remuneratoris bonorum & vindicis malorum.

Respondeo. 2. Leges divinæ circa media moraliter necessaria ad obtinendam salutem æternam obligant saltem cum periculo vitæ & jacturæ bonorum. Ratio est, quia morale periculum amittendæ salutis æternæ est infinities majus malum, quam periculum amittendæ vitæ & bonorum.

Respondeo 3. Leges divinæ circa objecta moraliter necessaria ad promovendum ingens irreparabile emolumentum vel præcavendum ingens detrimentum divinæ gloriæ in publico religionis negotio obligant etiam cum periculo vitæ & jacturæ bonorum. Ratio est, quia publicum & generale religionis certum bonum ex sensu communi naturæ præponendum est bono privato alicujus membri communitatis; prout patet ex dictamine naturæ jubentis, ut manus vel brachium exponatur pro securitate totius corporis.

Respondeo 4. Leges divinæ circa objecta moraliter necessaria ad avertendam ruinam spiritualem plurimorum certam vel ad avertendum justum contemptum publicum nostræ religionis obligant etiam cum periculo vitæ & jacturæ bonorum. Ratio est, quia ingens emolumentum divinæ gloriæ propriæ vitæ anteponendum est.

Respondeo 5. Leges divinæ circa objecta nec moraliter necessaria ad salutem propriam, nec ad ingens publicum emolumentum divinæ gloriæ, sed tantum requisita ad melius esse propriæ salutis aut divinæ gloriæ non obligant cum periculo vitæ, vel jacturæ bonorum. Ratio est, quia ab exemplis Sanctorum judicio Ecclesiæ laudatis constat, eos ita sensisse de bonitate divina. Sic dabatur quidem lex divina sanctificandi diem Sabbati, adeoque abstinendi ab armorum strepitu; non tamen pro casu, quo periclitabatur vita ex aggressione hostium, vel quo esset extrahenda ovis de puteo alioquin peritura, prout desumitur ex libris Machabæorum & ex Evangelio. Sic etiam datur lex divina suscipiendi baptismum in re, & exterius profitendi Religionem veram. Nec tamen Josephus Patriarcha in Ægypto, aut Moyses in aula Pharaonis ante annum ætatis quadragesimum, nec Esther in aula Assueri profitebantur publice Religionem Judaicam, quam colebant; quod ipsum etiam sentiendum de Nicodemo, qui clam noctu veniebat ad Christum &c. Differebant enim suam professionem publicam in tempus, quo id exigebat necessitas Religionis & generale emolumentum ingens divinæ gloriæ. Sic etiam erant multi occulti Christiani in aula Neronis, Diocletiani, & Juliani Apostatæ. Cæterum qui ejusmodi sunt v. g. inter Turcas vel hæreticos, tenentur tamen suam professionem fidei edere privatim coram uno vel altero teste, si quem habere possunt, Catholico, & servare præcepta, quæ sine vitæ periculo, vel jacturæ bonorum servari possunt, prout dictum est in *Theol. Eclect.* de fide.

Quæritur 4. An leges Ecclesiasticæ, aut Civiles aliquando obligent cum detrimento vitæ, vel jactura honoris & bonorum?

Respondeo 1. Obligant etiam cum detrimento vitæ, vel jactura honoris, & bonorum, quando alioquin irreparabile ingens detrimentum Religionis vel Reipublicæ evitari non potest. Ratio est, quia quodlibet Corpus naturale & politicum recte fert & ordinat jacturam membri non necessarii ad conservationem totius aut præservationem a malo eminenter majore irreparabili. Sic & Christus Matth. 5. v. 29. dicit: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te.*

Respondeo 2. Obligant etiam cum periculo vitæ vel jacturæ bonorum, quando alioquin æquale periculum ingentis detrimenti irreparabilis in Religione vel Republica evitari non potest. Ratio est, quia ita poscit ordo charitatis in quovis corpore naturali vel politico.

Respondeo 3. Utrum vero damnum sit revera *totius* Religionis aut Reipublicæ? vel an sit tantum *membri notabilis*? an sit damnum enorme? an sit irre-

irreparabile? an damnum per sui expositionem possit *certo* impediri? an non sit æqualis spes damni impediendi *aliis mediis* vel *alio tempore*? dependet ex prudenti æstimatione omnium circumstantiarum.

Respondeo 4. Leges Ecclesiasticæ vel Civiles non obligant ad evitandum contemptum vel damnificationem Religionis aut Reipublicæ solum *transeuntem ac facile reparabilem* cum gravi damno fortunarum. Id probatur ex sensu & praxi fidelium. Sic enim non tenetur audire sacrum die festo, vel jejunare, aut abstinere a carnibus, qui id sine gravi damno, vel periculo observare non potest.

Respondeo 5. Quando autem transgressio legis vergeret ad generalem abusum stabilem, præjudicantem bono Religionis aut Reipublicæ notabili, Leges Ecclesiasticæ ac Civiles obligant cum notabili damno aut incommodo. Sic enim ex eo, quod cibi esuriales sanitatem alicujus incommodent, aut sine notabili dispendio rei familiaris comparari non possint tempore quadragesimæ, non licet seipsum propria authoritate eximere a lege, sed opus est cognitione & dispensatione Superioris in casu exemptionis dubio.

Quæritur 5. An Leges obligent ad non ponenda vel removenda impedimenta ad observantiam legum?

Respondeo 1. cum *Palao*. Leges naturales obligant per se ad removenda omnia impedimenta, obstantia illarum executioni; atque ad ponenda media, necessaria ad illarum executionem. Ratio est, quia, cum prudentia sit ratio seu ordinatio mediorum ad finem, Legislator imprudenter obligaret ad finem, quin obligaret ad assumenda proportionata media ad finem, inter quæ sine dubio est remotio & non positio impedimentorum. Sic dum Lex naturalis Judicem, Confessarium, Medicum &c. obligat ad recte obeundum suum Officium, eoipso illum obligat ad comparandam sibi scientiam sufficientem. Sic etiam, dum lex naturalis obligat ad officia charitatis christianæ erga proximum, v. g. ad eleemosynam, vel correctionem fraternam, obligat simul ad ponenda media & removenda impedimenta pro executione hujus mandati, nisi videlicet concurrat alia difficultas extrinseca sufficienter excusans a positione mediorum, vel remotione impedimentorum.

Respondeo 2. Idem dicendum circa Leges Ecclesiasticas & Civiles. Ratio est; quia prudentia legislativa etiam in Legislatore Ecclesiastico ac Civili postulat, ut obligando ad finem obliget ad media, inter quæ est etiam remotio impedimentorum, nisi concurrente difficultate extrinseca in remotione impedimentorum pro tali circumstantia & casu deficiat obligatio ipsius legis. Hinc verum quidem est, quod artifex vel agricola non teneatur abstinere a labore, sicque tollere impedimentum jejunii in Quadragesima; nec itinerans tenetur abstinere a fatigoso itinere, tanquam impedimento jejunii, sed in tali casu lex non obligat ad finem & deobligat a mediis, sed pro tali circumstantia deobligat, seu potius non obligat ad ipsum finem, nempe jejunium. Econtra quandocunque lex pro tali casu & circumstantiarum complexo obligat ad finem, etiam obligat ad media. Sic 1. Cum omnes fideles teneantur audire sacrum die festivo, superveniens huic præcepto delictum habens annexam excommunicationem, non tollit obligationem in excommunicato tollendi, quandocunque fieri potest, excommunicationis impedimentum ad audiendum sacrum. 2. Quamvis sumptio medicinæ excuset ab audiendo sacro, si tamen sine incommodo possit differri sumptio medicinæ, datur obligatio differendi medicinam. 3. Quamvis carentia Breviarii excuset a recitatione Breviarii, datur tamen obligatio sibi procurandi Breviarium, vel amissum investigandi, si sine gravi damno vel incommodo fieri possit. 4. Quamvis moralis impotentia excuset ab audiendo Sacro, & in ebrio reperiatur talis impotentia, datur tamen obligatio non ponendi hoc impedimentum inebriationis, ubi potest prævideri periculum. . Idem dicendum, si ex alia actione peccaminosa, v. g. ex sumptione cibi nocivi, vena-

venatione, &c. prævidere possit, se impediendum a recitando Breviario, audiendo Sacro, servando jejunio. 6. Idem dicendum de eo, qui in Quadragesima sine motivo vincendæ gravis tentationis non voluntariæ in causa petit debitum conjugale & exinde se eximit a servando jejunio. Monstra sunt opinionum, quæ in hac re *Palao* punct. 21. n. 3. nimis tepide refutat.

Quæritur 6. Ex quibus indiciis possit colligi, an sit gravis vel levis obligatio legum?

Respondeo. Id desumi posse 1. *ex tenore legis*. v. g. si actio prohibeatur tanquam *abominatio*, tanquam *scelus*, aut *crimen*, vel *in virtute obedientiæ*, vel *sub indignatione Dei*. Hæc enim malitiam gravem indicant. 2. *ex natura objecti*. Utrum videlicet petat prohiberi sub gravi, tanquam impeditivum boni communis in re gravi, vel petat præcipi tanquam medium necessarium pro conservatione boni communis, qualia sunt homicidium, adulterium, furtum, &c. 3. Ex gravitate pœnæ, quæ infligitur. Neque enim pro levibus culpis ex suo genere recte infliguntur pœnæ graves. Valde autem absurdum est, *excommunicationem minorem* & *Interdictum* habere tantum pro pœna levi, cum Canones pœnitentiales ea tantum statuerint pro culpis gravibus, prout ostendi in Tract. *de pœnit.* 4. Ex communi sensu Doctorum insignium circa leges naturales & divinas. Hi enim soli præsumuntur habere notitiam traditionum & lumina superna eatenus requisita. 5. Ex communi sensu fidelium & praxi timoratorum circa Leges pure Ecclesiasticas & Civiles. Hic enim sensus format consuetudinem, cui, si rationalis sit, accedit consensus legalis Legislatoris Ecclesiastici, vel Civilis.

§. VIII.

De Interpretatione Legum, & Epikia.

QUæritur 1. Quid sit interpretatio legis.

Respondeo. Interpretatio legis est rationabilis de mente Legislatoris ex variis conjecturis ducta præsumptio.

Quæritur 2. Quotuplex sit interpretatio?

Respondeo. Interpretatio est triplex; *privata*, *Magistralis*, & *authentica*. *Privata* dicitur, quæ sumitur ex proprio vel alterius viri prudentis judicio. *Magistralis* vocatur, quæ ducitur ex communi sensu Doctorum eruditione, pietate, & authoritate insignium. *Authentica* est, quæ fit ab eo, qui habet potestatem ordinariam vel delegatam obligandi ad modum legis conformiter ad mentem interpretis. Sic Præfecti Provinciarum, & Tribunalia aliquando solent habere potestatem delegatam obligandi subditos ad suas declarationes legum.

Quæritur 3. Quæ & quot sint principia bonæ Interpretationis?

Respondeo. Tria sunt principia bonæ interpretationis. 1. *Tenor ac proprietas verborum*. 2. *Subjecta materia*, seu, ut alii loquuntur, *substratum*. 3. *Intentio Legislatoris aliunde nota*.

Quæritur 4. Quid sit *Epikia*?

Respondeo. Epikia vocatur benigna interpretatio legis pro particulari circumstantia præsumptive non prævisa, aut comprehensa a lege.

Quæritur 5. Quis verborum tenor pariat præsumptionem pro rigorosa obligatione præcepti seu legis? Et quis solum fundet præsumptionem consilii aut exhortationis?

Respondeo 1. Ad obligationem præcepti seu legis communiter referenda censentur hæc verba: *Præcipimus*, *imperamus*, *jubemus*, *mandamus*; vel ista: *Prohibemus*, *inhibemus*, *vetamus*, *interdicimus*, Item verba æquipollentia: *Teneantur omnes; obligentur omnes; nemini liceat; nemo possit &c.*

Respondeo 2. Verba ad rigorosam obligationem præcepti, vel solam rationem consilii, exhortationis, aut directionis indifferentia ac dubia a multis authoribus habentur ista: *Volumus*, *decernimus ordinamus*, *statuimus*, *hortamur*, *sancimus*, *intendimus*, *innovamus*. Immo ad verba dubiæ obligationis ab authoribus etiam trahuntur ea, quæ sunt modi impera-

perativi; *cavete*, *facite*, *abstineant omnes*, *nemo audeat;* Item hæc verba: *debent*, *oportet*, in quibus volunt solam *necessitatem honestatis* aut *debitum congruentiæ* importari. Verum hæ authorum expositiones ex larga probabilismi pharetra desumptæ videntur. Certum enim est, modum imperativum in Conciliis & Bullis Pontificiis ordinarie importare legem rigorose dictam. Sic in Concilio Tridentino, Seff. 13. C. 5. & 7. ubi sacerdotibus peccato mortali obstrictis, si præmissa sola contritione in defectu confessarii celebrent, injungitur confessio sine mora his verbis: *Si necessitate urgente sacerdos absque præmissa confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Et in his verbis tantum importari consilium non præceptum, damnatum est ab Alexandro VII. in sequenti propositione 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est consilium, non præceptum.* Sic etiam indubitatum est, præceptum importari in Decreto Clementis VIII. de casuum reservatione, ubi dicitur: *Caveant diligentissime, ne ea notione, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.* Itaque nimis laxæ sunt præfatæ ambiguitates authorum: atque illi termini, *volumus*, *decernimus*, *ordinamus*, *statuimus*, *sancimus*, *caveant*, *abstineant*, *nemo audeat*, *debent*, *oportet*, & modi imperativi in scriptis legislatorum vel collectionibus legum contenti universim ad legem potius, quam ad consilium honestatis referendi, nisi aliud constet ex subjecta materia, vel ex intentione authoris aliunde nota.

Quæritur 6. Quid superaddant legi illa verba, quæ in nonnullis constitutionibus reperiuntur: *Præcipimus in virtute obedientiæ; sub indignatione Dei*, vel Apostolorum Petri, & Pauli?

Respondeo. Illa verba significant inprimis *animum certum graviter obligandi*, secundo *gravissimum motivum* legis; tertio *excessum quemdam malitiæ & pœnæ* in transgressione legis.

Excipitur, nisi ex subjecta materia legis colligatur alia intentio Legislatoris. Nam si Legislator hos terminos non referat ad unum aliquem actum particularem ac determinatum, sed ad aliquod integrum corpus legum seu statutorum, præsumendum est, eum non velle sub obedientia & obtestatione divini judicii graviter obligare ad singulos Statutorum articulos, sed tantum ad substantiam totius corporis legum, ut videlicet a Superioribus urgeatur, & a subditis sine contemptu formali vel interpretativo custodiatur. Id patet ex sequenti Brevi Apostolico, quod asservatur in Collegio Germanico ad S. Apollinarem Romæ.

Breve Declaratorium Gregorii XIV. quo declaratur, quasdam formulas præceptivas in Constitutione Gregorii XIII. non obligare sub pœna peccati.

Gregorius PP. XIV.

AD perpetuam rei memoriam. Expedit interdum ea, quæ per Romanos Pontifices, licet originis suæ initio provido consilio statuta sunt, ad conscientiarum scrupula removenda aliquantulum moderari. Sane cum alias Fel. Record. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster ad felicem directionem & prosperum gubernium Collegii Germanici de Urbe a se pridem erecti, illiusque Alumnorum, Superiorumque & aliorum ibi degentium provida consideratione prospiciens nonnullas regulas, constitutiones, & ordinationes illius Collegii regimen concernentes per suas Litteras Kalendis Aprilis Pontificatus sui anno duodecimo datas ediderit, quas in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub obtestatione divini judicii, conscientiam quoque ipsius Collegii Rectoris desuper onerando observari præcepit; ac alias, prout in ipsis Litteris continetur, cumque sicut accepimus, ex hoc tam Superiorum, quam Subditorum mentibus scrupulus generetur, ne omnia in dictis Litteris contenta, quæ plurima sunt, & minima, ad peccati pœnam obligent. Nos omnem super præmissis dubitandi materiam præcidere, simulque conscientiarum Rectoris, & Collegialium personarum dicti Collegii Securitati consulere volentes

ac Litterarum prædictarum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio & ex certa nostra scientia per præsentes Authoritate Apostolica decernimus ac declaramus; Præceptum & verba prædicta ac alia in eisdem Litteris contenta ad peccati pœnam, nisi in his tantum, quæ ex sui natura peccatum inducerent, minime obligare; neque ipsius Gregorii Prædecessoris nostri voluntatem fuisse, ipsos Superiores & Subditos ex his peccati pœnam incurrere; Sed eo pacto Constitutionum & Ordinationum præfatarum observantiam arctiori studio illis commendare, sicque deinceps ab omnibus interpretari debere. Non obstantibus prædictis Litteris, ac aliis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac dicti Collegii Statutis, & Consuetudinibus, etiam juramento & Apostolica vel alia Authoritate roboratis, cæterisqae contrariis quibuscumque. Hortamur autem in Domino eosdem Rectorem, Superiores, & Collegiales personas Collegii prædicti, ut hujus declarationis prætextu Ordinationum prædictarum observantiam nec ullatenus relaxent, neque minori quam antea studio complectantur. Datum Romæ in Monte Quirinali sub annulo Piscatoris die 29. Maji MDLXXXI. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

Quæritur 7. Quales soleant tradi regulæ interpretandi leges?

Respondeo. Possunt tradi sequentes regulæ, a communi Doctorum receptæ.

1. Non est recedendum a proprietate verborum Legislatori synchrona, nisi manifesta cogat necessitas. *Dixi*, *Synchrona*, quia usitata verborum significatio, sicut mutatur successu temporum, ita ex usu illorum temporum, quo edita sunt, sumi debent.

2. Datur sufficiens necessitas recedendi a proprietate verborum, quando alioquin frustraretur finis legis, aut sequeretur manifesta absurditas. Addunt Doctores, etiam tunc posse recedi a proprietate verborum, quando alioquin sequeretur antilogia seu oppositio legum. Verum id non est concedendum, præsertim quando leges non agnoscunt eundem authorem, prout contingit in Corpore Juris Canonici & Civilis. Facilius enim est, ut diversi Legislatores ab invicem scienter vel ignoranter dissentiant, quam ut recedant a proprietate verborum inferendis legibus. Immo, cum idem author quandoque non satis memor omnium suarum expressionum a seipso variet etiam in eodem Legislatore, si multa & diversis temporibus ab invicem remotis congesserit, prout in Justiniano contigit, facilius concesserim, eum variare in modo legum, quam recedere a proprietate verborum.

3. *In legibus pœnalibus mitior interpretatio facienda est*. Ita habetur Regula 49. *de Reg. Juris* in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda*. Hoc tamen intelligendum, nisi alioquin per benigniorem interpretationem inferatur vis proprietati verborum, aut nisi notabiliter mutiletur finis adæquatus legum, aut nisi appareat, benigniorem interpretationem opponi bono communi & intentioni Legislatoris aliunde notæ.

4. *In favorabilibus ampla interpretatio est facienda*. Ita habetur in regula 15. in 6. de Reg. Juris. *Odia restringi & favores convenit ampliari*. Hoc tamen intelligendum, nisi extensio favoris creet periculum bono communi, disciplinæ Ecclesiasticæ, decori universalis Ecclesiæ, recto ordini statuum præstabilito, aut juribus tertii, quæ omnia raro absunt a legum favorabilium ampliatione.

5. *In dubio ea interpretatio facienda est, ut res potius valeat, quam pereat*. Ita habetur l. 34. tit. 5. ff. *de rebus dubiis*, leg. 21. *Ubi est verborum ambiguitas, valet, quod actum est*. Exemplum ponitur; si quis faciat legatum *Ecclesiæ ad B. Virginem*, vel *Magdalenæ pauperi*, vel Petro Friburgensi, & sint duæ Ecclesiæ, vel personæ, vel urbes ejusdem nominis. Non enim asserendum est, hoc legatum neutri deberi, & legatum vel tradendum illi, ad quam legans respexit probabilius, vel jus dividendum est.

6. *Legum anteriorum per leges posteriores*

riores correctio vitanda est, ubi nulla cogit necessitas. Ita habetur C. *cum expediat, de electione* in 6. *Cum expediat concordare jura juribus, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, declaramus, decretalem Innoc. III. abrogatam non esse per sequens Concilium Generale.*

7. *Non tantum leges antiquæ per leges novas, sed etiam leges novæ per leges antiquas interpretandæ sunt.* Ita habetur l. 1. tit. 3. ff. *de legibus* leg. 26. & 27. & 28. ubi sic habetur: *Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, sed & priores leges ad posteriores pertinent, nisi contrariæ sint.*

8. *Quomodo una lex est explicativa alterius, omnes limitationes, restrictiones, extensiones, relationes &c. quæ pertinent ad unam, pertinent etiam ad alteram, nisi aliud exprimatur.* Ita habetur l. c. l. 27. *Quia antiquiores leges ad posteriores trahi usitatum est, semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut pertinerent, quæ quandoque similes erunt.* Sic etiam Imperator in authent. *de filiis ante dotalia*, Coll. 3. tit. 6. declarat; eas leges, quæ constitutæ sunt de filiis ante dotalia instrumenta natis, etiam subintelligendas in posteriori lege, quæ tractat de filiis post dotalia instrumenta natis, additque, se propterea prioris legis nullam fecisse expressionem in posteriore lege; *Cum omnibus manifestum sit, oportere ea, quæ adjecta sunt, per interpretationem in illis valere, in quibus interpretatis legibus sit locus.*

Quæritur 8. Quales reperiantur Regulæ in Jure Civili idoneæ ad interpretationem legum?

Respondeo. Ex Jure Civili erui possunt sequentes, ad interpretandas *leges humanas* ut plurimum idoneæ. Ad leges enim naturales & divinas, quæ rationem corruptam quoad suos fines ut plurimum latent aut superant, trahi non debent.

1. *Casus prorsus extraordinarii, quos Legislator verosimiliter non fuisset comprehensurus lege, si de iis cogitasset, præsumendi sunt exempti a lege.* Id insinuatur lib. 1. tit. 3. ff. de legibus, ubi l. 3. sic habetur: *Jura constitui oportet in*

bis, quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex inopinato. Et l. 4. *Ex his quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.* Et l. 5. *Ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eveniunt.* Et l. 6. *Quod semel aut bis existit, prætereunt legislatores.* Et l. 8. *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* Et l. 10. *Neque leges, neque Senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quæ plerumque accidunt, contineri.* Hæc tamen ita intelligenda sunt, ubi circumstantiæ extraordinariæ quoad substantiam tollunt *motivum generale & finem* legislatoris. His enim manentibus singularitas rara circumstantiarum non impedit, quin casus extraordinarius comprehendatur sub lege generali.

2. *Leges ad casus consimiles aut pares, præsertim ubi finis boni publici idem est, extendi debent.* Ita habetur l. c. l. 12. *Non possunt omnes articuli singillatim aut legibus aut senatusconsultis comprehendi; sed cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui jurisdictioni præest ad similia procedere, atque ita jus dicere debet.* Et l. 13. *Quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri.* Itaque etiam Confessarii, cum in foro interno jurisdictionem ab Ecclesia acceperint, obligando vel deobligando respicere debent ad casus, & fines legum consimiles.

3. *Benignitas in legum interpretatione eousque sectanda est, quousque tendit ad meliorem custodiam legum.* Ita insinuatur l. c. l. 18. *Benignius leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conservetur.*

4. *In legum interpretatione non facile supponenda est corruptio textus, præsertim ubi etiam supposita corruptione adhuc elucet intentio legislatoris.* Ita insinuatur l. c. l. 19. *In ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio, quæ vitio caret, præsertim cum etiam ex hoc voluntas legis colligi possit.*

5. *Ubi lex certa est, ratio legis in controversiam vocanda, & lex propterea mutilanda non est.* Id insinuatur l. c. l. 20. *Non omnium, quæ a majoribus constituta sunt, ratio reddi potest.* Et l. 21. *Et ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet; alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subvertuntur.* Intelligenda hæc sunt, nisi necessitas cogat ad inquirendam rationem legis, quando dubitatur de ejus extensione ad casus consimiles ad paritatem vel identitatem rationis.

6. *Interpretatio legum ab antiquis unanimiter recepta mutanda non est.* Id insinuatur l. c. l. 23. *Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt.*

7. *Judaicum & mechanicum est; mordicus inhærere particulis legum contextu non inspecto vel attento, ubi ex contextu intentio legislatoris manifesta esse potest.* Id colligitur l. c. ex l. 24. *Incivile est, nisi tota lege perspecta una aliqua ejus particula proposita judicare vel respondere.*

8. *Favores legum, qui multis prosunt, nulli obsunt, restringendi non sunt.* Ita habetur l. c. l. 25. *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* Jam superius monui, hæc vera esse, ubi favoris latitudo nec Reipublicæ, nec Ecclesiasticæ disciplinæ, nec cultui divino, nec saluti animarum præjudicat. Eodem modo intelligendum est illud, quod l. c. Tit. 4. l. 4. dicitur: *Beneficium Imperatoris, quod a divina ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.*

9. *Consuetudo legibus consentanea & coæva optima legum interpres est.* Ita habetur l. c. l. 37. *Si de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset, optima enim est legum interpres consuetudo.* Et l. 38. *Imperator Severus rescripsit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum authoritatem, vim legis obtinere debere. Dixi.* Consuetudo legibus *consentanea*, saltem quoad substantiam. Si enim legibus consentanea non sit, non explicat, sed abrogat legem.

10. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur, lib. 50. Tit. 17. ff. de Reg. Juris Reg. 9.

11. Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda, l. c. Reg. 10.

12. In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur, l. c. Reg. 12.

13. Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. l. c. Reg. 20.

14. Non debet, cui plus licet, quod minus est non licere. l. c. Reg. 21.

15. Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus & absentibus potest. l. c. Reg. 26.

16. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. l. c. Reg. 29.

17. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Ideo verborum obligatio verbis tollitur. l. c. Reg. 35.

18. Quidquid in calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse. Ideoque brevi reversa uxor nec divertisse videtur. l. c. Reg. 48.

19. Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. l. c. Reg. 50.

20. Nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse haberet. l. c. Reg. 54.

21. Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur l. c. Reg. 55.

22. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. l. c. Reg. 56.

23. Ea quæ raro accidunt, non temere in negotiis computantur. l. c. Reg. 64.

24. Invito beneficium non datur. l. c. Reg. 69.

25. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. l. c. Reg. 74.

26. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam. l. c. Reg. 75.

27. In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt, l. c. R. 76.

28. In

28. In toto jure generi per speciem derogatur; & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. l. c. Reg. 80.

29. Non est novum, ut quæ semel utiliter constituta sunt, durent; licet ille casus extiterit, a quo initium capere non potuerunt. l. c. Reg. 85.

30. In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est. l. c. Reg. 90.

31. In omnibus orationibus maxime sententia (seu intentio) spectanda est ejus, qui eas protulisset. l. c. Reg. 96.

32. Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur. l. c. Reg. 108.

33. Nullum crimen patitur, qui non prohibet, cum prohibere non potest. l. c. Reg. 109.

34. In eo, quod plus est, semper inest & minus. l. c. Reg. 109. In toto & pars continetur. l. c. Reg. 113.

35. In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet l. c. Reg. 114. Ex hac Regula sequitur, verba in ea significatione sumenda, quam *plerumque* ex usu ac consuetudine hominum habere solent.

36. In pari causa possessor potior haberi debet. l. c. Reg. 128.

37. Cum principalis causa non subsistit, nec ea, quæ sequuntur, locum habent. l. c. Reg. 129.

38. Qui tacet, non utique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare. l. c. Reg. 142.

39. Non omne, quod licet, honestum est. l. c. Reg. 144.

40. Semper specialia generalibus insunt. l. c. Reg. 147.

41. Cujus effectus omnibus prodest, ejus & partes ad omnes pertinent. l. c. Reg. 148.

42. In pœnalibus causis benignius interpretandum est. l. c. Reg. 155.

43. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in consequentiam trahi. l. c. Reg. 162.

44. Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. l. c. Reg. 168. Hoc intelligendum, ubi benignitas nec bono communi nec privato præjudicat.

45. Quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem. l. c. Reg. 168. Itaque expositio textuum, quæ a Doctoribus laxis fit, nullum monstrantibus zelum pro gloria Dei & bono communi, nullam fundat authoritatem.

46. Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus; tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est. l. c. Reg. 183. Huic regulæ concordat l. 3. ff. lib. 1. tit. 4. *In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est.*

47. Impossibilium nulla obligatio est. l. c. Reg. 185.

48. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. l. c. Reg. 192. Hoc loco sermo est de servitutibus, quæ tutius ad evitandum periculum lædendæ charitatis vel justitiæ alteri ceduntur, quam exiguntur.

49. Expressa nocent, non expressa non nocent. l. c. Reg. 196. Hinc interpretatio ex silentio Legislatoris humani, qui non raro ex instituto circa obligationes dubias silenter præterit, sæpe infirma est.

50. In conjunctionibus (nuptialibus) non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit. l. c. Reg. 197. Hinc ex eo, quod actio per legem humanam *impune* liceat, non est facienda interpretatio, eam per leges naturales & divinas honestam esse.

Quæritur 9. Quales reperiuntur in Jure Canonico Regulæ ad interpretandum leges idoneæ?

Respondeo. In *Sexto* Decretalium *inter Regulas juris* reperiuntur sequentes.

1. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. Reg. 11.

2. Odia restringi, & favores convenit ampliari. Reg. 15.

3. Decet concessum a principe beneficium esse mansurum. Reg. 16.

 4. In-

4. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum. Reg. 17.

5. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Reg. 18.

6. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. Reg. 21.

7. Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Reg. 28.

8. In obscuris minimum est sequendum. Reg. 30.

9. Generi per speciem derogatur. Reg. 34.

10. Plus semper in se continet, quod est minus. Reg. 35.

11. Utile non debet per inutile vitiari. Reg. 37.

12. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. Reg. 39.

13. Pluralis locutio duorum numero est contenta. Reg. 40.

14. Accessorium naturam sequi congruit principalis. Reg. 42.

15. Qui tacet, consentire videtur. Reg. 43.

16. Is qui tacet, non fatetur. Sed nec utique negare videtur. Reg. 44.

17. Inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. Reg. 45.

18. In pœnis benignior interpretatio est facienda. Reg. 49.

19. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Reg. 52.

20. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus. Reg. 53.

21. Qui prior est tempore, potior est jure. Reg. 54.

22. Qui sentit onus sentire debet commodum, & e converso. Reg. 55.

23. In re communi potior est conditio prohibentis. Reg. 56.

24. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda. Reg. 57.

25. Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Reg. 61.

26. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. Reg. 64.

27. Quod alicui suo nomine non licet, nec alieno licebit. Reg. 67.

28. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum. Reg. 68.

29. Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum. Reg. 72.

30. Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari. Reg. 73.

31. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. Reg. 74.

32. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. Reg. 78.

33. In toto partem non est dubium contineri. Reg. 80.

34. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Reg. 81.

35. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. Reg. 84.

36. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem (seu intentionem.) Reg. 88.

Explicatio harum Regularum habetur in *Peckio*. Plura *de Interpretatione* scripsi in *Arte Critica*, quam addidi in *Philosophia Pollingana*. Ibi enim *Parte III.* tractavi *de Hermenevtica*, seu *arte interpretandi*. Utilis etiam ad interpretandi rationem circa leges erit Liber XII. Cardinalis *de Luca*, ubi tractat *de Judiciis*, & elegantissime traducit *Legulistas* ob eorum Interpretationes legum *Judaicas* ac *mechanicas*, dum mordacissime cortici legum inhærent, *animam* vero legum, quæ est *intentio* legislatoris, negligunt.

Quæritur 10. Quid sit legem extendi ad alios casus ob *similitudinem*, *paritatem*, vel *identitatem* rationis.

Respondeo. *Identitas rationis* dicitur dari, ubi objectum materiale in æstimatione morali differt solo numero, & motivum formale legis adæquate idem est. Sic, quando Pontifex in C. *quia in insulis*, De Regularibus, declarat, professionem ante annum ætatis decimum octavum in monasterio A. emitti non posse, *quia ibi est dura congregatio*, eoipso etiam in aliis monasteriis

B. C. D.

B. C. D. ejusdem Insulæ, eandem regulam aut vivendi formam sectantibus eadem legis dispositio locum habebit *ob identitatem rationis*. Si vero quis eandem legis dispositionem extenderet ad alia monasteria diversæ regulæ in continenti & sub alio climate sita, in quibus tamen reperitur æque durus vel durior vivendi modus, diceretur lex extendi *ob paritatem rationis*, quia licet subjecta, seu objecta materialia, nempe monasteria diversis regulis adstricta, in æstimatione morali differant specie, ratio tamen, seu motivum, *par*, aut omnino *majus* est. Si vero & monasteria in diversa regione sint, & regulæ diversæ sint, & rigor vivendi in uno genere, (v. g. victus & vestitus moderatior in alio genere) v. g. vigiliarum, laborum, Psalmodiæ continuæ, silentii, jejuniorum frequentia, &c. severior sit, sic dicetur lex extendi ad casum consimilem *ob similitudinem rationis*. Similia enim dicuntur, quorum ratio partim eadem, partim diversa est. Aliud exemplum habetur in *Clementina I.* de Elect. ubi prohibetur eligi in Abbatem religiosus alterius ordinis. Ratio seu motivum hujus prohibitionis allegatur; *cum rationi non congruat, ut homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur*. Cum ergo eadem sit ratio circa (electiones Abbatissarum ex alio ordine & circa) electiones Religiosorum ad Episcopatus Ecclesiarum sæcularium, ea extensio legis ob paritatem, similitudinem, vel identitatem rationis fieri dicitur.

Quæritur II. Quænam sint observandæ Regulæ quoad extensionem legum ad casus consimiles?

Respondeo. Tradi *a Palao* quoad substantiam sequentes Regulas.

Regula I. In legibus pœnalibus, irritatoriis, & odiosis non datur extensio ad casus consimiles ob similitudinem vel identitatem rationis. Ita communis. Ratio est, quia legislator statuendo pœnam non prudenter ejus extensionem relinqueret judicio debili plerorumque hominum, sæpe æquiparantium, quæ æquiparanda non sunt; imo etiam legislatores merito horrent extensionem amplam pœnarum ad casus diversos, species diversos, de quibus in specie non cogitarunt.

Regula II. In legibus correctoriis non datur extensio ad casus consimiles ob similitudinem rationis. Ita communis. Ratio est, quia correctio legum odiosa; & ideo in mente legislatorum ultra limites necessitatis vel arbitrii contingentis extendibilis non est.

Regula III. In legibus exorbitantibus non datur extensio ad casus consimiles ob similitudinem vel identitatem rationis. Ratio est, quia leges exorbitantes a jure communi solum condi solent intuitu particularis personæ vel communitatis ex favore arbitrario, & ex respectu ad circumstantiam singularem, incommunicabilem pluribus. Itaque ex mente legislatoris non reperitur ratio sufficiens extensionis.

Regula IV. Etiam in favorabilibus non datur extensio ad casus consimiles, ubi ratio justitiæ vel æquitatis non petit extensionem. Ratio est; quia legislator juxta leges prudentiæ respicit saltem in confuso terminos suæ legis; Ergo cum non possit etiam in confuso respicere ad omnes casus consimiles, nec ponderare, an diversitas circumstantiarum patiatur & mereatur extensionem legis, non foret prudentiæ, ultra determinatos fines legislatori perspectos exire in terminos alienos necdum satis perpensos.

Regula V. In omni lege, non solum favorabili, sed etiam odiosa, pœnali & correctoria admittenda est illa extensio, qua negata legislator recte argueretur imprudentiæ vel injustitiæ.

Regula VI. In Correlativis tunc solum dispositio de uno correlativo extendenda est ad alterum correlativum, quando negata extensione legislator foret positive imprudens vel injustus. Id patet ab exemplis. Sic dum lex ob adulterium uxoris maritum eximit ab obligatione reddendi debitum, id extenditur recte etiam ad uxorem, ut a reddendo debito eximatur ob adulterium mariti, quia alioquin lex foret injusta, vel saltem imprudens. Sic etiam lex sponsæ concedit licentiam resiliendi a sponsalibus,

bus, si sponsus diu absit sine ejus licentia. Ergo etiam reciproce eadem facultas præsumitur esse tacite concessa ipsi sponso ob absentiam sponsæ. Item, dum lex marito concedit, ut succedat in bona uxoris, idem est concedendum uxori, ut succedat in bonis mariti; alioquin enim lex violaret justitiam distributivam, alias namque lex foret injusta.

Regula VII. Idem dicendum de æquiparatis. Sic, cum Falcidia & Trebellianica æquiparentur in Jure, quod disponitur de uno, non præsumitur disponi de altero, nisi justitia aut prudentia petat eandem dispositionem legis. Idem asserendum de electione, postulatione, provisione, & præsentatione, quæ & ipsa æquiparantur in variis textibus Juris.

Regula VIII. Idem dicendum de connexis inter se. Non enim idem præsumendum est disponi de connexo, nisi Legislator positivæ imprudentiæ aut injustitiæ arguendus foret, non disponendo paria. Quis enim dicat, idem semper disponi de *continente* & *contento*, v. g. de Diaconatu & Subdiaconatu, de Episcopatu vel Presbyteratu, & ordinibus inferioribus, licet sint connexa inter se? Item de *mensura* & *mensurato*, licet unum referatur ad alterum? Sic licet gradus consanguinitatis inter se connexa sint & affinitas, & publica honestas sponsalium, & cognatio spiritualis vel legalis quandam inter se connexionem vel continentiam dicant, non tamen quoad impedimenta, dispensationes, jura, privilegia, &c. idem disponitur de uno, quod disponitur de altero.

Regula IX. Etiamsi lex ob similitudinem rationis, correlationem, æquiparationem, connexionem, vel continentiam non semper extendatur ad terminum alterum similitudinis, correlationis, &c. Judex tamen in foro externo recte utitur ea extensione. Ratio est, quia ipsum Jus l. *nam* ff. de legibus, eam extensionem approbat his verbis: *Quando lex in uno disponit, bona est occasio, cætera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione vel jurisdictione suppleri.*

Plura de interpretatione legum *quoad modum obligandi* varium; & quoad diversum *modum requisitum in observantia* legum vide §. sequentem.

§. IX.

De vario modo obligandi quoad observantiam Legum.

QUæritur 1. An ad satisfaciendum legi requiratur intentio satisfaciendi præcepto?

Respondeo. Ad satisfaciendum *præcepto negativo*, v. g. *Non occides*, *non furtum facies*, non requiritur intentio, saltem *particularis*, satisfaciendi præcepto. Ita communis. Ratio est, quia præcepta negativa obligant *semper* & *pro semper*. Cum ergo omni momento observari debeant, Legislator imprudenter obligaret ad perpetuam intentionem *particularem* observandi singula præcepta negativa.

Respondeo 2. Loquendo etiam de præceptis affirmativis Ecclesiæ sufficit *intentio materialis positiva* & *formalis negativa* ad satisfaciendum præcepto. *Dixi Ecclesiæ*. Si enim sermo sit de præceptis affirmativis legis naturalis vel divinæ, non satisfit his præceptis sine intentione positiva faciendi etiam formaliter, quod Deus præcipit; quia hæ leges directe præcipiunt actus internos virtuosos ex se. Per intentionem *materialem positivam* intelligo volitionem liberam ponendi actum, *qui* est a lege præceptus. Per intentionem *formalem negativam* intelligo negationem liberam intentionis positive contrariæ, qua homo diceret, se per actum libere positum nolle satisfacere præcepto. Talem enim intentionem positive contrariam solent habere hæretici, quando motu proprio observant aliqua festa vel jejunia, vel ceremonias ab Ecclesia Romana præceptas. Solent enim, ita jubent Luthero, interponere protestationem, se ista non observare ex hoc motivo, quia Papa sic præcepit. *Responsio* sic explicata *probatur* ex communi sensu & praxi Ecclesiæ. Qui enim ex propria affectione

ac inclinatione amat patrem & matrem; aut qui propriæ devotionis impulsu accedit ad Ecclesiam, ibique die festo audit sacrum, non obligatur ad se accusandum in confessione de violatione tertii & quarti præcepti in Decalogo. Sufficit enim Ecclesiæ observatio libera sine intentione contraria.

Quæritur 2. An ebrius, dormiens, vel phreneticus, v. g. in febri calida, satisfaciat præcepto Ecclesiæ, si in ebrietate, somnio, aut phrenesi, recitet, v. g. Breviarium, aut intersit Sacro?

Respondeo. Non satisfacit. Omnis enim Legislator obligat ad actionem humanam, & ponendam modo humano. Actio autem humana non est, quæ libera non est; nec modus est humanus, qui liber non est. Cæterum aliud est, non satisfacere præcepto, & aliud non obligari ad satisfaciendum præcepto. Phrenetici enim non obligantur præcepto.

Quæritur 3. An satisfaciat legi, qui invitus adimplet legem Ecclesiasticam?

Respondeo. Etiam inviti satisfaciunt legi, dummodo habeant voluntatem internam ponendi saltem materialiter actus externos a lege Ecclesiastica præceptos, & non habeant intentionem positive contrariam, absolutam vel conditionatam ponendi formaliter actum. Ratio est, quia actio humana, licet ponatur ab invito, simpilciter tamen est voluntaria. Cæterum positive contrariam intentionem, saltem conditionatam, præsumuntur habere, qui ponunt signa externa moraliter incompossibilia cum interna volitione libera ponendi actum externum a lege præceptum. Sic quando milites compelluntur ad audiendum Sacrum die festo, vel quando incarceratis habetur Sacrum & Concio, prout in carceribus fieri solet Romæ, si positive vultum averterent, aut assumerent actionem incompossibilem cum attentione interna, eoipso monstrarent, se nec habere volitionem internam liberam ponendi *materialiter* actus præceptos. Plura de hoc genere intentionis materialis scripsi in Tract. *de Sacramentis* in genere, ubi egi de requisita intentione ministrorum Sacramenti.

Quæritur 4. An satisfaciat legi, qui nec habet intentionem ponendi materialiter actum a lege præceptum, nec habet intentionem positive contrariam?

Respondeo. Non satisfacit legi naturali, divinæ, vel Ecclesiasticæ, obliganti in conscientia: satisfacit tamen legi civili solum pœnali. Ratio est, quia lex naturalis vel divina directe præcipit actus internos conformes actibus externis, v. g. in præcepto exhibendi Deo actum religionis, vel rebus sacris & parentibus actum reverentiæ. Itaque impossibile est, legi naturali vel divinæ satisfieri sine intentione interna, ponendi saltem materialiter actum a lege præceptum. Imo cum lex naturalis & divina directe præcipiat actus internos ex suo genere virtuosos, illi legi ne quidem satisfieret *quoad substantiam præcepti* sine intentione ponendi *formaliter* actum præceptum, hoc est, quatenus est præceptus & quo modo est intentus a lege. Si vero lex fuerit Ecclesiastica, quæ directe præcipit actum externum, indirecte vero actum internum, prout suppono, impossibile est, satisfieri huic præcepto, si ad actum externum ne quidem concurrat volitio seu intentio interna ponendi libere actus externos a lege requisitos saltem materialiter. Hinc si incarcerati, qui compelluntur Romæ audire Sacrum, nullum libere ponerent, aut ponere vellent actum saltem externum reverentiæ, quem Ecclesia requirit tamquam signum protestativum præsentiæ moralis, non satisfacerent præcepto Ecclesiæ *quoad substantiam*. Actus enim ille internus est pars concreti ab Ecclesia præcepti, seu reverentis præsentiæ moralis. Aliud est circa leges pœnales civiles, quæ non curant actus internos in lege pœnali.

Quæritur 5. An satisfaciat præcepto, qui ponit quidem actionem præceptam, sed ignorat, eam esse præceptam?

Respondeo. Si ponatur illa actio ex bono motivo subordinato vel subordinabili ad intentionem Ecclesiæ, satisfit præcepto Ecclesiæ. Ratio est, quia prudentia & æquitas poscit, ut Ecclesia vel Deus pro rato & accepto in solutum

accipiat ejusmodi actionem. Idque declarat sensus communis & praxis fidelium. Si enim v. g. vir probus, consuetus audire quotidie sacrum, in die, quem ferialem existimat, mane audiat Sacrum, ac dein comperiat, esse diem festum ex novo præcepto Ecclesiæ, non obligabitur ad audiendum Sacrum. Neque is, qui in Quadragesima communicat in Parochia in festo Annuntiationis, ignorans jam iniisse tempus Paschale, adstringetur ad novam communionem Paschalem.

Quæritur 6. An is, qui audit Missam præcise ex fine illicito, v. g. vanæ gloriæ, vel animo videndi & seducendi, satisfaciat præcepto Ecclesiæ?

Respondeo. Si operans habeat duos fines concomitantes, quorum unus est impletio præcepti, alter satisfactio inordinati appetitus, satisfacit præcepto. Si vero unicus finis sit satisfactio inordinati appetitus, non satisfacit præcepto. An vero finis illicitus se habeat tantum *concomitanter* ad finem bonum; aut potius *per modum finis unici*, præsumptive colligitur ex habituali dispositione operantis. Si enim operans soleat omittere opus præceptum non concurrente fine vitioso, præsumendum est, ejus finem unicum, ac motivum esse finem vitiosum. Si autem alias non soleat omittere opus præceptum etiam non concurrente fine vitioso, præsumendum est, ab eo respici duos fines *concomitanter*, unum bonum, alterum vitiosum. Responsio *probatur* ex communi sensu & praxi Ecclesiæ. Neque enim obligatur ad audiendum aliud sacrum, qui concomitanter ex auditione Sacri intendit vanam gloriam; sic etiam qui in Quadragesima per unicam refectionem intendit concomitanter satisfacere suæ gulæ, non censetur violasse jejunium non jejunando. Hinc ad præsentem quæstionem non bene respondent, qui docent, universim satisfieri præcepto, quoties ponitur *substantia actus*, cui accidit finis vitiosus *extrinsecus*. Aliud enim est, quod vitiosus finis *extrinsece accidat* substantiæ actus externi præcepti; & aliud est, quod ille finis se habeat *accidentaliter* seu *concomitanter* ad operantis intentionem. Si enim finis vitiosus sit finis unicus operantis, non potest dici, quod hic finis sit *accidentalis* seu extrinsecus intentioni operantis.

Quæritur 7. An satisfaciat præcepto, qui ponit quidem ex bono fine actum præceptum, v. g. auditionem sacri, vel recitationem Breviarii cum socio, sed expresse intendit, hoc actu individuo nondum satisfacere præcepto?

Respondeo. Si talis opus præceptum peragat eo modo externo & interno, quem Ecclesia requirit, Ecclesia merito acceptat opus in solutum; ita ut postmodum ipsi liceat mutare propositum & omittere novam impletionem præcepti. Si vero inattente & indevote studiosa negligentia audiat Sacrum vel recitet Breviarium cum proposito audiendi aliud sacrum devote, & de novo recitandi Breviarium attente, Ecclesia non præsumitur acceptare prius opus in solutum. Ratio est, quia in hoc posteriore casu operans ad evitandum grave peccatum ex neglectu totali omnis devotionis vel attentionis tacito quodam pacto se obligat Ecclesiæ ad supplendum opus modo debito. Nisi enim interveniret tale pactum tacitum, sequeretur, eum non peccaturum in dicto casu graviter, qui totum Breviarium recitasset cum voluntaria perpetua distractione, aut qui totam Missam audivisset cum evagatione voluntaria ad aliud objectum impertinens.

Quæritur 8. An satisfaciat legi, qui adimplet opus præceptum modo indebito, v. g. recitando totum Breviarium distracte, vel audiendo totum Sacrum indevote?

Respondeo. Qui ponit opus præscriptum cum circumstantia externa incompossibili cum devotione, attentione, vel alia affectione interna indirecte præcepta per legem, non satisfacit præcepto, ne quidem *quoad substantiam* actus. Qui vero ponit actum externum cum circumstantia de se compossibili cum devotione, attentione, vel alia affectione indirecte præcepta per legem, satisfacit quidem præcepto *quoad substantiam* actus; non

tamen

tamen satisfacit *quoad modum*, si non ponat attentionem, devotionem, vel affectionem requisitam. Ratio est; quia ab Ecclesia actus externi præcipiuntur *directe*, actus autem interni præcipiuntur *indirecte*. Itaque prudentia postulat, actum externum ita exigi, ut sit saltem compossibilis cum actu interno, & ex ipso actu externo possit sumi præsumptio pro actu interno. Si autem ponatur actus externus sub circumstantia incompossibili cum actu interno, aperte illuditur principali intentioni Ecclesiæ, nec decet, ut Ecclesia censeat, sibi esse satisfactum quoad substantiam præcepti. Nam posito etiam, quod *per substantiam* præcepti Ecclesiastici intelligatur solus actus externus, quod ipsum fallit in legibus Ecclesiasticis, quæ sunt quoad substantiam juris divini, v. g. in confessione & S. communione annua, attamen etiam illæ circumstantiæ referendæ sunt in æstimatione morali ad substantiam actus externi, sine quibus non habetur finis legis ferendæ, seu *ratio sufficiens* ferendi legem externam. Quis autem non videat, Ecclesiam nullum sufficiens habituram motivum, requirendi actum externum moraliter incompossibilem cum actu interno virtuoso, dirigente ad finem hominis?

Quæritur 9. An unico actu possit satisfieri pluribus præceptis?

Respondeo. Id unice dependet ex intentione obligantis ad actum. Intentio autem obligantis ad actum ea præsumenda est, quam exigit prudentia, æquitas, & justitia obligantis, vel ipsa natura actus. Hinc cum intentio obligantium variet pro diversitate materiarum & circumstantiarum, nulla alia generalis Regula proximior dari potest. Id declarabitur in sequentibus exemplis.

1. In materia justitiæ commutativæ, quando alteri debentur centum floreni ex mutuo, & ex venditione equi, non satisfit obligationi per unam solutionem centum florenorum. Ratio est, quia obligans in secundo contractu, sive is sit concomitans, sive subsequens, emptorem obligat ad distinctam solutionem.

2. In eadem materia justitia commutativa, quando Laban imprimis promittit Jacobo Rachelem pro septenni servitio; dein non servato promisso exigit aliud septenne servitium, nihilominus satisfit utrique obligationi unica traditione sponsæ.

3. Si sponsa, postquam interveniente promisso, ac dein juramento sponsus jam fuerat obligatus sufficienter ad ducendam, ab eo defloretur, sponsus contrahendo matrimonium satisfacit triplici obligationi justitiæ. Ratio est, quia obligat ad eundem actum.

4. Una recitatione Breviarii Sacerdos beneficiatus satisfacit obligationi contractæ per sacros Ordines, & per susceptionem beneficii; quia Ecclesia non intendit imponere distinctam obligationem in concursu novi tituli.

5. Si quis ex voto, aut ex pœnitentia sacramentali tenetur jejunare omni Sabbato, non tenetur supplere jejunium alio die, si in Sabbatum incidat aliud jejunium ex præcepto Ecclesiæ, quia vovens vel Confessarius non præsumitur habuisse intentionem imponendi distinctam obligationem a jejunio Ecclesiastico contingenter & raro incidente in Sabbatum.

6. Si cui tamen fuisset injunctum jejunium proxima hebdomada, vel auditio sacri, vel recitatio Rosarii, non satisfieret uno eodemque actu jejunii, auditionis sacri, Rosarii jam aliunde debiti ex lege vel voto. Ratio est; quia obligans in hoc casu est Confessarius, qui non prudenter obligaret ad actum jam aliunde debitum, immo nec licite, quia sic obligando ad actum satisfactorium aliunde debitum exponeret Sacramentum periculo nullitatis.

7. Qui ex voto, vel ex satisfactione sacramentali obligatur ad eleemosinam, non satisfacit obligationi, si in pauperes eroget ea, quæ tenetur restituere ob ablationem bonorum habentium incertum dominum. Nec etiam satisfaciet, si eleemosinam largiatur parenti, vel avo pauperi; quia per se ex charitate tenetur iis succurrere. Confessarius enim præsumitur imposuisse distinctam obligationem ab eleemosina aliunde debita

Aliu

Aliud dicendum; si res aliunde debita non debetur obligatione rigorosa v. g. lectio sacra in Religioso ex Statutis Ordinis debita; cum enim Statuta Ordinis per se non obligent in conscientia sub peccato, aut certe transgressio solum sit peccatum veniale, imponi poterit per modum satisfactionis sacramentalis sub peccato Gravi per aliquot menses continuanda; quo proin in casu eodem actu lectionis satisfiet diversæ obligationi. Ex his itaque omnibus patet, in tali casu unice respiciendum esse ad intentionem obligantis.

Quæritur 10. An obligatus ad restitutionem omnium bonorum ex rapto vel furto in causas pias, ubi Domino restitutio fieri nequit, possit ea sibi ipsi applicare tamquam vere pauperi?

Respondeo. Non potest ea sibi ipsi applicare, sed tenetur ea resignare dispositioni divinæ per Vicarium Dei, seu per Confessarium, qui relinquet vel providebit pœnitenti, quantum suadebit misericordia & charitas Dei sociata justitiæ. Non igitur tantum relinquendum quantum suffecerit ad voluptatem aut commoditatem, sed quantum ægre sufficiat ad ministrandam necessitatem, pœnitenti congruentem, ne ubi exercetur a Deo in pœnitentem pietas, præbeatur incentivum delinquendi. Itaque, sive dicatur ea obligatio restituendi in causas pias fundari in lege naturali, sive Ecclesiastica, sive mixta, Confessarius nomine Dei vel Ecclesiæ, cui pœnitens talia bona resignat, obligatur ad sociandam severitatem benignitati, ut eas pœnitenti ponat conditiones, quæ pœnitendum semper, nec unquam optandum relinquat delictum.

Quæritur 11. An si quis det eleemosinam graviter vel extreme indigenti, per hoc satisfaciat obligationi ex voto vel penitentia erogandi eleemosinam?

Respondeo. Id unice dependet ex intentione voventis, aut pœnitentiam injungentis. Cum autem omnis ejusmodi intentio ratione regulata sit, & subordinata legibus prudentiæ ac justitiæ, ad causas, fines, ac motiva obligantis respiciendum est. Si enim concurrat motivum compensationis, justitiæ, aut specialis gratitudinis ob insigne obtentum a Deo beneficium, manifestum est, intentionem obligantis fieri non potuisse ad eleemosinam aliunde præceptam *quoad substantiam*. Si verum motivum fuerit sola honestas & meritum & spontaneitas virtutis in pœnitente spectatæ in hoc, quod est subvenire indigenti, non contrariatur intentioni obligantis, si facilior modus subveniendi indigentibus, qui suppeteret, commutetur in modum difficiliorem subveniendi per eleemosinam. Quod si modus subveniendi æque facilis sit per eleemosynam, & motivum voti solum fuerit honestas virtutis repreribilis in sublevatione indigentiæ alienæ, satisfit obligationi voventis, sed non satisfit intentioni pœnitentiam injungentis, utpote qui obligatur ad imponendam satisfactionem aliunde sub peccato gravi indebitam.

Quæritur 12. Si centum floreni debeantur pauperibus ex justitia ob rapinam bonorum incertorum, & alia centum ex voto, & alia centum ex pœnitentia, si tantum centum solvi possint cui prius titulo satisfaciendum est?

Respondeo. Ante omnia solvendum est ex titulo pœnitentiæ, quia hæc obligatio oritur ex contractu explicito cum Deo pro obtinenda peccatorum venia inito, prout ostendi in *Tract.* de *Pœnit.* Obligatio autem restituendi in causas pias substat determinationi Ecclesiæ, & obligatio ex voto oritur ex obligatione propria. Patet autem, determinationem Ecclesiæ, & voluntatem propriam cedere explicitis pactionibus cum Deo, non solum antecedenter initis, sed etiam consequenter ineundis.

Quæritur 13. Quando concurrunt diversæ leges, naturales, divinæ, & Ecclesiasticæ, cui prius satisfaciendum sit, si omnibus simul satisfieri nequeat?

Respondeo. In hac difficillima quæstione observari poterunt sequentes Canones seu Regulæ.

Regula I. Leges naturales *negativæ*, non solum obligantes sub peccato mortali, sed etiam obligantes sub peccato tantum veniali, præferendæ sunt omnibus

bus legibus Ecclesiasticis, & divinis præcise positivis. Ratio est, quia, prout constat ex dictis §. 2. lex naturalis est immutabilis a Deo & indispensabilis; cum sit ordo rationis immutabilis & æternus in mente divina; econtra lex divina præcise positiva est mutabilis ac dispensabilis a Deo. Sic enim Deus actu mutavit legem veterem per Moysen traditam, v. g. *circumcisionis*, quamvis ea lex esset divina. Econtra mutari non potest lex naturalis *non mentiendi*, *non inhonorandi Deum &c.*

Regula II. Leges naturales *negativæ* præferendæ sunt legibus naturalibus *affirmativis*. Sic enim lex naturalis affirmativa præcipit honorare cultu externo Deum, succurrere extreme indigenti, cooperari ad bonum commune & salutem totius populi &c. nec tamen liceret unico peccato mendacii procurare salvationem totius generis humani, prout dicetur in explicatione Decalogi. *Ratio* est, quia, cum in mente Dei sit perfectissima harmonia omnium bonorum agibilium, & intendibilium, impossibile est, ut aliquod intrinsece malum ordinet vel ordinare cogatur ad aliquod bonum contingens efficaciter volitum.

Regula III. Leges naturales affirmativæ cedunt legibus divinis, ubi harum prælationem ita poscit *ratio melioris*, & *necessitas finis altioris*. Sic datur quidem lex naturalis affirmativa colendi Deum cultu externo, honorandi parentes, cooperandi ad bonum sociale Reipublicæ; quia tamen hæc omnia bona per legem naturæ ordinantur solum ad finem naturalem generis humani; & leges divinæ positivæ in hac providentia ordinantur ad finem supernaturalem generis humani, omittendus est potius cultus divinus, aut honoratio parentum, vel labor pro servitio Reipublicæ, quam necessaria cooperatio ad æternam salutem animarum, v. g. conservatio fidei, vel administratio baptismi. Sic enim Christus in Evangelio. Matth. 10. v. 34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam; & inimici hominis Domestici ejus.* Et Lucæ 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, non potest meus esse discipulus.* His verbis salus animarum manifeste præponitur honorationi parentum alioquin debitæ, sed hic & nunc incompatibili cum lege divina positiva, ordinante Deum ad finem supernaturalem.

Ratio autem est, quia in mente divina rectissime ordinata bona ordinis naturalis cedunt bonis ordinis supernaturalis.

Regula IV. Leges divinæ positivæ cedunt legibus naturalibus, quando illarum prælationem non exigit ratio melioris & necessitas finis altioris. Ratio est, quia Christus *sine necessitate* non mutat ordinem naturæ, aut ea quæ sunt ordinis naturalis, prout ex ejus operationibus intelligi potest. Nec enim patrabat miracula, nec compescebat inimicos fidei, nisi in quantum id postulabat necessitas stabiliendæ religionis. Idem *probatur* ex eo, quia Christus declaravit, errasse eos, qui præferebant exornationem templi & collationem pro cultu divino subventioni parentum. Marci 7. v. 10. *Moyses dixit: Honora patrem & matrem tuam. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri, Corban, quod est, donum, quodcunque ex me* (factum templo pro cultu divino) *tibi profuerit; & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri.* Hanc doctrinam, tamquam traditionem erroneam legi naturali a Deo datæ contrariam Christus rejicit. Aliud exemplum habetur in libris Machabæorum, ubi observatio Sabbati, quæ er[illegible] legis divinæ, cedere jussa est def[illegible]ioni propriæ, quæ est legis nat[illegible]lis.

Regula V. Lex pure Ecclesiastica semper cedit legi divinæ & naturali. Ratio est, quia Ecclesia nec intendit statuere quidquam contrarium legi divinæ ac naturali, nec intendit subditos obligare, ad præferendam suam legem in concursu

cursu legi divinæ vel naturali. Hinc quando vel est omittendum Sacrum die festo, vel inserviendum infirmo, quod exigit lex charitatis partim divina, partim naturalis, vult Ecclesia potius omitti sacrum, quod pertinet ad legem Ecclesiasticam, quam omitti actum præceptum charitatis.

Regula VI. Lex Ecclesiastica *mixta*, quæ est naturalis vel divina *quoad substantiam*, positiva autem humana *quoad modum*, non cedit legi naturali aut divinæ, nisi solum *quoad modum* loci, temporis, vel alterius circumstantiæ determinatum ab Ecclesia. Sic cum communio Paschalis sit juris divini quoad substantiam, uti etiam auditio sacri, qui ab ea impeditur per legem naturalem conservationis propriæ vel alienæ, tenetur ex intentione Ecclesiæ eam obligationem supplere alio tempore, si fieri possit, vel eam servare quo ad substantiam, quantum potest, v.g. orando domi, & convertendo suam intentionem ad Ecclesiam, in qua offertur sacrificium, vel communicando alibi extra suam Parochiam.

Ratio est, quia Ecclesia *specificando* legem naturalem vel divinam, determinando videlicet modum, non intendit eximere sine necessitate fideles a substantia legis, quæ servari potest convenienter sine observantia modi determinati ab Ecclesia. Ita enim postulat prudentia legislativa Ecclesiæ, ejusque reverentia erga leges naturales ac divinas.

Regula VII. In concursu duarum legum ejusdem naturæ, v.g. duarum naturalium, vel divinarum, illa præferenda est alteri, quæ est altioris & propioris connexionis ad finem hominis. Ratio est, quia cum omnes leges sint ordo rationis, ad bonum commune, quod nullum aliud est, quam finis hominum ultimus, manifestum est, omnes leges, naturales, divinas, & humanas, ordinari ad salutem hominum, Itaque necesse est, a legislatore præferri illas leges, quæ majorem ac propiorem connexionem habent cum salute hominum. Et hinc simpliciter clarioribus terminis tradi potest eadem Regula, dicendo: *In concursu duarum legum ejusdem naturæ illa præferenda est, quæ est magis necessaria ad salutem hominis.* Sic in concursu legis divinæ ad communionem & Sacramentum pœnitentiæ, si utraque lex impleri nequeat, Sacramentum pœnitentiæ peccatori præeligendum est. Et si concurrat lex divina tractandi sancta sancte ea non exponendo periculo nullitatis vel irreverentiæ, & lex divina ministrandi sacramenta indigenti, quando utrique legi satisfieri certo nequit, posterior priori præferenda est ex ipsa intentione legislatoris.

Quæritur 14. An omnis lex debeat observari ex charitate erga Deum?

Respondeo 1. Ad satisfaciendum præceptis distinctis a lege charitatis non requiritur, ut observatio legis fiat ex charitate habituali. Ita D. Thomas proxime referendus. Ratio est, quia charitas habitualis dicit quendam habitum firmum & de se immobilem, quæ firmitas & immobilitas tantum habetur vel ex actibus frequentatis, vel ex gratia sanctificante informante actum & dispositionem voluntatis. Cum ergo non dependeat a voluntate humana, incipientium præsertim, habere habitum ex actibus frequentatis, aut habere gratiam intrinsece supernaturalem, non potuit a lege naturali aut humana exigi hoc requisitum; nec per legem divinam decuit, universim ad substantiam legum naturalium addere hoc requisitum. Dei enim est, homines potius invitare ad imperfectum, nempe ad observantiam legum naturalium, ut gradatim pertingant ad perfectum, seu ad finem præcepti, quod est charitas, quam ut ab incipientibus nulla acceptentur opera, nisi jam coronentur finali perfectione charitatis. Per hoc enim incipientes potius absterrentur a bono, quam invitarentur ad bonum. Textus D. *Thomæ* 1. 2. q. 100 a. 9. C. sic habet: *Modus virtutis quantum ad aliquid respicitur a lege humana & divina: quantum ad aliquid autem a lege divina, sed non a lege humana: quantum ad aliquid vero nec a lege humana, nec a lege divina.* *Modus autem virtutis* (seu actio-

actionis virtuosæ præceptæ) *in tribus consistit. Primum est, ut aliquis operetur, si aliquis operetur sciens* (actionem esse præceptam vel prohibitam, bonam vel malam.) *Secundum est, ut aliquis operetur* (libere) *volens vel eligens, & propter hoc eligens, in quo importatur duplex motus interior, scilicet voluntatis & intentionis. Et ista duo non dijudicat lex humana, sed solum divina. Lex enim humana non punit eum, qui vult occidere & non occidit. Tertium est, ut firmiter & immobiliter habeat & operetur. Et ista firmitas proprie pertinet ad habitum; ut scilicet aliquis ex habitu radicato operetur. Et quantum ad hoc modus virtutis non cadit sub præcepto neque legis divinæ, neque legis humanæ. Neque enim ab homine, neque a Deo punitur tanquam præcepti transgressor, qui debitum parentibus honorem impendit, quamvis non habeat habitum pietatis.*

Idem l. c. a. 10. c. sic scribit: *In hoc præcepto: Honora patrem, non includitur, quod honoretur pater ex charitate, sed solum quod honoretur pater. Unde qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam.*

Respondeo. 2 Tenetur tamen homo ex præcepto charitatis saltem sub peccato veniali, ut omnem legem observet ex actuali vel saltem virtuali influxu charitatis ad minimum imperfectæ & initialis.

Probatur. Omnium præceptorum finis est charitas. Ergo, cum homo suam intentionem teneatur saltem implicite conformare ad naturam & intentionem legis, peccabit saltem venialiter implendo quidem actum præceptum, sed eum non referendo saltem virtualiter ad finem præcepti.

Idem *Probatur* ex D. *Thoma*, qui l. c. a. q. c. dicit; dijudicari a lege divina non solum quid velit, & an libere velit, sed etiam *propter quid* seu quo fine velit. *Idem* l. c. a. 10. c. scribit: *Quidam dixerunt absolute, modum charitatis* (infusæ) *esse sub præcepto: Nec est impossibile observare hoc præceptum charitatem non habenti; quia potest se disponere ad hoc, quod charitas ei infundatur a Deo: nec quandocunque aliquis non habens charitatem facit aliquid de genere bonorum, peccat mortaliter, quia hoc est præceptum affirmativum, ut ex charitate operetur, & non obligat ad semper sed pro tempore illo, quo aliquis habet charitatem. Alii vero dixerunt; quod omnino modus charitatis non cadit sub præcepto. Utique autem quantum ad aliquid verum dixerunt. Actus enim charitatis dupliciter considerari potest. Uno modo, secundum quod est quidam actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto legis quod de hoc specialiter datur; scilicet: Diliges Dominum Deum tuum. Et quantum ad hoc primi verum dixerunt.* Et *Ad* 2. *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est; honora parentes; sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.* Ita S. Thomas loquens de charitate infusa, seu perfecta per informationem gratiæ sanctificantis. Quod enim agnoscat obligationem saltem sub peccato veniali omnia per dilectionem initialem ordinandi ad finem ultimum, seu volendi *propter hoc*, ut loquitur, patet ex textu priori relato ex articulo nono.

Respondeo 3. Ad hoc, ut observatio legum fit de condigno meritoria vitæ æternæ, requiritur ut saltem virtualiter procedat ex influxu charitatis. Id *probatur* ex Apostolo 1. Cor. 13. ubi dicit: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem*

autem non habuero, nihil mihi prodest. Fusius idem probavi ex testimoniis Patrum in Tract. *de Spe & Charitate* in *Theol. Eclect.*

§. X.

De causis excusantibus ab observatione legum.

QUæritur 1. Quænam possint esse causæ excusantes ab observatione legis?

Respondeo. Causæ, quæ aliquando possint excusare ab observatione legum, ab authoribus ponuntur sequentes. 1. *Ignorantia*. 2. *metus*. 3. *impotentia*. 4. *Epikia*. 5. *defectus acceptationis*. 6. *defectus finis*. 7. *consuetudo*, 8. *privilegium*. 9. *dispensatio*. 10. *appellatio*.

Quæritur. 2. Qualis ignorantia excusat ab observatione legum?

Respondeo. Excusat sola ignorantia *invincibilis*. Ignorantia autem *vincibilis*, ac multo magis *crassa*, *supina*, aut omnino *affectata* non excusant. Dicitur autem ignorantia invincibilis, quæ vel non potuit, vel non debuit deponi. Civis enim & rusticus habent quidem ignorantiam Juris Civilis & Canonici, quæ absolute posset deponi, sed sub obligatione peccati *non debet* deponi. Ignorantia *crassa seu supina* dicitur, quæ debuisset & facile potuisset deponi. Vel, ut alii eam describunt, ignorantia crassa est, quam ejusdem conditionis homines vel parum diligentes superant. Ignorantia autem *affectata* est, decliquam homo indirecte quærit, studiose nando media obtinendæ scientiæ, v. g. non adeundo conciones, aut vitando lectionem librorum, ne turbetur conscientia per notitiam veritatum Christianarum.

Quæritur 3. Qualis diligentia in quolibet homine requiratur ad hoc, ne ejus ignorantiæ fiant vincibiles?

Respondeo. Requiritur in quolibet homine *diligentia moralis* ad discendas obligationes Religionis & status; hoc est, *suis viribus & exigentiæ objecti proportionata*. Quæ enim sunt *necessaria* ad salutem, aut status officia, requirunt majorem diligentiam; quæ vero solum pertinent ad majorem decentiam Religionis vel status, non requirunt tam exactam diligentiam. Hinc Judices, Magistratus, Consiliarii, Prælati, Parochi, Confessarii &c. tenentur commendare memoriæ ea juris principia, quibus habitis certi sint, non esse morale periculum committendæ injustitiæ, aut erroris pernitiosi in praxi.

Quæritur 4. Quænam sint indicia ordinaria ignorantiarum vincibilium?

Respondeo. Indicia ignorantiarum vincibilium sunt 1. si plebei non libenter frequentant conciones, aut libros instructivos suarum obligationum generalium & particularium. 2. si Principes ac Prælati non libenter in negotiis arduis spiritualibus vel temporalibus exquirunt aliorum peritorum & indifferentium consilia. Necesse est enim, frequenter & graviter errare eos, qui suomet soli vel servilium hominum fidunt judicio. Hinc a peccato gravissimo excusari nequeunt illi Prælati, qui, cum tantum sint administratores bonorum communium, nec quidquam administrare possunt sine præsumpto consensu communitatis, in negotiis facile errori aut imprudentiæ obnoxiis negligunt consulere eos, quos vi statutorum aut constitutionum tenerentur exquirere pro ordinato consilio, aut, ubi opus, consensu. Superba illa αὐτοκρατία, omnium querelarum, dissidiorum, & turbationum in monasteriis & religiosis Ordinibus mater, forte multos Prælatorum, qui se conscientia puros vincibiliter existimant, præcipitabit in infernum. Confundet illos in extremo judicio exemplum veterum Episcoporum, præsertim D. Cypriani, qui de seipso Epist. 14. ad Clerum scribit: *A primordio Episcopatus mei statui nihil sine consilio vestro mea privatim sententia gerere*. Et Epistola 19. *Hoc est verecundiæ, & disciplinæ, & vitæ ipsi omnium nostrum convenit, ut præpositi cum Clero convenientes disponere omnia consilii communis religione possimus*. Similia habet Epist. 34. & Epist. 31. 3. Si Parochi, Confessarii, vel Religiosi horrent colloquia, conferentias, aut lectionem li-

librorum de rebus ſpectantibus ad munia vel perfectionem ſui ſtatus. Si in dubiis caſibus erubeſcunt conferre cum peritioribus, aut conſulere libros. Si in rebus intricatis omnia ſine matura deliberatione & dilatione reſolutionis expediunt. Si ne quidem dignanur legere libros moventes laxitati nimiæ vel rigori nimio ſcrupulum. Si denique poſt abſoluta ſemel Theologiæ Moralis vel Scholaſticæ ſtudia negligunt pluribus annis legere utilem Moraliſtam, ex quo aut oblita poſſent revocari in memoriam, vel ſuggeri conſilia practica pro directione animarum, vel ſuppleri omiſſa, cum in uno authore non reperiantur omnnia. Quam dabunt rationem aut excuſationem ſuæ ignorantiæ Deo, ſi loco inquiſitionis rerum ſuo ſtatui congruentium tempus pretioſum maxima parte vanitatibus aut temporalium ſuperfluis curis impendant? Redarguet illos in judicio ſolertia hominum, ferme omnium, qui negotiis ſui ſtatus vigilantia indefeſſa incumbunt. Sic enim habetur Eccleſiaſtici 30. & 39. ubi Scriptura quoſvis homines ſuæ objecto artis vacantes his verbis inducit: *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis* (ſeu vacationis ab aliis negotiis) *& qui minoratur actu, ſapientiam percipiet. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitat, & converſatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum. Cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos, & vigilia ejus in ſagina vaccarum. Sic omnis faber & Architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit, cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ* (ſeu delineationis ſibi factæ.) *Sic Faber ferrarius cor ſuum dabit in conſummationem operum, & vigilia ſua ornabit in perfectionem. Sic figulus ſedens ad opus ſuum. Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit; narrationem virorum nominatorum conſervabit, & in verſutias parabolarum* (hoc eſt, doctrinas morales, quas antiqui per ſubtiles parabolas tradere ſolebant) *ſimul introibit. Occulta proverbiorum* (moralium) *exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur.* Ita *Syrach*, exacte tradens genera ſtudiorum Clericis congruentium; nempe ſtudium Scripturæ & traditionum Eccleſiæ, Concionatoriæ, hiſtoriæ ſacræ, & doctrinæ moralis.

Quæritur 4. Quomodo ex ignorantia vincibili reddere poſſit invincibilem, qui neſcit ſe habere ignorantiam vincibilem?

Reſpondeo. Id fieri poteſt duobus modis; *primo* deſtruendo cauſas quaſcunque in genere ignorantiarum quarumlibet per actum charitatis juſtificativæ intra vel extra Sacramentum. Sic enim ignorantiæ, quæ ſunt voluntariæ in cauſa, amittunt ſuam voluntarietatem, utpote jam deſtructam ipſa retractatione efficaci per actum charitatis, ſanantis in radice ſaltem habitum ignorantiæ, licet non ſtatim corrigat actum, niſi in eſſe voluntario. *Secundo* eliciendo *efficax propoſitum* applicandi in poſterum *diligentiam moralem* circa obligationes ſui ſtatus, qua non ſolum ſcita conſervari aut in memoriam revocari, ſed etiam ignorata ſuppleri poſſint. Cum autem ad efficaciam hujus propoſiti requiratur, ut homo proponat ſerio, aſſumere media de ſe idonea ad deſtruendam ignorantiam, inter quæ haud dubie eſt expurgatio animi a paſſionibus facile in tranſverſum rapientibus animi judicium, & indifferentia judicii ad omne verum, & præparatio mentis ad illuſtrationes divinas puritate conſcientiæ, conſequitur, non facilem accidere correctionem ignorantiarum vincibilium, niſi quis toto corde ſtudeat in omnibus ſuis actionibus placere Deo, & ſequi nutus beneplaciti divini.

Quæritur 5. An ignorantia vincibilis, dummodo non ſit affectata, excuſet ſaltem a cenſura, vel alia pœna?

Reſpondeo. Ignorantia vincibilis, ſi non fuerit craſſa, ſupina, aut omnino affectata, excuſat a pœna legis Eccleſiaſticæ tam in foro externo quam interno. Si autem fuerit craſſa, ſupina, aut omnino affectata, nec excuſat in foro interno. Id *probatur* ex eo, quia hæc incurſio vel non incurſio pœnæ dependet a voluntate Eccleſiæ, ac Summorum Pontifi-

 cum.

cum. Hos autem in casu ignorantiæ crassæ velle obligare ad pœnam, & in casu ignorantiæ vincibilis quidem sed non crassæ nolle obligare ad pœnam, satis patet ex responso *Bonifacii VIII.* c. *ut animarum* de Constitut. in *6.* ubi sic scribit : *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

Quæritur 6. An aliquando excuset ignorantia juris humani manifesti?

Respondeo. Si illa ignorantia non sit crassa aut supina, excusat quidem in foro interno; non tamen excusat in foro externo, nisi quoad personas, in quibus tolleratur ignorantia juris, quales sunt milites, mulieres, rustici, pueri. Ratio primæ partis est, quia Bonifacius VIII. in proxime citato textu excusat indiscriminatim sine distinctione juris clari & dubii omnem ignorantiam, nisi fuerit supina seu crassa. Quoad alteram vero partem probatur ex Regula Juris l. Regula ff. de J. & F. ubi dicitur : *Regula est, Juris ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere.*

Quæritur 7. Qualis metus excuset a lege?

Respondeo 1. Metus cujuscunque mali, etiam gravissimi, nunquam excusat a transgressione legis prohibentis objectum intrinsece malum. Sic enim nunquam licet blasphemare Deum, occidere innocentem &c. quamvis Tyrannus alioquin minetur mortem. Id patet a sensu omnium hominum proborum tam in veteri quam novo Testamento. Sic Loth non consensit in Sodomiam, nec Joseph Patriarcha & Susanna in adulterium, nec Martyres in idololatriam, aut abnegationem fidei, licet illis intentaretur interitus. Sic & D. Petrus inhibitionem Synedrii de annuntiando Evangelio non curavit, dicens Act. 4. v. 20. *Si justum est, vos potius audire, quam Deum.* An vero comestio carnis humanæ, traditio innocentis pro salute patriæ, sumptio veneni ex sententia Judicis condemnantis ad mortem juxta morem patriæ, &c. sint intrinsece mala, pertinet ad Decalogum.

Respondeo 2. Circa præcepta legis divinæ positivæ, hoc est, dependentia a solo arbitrio divino, obligandi vel non obligandi, obligationem remittendi vel non remittendi &c. *Metus tunc solum excusat, quando considerata gravitate mali personalis, & præjudicii divini Deus juxta prudentem æstimationem non censetur esse invitus.*

Dixi In primis, *circa præcepta legis divinæ*, seu dependentia a solo libero arbitrio divino. Talia sunt præcepta circumcisionis, baptismi, observandi Sabbati, abstinendi a carne porcina vel suffocato, profitendi religionem, suscipiendi communionem, servandi sigillum, consecrandi sub duplici specie, servandi votum, v. g. castitatis perpetuum, &c. Ratio est, quia hic fuit ensus fidelium approbatus ab Ecclesia tam in veteri quam in nova lege. Sic Hebræi tempore Moysis diu omiserunt circumcisionem infantium, multi Christianorum in primitiva Ecclesia diutissime distulerunt baptismum; Judæi pugnabant in Sabbato, quia in his Deus consideratis ci cumstantiis temporum & natura actionum prudenter censebatur non esse invitus. Econtra quia sequeretur ingens præjudicium divinæ gloriæ si ob metum gravis mali liceret fractio sigilli, vel dimidiatio sacrificii, vel violatio voti perpetuæ castitatis, ex magnitudine boni, quod Deo frequenter auferretur, aut mali, quod divina gloria pateretur, colligitur, Deum in his rebus semper fore invitum ad relaxationem legis. Si autem in casu particulari dubium sit, an gravitas mali, quod timetur, & præjudicii, quod divinæ gloriæ consequeretur, tanta sit, ut Deus sit vel non sit invitus, ubi fieri potest, non proprio judicio fidendum, sed judicio Confessarii resolutio relinquenda est. In omnibus enim dubiis circa legem divinam positivam, quæ a liberrimo arbitrio divino retinendi vel solvendi obligationem pendet, determinatio a Sacerdote, cuivis a Deo præordinato, requirenda est. Ita suam mentem, seu ordinem incommutabilem divinæ

vinæ ſapientiæ, quantum eſt de lege ordinaria, Deus ipſemet explicavit *Deut.* 17. v. 8. ubi ſic habet : *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdot s imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo ex decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Hæc eſt Magna Regula circa leges divinas poſitivas.

Reſpondeo. 3. Circa leges humanas metus gravis mali tunc ſolum excuſat, quando conſideratis gravitate mali, & natura rei præceptæ, & præjudicio boni communis a legislatore intenti, author legis prudenter cenſetur non eſſe rationabiliter invitus. Id

Probatur, quia hæc regula concordat cum ſenſu fidelium & Doctorum. Hinc non bene ſentiunt, qui ad ſolam gravitatem mali reſpiciunt in ordine ad ſolvendum a lege, v. g. ad metum mortis. Sic enim, ſi naſcatur præjudicium religioni per celebrationem ſine veſtibus ſacris, concedunt authores apud *Palao* Tract. 2. diſt. 1. p. 13. n. 9., metum mortis a tyranno intentatæ non excuſare a lege Eccleſiaſtica celebrandi in veſtibus ſacris; abſente autem ſcandalo & contemptu putant excuſare metum mortis intentatæ a ceremonia veſtium. Si vero bonum a legislatore intentum aut non ſit tanti comparative momenti, aut non ſit neceſſarium Eccleſiæ vel Reipublicæ, metus mali etiam minoris excuſat. Sic enim non tenetur jejunare, vel audire Miſſam, qui exinde timet detrimentum ſanitatis aut bonorum notabile. Imo obſervo; Martyres Gorcomienſes non duxiſſe ſibi ſcrupulo, decantare hymnos Eccleſiaſticos juxta juſſionem hæreticorum, qui id extorſerant præciſe ad exponendos cantus Eccleſiaſticos irriſioni & contemptui militum & civium hæreticorum. Itaque etiam in hoc genere legum Eccleſiaſticarum obſervandum eſt, quod circa leges divinas poſitivas dictum eſt, ut in dubio, utrum legislator humanus ſit vel non ſit invitus concurrente circumſtantia metus, aut conſulatur Confeſſarius, cujus ſtandum eſt judicio, aut conſulantur leges prudentiæ, an Legislator rationabiliter poſſit eſſe non invitus. Id enim a Legislatore humanæ infirmitati in caſu particulari, niſi vergat in præjudicioſam conſequentiam generalem indulgeri ob gravis mali metum cenſendum eſt, quod poteſt rationabiliter indulgeri. Idem perpenſis gravitate & diuturnitate mali, quod timetur, cenſendum exiſtimarem, ſi ille, qui timet malum, ipſemet ex ſuo peccato, v. g. ebrietate, gula, crudelitate, prodigalitate, luxuria &c. periculi cauſa ſit, interim tamen ſerio & efficaciter pœniteat de peccato.

Quæritur 8. Qualis impotentia excuſet ab obſervatione legum?

Reſpondeo 1. Impotentia phyſica excuſat ab obſervatione legis humanæ, divinæ, & naturalis. *Ratio* eſt, quia nec Deus poteſt obligare ad impoſſibile per vires naturæ aut gratiæ, ut ſupponitur ex Tract. *de actibus humanis & de peccatis*. Peccatum enim eſt libera tranſgreſſio legis. Cum ergo Impotentia phyſica ſit illa, qua ſtante lex obſervari nequit ſine miraculo per vires naturæ aut gratiæ, impotentia phyſica neceſſario excuſat. Sic Deus non poteſt obligare hominem ad volandum, claudum ad ambulandum, cœcum ad legendum.

Reſpondeo 2. Impotentia moralis, qua ſtante lex ſine magna difficultate obſervari nequit, nunquam excuſat ab obſervatione legis humanæ, divinæ, vel naturalis, niſi conſiderata difficultatis gra-

gravitate, natura rei præceptæ, & exigentia finis a Legislatore intenti author legis censeatur prudenter eximere ab observantia legis. *Ratio* est, quia stante consimili impotentia morali Legislator in una materia obligat, in alia non obligat; imo in una materia obligat cum summa difficultate, in alia materia non obligat etiam cum levi difficultate. Sic quando lex versatur circa objectum ad morum disciplinam & conservationem fidei indifferens, seu *adiaphorum*, v. g. an paramenta debeant esse hodie albi, rubri, viridis, aut cærulei, vel nigri coloris, etiam levis difficultas sufficit ad excusandum a lege. Econtra quando natura rei præceptæ est maximi momenti, ita ut exinde dependeant maxima bona vel mala quoad disciplinam morum aut conservationem fidei; vel quando res præcepta secundum se est quidem levis momenti, finis tamen a legislatore intentus necessario exigitur ad honestatem religionis, vel ad conservationem boni communis, etiam summa difficultas non excusat ab observatione legis. Res patet ab exemplis. Sic moralis impotentia habendi vestes sacras non excusat ad celebrandum sine sacris vestibus, nec moralis impotentia habendi vinum excusat ad celebrandum sub una specie, nec moralis impotentia excusat peccatorem a recipiendo sacramento baptismi aut pœnitentiæ; nec moralis impotentia perferendi acerrima tormenta martyrii excusat ad declinandam professionem fidei ope æquivocationis vel restrictionis, brevi retractandæ. Ex his manifestum est; non posse dari generalem Regulam respiciendo præcise ad naturam impotentiæ moralis, stricte vel large dictæ, sed respiciendum potissimum esse ad *gravitatem rei* præceptæ in ordine ad bonum commune disciplinæ & fidei, & *gravitatem finis* a legislatore intenti. Hæc enim regulant intentionem Legislatoris, an velit vel non velit etiam cum maxima difficultate obligare. Quod si dubium sit, an Legislator in casu particulari velit vel non velit stante morali impotentia obligare, cum dubia legis naturalis redeant in materiam legis positivæ, servanda erit denuo Regula in præcedente *Quæst.* 7. data, ut determinatio, ubi nulla jam præcessit ex consuetudine, aut sensu Doctorum, requiratur a Confessario, cujus erit, considerata gravitate difficultatis, rei præceptæ, & finis, respondere ea, quæ petit salus animarum, honestas Religionis, & bonum matris Ecclesiæ.

Quæritur 9. An, ubi datur impotentia ad totum, remaneat obligatio ad partem?

Respondeo. Quando totum est divisibile ex natura rei vel ex usu hominum, & in parte reperitur adhuc sufficiens ratio legis, impotentia ad totum non excusat a parte. *Ratio* est; quia in tali casu quælibet pars habet rationem cujusdam totius, ad quod adhuc sufficienter terminatur intentio legislatoris, cum ad illud terminetur ratio legis. Idem

Probatur ex damnata propositione 54. ab Innocentio XI. præscripta; quæ sic habet: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Hinc sequitur 1. eum, qui non amplius potest dicere omnes horas, teneri ad recitandas eas, quas potest. 2. eum, qui in Quadragesima non potest abstinere a secunda refectione, teneri tamen ad abstinendum a carnibus; quia lex abstinentiæ a carnibus, & lex jejunii divisibiles sunt ex usu hominum. 3. Qui potest notabilem partem Sacri audire, in qua includitur consecratio, tenetur illam audire; quia illa pars adhuc habet rationem Sacrificii. Econtra si posset audire solam partem anteriorem Missæ, v. g. abiturus in posta stato tempore discessura, non teneretur audire illam partem, quia illa anterior ad consecrationem nec solet divisim substare legi, nec in ea reperitur ratio legis, seu ratio sacrificii. 4. Qui non potest jejunare tota Quadragesima, tenetur tamen iis diebus, in quibus non intervenit impedimentum. 5. Qui ex causa inculpabili nequit recitare Breviarium integrum solus, non te-

tenetur ad illud recitandum cum ſocio, cum id ſocio moleſtum, aut devotionis majoris impeditivum ſit. Leges enim Eccleſiaſticæ non ſunt ſuperſtitioſæ, ita ut urgeant externam obſervantiam cum impedimento devotionis internæ. 6. Qui caret Breviario, & notabiles partes Horarum, quæ conſtituunt orationem ordinatam, ſcit memoriter, tenetur illas recitare. In illis enim ſalvatur ratio ſeu motivum legis. 7. Qui tenetur peregrinari Romam, & non poteſt eo pertingere, non tenetur conficere partem viæ. Ejuſmodi enim peregrinationes non ſolent eſſe diviſibiles ex uſu hominum, nec in parte itineris ſalvatur ratio legis, utpote reſpicientis cultum publicum termini *ad quem*.

Quæritur 10. An excuſetur ab obſervantia legis, qui poſuit culpabilem cauſam impotentiæ, v. g. projiciendo Breviarium in mare, aut contrahendo infirmitatem ex ebrietate?

Reſpondeo. Eſſe diſtinguendum. Quando enim impotentia ſubſecuta potuit & debuit prævideri, eo quod ſit per ſe vel ex conſuetudine connexa cum cauſa culpabili, omnes ſubſequentes tranſgreſſiones ſunt formale peccatum, quamdiu præcedens libertas in cauſa in eſſe morali non fuit deſtructa, hoc eſt, ſerio ac efficaciter retractata per pœnitentiam. Quamvis enim carens Breviario, vel graviter lecto decumbens non obligetur ad recitationem Breviarii, vel auditionem Sacri in ſenſu compoſito impotentiæ phyſicæ vel moralis, tenetur tamen vi etiam legis Eccleſiaſticæ, ne tranſgreſſiones legum Eccleſiaſticarum ullo unquam tempore ſint ipſi liberæ actualiter, virtualiter, vel habitualiter. Suppono enim, quod Eccleſia poſſit indirecte præcipere actus internos. Quando autem impotentia ſubſecuta aut non potuit aut non debuit prævideri, eo quod rariſſime ſoleat conjungi cum cauſa culpabili, talis conſtitutus in morali impotentia excuſatur a lege. Ratio eſt, quia Eccleſia illum nec obligat in ſenſu compoſito impotentiæ, nec tranſgreſſio legis eſt ipſi libera in cauſa moraliter.

Quæritur 11. An peccet contra legem, qui ponit de ſe inculpabile impedimentum ad obſervantiam legis?

Reſpondeo. Eſſe diſtinguendum. Si enim impedimentum conſideratis circumſtantiis, motivo, & fine ſit ejus naturæ, ut poſitio illius fiat Legislatore rationabiliter non invito, licite ponitur impedimentum. Si autem Legislatur ſit rationabiliter invitus, graviter vel leviter; ponens impedimentum peccat graviter vel leviter non juxta quantitatem vel gravitatem materiæ præceptæ, ſed juxta gravem vel levem diſplicentiam legislatoris circa appoſitionem impedimenti. Hinc infertur 1. quod non peccet, qui ex cauſa rationabili aſſumit laborem incompoſſibilem cum jejunio præcepto, & veſpere cœnat. Aſſumptio enim talis impedimenti approbatur a lege, nec fit invito legislatore. 2. Peccare contra legem jejunii eum, qui ex ſolo motivo declinandi jejunium aſſumit laborem incompoſſibilem cum jejunio. Talem enim non excuſat intentio legislatoris, ſed labor aſſumitur ipſo graviter invito. 3. Idem de illo dicendum, ſi ex ſolo motivo declinandi jejunium exeat in locum, ubi viget diſpenſatio localis vel immunitas a lege jejunii. Quamvis enim quilibet libere utatur jure ſuo eundi, quo voluerit, lex tamen, cui perſona eſt ſubjecta, generatim prohibet quamcunque actionem, ac conſequenter etiam itinerationem, incompoſſibilem aut ſubductivam ab obſervantia legis, nullo alio rationabili motivo aſſumptam. 4. Non peccare eum, qui ex cauſa ration bili iter aggreditur, prævidens, ſe altero vel tertio die, non habiturum occaſionem audiendi ſacrum. 5. Peccaturum tamen eum, qui ex cauſa rationabili diſceſſurus die Dominica mane non audiret ſacrum matutinum. Aſſumptio enim talis impedimenti in tali ſubſtantia fit invito legislatore.

Quæritur 12. An detur obligatio tollendi impedimentum pro obſervantia legis?

Reſpondeo 1. Si ſublatio impedimenti ſit facilis, datur obligatio ad tollendum im-

impedimentum pro exacta observantia legis. Ratio est; quia obligans ad finem etiam obligat ad media ordinaria non nimis ardua. Hinc authores alioquin etiam laxi, Pasqualigo, Diana, & Jo. Sanchez, teste La Croix, obligant ad sumendum mane confortativum, qui alioquin non potest observare legem jejunii.

Respondeo 2. Si sublatio impedimenti sit difficilis, tunc solum datur obligatio ad tollendum impedimentum, quando gravitas rei præceptæ & motivum gravissimum legis juxta prudentem æstimationem exigit obligationem ad media etiam difficilia. Ratio est; quia in hujusmodi rebus tota obligatio dependet ab intentione legislatoris. Intentio autem legislatoris est regulata legibus prudentiæ, quæ haud dubie petit, bona magna, atque ad primarios fines Religionis necessaria vel summe utilia urgeri per media etiam difficilia. Ex his duabus responsionibus colligitur 1. Peccare eum, qui non potest dicere Breviarium sine perspicillis & negligit illa sibi comparare. 2. non peccare ægrum contra præceptum audiendi sacrum, si vel ob medicinæ fastidium, vel ob tenacitatem negligat sibi comparare medicinam atque sanitatem. 3. peccare Capellanum obligatum ad celebrandum stato die, si furto aut incendio perditis sacris vestibus a loco vicino non acciperet vestes. 4. peccare contra præceptum audiendi sacrum excommunicatos vel interdictos, si negligant petere absolutionem a censura. 5. peccare contra legem suscipiendi baptismum, viaticum, communionem paschalem, &c. qui prævidens futurum post aliquot dies impedimentum negligit anticipare baptismum, viaticum, communionem Paschalem.

Quæritur 13. Quid sit? Et quandonam ab observatione legis excuset Epikia?

Respondeo 1. Epikia est *prudens judicium, quo quis judicat, casum particularem attentis motivo & intentione Legislatoris ob singulares extraordinarias circumstantias non esse comprehensum a lege*. Sic si Assuerus ponat legem, ne quis non vocatus compareat coram rege, Regina per Epikiam saltem tunc se exceptam recte judicabit, quando agitur de crudeli internecione suæ gentis, & crudelitas redundatura est in ipsum regem. Sic si Rex sub poena capitis prohibeat, ulli hominum aperire portas, & ipse filius Regis inopinato veniat fugitivus ex hoste, Epikiæ erit judicare, hunc casum, si foret prævisus, non fore comprehensum a lege. Cæterum hæc notio termini probatur ex primæva ac continua acceptione Doctorum. Aristoteles 5. Eth. C. 10. ait: *Æquum & bonum, sive Epikeia, est emendatio justi legalis. Nam lex universalis est: fieri autem non potest, ut de quibusdam universaliter recte dicatur. Sed lex id accipit, quod fit plerumque, non ignorans, aliquando deficere. Et est nihilominus lex recta. Defectus autem non est in lege, nec in legislatore; sed in ipsa rei natura. Cum igitur lex universaliter loquitur; in his autem præter universale quidpiam accidit, tunc recte se habet, ut ea parte, qua legislator omisit, atque defecit, absolute locutus, emendetur defectus; eo quod & ipse legislator, si adesset, hoc modo dixisset.*

Respondeo 2. Licet semper uti Epikia, quando moraliter certum est, Legislatorem, si de ejusmodi casu particulari cogitasset ac scripsisset, eum non comprehensurum, sed excepturum fuisse a lege. Patet ex ipsa definitione Epikiæ.

Respondeo 3. In dubio, an Legislator casum particularem fuisset comprehensurus, si recogitasset & scripsisset, judicium denuo a Confessario requirendum erit juxta dicta in quæstiuncula 7. ex Deuteronomio C. 15.

Quæritur 14. An Epikia etiam locum habeat circa leges divinas & naturales?

Respondeo. Epikia circa leges divinas & naturales non habet locum.

Probatur. Ad Epikiam requiritur, ut sint perspecta motiva, fines, & decreta legislatoris præstabilita. Sed hoc nequit fieri circa leges divinas & naturales. Scribit enim Apostolus Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quam incomprehensibi-*

lia

lia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! itaque leges naturales & divinas *interpretari* quidem licet relate ad caſus omnes, prudenter comprehenſibiles a lege. Sed ob ſingulares extraordinarias circumſtantias non licet excipere caſum ſingularem extraordinarium; quia non eſt moraliter certum, qualia ſint motiva Dei. His autem motivis ignoratis neceſſe eſt, etiam ignorari, quousque Legislator velit extendi, ſuam legem.

Quæritur 15. An & quomodo a legis obſervatione excuſet non acceptatio legis?

Reſpondeo. Non acceptatio legis tunc ſolum excuſat, quando moraliter conſtat legem aut eſſe *injuſtam*, aut ex prudenti intentione legislatoris aliorum locorum, temporum, ac circumſtantiarum *reſpectivam*, aut *moraliter inobſervabilem*. *Injuſta* eſt, ſi proficiſcitur a non habente poteſtatem abſolutam, ac independentem a conſenſu ſtatuum in materia, de qua eſt quæſtio, & ille conſenſus non fuerit requiſitus & datus. Injuſta etiam eſt, ſi peccet contra leges naturales, divinas, vel Eccleſiaſticas necdum abrogatas contraria conſuetudine legitima. Injuſta denique eſt, ſi peccet contra juſtitiam diſtributivam vel commutativam; vel ſi peccet contra æquitatem naturalem, vi cujus onera & commoda proportionaliter diſtribuenda ſunt. An lex ſit *Reſpectiva* aliorum locorum ac circumſtantiarum, ex Regulis de *Interpretatione* & *Obligatione* legum ſuperius traditis deſumendum eſt. An autem ſit moraliter obſervabilis, præbeatque ſpem prudentem futuræ obſervationis, non ex ſenſu intereſſatorum, ſed *indifferentium*, *peritorum*, & *timoratorum* deſumendum eſt.

Quæritur 16. An & quomodo a legis obſervatione excuſet defectus finis?

Reſpondeo. Tunc ſolum excuſat ab obſervatione legis ceſsatio finis, quando ceſsat finis eſsentialis adæquatus. Finem *eſſentialem* voco illum, quo ſolo poſito datur exigentia legis. Finem *adæquatum* voco complexum plurium finium, quorum ſinguli ſufficiunt ad ſe ſolo exigendam legem. Alii id, quod voco finem eſsentialem, vocant *finem intrinſecum*, vel cauſam *motivam*; econtra id, quod voco finem accidentalem, vocant finem *extrinſecum*, aut cauſam impulſivam. Verum cum hi termini ſint æquivoci, priori modo loquendi inſiſto.

Probatur reſponſio ex eo, quia obligatio vel deobligatio legum potiſſimum dependet ex intentione legislatoris. An vero legislator ſinat ſe moveri principaliter ab hoc fine, vel ab alio fine? vel an plures fines reſpiciat per modum unius cauſæ totalis, aut per modum plurium cauſarum totalium, ita ut quilibet finis reſpiciatur tanquam ſe ſolo ſufficiens ad ponendam legem, aliunde colligi non poteſt, niſi ex natura objecti ſeu motivi ſe ſolo exigentis vel non exigentis legem. Hinc *colligitur* 1. Ad legem jejunii teneri etiam eos qui jam habent carnem ſpiritui ſubjectam; quia licet inter fines eſsentiales hujus legis ſit maceratio carnis ad edomandas ejus concupiſcentias, ſuperſunt tamen etiam alii fines eſsentiales, quorum quilibet ſe ſolo exigit legem jejunii, nempe ſanctificatio Eccleſiæ per majorem depurationem ſpiritus; placatio divinæ iræ, &c. 2. Si ob generale periculum rixarum ac homicidiorum prohibeatur geſtatio armorum, non excuſatur a lege, qui, cum ſit homo pacificus, ſcit, in ſe nullum fore periculum particulare. Generale enim periculum non evitaretur, ſi legislator cuivis in particulari relinqueret æſtimandi periculi perſonalis judicium. Manifeſtum enim eſt, ob hominum partim malitiam, partim judicii proprii fallaciam innumera proditura ſecuritatis particularis teſtimonia, quæ redderent legem ſine vigore & efficacia. 3. Si ob generale periculum perverſionis prohibeatur cum Turcis vel hæreticis communio, commercium, connubium; vel auditio concionum, vel lectio librorum prohibitorum, ſola ceſsatio periculi particularis non excuſat a lege, niſi concurrat vera neceſſitas, aut manifeſta Eccleſiæ utilitas, ita ut locus ſit Epikiæ. 4. Si ſtudioſis in Academia prohibeatur portatio veſtium

ſplendentium argento & auro, ne depauperentur vel graventur familiæ, non eſt locus exceptioni, ſi quis habeat parentem ditiſſimum. Neque enim Legislatori expedit, ad conciliandum robur legibus in ſe recipere examen criticum de facultatibus ſingulorum. 5. Non ceſsare legem, ſi ceſsante fine, ex quo fuit condita, ſuccedat alius finis, æque bono communi utilis vel neceſsarius. Sic ſi nova tributa fuerant impoſita ob bellum Turcicum, eo ceſsante non ceſſat lex, quando ſuccedit alius titulus neceſſitatis approbatus ab iis, a quorum conſenſu lex dependet. 6. Non ceſsare, ſed tantum ſuſpendi legem, quando finis legis ſolum ceſsat ad tempus. Sic quando indicuntur comprecationes publicæ pro obtinendo ſucceſsore regni, vel avertendis locuſtis, &c. interveniente ſtatu viduitatis in principe, vel intermittente periculo lex quieſcit, donec redeat periculum, aut ſtatus conjugii regii. Immo ſi longum interveniſset temporis intervallum, non dormiiſse lex cenſeretur, ſed extincta, ita ut opus foret nova lege. 7. Si lex ſit diviſibilis in duas partes, ceſsante fine legis quoad unam partem, non eoipſo ceſſare legem quoad alteram. Hinc ſi in lege jejunii ceſſet finis quoad abſtinentiam a lacticiniis vel quoad abſtinentiam a carnibus, non eoipſo ceſſat quoad abſtinentiam a ſecunda refectione. Idem dicendum eſt in lege ſanctificationis feſtorum per abſtinentiam a labore ſervili, & per auditionem Miſſæ & Verbi divini.

Quæritur 17. Quomodo a lege excuſet conſuetudo, privilegium, & diſpenſatio?

Reſpondeo. Id dicetur in ſequentibus Paragraphis.

§. XI.

De Conſuetudine.

QUæritur 1. Quid ſit conſuetudo?

Reſpondeo 1. In Jure Canonico C. *conſuetudo* definitur, quod ſit *Jus moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex*. Verum, quia ſæpe conſuetudines non præciſe ſupplent defectum legis, ſed contrariantur, & tollunt leges, rectius conſuetudo definiri poteſt, quod ſit *diuturna obſervantia per modum legis a Legislatore approbata*. Dixi 1. *Diuturna*, quantum autem temporis requiratur, & utrum illa obſervantia debeat eſſe continua *in actu* vel *habitu*, dicetur infra. *Dixi* 2. *Per modum legis*, puta, *permiſſivæ*, vel *præceptivæ*.

Quæritur 2. Quales requirantur conditiones ad legitimam conſuetudinem?

Reſpondeo. Ad legitimam conſuetudinem requiruntur ſequentes conditiones. 1. Ut ſit rationabilis. 2. Ut ſit legitimo tempore continuata. 3. Ut ſit introducta a majore parte communitatis. 4. Ut ſit introducta per actus frequentatos moraliter non interruptos, vel ex ſua natura perpetuos. 5. Ut ſit introducta animo ſe obligandi vel deobligandi. 6. Ut accedat conſenſus legalis principis.

Quæritur 3. Quid requiratur ad hoc, ut conſuetudo ſit rationabilis?

Reſpondeo. Diſtinguendum eſſe inter objecta *adiaphora*, ſeu indifferentia ad meliorationem morum & Religionis, & *non adiaphora*. Ad hoc, ut conſuetudo ſit rationabilis *circa objecta adiaphora*, ſufficit *rationabilitas negativa*, ſeu talis, ut nihil contineat contrarium honeſtati religionis vel morum, aut poſitive vergens in præjudicium fidei, diſciplinæ, & decori Eccleſiæ vel Reipublicæ. Sic utrum veſtes ſacræ, ſive ſint albæ ſive nigræ; numerus teſtium in teſtamentis & codicillis, ſive ſit ſeptenarius, ſive ſexarius, &c. per ſe non variat notabiliter diſciplinam morum, emolumentum fidei, aut decorem Eccleſiæ. De his enim legibus veriſſimum eſt, quod Ariſtoteles 5. Eth. C. 7. ſcribit: *Jus poſitivum eſt lex humana circa ea, quæ a principio, antequam lex ſtatuatur, nihil refert, ſic an aliter fiant*. Itaque reſponſio ſic explicata *probatur*. 1. ratione. Mutatio conſuetudinis fere ſemper patitur difficultates & turbas, quando injungitur invitis; Ergo niſi compenſetur notabili emolumento diſciplinæ aut Religionis, quale emolumentum ſpe-

ſperari nequit circa objecta adiaphora, consuetudo negative rationabilis semel introducta non mutanda; sed consensu legali Legislatoris permittenda eſt. *Ant.* patet partim ab experientia, partim ex observatione S. Auguſtini, dum Epiſt. 118. ad Nebridium ſic ſcribit: *De illo genere* (obſervantiarum,) *quod per loca regioneſque variatur, faciat quiſque, quod in ea Eccleſia, in quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim cauſis, id eſt, aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel inſtitui, quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.*

Probatur 2. Ex variis reſolutionibus S. Congregationis Rituum, quæ ſæpius declaravit; inhæreri poſſe conſuetudini, utut contrariæ legibus Rubricarum præſcriptis. Decreta ac Reſolutiones illæ, prout referuntur a P. *Merati* in commentario ad Gavantum ſunt ſequentia. „ Decretum ſecundum. Monachi Congregationis Caſſinenſis non ſunt ullo „ modo cogendi accedere, niſi ad proceſſionem SS. Sacramenti juxta eorum „ antiquam conſuetudinem, quam eis „ ubique conſervandam eſſe cenſuit, & „ declaravit S. R. C. 10. Jun. 1602. „ *Quartum*. Conſuetudo immemorialis „ ut præter Diaconum, & Subdiaconum Canonico celebranti aſſiſtat unus „ Capellanus Pluviali, ſervanda eſt. „ S. R. C. 19. Jun. 1602. in *Mantuana*. *Quintum*. Uſus ſemel introductus juxta Regulas libri Cæremonialis (particularis) ſervandus eſt. & „ Pax cum oſculo omnibus viris Eccleſiaſticis in choro ſedentibus danda „ eſt. S. R. C. 8. Jul. 1602. in *Meſſanenſi*. *Vigeſimum ſecundum*. Ubi „ adeſt conſuetudo, quod Canonici, & „ dignitates miniſtrent Epiſcopo Mitram, Gremiale, Thuribulum, & id „ genus alia, debet ſervari. Sicut etiam, „ ſi adſit conſuetudo, quod dignitas, „ ſeu Canonicatus geſtet baculum ante „ Epiſcopum in quibuſdam ſolennitatibus. 5. Jul. 1603. in *Lamecen.* & 14. „ Nov. 1676. in *Bituntina*. *Vigeſimum ſextum*. Conſuetudo, ut oblationes, „ quæ offeruntur Cruci Feria VI. in „ Paraſceve, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt. 29. Nov. 1603. „ in *Beneventana*. Conſimili modo jubetur ſervari conſuetudo, ut Capellani capite detecto miniſtrent Canonicis Cappas vel Pluvialia, ut Canonico ſolenniter celebranti detur Aſſiſtens, ut Cereus Paſchalis etiam accendatur ad Matutinum, ut Miſſæ „ conventuales intra Octavam Corporis Chriſti poſſint cantari ſine Diacono & Subdiacono, ut ſervetur „ liber ceremonialis contra Decretum „ in viſitatione factum, ut Paſſio Domini in die Palmarum, & in Paraſceve cantetur a Canonicis, ut Epiſcopus, quando in Proceſſione defertur imago vel Reliquia, poſſit incedere ante imaginem vel Reliquiam, „ &c. „ Ex his Decretis, quæ P. Merati in ſua collectione Decretorum „ exhibet Num. 33. 35. 68. 80. 110. 130. 139. apparet, a S. Congregatione Rituum non rejici conſuetudines, niſi contineant poſitivam indecentiam, quæ tolerari decenter nequeat.

Quæritur 4. An & quomodo conſuetudo debet eſſe rationabilis, ſi ſit contraria vel præjudicet legibus non adiaphoris, ſed poſitive conducentibus ad meliorationem notabilem morum, & Eccleſiæ?

Reſpondeo. Ad hoc, ut conſuetudo contraria legibus non adiaphoris ſit legitima, requiritur, ut ſit poſitive rationabilis æqualitate vel majoritate bonorum, quibus ſummam bonorum abrogatorum compenſet. *Dixi* 1. Conſuetudo contraria *legibus non adiaphoris*, quarum videlicet objecta non ſunt indifferentia ad emolumentum fidei & morum, prout ſunt indifferentes Leges plurium Rubricarum v. g. de rubro vel albo colore veſtium, de numero candelarum in Miſſa Epiſcopi, de dicendis ex cornu Epiſtolæ vel Evangelii, &c. ſed valde utilia ad profectum fidei & mo-

morum in Clero & populo. *Dixi 2. positive rationabilis*, hoc eſt, talis, ut etiam aliquod reciprocum notabile emolumentum conferat ad profectum fidei & morum. Poteſt enim contingere; quod lex aliqua, v. g. nullum ordinandi ſine abdicatione proprii, qualem primis ſui Epiſcopatus annis D. Auguſtinus in ſua Diœceſi invexerat, vel nulli Clerico concedendi teſtandi licentiam, niſi ad cauſas etiam materialiter pias, plurimum conducat ad honeſtatem morum & religionis in clero & populo, ita tamen ut etiam conſuetudo oppoſita in alio genere bonorum plurimum contribuat emolumenti pro bono morum & Eccleſiæ. Nam licet in dato exemplo paupertas Evangelica ſit mater plurimarum virtutum, fructus tamen miſericordiæ erga miſeros, & religionis in conſervando decore Eccleſiæ per fundationes pias poſſeſſores facultatum requirit. *Dixi 3. æqualitate vel majoritate bonorum compenſet*. Cum enim lex per conſuetudinem abroganda haud dubie eoipſo, quod non verſetur circa objecta adiaphora, in profectum fidei vel morum multa eximia bona procuret, rationi repugnet, contrariam conſuetudinem a legislatore approbari, vel impune tolerari, niſi damnum reſarciatur per aliud æqualis valoris genus bonorum. Reſponſio ſic explicata.

Probatur. Conſuetudo, quæ bonis moribus, aut Religioni præjudicat, reproba ac damnationi obnoxia eſt; ſed conſuetudo, quæ leges bonis moribus aut religioni valde utiles tollit aut enervat ſine compenſatione æqua per aliud genus bonorum, reipſa bonis moribus aut religioni præjudicat. Ergo, min. patet. *maj. prob.* ab inductiones textuum Scripturæ, SS. Canonum, & Patrum.

I. Chriſtus perpetuo reprobat *traditiones* ſeu conſuetudines pietati erga Deum vel erga proximum adverſas, etiamſi viderentur eſſe tantum explicativæ legum divinarum, aut abrogatoriæ legum Eccleſiaſticarum, vel divinarum diſpenſabilium, idque ideo, quia erant frivolæ ſine compenſatione bonorum. Sic *Matthæi* 15. Scribis & Phariſæis Chriſtum interrogantibus: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant.* Chriſtus reſpondit: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri; Munus quodcunque eſt ex me* (ad altare & ſacrificia, per participationem fructus) *tibi proderit; & non honorificabit* (ulteriori obſequio & auxilio) *patrem ſuum aut matrem ſuam: & irritum* (ſine effectu) *feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*, hoc eſt, traditiones Seniorum conſuetudine receptas, præjudicantes bonis moribus aut Religioni. Idem habetur *Marc.* 7.

II. *Tertullianus* in l. *de velandis virginibus*, oſtendit, nulla rationabili conſuetudine introduci poſſe, ut virgines honeſte non contegantur, ſeu ut loquitur, velentur, quia alioquin infertur præjudicium honeſtati morum. *Oſtendam*, inquit, *virgines noſtras velari oportere; hoc exigere veritatem* (honeſtatem) *cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur. Sed Dominus N. J. Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit. Si ſemper Chriſtus eſt prior omnibus, æque veritas ſempiterna & antiqua res. Viderint ergo, quibus novum eſt, quod ſibi vetus eſt. Hæreſes non tam novitas quam veritas revincit. Quodcunque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis, etiam vetus conſuetudo. Cæterum ſuo vitio quis quid ignorat. Quod autem ignoratur, fuit tam requirendum, quam recipiendum, quod agnoſcitur* (præjudicare profectui morum aut fidei.)

III. D. *Cyprianus* Epiſt. 73. ad Jubaja-

bajanum nu. 50. *Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritualibus sequendum, quod in melius fuerit a Spiritu Sancto revelatum. Post inspirationem & revelationem factam, qui in eo, quod erraverat, perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur*. In hoc loco D. Cyprianus manifeste docet, renuntiandum esse consuetudini, quando per inspirationem internam, seu, ut cum Apostolo 1. Cor. 14. v. 30. loquitur, revelationem internam, manifestum fit, ad profectum fidei & morum leges illas, quas consuetudo tollit vel enervat, notabiliter & manifeste esse meliores.

IV. D. *Augustinus* universim, quando permittit consuetudinem sequi, addit conditionem, dummodo nec fidei nec bonis moribus obsit, puta directe vel indirecte. Nam etiam illas consuetudines corrigendas esse docet, quæ saltem indirecte ad depravationem morum aut fidei disponunt 1. in Epistolam ad Gal. cap. 15. ait: „ Paulus servabat „ ubique, quod congruere videbat sive „ Ecclesiis gentium sive Judæorum, ut „ nusquam auferret consuetudinem, „ quæ servata non impediebat ad obti„ nendum regnum Dei, tantum ad„ monens, ne quis in superfluis pone„ ret spem salutis, etiamsi consuetudi„ nem in eis (circa talia adiaphora, „ v. g. circumcidendi ritum, & absti„ nendi a cibis prohibitis in lege Mo„ saica) propter offensionem infirmo„ rum custodire vellet. Sicut ad Co„ rinthios dicit. Circumcisio nihil est, „ & præputium nihil est, sed observa„ tio mandatorum Dei. Hoc enim ad „ eas consuetudines retulit, quæ nihil „ obsunt fidei, bonisque moribus. „ 2. „ In Epist. 54. C. 2. ait: „ Quæ per „ loca terrarum regionesque variantur, „ sicuti est, quod alii jejunant Sabba„ to, alii non; alii quotidie commu„ nicant Corpori & Sanguini Domini; „ alii certis diebus accipiunt. Alibi „ nullus dies prætermittitur, quo non „ offeratur, alibi Sabbato tantum & „ Dominico. Et si quid aliud hujusmo„ di animadverti potest; totum hoc ge„ nus rerum liberas habet observatio„ nes; nec disciplina ulla est in his me„ lior gravi prudentique Christiano, „ quam ut eo modo agat, quo agere „ viderit Ecclesiam, ad quam forte de„ venerit. Quod enim neque contra fi„ dem, neque contra bonos mores esse „ convincitur, indifferenter est haben„ dum, & propter eorum, inter quos „ vivitur, societatem servandum est." Et c. 5. „ Faciat ergo quisque, quod „ in ea Ecclesia, in quam venit, in„ venerit; non quidquam eorum con„ tra fidem fit, aut contra mores, hinc „ vel inde meliores." 3. *Idem* Epist. 55. c. 18. Miror, quod volueris, ut „ de iis, quæ per diversa loca varie ob„ servantur, tibi aliqua scriberem, cum „ & non sit necessarium, & una in his „ saluberrima regula retinenda sit, ut „ quæ non sunt contra fidem, neque „ contra bonos mores, & habent ali„ quid ad exhortationem vitæ melioris, „ ubicunque institui videmus, vel insti„ tuta cognoscimus non improbemus, „ sed etiam laudando, & imitando se„ ctemur, si aliquorum infirmitas non „ impedit, ut amplius detrimentum sit. „ Si enim eo modo impediat, ut ma„ jora studiosorum lucra speranda sint, „ quam calumniatorum detrimenta me„ tuenda, sine dubitatione faciendum „ est." 4. *Idem* Epist. 55. c. 19. n. 35. „ Quod instituitur præter consuetudi„ nem, ut quasi observatio Sacramenti „ sit, approbare non possum, etiamsi „ multa hujusmodi propter nonnullarum „ vel sanctarum vel turbulentarum per„ sonarum scandala devitanda liberius „ improbare non audeo. Sed hoc ni„ mis doleo, quod multa, quæ in di„ vinis libris saluberrime præcepta sunt, „ minus curantur, & tam multis præ„ sumptionibus plena sunt omnia, ut „ gravius corripiatur, qui per Octavas „ suas terram nudo pede tetigerit, „ quam qui mentem vinolentia sepe„ lierit. Omnia itaque talia, quæ ne-

„ que

„ que sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis „ Episcoporum statuta inveniuntur, nec „ consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter „ variantur, ita ut vix aut omnino „ nunquam inveniri possint causæ, quas „ in eis instituendis homines secuti sunt, „ N. B. ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. „ Quamvis enim neque hoc inveniri „ possit, quod contra fidem sint, ipsam „ tamen religionem, quam paucissimis „ & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui, etiamsi tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. Sed Ecclesia „ Dei inter multam paleam, multaque „ Zizania constituta, multa tolerat, „ & tamen, quæ sunt contra fidem, „ vel bonam vitam, non approbat, „ nec tacet, nec facit. „ 5. *Idem* l. 3. contra Epist. Parmeniani c. 2. nu. 9. *An parva sunt ista crimina* (avaritia & rapacitas) *& parvi æstimanda? Solent enim isti etiam hoc dicere, pensantes ea non in statera æqua divinarum scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinum suarum. Quidquid enim sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem.* 6. *Idem* l. 2. de Musica c. 8. Non facile a consuetudine recedendum, nisi quæ rationi adversatur. 7. *Idem* l. 3. de bapt. c. 6. & 8. & 27. *Dicit* (Hæreticus:) *Dominus inquit: Ego sum veritas; non dixit; ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati. Plane quis dubitet, veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? Huic respondetur: Veritatem non ostendis; de consuetudine* (Ecclesiæ) *confiteris. Recte igitur consuetudinem teneremus plenario concilio firmatam, etiamsi veritas adhuc lateret.* 8. *Idem* l. 5. de Musica c. 5. *Tanta est vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita sit, nihil sit inimicius veritati.* 9. Idem Epist. 54. n. 6. *His de causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet, quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat.*

V. *Innocentius* III. illam consuetudinem, qua Abbates ab uno monasterio sine licentia Sedis Apostolicæ transibant ad Abbatias & regimen aliorum monasteriorum, declarat esse *corruptelam*, haud dubie ideo solum, quia vergit in præjudicium disciplinæ Ecclesiasticæ. C. *Cum venerabilis* 7. tit. de consuetudine, sic habet: *Cum hæc non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda, quæ profecto sacris est Canonibus inimica, ipsam mandamus de cætero non servari.*

VI. *Honorius* III. declarat, nullius obligationis esse duas quasdam consuetudines, præbentes ansam corruptelæ morum. In C. *ex parte* 10. de consuetudine sic scribit: *Cum in patria vestra servatæ sint hactenus duæ consuetudines abusivæ; una, quod si indigena vel extraneus prodigalitatis vitio vel incuria, vel quocunque casu alio dissipaverit, vel amiserit bona sua, bona uxoris suæ tam mobilia quam immobilia pro suæ voluntatis libitu alienat, & quod si vir ducat uxorem, quæ fide conjugii violata committat adulterium, nihilominus ipsa medietatem omnium bonorum, quæ fuerit vir adeptus, impudenter exigit, & improbe apprehendit, quæ potius privanda esset omnibus viri bonis. Tenore præsentium declaramus, vos non teneri ad hujusmodi consuetudines observandas.*

VII. *Gregorius IX.* C. *Cum tanto* de consuetudine scribit: *Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit, naturali juri, cujus transgressio* (laborantibus ignorantia forte vincibili) *periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis,*

& le-

& legitime præscripta. Nisi Pontifex vellet, consuetudinem debere esse *positive rationabilem*, frustra adderet conditionem, ut sit *rationabilis*. Omnis enim consuetudo, eoipso quod esset *legitime præscripta*, foret rationabilis, cum contra legem naturalem & divinam præscriptio dari nequeat, & omnis alia consuetudo rationabilis foret *negative* in sensu sententiæ oppositæ.

VIII. *Bonifacius* VIII. consuetudinem habendi duos personatus in eadem Ecclesia declarat esse corruptelam, quia fovet ambitionem C. *cum consuetudinem*. De Consuetudine in *6.* sic habet: *Consuetudinem, quam in vestra* Ecclesia *asseritis tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit, videlicet quod ipsius Ecclesiæ Canonici duos personatus aut dignitates vel Præposituras seu administrationes aut duo officia vel eorum alterum cum reliquo in simul & præbendam possint in ea licite absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere, coruptelam, cum sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit, merito reputantes, eam authoritate Apostolica reprobamus, eosque ad ipsius observantiam, etiamsi juramento firmata extiterit, cum juramentum iniquitatis vinculum non existat, decernimus non teneri*. In hoc textu notandum; quod Pontifex non novo statuto faciat, ut in posterum sit *corruptela* ac *vinculum* iniquitatis illa consuetudo, sed eam *reputat* ac judicat, jam de præterito fuisse corruptelam, & juramentum præstitum non fore, sed fuisse vinculum iniquitatis; adeoque illi consuetudini nunquam accessisse consensum legalem. Ratio erat, quia fuit *inimica* SS. Canonibus, utpote quos in ea parte abrogat sine commutatione seu compensatione æqua æqualium bonorum, & quia fuit ambitionis *fomentum*. Si quis hoc exemplum attente consideret, videbit, plurimas modernas consuetudines in omni statu simillimas esse, quas laxi Casistæ & Canonistæ tanquam *negative rationabiles* excusant; sed ratio, lex, & Deus condemnat.

Quæritur 5. Quid cuivis agendum, si in suo statu vel societate hominum, in qua vivit, vigeant consuetudines notabiliter præjudicantes honestati Christianæ fidei vel morum?

Respondeo. In hujusmodi circumstantiis quilibet obligatur sub peccato mortali 1. ad serio, non in dolosa statera opinionum humanarum probabilium, sed in lance charitatis erga Deum & Ecclesiam, & salutem animarum, examinandum, an consuetudo re vera præjudicet honestati Religionis vel morum? 2. ad collaborandum pro emendanda consuetudine. 3. ad non resistendum iis, qui nituntur extirpare consuetudinem. 4. ad cogendas Synodos, in quibus communi consilio possit corrigi consuetudo. 5. ad excogitandos alios modos bonos, in quos possit commutari consuetudo. 6. ad consuetudinem saltem moderandam, si necdum eradicari possit. 7. ad exhortandos jugiter eos, qui laborant consuetudine, ut rationibus & honestate victi ultro sensim desistant. Hæc omnia pertinere ad officium veri Christiani, si vere amet Deum, & ejus Ecclesiam, & salutem animarum, ex sequentibus D. *Augustini* textibus patebit.

1. De Serm. Dom. in monte l. 1. c. 18. sic scribit: *Quis tantos labores inire audeat* (ad evellendas malas consuetudines), *nisi qui sic flagrat amore justitiæ, ut tanquam fame & siti vehementissime accensus, & nullam sibi vitam, donec ea satietur, existimans vim faciat in regnum cœlorum? Non enim aliter* (nisi amore Dei) *poterit esse fortis ad toleranda omnia, quæ in præcidendis consuetudinibus laboriosa & ardua & omnino difficilia sæculi amatores putant.*

2. *Idem* in Epist. 22. n. 4. loquens de inolita consuetudine Ecclesiarum Africæ, qua in festis Martyrum ad eorum honorem in Ecclesiis instituebantur comessationes & ebrietates, sic scribit: *Cum per Italiæ maximam partem, & in aliis omnibus, aut prope omnibus transmarinis Ecclesiis, partim quia nunquam facta sunt, partim quia vel orta vel inveterata Sanctorum & vere de vita futura cogitantium Episcoporum diligentia & animadversione extincta atque deleta sunt, dubitamus, quomodo possumus tantam morum labem proposito tam lato exemplo*

(Ec-

(Ecclesiarum Italiæ) *emendare? Et nos quidem illarum partium hominem habemus Episcopum, unde magnas agimus gratias Deo; quanquam ejus modestiæ & lenitatis est, ejus denique prudent æ & solicitudinis in Domino, ut etiamsi Afer esset, cito illi de Scripturis persuaderetur curandum, quod licentiosa & male libera consuetudo vulnus inflixit. Sed tanta pestilentia est hujus mali, ut sanari prorsus, quantum mihi videtur, nisi Concilii authoritate non possit. Aut si ab una Ecclesia inchoanda est medicina, sicut videtur audaciæ, mutare conari, quod Carthaginensis Ecclesia tenet; sic magnæ impudentiæ est, velle servare, quæ Carthaginensis Ecclesia correxit. Ad hanc autem rem quis alius Epi copus esset optandus, nisi qui ea Diaconus execrabatur? Sed quod erat tunc dolendum, nunc auferendum est; non aspere, sed sicut scriptum est; in spiritu lenitatis & mansuetudinis. Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam jubendo; magis monendo, quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine. Severitas enim exercenda est in peccata paucorum; &, si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminando vindictam futuram, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nostro sermone timeatur. Ita prius movebuntur spiritales, vel spiritualibus proximi, quorum authoritate & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cætera multitudo frangatur. Sed quoniam istæ in cœmeteriis ebrietates & luxuriosa convivia non solum honores Martyrum a carnali & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum; mihi videtur, facilius illic dissuaderi posse istam fœditatem ac turpitudinem, si & de Scripturis prohibeatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate præbeantur; neque vendantur; sed siquis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget. Ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia, quod pie & honeste celebratur.*

3. *Idem* Epist. 29. n. 8. & 9. *Cum illuxisset dies, cui solebant fauces, ventresque se parare, nuntiatur mihi, nonnullos eorum etiam, qui Sermoni aderant, nondum a murmuratione cessasse, tantumque in eis valere vim pessimæ consuetudinis, ut ejus tantum voce uterentur, & dicerent; quare modo? Non enim antea, qui hæc non prohibuerunt, Christiani non erant. Verumtamen illi, qui ante nos tam manifesta imperitæ multitudinis crimina vel permiserunt, vel prohibere non ausi sunt, aliqua a nobis affici contumelia viderentur, exposui eis, qua necessitate ista in Ecclesia viderentur exorta; scilicet post persecutiones; cum facta pace turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum & ebrietatum consumere, nec facile ab his perniciosissimis & tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos post eos, quos relinquebant, alios in honorem Sanctorum Martyrum, vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu, celebrarentur. Jam Christi nomine colligatis tempus esse, ut qui se audent negare Christianos secundum Christi voluntatem vivere incipiant.* Hucusque D. Augustinus, tradens normam se salvandi iis, qui in vortice pravarum consuetudinum abripi periclitantur.

Quæritur 6. Quantum requiratur temporis ad introducendam legitimam consuetudinem?

Respondeo. Distinguendum esse inter varias consuetudines. Nam 1. ad consuetudines antecedentes legem, quando expresse vel tacite eximuntur a lege, requiritur tempus immemoriale. Sic quando in Concilio Tridentino sess. 21. c. 3. dicitur: *Statuit S. Synodus, tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas converti, salvis consuetudinibus Ecclesiarum.* Et sess. 22. c. 9. *Administratores cujusvis Ecclesiæ teneantur reddere rationem Ordinario, consuetudinibus*

bus quibuscunque in contrarium sublatis. Quod si ex consuetudine aliis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius. In his textibus per consuetudines, quæ conservari jubentur, intelligendæ sunt immemoriales, quia non est verosimile, a Tridentino consuetudines recentiores fuisse tolerandas. 2. Consuetudines, quæ a primis authoribus sine peccato nec inchoantur nec continuantur, requirunt ad minimum tempus immemoriale. Ratio est, quia non est rationi conveniens, ut Legislator abrogari permittat leges suas præcise ob continuam hominum improborum peccandi licentiam. Quod vero quidam respondent; Legislatorem non tollere legem ob malitiam hominum, sed ob bonum publicum, ne multiplicentur peccata formalia, dici nequit: Bonum enim publicum non exigit tolli decalogum & alias leges ne multiplicentur peccata formalia. Prior enim in salvo ac tuto collocanda est sanctitas Dei & Ecclesiæ per leges optimas, quam favor improbitatis. Accedit, quod sublatis legibus Ecclesiasticis ordinarie aperitur janua pluribus peccatis formalibus contra leges divinas & naturales. Hæc mens Ecclesiæ colligitur partim ex decretalibus Pontificum, passim reprobantium tanquam corruptelam consuetudines adversas legibus, partim ex Responsis Sacrarum Congregationum, in quibus supponunt, hæreticos formales usque in hodiernum diem ligari legibus Ecclesiæ. 3. Consuetudines, quæ introducuntur bona fide circa objecta adiaphora, non requirunt plus temporis, quam sufficit ad hoc, ut fiant difficulter mobiles. Id enim in moralibus est consuetudo, quod in natura est habitus, nempe qualitas difficulter mobilis. Ordinarie id fit *spatio decennii*. Hoc enim sufficit, ut consuetudo legislatori, nisi sit valde remotus, innotescere, & de illius emendatione, si opus foret, tot inter negotia quæ legislatores circumstare solent, serio cogitari possit. Hinc etiam in Jure Civili decennium *longum tempus* vocatur. C. *de præscriptionibus*. 4. Consuetudines, quæ introducuntur bona fide circa objecta non adiaphora, tantum requirunt temporis, quantum sufficit ad hoc, ut verum sit dicere; legem consuetudine abrogatam compensari æqualitate bonorum. Ratio est; quia consuetudo tamdiu non fit legitima, quamdiu non accedit consensus legalis. Consensus autem legalis non ponitur, quamdiu non ponitur æqua commutatio bonorum per æqualitatem eorum, prout superius Q. 2. & 3. ostensum est.

Quæritur 7. Qualis requiratur scientia & consensus legislatoris ad constituendam legitimam consuetudinem?

Respondeo 1. Ad formandam legitimam consuetudinem requiritur & sufficit scientia saltem *præsumpta*. Ad fundandam autem præsumptionem legalem scientiæ in legislatore requiruntur duo; nempe publicitas ac notorietas consuetudinis; & sufficiens tempus, ut legislatori facile potuerit innotescere, isque potuerit inter tot negotia etiam de tolerantia vel emendatione consuetudinis commode deliberare. Hinc actus non notorii, non possunt fundare consuetudinem. Sequitur etiam, quod si Legislator sit valde remotus a loco, in quo viget consuetudo, requirendum sit longius tempus ad fundandam præsumptionem scientiæ. Cum enim Imperatores Romani, & Summi Pontifices a provinciis ultramarinis, aut ultramontanis sint remotissimi, & eorum Nuntii ac Præfecti intra paucos annos in Metropolitanis urbibus residentes vel non curent rescire, vel nolint rescribere innumeras consuetudines locorum, in ejusmodi locis a Legislatore tam remotis ad fundandam legalem præsumptionem scientiæ merito requiritur vicennium, seu spatium viginti annorum. Si enim in materia præscriptionum æquitas naturalis hoc obtinuit, ut inter absentes ad translationem Dominiorum requiratur duplum temporis spatium, nempe viginti annorum, cur non idem requiratur ad translationem obligationum legalium in absentia legislatorum?

Respondeo 2. Ad formandam legitimam consuetudinem requiritur & sufficit *consensus legalis* Legislatorum.

Dixi, *legalis*, id eſt, talis, qualem legislator *qua talis* juxta leges prudentiæ legislativæ debet habere, ſi recte fungatur officio ſuo. Neque enim ſufficit aut requiritur conſenſus legislatoris *perſonalis*. Nam ſi fuerit homo legum imperitus, & non curet bonam morum diſciplinam in ſubditis, facile dabit conſenſum perſonalem, ſaltem per tolerantiam ac conniventiam, ad quaſvis novellas conſuetudines laxas, qui tamen circa objecta non adiaphora neutiquam ſufficit, cum eatenus non agat ut legislator, ſed ut perſona privata. Neque alius eſſe poteſt effectus talis conſenſionis perſonalis, quam impunitas tranſgreſſionum, quamdiu duraverit talis conſenſus.

Quæritur 8. Qualis requiritur frequentia actuum ad conſtituendam conſuetudinem legitimam?

Reſpondeo. Ad conſtituendam legitimam conſuetudinem requiritur 1. ut actus ſint frequentati a majori parte communitatis. 2. Ut actus ſint reſpective continui, per actus contrarios non interrupti, hoc eſt, ut quoties intra decennium vel vicennium occaſio tulerit, uniformiter fuerint exerciti ſine intermixtione actuum contrariorum in notabili numero. 3. Ut actus ſint proportionato tempore continui. Hinc ſi actus ſint ejus naturæ, ut non niſi rariſſime redeant, v. g. ſemel intra 30. vel 50. annos; requiritur, ut ſaltem præceſſerint tres actus ad formandam conſuetudinem. Sufficit tamen etiam unicus ejuſmodi actus, ſi in judicio contradictorio populi vel judicis fuerit tempore immemoriali vel longiſſimo introducta *habitualis continuitas* actus, ſeu quieta poſſeſſio rei vel juris.

Quæritur 9. Unde poſſit colligi, conſuetudinem fuiſſe introductam animo ſe obligandi?

Reſpondeo. Id colligi poteſt ex eo ſi concurrant tres ſequentes conditiones 1. ſi ejus materia ſoleat communiter recipi ſub obligatione etiam nunc hoc tempore, & in locis vicinis. 2. ſi nemo ſe ab ejus obſervantia eximit impune aut inculpate. 3. ſi Parochi, Confeſſarii, vel Doctores paſſim moneant de gravi obligatione. Hinc ſi videantur paſſim etiam pii non obſervare conſuetudinem, nec propterea puniantur aut graviter reprehendantur, quamvis non occurrat extraordinaria cauſa excuſans, ſignum eſt, conſuetudinem non fuiſſe receptam animo ſe obligandi. Tales conſuetudines ſunt; ſumendi cineres benedictos initio quadrageſimæ; ad pulſum campanæ recitandi ſalutationem Angelicam, feriandi in feſto ab Eccleſia non præcepto; inſtituendi peregrinationes devotionales ſtato tempore. Hinc vix ulla reperitur conſuetudo obligatoria integræ communitatis, ubi non exſtat declaratio obligatoria Superioris Eccleſiaſtici habentis poteſtatem ferendi leges; qui in dubio, niſi conſuetudo ſit valde utilis aut neceſſaria ad profectum morum ac fidei, potius abſtinebit ab obligatione imponenda.

§. XII.

De Privilegiis.

QUæritur 1. Quid ſit privilegium?

Reſpondeo. Eſt conceſſio ſpecialis facultatis a ſupremo Principe indulta cum prohibitione adverſus omnes impediendi liberum uſum indulti.

Dixi, *cum prohibitione*, ſaltem tacita. Eatenus enim Privilegium etiam participat aliquid de natura legis, & vocatur *lex privata*. Sicut autem de natura legis non eſſentialiter requiritur ſcriptura; ſic neque *eſſentialiter* exigitur ex natura privilegii, quamvis ad perfectionem & integritatem per modum proprietatis illam petat. An autem de eſſentia privilegii ſit promulgatio, controverti poſſet; cum prohibitio impediendi uſum indulti videatur ſolum accidentalis privilegio.

Quæritur 2. Quotuplex ſit privilegium?

Reſpondeo. Privilegium dividitur 1. in *ſcriptum* & *non ſcriptum*. 2. in id, quod eſt *contra jus*, & id, quod eſt *præter jus*, ſeu ultra jus, 3. *in clauſum*, & non clauſum, ſeu contentum *in Corpore Juris*. 4. in *reale*, & *perſonale*.

Rea-

Reale vocatur, quod inhæret rei, vel dignitati. Sic Jus asyli est reale privilegium; & facultates concessæ Pœnitentiariis, Prælatis, etiam recte reducuntur ad privilegia realia. *Personale* autem privilegium est, quod inhæret personæ, cum qua etiam extinguitur. 5. In *remuneratorium* & *mere gratiosum*. 6. In *favorabile*, & *odiosum*. Nam quando uni conceditur privilegium, quod alteri cedit in gravamen, quale est, exemptio a decimis, illud vocatur odiosum. 7. In *purum* & *conventionale*. Nam quando privilegium conceditur ex pacto præstandi aliquid pro facultate indulta, illud conventionale dicitur. 8. In *commune* pluribus, & in *privatum*. 9. In *perpetuum* & *temporale*. 10. In privilegium *pro foro externo*, & *pro foro interno*.

Quæritur 3. Quales sint clausulæ privilegiorum? & quem pariant sensum?

Respondeo. Ad clausulas pertinent aut revocantur sequentes loquendi formulæ, quibus summi Pontifices in suis Bullis uti consueverunt.

1. *In forma communi, & ad instantiam*. *Sensus est;* quod privilegium impetratum sit ad preces postulantis.

2. *Ex motu proprio*. *Sensus est*, quod vel preces non præcesserint, vel quod non fuerint attentæ tamquam motivum conferendi privilegium.

3. *Ex certa scientia*. *Sensus est*; quod Pontifex habeat plenam notitiam materiæ, circa quam versatur privilegium.

4. *De plenitudine potestatis*. *Sensus est*, quod, si privilegium videatur Juri communi repugnans, Pontifex, quatenus opus est, eatenus vellet derogare juri communi.

5. *Ad instar*. *Sensus est*, quod privilegium sit concessum juxta formam, tenorem, vel latitudinem, sub quibus consimile privilegium fuit alteri concessum.

6. *Quatenus sunt in usu;* vel, *dummodo sint in usu*. *Sensus est*, quod Pontifex per confirmationem generalem privilegiorum nolit revalidare privilegia, quæ aut nullum unquam habuerunt usum, aut per usum contrarium jam fuerunt abrogata.

7. *Dummodo SS. Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adversentur*. *Sensus est*, dummodo Canonibus Tridentini, & decretis Tridentini non repugnent. Non enim hoc loco intelliguntur Canones illi, qui in Corpore Juris continentur.

8. *Dummodo non sint revocata, aut sub aliqua revocatione comprehensa*. *Sensus est*; quod Pontifex per concessionem privilegii non intendat revalidare ea privilegia, quæ per Decretum aliquod explicite vel tacite jam fuerunt revocata.

9. *Non obstantibus quibuscunque in contrarium*. *Sensus est*, quod Pontifex per hoc intendat derogare omnibus Decretis, Statutis, Legibus, vel Juribus contrariis.

10. *Quorum tenores volumus hic habere pro expressis*. *Sensus est*, quod Pontifex confirmare vel revocare intendat eas gratias, quæ in aliis Bullis, prius olim emanatis, concessæ sunt.

11. *Supplentes omnes & singulos defectus Juris & facti*. *Sensus est*, quod Pontifex intendat per hoc sanare omnes defectus accidentales Juris & Facti, si in privilegii impetratione aliqui irrepserint. Imo si privilegium non fuerit concessum in forma communi, sed *motu proprio*, *& ex certa scientia*, *aut ex plenitudine potestatis*, quod sanare intendat etiam defectus substantiales.

12. *Decernentes irritum, & inane, si secus a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari*. *Sensus est*, quod annullentur omnia acta, in posterum futura contra privilegium.

13. *In foro conscientiæ*. *Sensus est*, quod privilegium v. g. absolvendi a censuris, dispensandi, &c. non valeat pro foro externo, sed tantum pro tribunali sacro, & pro licentia v. g. celebrandi occulte.

Quæritur 4. Quis possit concedere privilegia?

Respondeo. Omnes & soli, qui habent supremam jurisdictionem in territorio. Tales sunt Papa, Imperator, Rex.

Quæritur 5. An ad licitam concessionem Privilegii requiratur justa causa?

Respondeo. Authores quidem communiter docent; *ad licitam* concessionem privilegii requiri justam causam; non

autem requiri justam causam *ad validam* concessionem privilegii. Verum hæc doctrina limitanda est ad ea privilegia, quorum materia dependet a solo arbitrario nutu supremi Legislatoris, & quæ versantur circa objecta solum adiaphora. Quando enim privilegia directe contrariarentur Decretis Conciliorum Generalium, & legibus Ecclesiasticis ex traditione Apostolica descendentibus, non esset admittenda illimitate. Quia si daretur manifestus abusus Pontificiæ potestatis, talis actus esset potius considerandus tanquam actus personæ, non tanquam actus officii; consequenter non esset ratus a Christo, nec comprehenderetur implicite sub objecto potestatis a Christo concessæ; sicut patet a pari in potestate Vicarii, Prætoris, Viceregis, Æconomi, tutoris &c.

Quæritur 6. Quot modis aquiruntur privilegia?

Respondeo. Privilegia aquiruntur tribus modis. 1. ex concessione principis. 2. consuetudine legitime præscripta. 3. communicatione privilegiorum generali. *Dixi consuetudine.* Nam privilegia obtineri posse per consuetudinem legitime præscriptam, insinuat Innocentius III. c. *novit.* de judiciis. Tit. 1. ubi ait: *Non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, nisi forte juri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum.* Nam si eadem est vis privilegii & consuetudinis, manifestum est, id ipsum, quod privilegio conceditur, hoc est, privilegium *objective* sumptum per consuetudinem aquiri posse. Sic etiam, dum idem Pontifex C. *super quibusdam* de V. S. declarat, *Pedagia*, *Salinaria*, *& Quidagia* esse interdicta, *quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilii largitate concessa, vel ex antiqua consuetudine a tempore, cujus non exstat memoria, introducta*, manifestum est; quod ipsissimam rem, quæ privilegio obtineri potest, nempe jus exigendi pedagia, fateatur per consuetudinem obtineri posse, quod nihil aliud est, quam privilegium *objective* sumptum consuetudine obtineri posse. *Observandum* tamen, quod, dum privilegium consuetudine aquiritur, solicite observanda sit conditio illa ad legitimam consuetudinem requisita, videlicet, ut accedat *consensus legalis* superioris, qui consensus præsupponit notitiam seu *scientiam saltem præsumptam* consuetudinis. Hinc manifestum est; consuetudine clancularia absolvendi a casibus reservatis privilegium absolvendi ab ejusmodi casibus obtineri non posse. *Dixi etiam communicatione privilegiorum*, dum nempe Pontifex privilegia uni loco vel Ordini Ecclesiastico concessa ad alium locum vel statum extendit.

Quæritur 7. Quomodo privilegia ab uno loco ad alium locum, vel ab una persona ad aliam extendi possint?

Respondeo. Circa hanc extensionem servandas esse sequentes Regulas. 1. *Privilegia determinate uni loco, aut personæ concessa non extenduntur ad alia loca aut personas in privilegio nec formaliter nec virtualiter expressa.* Ut enim habetur *Regula* 74. Juris in 6. *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. Dixi virtualiter*, in quantum videlicet intentio concedentis privilegium frustraretur suo *effectu congruo*, nisi fieret ejusmodi extensio. Sic privilegium celebrandi tempore interdicti uni concessum extenditur ad ministrantem; privilegium ingrediendi monasteria Monialium concessum Principi extenditur ad comitantes. Nobilitas patris extenditur ad filios, & viri ad uxorem. 2. *Privilegia uni personæ vel loco determinate concessa ne quidem tunc extenduntur ad alias personas loca & casus in privilegio non expressas, quando similis vel etiam major & efficacior pro his stat ratio.* Hinc si alicui conceditur privilegium non recitandi horas Canonicas ob multas occupationes, infirmitatem, debilitatem oculorum, non eoipso etiam alius eximitur, qui gravatur majoribus occupationibus vel majori infirmitate. Ratio petitur ex C. sane. 9. de Privilegiis, ubi *Alexander* III. sic scribit: *Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua authoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui certa ratione inspe-*

cta

cta singularibus voluit beneficiis indulgere. & ex *Clementina I. de censibus*, ubi *Clemens* V. sic habet: *Privilegia & Exemptiones hujusmodi ad Monasteria seu Ecclesias, quæ ad eos venire continget, inposterum volumus non extendi*. 3. *Privilegia Religionis vel Religioni concessa extenduntur etiam ad Prælatos Regulares, etsi nulla de iis fiat in privilegiis mentio*. Patet ex *Regula* 1. *Dixi*, *Prælatos Regulares*. Non est enim verosimile, quod Pontifex in privilegio Religioni concesso voluerit comprehendere universim etiam Abbates Commendatitios. 4. *Privilegia concessa Canonicis ac viris Religiosis non extenduntur etiam ad Canonissas & Moniales in iis, quæ ipsis aptari possunt, nisi habeant generalem communicationem privilegiorum*. Patet ex Regula 2. *Dixi*, *nisi habeant generalem communicationem privilegiorum*. Eam enim ex speciali concessione Romanorum Pontificum habent pleræque Moniales, v. g. Canonicorum Regularium, S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini Eremitarum, Carmelitarum. 5. *Privilegia Canonicis, aliisque Religiosis professis concessa extenduntur etiam ad Novitios*. Ratio sumitur partim ex Regula 1. quia videtur *incongruum* nisi parificentur in privilegiis, qui parificantur in oneribus, habitu, & societate communi; partim ex praxi Pontificum; sic enim quoad Canonicos Regulares de ea parificatione constat ex Bulla Sixti IV. *Ad universos* 1477. & ex Bulla Julii II. *Inter cæteros* 1512. partim ex intentione Pontificum manifestata in C. *Religioso* 21. de sent. Excom. Et C. *non minus*. & C. *adversus* & C. 1. in 6. de *Immunit. Eccles.* ubi Novitiis conceditur extensio *privilegii Canonis*, & immunitatis a Gabellis & impositionibus. Itaque videtur, non esse dubium, quod intentio Pontificum sit, ut participent a corpore, cujus sunt membra, etiam minora privilegia, puta quoad facultatem absolubilitatis & dispensibilitatis a peccatis & censuris Summo Pontifici reservatis, & dispensibilitatis quoad irregularitates & præcepta Ecclesiæ; item quoad communicationem Indulgentiarum. 6. *Privilegia Canonicis aliisque Religiosis professis concessa extenduntur etiam ad laicos professos*. Id patet ex *Regula* 1. quia incongrua esset concessio, nisi intentio Pontificis se virtualiter extenderet ad hæc membra communitatis. Hinc Sixtus IV. & Julius II. in præfatis Bullis etiam exprimunt *Conversos*.

Quæritur 8. Quomodo sint interpretanda privilegia Regularium?

Respondeo. Circa interpretationem ejusmodi privilegiorum præ oculis habendæ sunt sequentes Regulæ. 1. *Privilegia a Summis Pontificibus concessa authentice & authoritative interpretari potest solus Pontifex*. Id patet ex generali principio de Interpretatione legum, dato §. 8. 2. *Congregationes Cardinalium non habent potestatem authentice & simul authoritative interpretandi privilegia Regularium, nisi prius consulto & probante Summo Pontifice*. Ita desumunt authores ex Bulla Sixti V. *Immensa æterni Dei* Kal. Febr. 1588. *Dixi simul authoritative*, id est, per modum novæ legis. Si enim Congregatio Concilii Tridentini præcise declaret mentem Tridentini ac sensum, eatenus ejus declaratio erit *authentica*, quamvis non sit *simul authoritativa* per modum novæ legis. Imo si inspiciantur ipsa verba Bullæ præfatæ, videtur, quod in negotiis ordinariis minoris momenti habeat etiam potestatem statuendi aliqua authoritative inconsulto Pontifice; quia in fine Bullæ dicitur: *Eædem Congregationes viros peritos in consultationibus advocent; ut quæ justitiæ consentanea maxime erunt, decernantur; graviora vero quæcunque ad nos vel successores nostros deferantur, ut quid expediat, statuamus*. Itaque in causis minus gravibus habent Congregationes potestatem aliquid decernendi, ita ut earum resolutionibus saltem ligentur partes, ad quarum instantiam vel regulationem fit resolutio. Id operari videntur verba Sixti V. in præfata Bulla, dum sic scribit: *Eorum Decretorum, quæ ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus, Cardinalibus vero præfectis interpretationi & executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quæ*

quæ de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas vel difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur. Habeat item Congregatio authoritatem promovendi reformationem Cleri & populi in universo orbe &c. 3. Episcopi aliique Prælati Ecclesiastici non habent potestatem authentice & authoritative interpretandi privilegia a Summis Pontificibus indulta. Ita declaravit *Innocentius* III. C. cum venissent, de Judiciis; *Clemens* IV. in Bulla: *Ordinis vestri* 1268. *Urbanus* VI. in Bulla: *Gloriosa* 1378. *Paulus* III. in Bulla: *Licet debitum* 1549. *Clemens* X. in Bulla: *Superna*, 1670. *Innocentius* III. l. c. sic scribit: *Cum super privilegiis Sedis Apostolicæ causa vertatur, nolumus de ipsis per alios judicari.* 4. *Privilegia pure favorabilia*, hoc est, ea, quæ nec Ecclesiæ quoad honestatem disciplinæ & religionis, nec juribus aliorum præjudicant, *late sunt interpretanda, quantum patitur juridica verborum significatio & proprietas*. Patet ex §. 8. De Interpretatione legum. 5. *Privilegia odiosa & Juri communi adversantia stricte sunt interpretanda*. Patet ex §. 8. cc. 6. *Privilegia, quæ cedunt in notabile præjudicium tertii, stricte sunt interpretanda, & restringenda, quantum patitur verborum proprietas*. Patet ex §. 8. cc. 7. *Privilegia in materia ambitiosa vel scandalosa stricte quoque interpretanda sunt, & in iis semper minimum verborum significatum accipiendum est*. Patet ex §. 8. cc. Ratio autem est, quia in his omnibus inspicienda est intentio concedentis privilegium, utpote quæ est anima omnium legum: Cum ergo intentio concedentis, saltem legalis, sit regulata legibus prudentiæ gubernativæ, non potest in ejusmodi materiis intendere vel permittere latam interpretationem, quia alioquin repugnaret bono communi.

Quæritur 9. Quænam sint observanda circa usum privilegiorum?

Respondeo. Circa usum privilegiorum posse dari sequentes regulas. 1. *Nemo per se loquendo tenetur uti privilegio singulari, & in suum usum principaliter concesso*. Patet ex C. *si de terra*. De Privilegiis, ubi *Alexander* III. dicit: *Liberum est unicuique suo Juri renuntiare*. 2. Privilegio communi tenentur omnes uti, qui sunt de communitate, in cujus favorem privilegium principaliter concessum est, Patet ex C. *si diligenti*. de foro compet. ubi *Innocentius* III. sic scribit. " Asseruisti te usque ad hæc „ tempora tenuisse, quod licitum sit „ Clerico, renuntiare saltem in temporalibus causis juri suo, & sibi laicum Judicem constituere; præsertim „ ubi adversarii voluntas accedit, ac temere super hoc juramentum interpositum respondisti; immemor constitutionis, qua cavetur, pacto privatorum juri publico minime derogari. „ Cum ergo jus hoc in Milevitano & „ Carthaginensi Conciliis sit specialiter „ promulgatum; ne Clerici Clericos relicto suo Pontifice ad judicia publica „ pertrahant; alioquin causam perdant, „ & a communione habeantur extranei, „ & tam Episcopi quam Diaconi seu „ quilibet Clerici in criminali seu civili negotio, si derelicto Ecclesiastico „ judicio publicis judiciis se purgare voluerint, etiam si pro eis sit lata sententia, locum suum amittant, & hoc „ in criminali actione; in civili vero „ perdant, quod evicerint, si locum „ suum maluerint obtinere; manifeste „ patet, quod non solum inviti, sed „ etiam voluntarii pacisci non possunt, „ ut sæcularia judicia subeant; cum non „ sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publice indultum, „ cui privatorum pacto derogari non „ potest. Nec juramentum licite servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur." Similia habentur C. *contingit* de sent. excommun., ubi Clerici prohibentur renuntiare privilegio Canonis. *Innocentius* III. l. c. sic habet: " Contingit interdum, quod Clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundum morem patriæ, quem inter „ se laici observant, corpora sua sponte „ sup-

„ supponunt triginta, seu pluribus aut „ paucioribus percussionibus fustium. „ Nos autem respondemus, quod hujus- „ modi manuum injectio, etsi non vio- „ lenta, tamen injuriosa videtur; cum „ ille Canon non tam in favorem Cle- „ rici ordinati, quam in favorem Or- „ dinis Clericalis fuerit promulgatus; „ ideo mandamus, ut id de coetero pro- „ hibeas attentari. Siquis autem Cle- „ ricus post prohibitionem hujusmodi „ sponte se subjecerit, excommunice- „ tur." 3. *Privilegiatus potest uti suo privilegio adversus alium pariter privilegiatum, si sit in possessione, aut agat de damno vitando.* Fallit tamen hæc regula in nonnullis casibus, v. g. ubi uterque privilegiatus certat de damno vitando, vel ubi unius privilegium est tantum generale, alterius speciale. 4. *Privilegiati a Papa possunt uti suis privilegiis contra quoscunque Papa inferiores.* Patet ex definitione privilegii. 5. *Privilegiati possunt ubique in quovis loco suis privilegiis uti, nisi specialiter sint restricta.* Patet ex natura privilegii.

Quæritur 10. Quæ regulæ haberi possint circa revocationem privilegiorum?

Respondeo. Observari merentur sequentes Regulæ. 1. *Ad derogandum privilegio in Corpore Juris communis contento sufficit clausula derogatoria generalis; ad derogandum vero privilegio particulari, extra Jus commune contento, si non haberi facile possit ejus notitia, requiritur mentio specialis, aut speciali æquivalens.* Ita colligitur ex C. *licet. De Constitutionibus*, ubi Bonifacius VIII. sic habet: *Licet Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur; Quia tamen locorum specialium est, personarum singularium consuetudines & statuta, cum sint facti & in facto consistant, potest probabiliter ignorare, ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare.* Ita Pontifex: Cum ergo privilegia, quæ sunt in usu, in consuetudinem transeant, idem de privilegio, quod de consuetudine, dicendum est. 2. *Ad derogandum privilegiis per Concilia generalia indultis requiritur specialis & expressa eorum mentio, aut saltem speciali æquivalens.* Ita colligitur ex C. *ex parte tua. De capellis Monachorum*, ubi *Honorius* III. sic scribit: *Abbas & Conventus N. N. asserunt, sibi per Litteras Apostolicas esse concessum, ut in singulis ipsorum prioratibus singuli monachi commorentur. Cum autem id obviet Lateranensi Concilio, de quo nulla est mentio in litteris prædictis, respondemus, quod non credimus, hujusmodi Litteras ab Apostolica Sede emanasse. Quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari Concilio supradicto.* 3. *Privilegia remuneratoria revocari non possunt a principe, nisi ex causa gravi & publica.* Ad hoc autem ut privilegium sit *stricte loquendo* remuneratorium, non sufficit, ut in privilegio exprimantur merita in genere, sed necesse est, ut exprimantur in specie. Ita quidem authores complures sentiunt, textibus Juris Civilis permoti. Crediderim tamen; Principem Ecclesiasticum in revocatione non teneri ad exprimendam illam causam gravem & publicam, cum jura Ecclesiastica in fieri & conservari dependeant multo perfectius a Vicario Christi, quam jura temporalia a Principe terreno. 4. *Privilegia conventionalia revocari non possunt a principe aut ejus Successore, nisi ex causa publicam utilitatem ac necessitatem respiciente.* Ita quidem sentiunt communiter authores; sed sine textu Juris Canonici. Repeto etiam hoc loco; Papam in revocatione non teneri ad exprimendam causam revocationis ob rationem superius datam.

Quæritur 11. Qualia privilegia Regularium fuerint revocata a Conciliis vel Summis Pontificibus?

Respondeo 1. In Concilio Lateranensi *Leo* X. 1516. 19. Dec. per Bullam: *Dum intra* revocavit plura Regularium privilegia his verbis: „ Si aliqua di- „ ctis Fratribus Mendicantibus in eo- „ rundem Episcoporum læsionem per

„ Romanos Pontifices Prædecessores no„ stros concessa fuerint, concessiones „ hujusmodi in subsequentibus duximus „ moderandas. Igitur statuimus, quod „ Episcopi parochiales Ecclesias ad eosdem fratres spectantes quoad ea, quæ „ ad parochianorum curam & Sacra„ mentorum conversationem, admini„ strationemque pertinent, sine tamen „ Visitatorum insolito gravamine vel „ impensa visitare, & illarum curam „ gerentes & circa illam delinquentes, „ si religiosi fuerint, juxta ipsius Or„ dinis regularia instituta intra septa, „ sæculares vero presbyteros, & fratres „ hujusmodi beneficia (sæcularia) obti„ nentes, libere tanquam suæ jurisdi„ ctioni subjectos punire: ac ipsi fratres „ a Prælatis ad processiones solemnes „ pro tempore faciendas requisiti, dum„ modo eorum loca suburbana a civi„ tatibus ultra unum milliare (Itali„ cum) non sint remota, accedere de„ beant, Forensium confessiones audire „ valeant; laicos tamen & Clericos sæ„ culares a sententiis ab homine latis „ nullatenus absolvere possint. Eucha„ ristiæ vero & extremæ unctionis, „ aliaque Ecclesiastica sacramenta illis, „ quorum etiam infirmorum ac deceden„ tium confessiones audierint, dicenti„ bus, proprium sacerdotem illa sibi „ dare denegasse, dare nequeant, nisi „ denegatio sine legitima causa facta „ vicinorum testimonio probata doce„ retur. Eorundem vero fratrum obse„ quio insistentibus sacramenta hujusmo„ di nullatenus ministrare valeant, nisi „ illorum durante obsequio. Parochias „ cum cruce ad levanda funera eorum, „ qui apud Ecclesias domorum eorundem „ elegerint sepulturam, intrare non pos„ sint, nisi prius præmonito & requisi„ to ac non recusante parochiano pres„ bytero, & tunc sine ejus ac Ordina„ rii præjudicio, nisi eisdem super hoc „ antiqua consuetudo suffragatur. Abs„ que curatorum consensu sponsum & „ sponsam benedicere nequeant. Illos, „ quorum confessiones audierint, ad „ solvendum decimas monere, ipsisque „ illas solvere recusantibus absolutionem „ denegare id etiam publice prædicare „ teneantur. Fratres & Sorores tertii „ Ordinis die Paschatis Eucharistiam, „ nec non extremam unctionem, cæ„ teraque Ecclesiastica Sacramenta, pœ„ nitentiæ Sacramento duntaxat excepto, „ a proprio Sacerdote recipere, & ad „ onera, quæ laicis incumbunt, perfe„ renda teneantur &c. &c. Omnia supra„ dicta ad reliquos religiosos Ordinum „ quorumcunque extendi & per eos ser„ vari debere mandamus; non obstan„ tibus quibuscunque Constitutionibus „ Apostolicis, & statutis & consuetu„ dinibus dictorum Ordinum; privile„ giis quoque, etiamsi ad illorum de„ rogationem specifica mentio habenda „ esset &c.

Respondeo 2. Non omnia privilegia Regularium fuerunt revocata a Concilio Tridentino. Id patet ex verbis ipsius Concilii, dum Sess. 25. c. 20. sic habet: *In cæteris omnibus præfatorum Ordinum Privilegia & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint & illæsa.*

Respondeo 3. Omnia privilegia Regularium, quæ adversantur Decretis Concilii Tridentini in Sessione 25. editis, fuerunt revocata a Concilio Tridentino, etiamsi illorum non fiat mentio aut revocatio specifica.

Dixi, in Sessione 25. *editis*. Nam illa privilegia Regularium, quæ decretis a Concilio in aliqua priorum viginti quatuor Sessionum editis repugnant, juxta communem sententiam authorum non censentur esse revocata, nisi illorum specifica, vel specificæ æquivalens mentio facta sit. Hujus exceptionis rationem authores petunt ex *C. sicut Romana* 1. & *C. cum ordine* 6. de Rescriptis, & *C. veniens* de Præscript. & *C. licet* 1. De Constitut. in 6. ubi Summi Pontifices protestantur, se nolle locorum specialium & personarum particularium consuetudines & statuta abrogare, nisi expressa fiat mentio. Fateor tamen; hanc exceptionem non niti ratione convincente. Nam licet Summi Pontifices extra Concilia generalia nolint derogare particularibus consuetudinibus aut pri-

vilegiis non contentis in Corpore Juris, rectissime illud fit, quia Summi Pontifices non possunt *in scrinio pectoris sui* notas habere omnes consuetudines particulares ac privilegia, earumque ponderare rationes aut circumstantias, prout Bonifacius VIII. in præfato *C. licet*, 1. de Constitut. asserit; at vero hæc ratio in Concilio Generali Tridentino non habet locum. Cum enim illi Concilio interfuerint Generales & Theologi fere omnium Ordinum Regularium, cur non aperuerunt os, si aliquando Decreta in Congregationibus ad Sessiones præviis discussa viderentur labefactare eorum privilegia? An quia forte non videbatur tempus insumendum in discutiendis exceptionibus? Sit ita; de quo & ipse nolim litigare cum dispendio temporis. *Responsio data probatur* ex verbis Concilii, dum Sess. 25. C. 22. sic habet: *Hæc omnia & singula in superioribus decretis* (in quibus ex instituto agebatur de Reformatione Regularium Sess. 25.) *contenta observari S. Synodus præcipit in omnibus domibus quorumcunque Regularium. Non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quibuscunque formulis verborum conceptis, nec non constitutionibus & regulis etiam juratis &c.*

Respondeo 4. A Gregorio XV. revocata esse omnia vivæ vocis oracula, ac consequenter privilegia ejusmodi vivæ vocis oraculis concessa. In Bulla: *Romanus Pontifex*, edita 2. Julii 1622. sic habet: *De Apostolicæ potestatis plenitudine omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quascunque spirituales & Ecclesiasticas tam ad forum interius, quam ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus a Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocunque & qualitercunque ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam mendicantium quam non mendicantium, Societatibus, etiam Societati Jesu, ac Congregationibus quibuslibet &c. Quomodolibet exemptis aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus; firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum vel aliorum quorumcunque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.* Ita Gregorius XV. Sed *Urbanus* VIII. revocavit etiam illa vivæ vocis oracula, quæ Cardinalium manu firmata sunt. In Bulla: *Alias*, edita 20. Dec. 1631. sic habet: *Cum experientia compertum sit, concessiones ac gratias vivæ vocis oraculo, etiam S. R. E. Cardinalibus obtentas & ipsorum manu firmatas sæpe ab his in quorum favorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi, perperam in Disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari, idcirco de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula privilegia, facultates, licentias & gratias quascunque per Summos Pontifices Prædecessores nostros ac per nos vivæ vocis oraculo & S. R. E. Cardinalium quorumcunque manu firmata, etiam ad instantiam Imperatorum, Regum & Principum quorumcunque quacunque ex causa quibuscunque, &c. concessa, revocamus, cassamus, &c.* Ita hi duo Pontifices, acti vero Spiritu Hierarchico. Qui amant Christum, Ecclesiam, & ejus decorem, aguntur eodem spiritu, nec conantur reducere illa oracula bene extincta ad præcavendum chaos, quod ex illorum multiplicatione nascitur.

Quæritur 12. Quomodo exspirent privilegia?

Respondeo. Privilegia exspirant sequentibus modis.

1. *Exspirant lapsu temporis, pro quo concessa sunt.* Sic Indulgentiæ concessæ ad septennium cessant elapso septennio.

2. *Privilegium vel gratia absolute concessa per se unico actu non finitur, sed extendit se ad plures actus.* Sic dispensatus ad beneficium potest illo dimisso

fo vel amiffo accipere fecundum vel tertium, fi fuerit priori confimile. Et ligatus voto caftitatis, fi difpenfetur ad contrahendum matrimonium illimitate, poteft etiam contrahere fecundum ac tertium. 3. *Privilegium perfonale*, hoc eft, perfonæ conceffum, *extinguitur cum perfona*. Ut enim habetur *Reg.* 7. *in* 6. *Privilegium perfonale perfonam fequitur, & extinguitur cum perfona*. 4. *Privilegium reale deftruitur deftructa re in perpetuum vel in tempus longum*. Sic privilegia de fe in perpetuum conceffa communitatibus v. g. civitati, monafterio, ordini, &c. non extinguuntur, etiamfi evertantur cum fpe reædificationis, aut fi in alium locum transferantur. Sic etiam privilegia altaribus conceffa manent, etiamfi altaria diruantur, ut iterum reædificentur in meliori forma, vel in loco opportuniore ejufdem Ecclefiæ. Quoad Indulgentias vero Ecclefiis vel Oratoriis conceffas, fi diruantur, & de novo in eodem vel alio loco reædificentur, in S. Congregatione anno 1712. 18. Julii, & anno 1732. 16. Februarii refponfum eft, non manere Indulgentias.

5. *Privilegium feu gratia abfolute & fine reftrictione facta non exfpirat morte concedentis*. Colligitur ex C. *fi fuper* 9. de offic. deleg. in 6. Et ex C. *fi cui* 36. de Præbend. in 6.

6. *Si privilegium conceffum fuerit fub hac claufula. Ufque ad beneplacitum noftrum, donec voluero, quoufque noftra fuerit voluntas, donec revocavero, donec aliter ordinavero, ex natura objecti defumendum eft; an concedens loquatur nomine fuæ dignitatis*, de fe perpetuæ, an nomine fuæ perfonæ, utique mortalis. Si loquatur nomine dignitatis, privilegium non exfpirat morte concedentis, fed fi fuerit perfonale aut reale, perfeverat cum perfona vel re. Si autem objectum fuerit ejus naturæ, ut non petat aut foleat concedi nomine dignitatis, extinguitur morte concedentis. Hinc licentia Sacerdoti ab Epifcopo fine limitatione tacita vel expreffa temporis facta audiendi confeffiones, abfolvendi a cafibus Epifcopalibus, difpenfandi in votis, &c. non exfpirat morte concedentis, quia ejufmodi gratiæ folent concedi perfonis a dignitate, & nomine dignitatis. Eadem autem gratia, quia nec folet, nec conformiter ad leges prudentiæ poteft conferri locis particularibus in perpetuum, non præfumitur fic effe conceffa. In hoc enim genere gratiarum, in quibus verfatur periculum animarum & difciplinæ Ecclefiafticæ, effentialiter petit refpici induftria, fcientia, & prudentia perfonarum, quæ in futurum præviderи nequit circa loca particularia, quorum nec perfonæ, nec privilegia perpetuo fubftant oculis vel attentioni fucceſſorum. Et quæfo! quo tandem deveniret difciplina Ecclefiaftica, fi, dum refervatione cafuum Epifcopi cuperent mederi morum corruptelæ, jam ab anteceſſoribus plerique locorum particularium Confeffarii haberent abfolvendi a cafibus refervatis poteftatem ob privilegia non regiftrata? In aliis autem materiis, quæ folent concedi ex officio & dignitate Pontificia vel Epifcopali, v. g. dum alicui conceditur facultas eligendi Confeffarium, quem voluerit; vel recipiendi Ordines extra tempora, vel non fervatis interftitiis; celebrandi, vel audiendi Miffam in oratorio privato; comedendi carnes diebus prohibitis; difpenfandi alicui circa impedimentum matrimonii, &c. vera eft generalis regula, quod non exfpirent ejufmodi privilegia morte concedentis.

7. *Privilegium feu gratia primum facienda, re adhuc integra*, hoc eft, fi gratia nondum fuerit accepta & acceptata ab eo, in cujus favorem edita eft, *exfpirat morte concedentis*, *nifi fit ejus naturæ, quæ foleat conferri a dignitate*, & quodam modo fit potius jurifdictionis neceffariæ, quam voluntariæ folum ac mere gratiofæ. Sic enim a Papa difpenfatus ab impedimento ad contrahendum matrimonium in India, Germania, &c. poteft illa gratia uti, etiamfi ante contractum nuptialem nuntius ferat, Papam interea obiiffe. *Refponfio autem probatur* ex c. *fi cui* 36. *de Præbendis* in 6. ubi dicitur: „ Si cui, nulla perfonarum „ facta expreffione, fit gratiofe concef-

„ fa

„ sa facultas, ut authoritate Apostolica „ possit aliquibus personis idoneis in „ certa Ecclesia providere, vel benefi- „ cia, quorum collatio est ad Sedem A- „ postolicam legitime devoluta, confer- „ re, contradictores eadem authoritate „ per censuram Ecclesiasticam compe- „ scendo; hujusmodi concessio, quam, „ cum specialem gratiam contineat, „ decet esse mansuram, non expirat etiam „ re integra per obitum concedentis. „ Secus si super provisione certæ per- „ sonæ facienda sit data potestas eidem „ non ob suam, sed ob ejus, cui pro- „ videri mandatur, gratiam, vel fa- „ vorem; illa quidem expirat omni- „ no, si concedens re integra moria- „ tur.

8. *Privilegia, quæ merum favorem continent, non cessant etiam cessante ex integro causa finali*. Pure gratiosa autem voco, quæ nec personæ, nec Ecclesiæ quoad disciplinam præjudicant. Ita communis ob Regulam 16. in 6. quia *beneficium principis decet esse mansurum*.

9. *Privilegia odiosa necdum ad effectum suum deducta cessant cessante causa finali ac totali*. Ita desumitur ex C. *cum cessante*, 60. de Appellat. ubi privilegium appellandi & causam ad superiorem judicem devolvendi occasione sententiæ interlocutoriæ iniquæ a Judice ordinario latæ tollitur, si Judex ordinarius desistat ab executione sententiæ interlocutoriæ.

10. *Privilegia etiam odiosa, quæ unico actu consummantur, eo semel consummato non cessant quoad effectum, quamvis postea cesset causa finalis ac totalis*. Ita colligitur ex Regula 73. in 6. ubi dicitur: *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*. Sic dispensatus ab irregularitate, vel impedimento ad beneficium vel matrimonium, licite manet in beneficio vel matrimonio, etsi casu fortuito dives evadat.

11. *Privilegia, quæ tractum habent successivum, cessant causa finali contraria cessante; non vero cessant, si causa finalis esset tantum negative*. Sensus & ratio patet ab exemplis. Sic privilegium non residendi in loco beneficii amittitur, si Ecclesia, in qua est beneficium, patitur defectum ministrorum. Hoc enim in casu non solum cessat motivum concessionis *negative*, sed etiam ponitur motivum positive contrarium concessioni. Econtra si Monasterio initio fundationis concedatur privilegium colligendi decimas in aliqua parochia, & monasterium postmodum fiat dives; non eoipso cessat privilegium, quia licet cesset paupertas, quæ erat motivum concessionis; hoc tamen solum cessat *negative*, non *contrarie*. Opulentia enim non positive exigit subtractionem bonorum. Ita desumitur ex C. *cum ad hoc* 16. de Clericis non resid. Et ex C. *subjectum* 9. de Decimis. Et ex C. *quanto* 16. de Censibus. Et ex C. *quid per novale* 21. de V. S. In sensu hujus Regulæ explicanda est alia, quam authores indefinite ponunt his verbis: *Privilegia, quæ habent tractum successivum, cessant cessante causa finali*. Sic Clericis ac Monachis conceditur privilegium immunitatis ab omni curatela & tutela; illud vero amittunt, si vagantur, & in officiis divinis desides sint. Ita desumunt authores ex C. *Tuæ Fraternitati* 12. de Clericis non resid. & ex C. *Abbati* 25. f. de V. S. Sed in neutro loco probatur Responsio. In priori enim loco sermo est de cessatione finis *per fraudem* privilegiati; in posteriori vero loco sermo est de cessatione finis *contrariativa*. Jubentur enim Monachi Alciatenses semper assumere Abbatem ex Monasterio S. Bertini; *donec ibidem viguerit observantia regularis, ut idoneæ personæ inveniantur in illo, qui possit in Abbatem assumi*. Itaque hæc Regula admittenda non est, nisi ubi finalis causa cessat *contrarie*, ut re ipsa coincidat cum Regula undecima.

12. *Privilegia amittuntur renuntiatione privilegiati*. Et hinc, si privilegium concessum sit in favorem monasterii, Ordinis, vel status Clericalis, privilegium non amittitur renunciatione unius particularis, prout ostensum quæst. 9. superius.

13. *Privilegia integro Monasterio*, vel

vel Ordini concessa non amittuntur per renunciationem Prælati vel Superioris immediati vel mediati. Ita colligitur ex c. *nulli* 5. & ex c. *si quis* 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Et ex c. *dudum* 1. eodem tit. in 6. & ex Clementina 1. eodem tit.

14. *Amittuntur tamen per renuntiationem præfati Prælati vel Superioris accedente consensu Capituli particularis vel generalis, a quo dependet*. Ita colligitur ex c. *si de terra* 6. de Privilegiis. Et ex c. *cum accessissent* 8. de Constitut. Et ex c. *pro illorum* 22. de præbendis. Et ex c. *pactum*. 1. & c. *quia ex eo* 3. de pactis in 6. *Observant tamen Authores* ex c. *licet*. 7. de Procurat. in 6. in tali casu renuntiationis ad hoc, ut sit valida, renuntiationem debere esse acceptatam ab eo, qui concessit privilegium.

15. *Privilegia mere favorabilia, quæ in nullius cedunt onus seu gravamen, saltem rationabile, non amittuntur per non usum, aut usum contrarium, quantocunque tempore continuatum*. Ita communis authorum. Ratio est; quia usus privilegii est res mere facultatis, non necessitatis. Hic tamen notandum; non posse pure favorabilibus annumerari ea privilegia, quæ tractu temporis onerosa facta sunt bono communi, Ecclesiasticæ disciplinæ, & recto ordini Ecclesiæ. Perinde enim est, imo major est ratio, si privilegium fiat præjudiciosum bono communi Ecclesiæ, quam si fiat præjudiciosum bono privatorum.

16. *Privilegia onerosa, quæ in aliorum gravamen aut præjudicium cedunt, amittuntur per non usum privativum aut usum contrarium; idque vi tacitæ renuntiationis præsumptæ a jure*. Id colligitur ex c. *accedentibus*. 15. de Privileg. ubi sic Innocentius III. scribit: " Mandamus, quatenus, si Monachi sufficienter ostenderint, quod a Templariis (*qui habebant privilegium exemptionis a Decimis*) decimas de terris prædictis per quadraginta annos continue perceperint sine lite, vos ad præstationem ipsarum Templarios compellatis. Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverint, eis renuntiasse tacite præsumuntur. " Idem colligitur ex c. *cum accessissent* 8. de Constitut. ubi, cum Sedes Apostolica Ecclesiæ Tullensi indulsisset privilegium supprimendi officium Primicerii, ejusque præbendam distribuendi Canonicis, Pontifex Innocentius III. sic statuit: " Mandamus, quatenus si vobis constiterit, Tullenses Canonicos, ne ulterius in Ecclesia Tullensi Primiceriatus esset officium, communiter statuisse, ac Statutum ipsum authoritate Sedis Apostolicæ fuisse confirmatum, vos illud (*statutum*) faciatis in suo robore permanere, nisi postea dicti Canonici contravenerint, aliquem videlicet in Primicerium eligendo.

17. *Privilegia quæ in aliorum gravamen aut præjudicium cedunt, amittuntur etiam vi præscriptionis per non usum privativum, aut usum contrarium*. Sic, si quis habens privilegium exemptionis a decimis altero petente solvat longo tempore decimas; aut si habens privilegium exigendi ab alio decimas, altero resistente, eas longo tempore non exigat, amittitur privilegium ob præscriptionem contrariam. Ita colligitur ex præfato c. *accedentibus* de Privileg.

18. *Privilegium etiam amittitur per abusum privilegii*. Ita colligitur ex variis textibus Juris Canonici. Ubi tamen advertendum, privilegium in tali casu non amitti ipso facto, nisi fuerit ex pacto vel contractu conditionato, sed tantum per sententiam. Can. *Ubi ista* 7. dist. 74. *Simplicius* Papa in Epist. scribit: *Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate*. Idem repetitur c. *privilegium* 63. Causa 11. q. 3. Et c. *tuarum* 11. de Privileg. ubi Pontifex per Archiepiscopum Lugdun. Templarios privat jure collectandi per Clericos, eo quod collectaverint per laicos.

§. XIII.

§. XIII.

De potestate ferendi Leges.

Quæritur 1. Quinam habent potestatem ferendi leges?

Respondeo. Quilibet habet potestatem ferendi leges in suos subditos, cui id a Deo, vel a Supremo Principe, aut Republica indultum est. Sic potestatem ferendi leges habet 1. Papa in omnes fideles, qui eam potestatem accepit a Christo. 2. Episcopi in suos Diœcesanos. 3. Reges, Imperatores, & Principes in suos populos.

Quæritur 2. An Capitulum Sede vacante possit ferre leges?

Respondeo. Capitulum Sede vacante potest ferre leges *provisionales*, quousque a Neoelecto & confirmato Episcopo confirmentur vel revocentur. Confirmatio autem sufficiet tacita. Ita *quoad rem* Panormitanus, Felinus, Sylvester, Suarez, Bonacina, quos citat & sequitur Palao hic tract. 3. disp. 1. p. 23. n. 21. *Dixi*, *provisionales*. Neque enim plus probant rationes ab his authoribus adductæ.

Quæritur 3. Utrum Abbatissæ vel aliæ Superiorissæ, etiam Generales, habeant potestatem ferendi leges?

Respondeo. Non habent potestatem ferendi legem, sed tantum habent potestatem *præceptis* ac *mandatis* particularibus applicandi & *per pœnas temporales* exequendi leges a Superiore Ecclesiastico latas. *Ratio* est 1. quia potestas ferendi leges pertinet ad Hierarchiam Ecclesiasticam. Hujus autem pars non sunt fœminæ; juxta illud D. Paul. *Mulieres in Ecclesia taceant*. *Ratio* 2. est, quia potestas legislativa requirit jurisdictionem spiritualem in subditos proprie dictam, vi cujus scilicet possint *per se* obligare in conscientia. Sed fœminæ sunt incapaces ejusmodi jurisdictionis. Ita docet D. *Thomas* in 4. dist. 19. q. 1. a. 1. qq. 3. ad. 4. ubi sic scribit: *Mulier secundum Apostolum est in statu subjectionis: & ideo ipsa non potest habere aliquam jurisdictionem spiritualem: unde mulier non habet, neque clavem ordinis, neque clavem jurisdictionis; sed mulieri committitur aliquis usus clavium, sicut habere correptionem in subditas mulieres propter periculum cohabitationis, si viri mulieribus cohabitarent*. Similia habet ad Hanibaldum q. un. a. 1. ad. 3. & in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. ubi ait: *Ad illud de Abbatissis dicendum, quod non habent claves ad aperiendum regnum cœlorum, sed actum similem actui clavium, scilicet in correptione temporali & disciplina suarum Monialium propter periculum cohabitationis virorum inter eas*. Ex his patet; Abbatissis & aliis ejusmodi Superiorissis tantum competere delegatam potestatem applicandi & exequendi leges, a Superioribus latas, *per præcepta* ac *mandata*, quæ tantum respiciunt personas ac casus particulares. Nam talem potestatem *dominativam* imponendi *præcepta* ac *mandata* etiam habent patres in filios, mariti in uxores, domini in servos; eaque potestas dominativa fundatur vel in jure naturæ, vel in contractu, vel in voto obedientiæ personalis personæ ad personam, prout Palao l. c. punct. 22. §. 2. n. 9. insinuat.

Quæritur 4. An villæ, castra, vel oppida habeant potestatem ferendi legem localem pro sua communitate?

Respondeo. Villæ, castra, civitates, seu quævis aliæ communitates, quæ supremo principi subditæ sunt, in quem suam potestatem gubernativam integre transtulerunt, nequeunt condere leges locales, nisi privilegio principis, vel ex consuetudine notoria per principem approbata. Ita colligitur ex §. *Const.* Inst. de Jure naturæ; & ex l. *leges*. C. de legibus. Hinc ejusmodi Incolæ non obligantur in conscientia neque ad legem neque ad pœnam dictatam a primoribus vel potentiori parte communitatis, nisi vel interveniente confirmatione principis expressa vel tacita, vel interveniente pacto speciali, quod fieri solet in receptione novorum civium. Confirmatio autem tacita principis tunc supponenda, quando ejusmodi leges municipales in casu particulari contentioso deductæ ad superius tribunal, confirmantur per sententias conformes legi municipales

nicipali. Pactum vero legem fundare non potest, quando communitas non habet potestatem recipiendi cives; aut quando in receptione anteriore nulla intercessit conventio generalis ad recipiendas in futurum indiscriminatim omnes leges communitatis, ferendas a primoribus aut majori parte communitatis. Ita quoad rem Palao l. c. punct. 22. num. 11.

§. XIV.

De Dispensatione Legum.

Quæritur 1. Quid sit dispensatio?

Respondeo. Dispensatio est *directa relaxatio obligationis ortæ ex lege aut voto, facta nomine illius, qui tulit legem vel acceptavit votum, in favorem personæ, vel loci particularis*. Bonitas hujus definitionis probatur ex eo; quia exinde optime intelligitur differentia ab omni non definito, nempe ab interpretatione benigna legis, abrogatione legis, permissione seu tolerantia transgressionis, absolutione a peccatis, licentia simplici requisita per legem, privilegio.

Quæritur 2. An possit dari dispensatio circa jus naturale? aut circa jus divinum?

Respondeo. Dispensatio non potest dari circa jus naturale aut divinum, sed tantum circa leges humanas. Suppono autem, quod lex naturalis & divina circa conclusiones particulares dubias, quæ ex principiis generalibus certo deduci nequeunt, transeant in materiam legis humanæ, juxta dicta §. 2. & juxta illud D. *Augustini* Epist. $\frac{36}{86}$. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel Instituta majorum pro lege servanda sunt*. Idem docet S. Thomas fieri, quando materia legis naturalis vel divinæ dependet a jurisdictione humana, ut aliquando non amplius comprehendatur sub significato rei vel actus, v. g. furti a lege naturali prohibiti. Cæterum Responsio declaratur & probatur a D. *Thoma* in pluribus locis. Nam 1. 2. q. 97. a. 3. C. sic habet: *Omnis lex proficiscitur a ratione & voluntate Legislatoris. Lex quidem divina & naturalis a rationabili Dei voluntate; Lex autem humana a voluntate hominis ratione regulata*. Et l. c. a. 4. C. *In quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter unumquodque præceptum sit a singulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quod aliquod præceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquid malum. Et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quæ suæ authoritati innititur, ut scilicet in personis vel casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non servetur*. Et l. c. ad 3. *Lex naturalis, in quantum continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, dispensationem recipere non potest. In aliis vero præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur; puta, quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquod hujusmodi. Ad legem autem divinam ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui subjicitur. Unde sicut in lege humana publica non potest dispensare, nisi ille, a quo lex authoritatem habet, vel is cui ipse commiserit; ita in præceptis juris divini, quæ sunt a Deo, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret*. Ita S. Doctor. *Si quis* autem ex hoc ipso ratiocinio S. Thomæ inferret, Papam habere potestatem dispensandi circa leges divinas, eo quod Petro & ejus successoribus specialiter sit commissa potestas generalis ac indefinita solvendi & ligandi, vel ita exigit paritas instituta a Doctore Angelico circa leges divinas & *humanas*, quarum dispensatio a Summis Pontificibus committitur innumeris Episcopis & Confessariis, *respondendum* est, Deum nec Petro nec ejus successoribus concessisse generalem potestatem dispensandi circa leges divinas, quarum efficacia seu vis obligandi *primo incipit* a voluntate, intentione, & ratione divina, cujus altissima intentio, motiva & fines sunt ho-

mini-

mini imperscrutabilia, sed tantum *circa leges* ex naturali, divina, & humana *mixtas*, quarum efficacia *primo incipit* a voluntate & ratione humana, nempe circa *juramenta & vota*, &c. Harum enim legum primordialia motiva & fines possunt esse perspecta Pontifici. *Si quis* interroget, unde sciantur hi limites potestatis Pontificiæ? *Respondetur*; id sciri ex perpetua traditione & praxi Sedis Apostolicæ. Hanc responsionem insinuat D. Thomas 1. 2. q. 100. a. 8. C. ubi sic scribit: *Tunc in præceptis debet fieri dispensatio, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis observaretur, contrariaretur intentioni Legislatoris. Intentio autem Legislatoris cujuslibet ordinatur primo quidem & principaliter ad bonum commune; secundo ad ordinem virtutis & justitiæ, secundum quem bonum commune conservatur & ad ipsum pervenitur. Si qua ergo præcepta dentur, quæ contineant ipsam conservationem boni communis, vel ipsum ordinem justitiæ & virtutis, hujusmodi præcepta continent intentionem legislatoris; ideo indispensabilia sunt: puta; si poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus destrueret Rempublicam, neque proderet civitatem hostibus, vel quod nullus faceret male, hujusmodi præcepta essent indispensabilia. Præcepta autem Decalogi continent ipsam intentionem legislatoris, scilicet Dei, & ideo præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia.* Et l. c. ad 3. *Præcepta Decalogi, quantum ad rationem justitiæ, quam continent, immutabilia sunt. Sed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad singulares actus, (ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non;) hoc est mutabile quandoque sola authoritate divina, in his scilicet, quæ a solo Deo sunt instituta, sicut in matrimonio & in aliis hujusmodi; quandoque etiam authoritate humana, sicut in his, quæ sunt commissa hominum jurisdictioni. Quantum enim ad hoc homines gerunt vicem Dei, non autem quantum ad omnia.* Idem Quodlib. 4. art. 3. C. sic scribit: *Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet, quod quæcunque sunt instituta per Ecclesiam vel Ecclesiæ Prælatos, sunt dispensabilia a Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse juris humani. Circa vero ea, quæ sunt juris divini, vel juris naturalis, dispensare non potest; quia ista habent efficaciam ex institutione divina.*

Quæritur 3. An Legislator universim possit dispensare in suis Legibus?

Respondeo. Legislator *per se* potest dispensare in suis legibus. Excipiuntur tamen tres casus. 1. nisi suas leges ita firmaverit juramento, ut juraverit, se in iis nunquam dispensaturum, sicut Rex Galliæ jurat se nulli duellanti condonaturum taxatam pœnam, tenetur stare juramento, nisi emergat urgentissima necessitas boni publici, quæ conditio est imbibita in omni juramento. 2. Si lex transierit in contractum seu pactum. v. g. si lex promittat immunitatem a tributis novis adventantibus in urbem; vel si lex posita fuerit per modum Concordatorum cum natione, subditis, capitulo, nisi fuerint injuste extorta, aut in concordante defuerit animus & signum se *obligandi*, sed tantum *tolerandi* ausus & praxin partis alterius. 3. Si fuerit lex confirmata a Superiore; v. g. si constitutiones Synodales fuerint confirmatæ a Papa. Attamen hoc solum habet locum, si per confirmationem Superior significet, se legem reddere suam. Si enim confirmatio solum fuerit *approbativa*, ita ut Superior legem Inferioris præcise laudet, quin illi novam vim obligandi tribuat, nihilominus Inferiori relinquitur libertas dispensandi, prout *Palao* Tract. 3. disp. 6. p. 4. n. 6. observat.

Quæritur 4. An Inferior possit aliquando dispensare in lege Superioris?

Respondeo. Inferior nunquam potest *per se* dispensare in lege Superioris sine concessione expressa vel *tacita*. *Dixi, per se*, quia in casu necessitatis extraordinario sufficeret concessio *præsumpta*. Ita colligitur ex C. *cum inferior*. de Majorit. & obed. Et ex Clementina. *Ne Romani*. de Electione. *Neque obstat*, quod inferior possit absolvere excommunicatum a Superiore, aut quod possit dispensare in votis & juramentis, reser-

vatis

vatis Deo; aut quod actu in Episcopatibus vigeat praxis dispensandi circa festa & jejunia. *Respondetur* enim absolutionem ab excommunicatione & a peccatis non esse dispensationem a lege. Dispensatio circa vota & juramenta non dispensat in lege Superioris, sed in lege inferioris, qui sibiipsi eam legem posuit, cum primordialiter ea obligatio a voluntate voventis aut jurantis *proveniat.* Circa festa & jejunia dicendum, quod Episcopi habeant concessionem tacitam a Papa, utpote eam praxin ob frequentiam notoriam, & multiplicitatem casuum sciente, nec contradicente.

Quæritur 5. Quinam sunt casus, in quibus Inferior potest dispensare in lege Superioris?

Respondeo, *Palao* l. c. p. 5. enumerat sequentes. 1. Si Superior inferioribus concedat generalem facultatem dispensandi in aliqua materia. Sic Tridentinum Sess. 24. c. *6.* concedit Episcopis generalem facultatem dispensandi in omnibus casibus occultis Papæ reservatis. 2. Si materia legis levis est in materiæ gravitate, quantitate, duratione, numero. Cum enim nimis onerosum foret tam Superiori quam inferiori, si in quibusvis rebus vel actibus minimis deberet recurri ad Superiorem, præsumitur ea esse intentio legalis Superiorum, ut inferiores possint dispensare in levibus. 3. Si casus sint frequentes, & locus a Superiore remotus & materiæ gravitas vel dignitas non necesario petat substare arctiori reservationi. Quia cum etiam in hujusmodi casibus non solum frequens ille recursus molestus sit tam Superiori quam inferiori, sed etiam parum proficuus bono communi animarum, præsumendum est, etiam in his casibus Inferioribus, v. g. Episcopis ultramontanis vel transmarinis, a Papa tacite indulgeri potestatem dispensandi. *Dixi*, nisi materiæ gravitas vel dignitas petat arctiorem reservationem, v.g. circa vota solennia, hæresin publicam &c. 4. Quando Papa vel Imperator, vel Rex scripsit leges proprias provinciæ remotæ, attemperatas moribus, ac consuetudinibus talis provinciæ. In talibus enim legibus, *cum peculiares circumstantiæ*, interdum emergentes, *commode non semper possint per Epistolam ad vivum repræsentari Superiori*, *concurrente graviori causa* dispensandi præsumitur Superior inferiori dare facultatem dispensandi. *Dixi*, ubi complexum circumstantiarum commode non potest ad vivum repræsentari Superiori, & concurrente causa graviori; generaliter enim sola distantia locorum, & peculiaritas legum non excusat a petenda dispensatione a Superiore. 5. Quando in extraordinario eventu concurrit necessitas dispensandi, ita ut sit periculum in mora, nec facile ad Legislatorem possit recurri. Hæc regula procedit, sive lex sit de matrimonio impediendo, sive de irregularitate, sive de reservatione voti, aut alia obligatione. In his enim omnibus censetur inferiori commissa esse facultas dispensandi ex præsumpta voluntate Legislatoris. *Ratio* est, quia censeretur Legislator agere contra charitatem, & contra suave regimen Ecclesiæ, & contra commune bonum, si inferioribus in tali casu denegaret potestatem dispensandi. *6.* Quandocunque datur dubium positivum stricte dictum, an casus indigeat dispensatione. *Dixi*, *stricte dictum*, hoc est, ubi ex conflictu rationum intellectus nequit se prudenter determinare potius in hanc vel illam partem. Hæc summe notabilis regula traditur a Barbosa part. 2. de potest. Episc. allegat. 35. n. 19. Suarez de Relig. tom. 2. l. 6. de Voto c. 26. n. 6. Palao l. c. n. 10. Perinde autem est, sive sit dubium juris, sive dubium facti, v. g. si quæ puella aut juvenis contracta diuturna consuetudine secum peccandi emittat votum perpetuum castitatis in vel extra Religionem cum errore positivo existimans illa peccata contra naturam esse tantum peccatum veniale. 7. Quando potestas dispensandi in lege Superioris jam fuit ab Inferiore præscripta per legitimam consuetudinem. Ita colligitur ex C. *cum contingat* 13. de foro compet. ubi *Innocentius* III. de Clericis ad servitium Capituli Cathedralis constitutis loquens Episcopo scribit: *Ad te debent conquerentes*

tes habere recursum, (non ad Capitulum Cathedrale) *nisi forte hi, quibus delinquentes deserviunt, ex indulgentia vel consuetudine speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vindicare*. Ad hanc consuetudinem a Suarez, Bonacina, & Palao, reducitur potestas Episcoporum dispensandi in legibus Conciliorum Provincialium.

Quæritur. 6. An Capitulum Sede vacante possit cum criminoso privato voce activa dispensare quoad hanc pœnam ad actum electionis?

Respondeo. Non potest dispensare quoad hanc pœnam. *Ratio* est, quia talis dispensatio ex suo genere ferme universim præjudicat bono Ecclesiæ. Criminosis enim etiam emendatis ordinarie inhærent præjudicia intellectus faventia non solum laxitatibus, sed etiam principiis laxis, & fautoribus laxitatum. Itaque tales restituere ad vocem activam in electionibus non est amare Deum, & ejus Ecclesiam.

Quæritur 7. An Legislator, vel habens potestatem delegatam dispensandi, possit dispensare secum ipso?

Respondeo 1. Talis potest secum dispensare *indirecte*. Quando enim dispensat pro tota civitate, vel pro conventu, cujus ipse est pars, eoipso dispensat indirecte secum ipso.

Respondeo 2. Talis potest etiam alteri committere vices suas, illique conferre potestatem secum dispensandi. Id patet ex c. fin. de pœnit. & remifs. ubi Prælato exempto tribuitur potestas eligendi Confessarium, qui eum absolvat, ne cogatur Superiorem absentem adire.

Respondeo 3. Legislator circa leges a se latas potest etiam directe secum dispensare. Sed habens potestatem delegatam dispensandi non potest directe secum ipso dispensare. *Ratio* posterioris est; quia intentio legalis delegantis potestatem dispensandi est *regulata ratione*; non est autem consentaneum rationi ac legibus prudentiæ, ut delegato in causa propria relinquatur judicium de sufficientia motivi ad dispensandum, præsertim in dispensationibus majoris momenti & difficilioris concessionis.

Respondeo 4. Nec ipse supremus Legislator circa vota & juramenta potest directe secum dispensare. *Ratio* est; quia circa vota & juramenta etiam supremus Legislator se habet ad Deum instar hominis ad Deum, cum obligatio incipiat a voluntate præterita propria, jam acceptata a Deo. Est autem juris & æquitatis naturalis; neminem recte constitui judicem in causa propria inter hominem & Deum; quia alioquin Deus exemisset Papam a subeundo alieno hominis judicio in foro sacramentali.

Quæritur 8. An vagi & peregrini possint dispensari ab Episcopo vel Superiore loci, in quo morantur?

Respondeo 1. De vagis certum est; eos posse dispensari a Superiore illius loci, in quo morantur. *Ratio* est, quia alioquin vagi forent indispensaailes, nisi a solo Papa; quod convenienter dici nequit.

Respondeo 2. Peregrini tamen & forenses a Superiore loci, in quo morantur, solum possunt dispensari circa leges communes a Supremo utriusque loci legislatore latas, in quantum Superior loci, in quo morantur, habet potestatem delegatam a supremo Legislatore. Suppono enim ex iis, quæ dicta sunt de peregrinis §.5. q. 10. quod Episcopi non habeant jurisdictionem ordinariam in peregrinos, utpote cui non subjiciuntur: quod ipsum praxis demonstrat, cum inter centum millia peregrinorum vix unus attentet petere dispensationem a legibus sui domicilii a Superiore loci, in quo peregrinatur.

Quæritur 9. An Metropolitanus possit dispensare cum suis suffraganeis subditis?

Respondeo. Non potest. *Ratio* est, quia Metropolitani per se jure divino non habent potestatem in alienum Episcopum & ejus subditos, nisi in quantum hoc illi a jure positivo Ecclesiastico indultum est. Ergo cum in juribus Metropolitano indultis hæc potestas dispensandi non reperiatur expressa vel inclusa, ea illi non competit.

Quæritur 10. Quinam habeant potestatem dispensandi cum Religiosis circa vota, juramenta, & pœnas?

Respondeo 1. Religiosi Episcopo subjecti circa vota, juramenta & pœnas possunt & debent dispensationem petere ab Episcopo, nisi ipse Prælatus habeat specialem facultatem vel privilegium absolvendi a votis, juramentis & pœnis. Ita scribit Palao l. c. p. *6.* §. 4. n. 1. his verbis: *Religiosi Episcopo subjecti reputantur ac alii Clerici sæculares in ordine ad dispensationem, ita ut nihil in hac parte poterit Prælatus Regularis, quia non gaudet jurisdictione quasi Episcopali, quæ ad hanc dispensationem requiritur. Sic Suarez l. 6. de voto C.* 10. *n.* 14. *&* 15. *Navarrus Summa C.* 12. *n.* 75. *Th. Sanchez l.* 4. *Summ. C.* 39. *n.* 9. Excipienda tamen sunt etiam illa vota, quæ præjudicant potestati Superiorum. Nam ista irritari possunt absque dispensatione.

Respondeo 2. Superiores cum suis Religiosis exemptis possunt dispensare in illis votis &c.

Respondeo 3. Religiosus exemptus nequidem potest petere ejusmodi dispensationem ab Episcopo sine licentia sui Superioris, nisi in casu, quo Superior injuste deneget dispensationem. Ita Palao l. c. dans rationem, quia exemptio est in favorem Ordinis, cui privatus renuntiare non potest. Verum non video, quomodo possit Episcopo constare de hac injustitia, prout deberet constare, cum Superior exemptus in hac re non teneatur Episcopo dare rationem de causa sibi incumbente denegatæ dispensationis. Hinc insistendum responsioni negativæ illimitate. Ex quo apparet; in hac re faventiores esse partes religiosorum Episcopo subditorum & stantium sub Prælato Privilegiato, habente cum Episcopo potestatem dispensandi cumulativam.

Quæritur 11. Quid requiratur ad licite dispensandum?

Respondeo 1. Legislator circa objecta adiaphora dispensans sine omni rationabili causa peccat venialiter; circa autem objecta non adiaphora dispensans sine rationabili causa, eaque gravi & proportionata bono legis, quod tollitur, peccat mortaliter. *Dixi circa objecta adiaphora*, nempe ea, quæ sive fiant vel non fiant, sive hoc modo, sive illo fiant, v. g. Rubricæ cæremoniales, nec conferunt nec demunt quidquam disciplinæ morum, & emolumento religionis. Hinc ex opposito *objecta non adiaphora* voco, quorum positio vel ablatio plurimum prodest vel obest disciplinæ morum & emolumento religionis.

Responsio sic explicata *probatur* 1. ex *Concilio Tridentino*, quod ubicunque agit de dispensatione, requirit causam; Concilia autem ejusmodi clausulis non solent pro gravitate rei insistere tam serio & constanter requisitis tantum ad melius esse, vel sub peccato veniali. Sess. 24. C. 5. sic habet: *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa.* Et Sess. 25. C. 14. *Beneficiis priventur, donec post manifestam emendationem ex causa visum fuerit dispensandum.* Et C. 18. *Sicut publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, Sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad fieri poterit, indistincte observari. Quod si urgens Justaque ratio, & Major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum. Aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Idem *probatur* 2. ratione & authoritate D. *Thomæ*, qui 1. 2. q. 97. a. 4. sic scribit: „Dicendum, quod dispensatio proprie importat commensurationem alicujus communis ad singula. „Unde etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere & mensura distribuit, & operationes & necessaria vitæ. Sic igitur & in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum sit a sin-

„gulis

„ gulis adimplendum. Contingit autem „ quandoque, quod aliquod præceptum, „ quod est ad commodum multitudinis „ ut in pluribus, non est conveniens „ huic personæ, vel in hoc casu; quia „ vel per hoc impediretur aliquid me- „ lius, vel etiam induceretur aliquod „ malum. Periculosum autem esset, ut „ hoc judicio cujuslibet committere- „ tur, nisi forte propter evidens & su- „ bitum periculum. Et ideo ille, qui „ habet regere multitudinem, habet po- „ testatem dispensandi in lege humana, „ quæ suæ authoritati innititur, ut sci- „ licet in personis vel in casibus, in „ quibus lex deficit, licentiam tribuat, „ ut præceptum legis non servetur. Si „ autem absque hac ratione pro sola „ voluntate licentiam tribuat, non erit „ fidelis in dispensatione, aut erit im- „ prudens. Infidelis quidem, si non ha- „ bet intentionem ad bonum commu- „ ne, imprudens autem, si rationem „ dispensandi ignoret. Propter quod Do- „ minus dicit Luc. 12. Quis putas est „ fidelis dispensator & prudens, quem „ constituit Dominus super familiam „ suam? „ Ita S. Thomas.

Quæritur 12. An dispensatio sine causa sufficiente sit valida?

Respondeo. Quando dispensatio versatur circa objecta non adiaphora, & causa dispensandi est manifeste insufficiens, dispensatio est invalida.

Probatur 1. Tridentinum l. c. dispensationem sine urgente & justa causa factam vocat subreptitiam. Sed subreptitia est invalida, prout patebit ex dicendis.

Probatur 2. D. Thomas in textu cc. dicit, ejusmodi dispensatorem esse infidelem, ac consequenter actum dispensationis fuisse *actum infidelitatis*, seu actum factum per infidelitatem. Atqui acta per infidelitatem sunt invalida. Ergo.

Quæritur 13. An valida sit dispensatio circa Constitutiones Apostolicas?

Respondeo. Aliud esse abrogare totaliter legem Apostolicam, quæ cum sit dictata a Spiritu sancto, eatenus est quoad modum originis divina, & aliud est, dispensare circa illam legem pro casu particulari. Abrogari totaliter non potest valide subsistente motivo seu fine legis; quia sic contradiceretur ipsi Spiritui sancto, loquenti per Apostolos Ecclesiæ. Cessante autem motivo ac fine principali, cujus rei æstimatio ad Papam ac Ecclesiam pertinet, posset etiam valide abrogari. Sed in dispensatione pro casu particulari adhuc salvatur intentio Apostolorum & Spiritus sancti. Sic intelligenda sunt verba D. *Thomæ* in 4. dist. 27. q. 3. a. 3. ad 2. ubi ait: *In iis, quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi & destruendi quam tunc habuit, potest per eum, qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari*.

Quæritur 14. An dispensatio facta sine legitima causam saltem tunc sit valida, quando a dispensante & dispensato causa creditur esse legitima?

Respondeo. Quando causa est manifeste illegitima, ita ut a dispensante vel dispensato facillime potuerit adverti insufficientia causæ, dispensatio est invalida. Quando vero sufficientia causæ est dubia, valet dispensatio. Ratio est; quia sicut obligationes dubiæ legum naturalium & divinarum transeunt in materiam legis positivæ, prout superius §. 2. q. 3. & §. 14. q. 2. ostensum est, ita obligationes dubiæ legis positivæ non adiaphoræ transeunt in materiam legis adiaphoræ; quia sic exigit ordo sapientiæ divinæ, ut, ubi exigentia boni communis incerta, exigentia autem conscientiarum pro tranquillitate privata interna & publica certa est, illa cedat, hæc prævaleat. *Palao* l. c. p. 8. §. 2. sic scribit: *Dispensatio inferioris in lege superioris sine legitima causa invalida est. Ita communis sententia. Temperant aliqui hanc doctrinam; nisi bona fide inferior Prælatus procedat, existimans esse legitimam causam, cum tamen non sit. At hæc limitatio mihi non probatur; tum quia ad rectam gubernationem Ecclesiæ non pertinet, firmare dispensationes sine causa; tum quia allegantes, Superiorem absque legitima causa dispensasse, audiuntur, etiamsi Superior bona fide processerit. Ergo signum manifestum est, bona fide dispensantis non firmare dispen-*

fationem. Et ita tenet Basilius &c. Ita Palao.

Quæritur 15. Quales sint causæ justæ dispensationis?

Respondeo 1. Causa dispensationis semper debet respicere bonum publicum. Id patet ex decreto *Tridentini* Sess. 25. C. 18. ubi dicitur: Dispensatio *pro communi utilitate fiat*.

Respondeo 2. Causa dispensationis debet esse æqualis ad minimum *utilitatis* cum negatione dispensationis. Id colligitur ex decreto relato Tridentini, ubi dicitur, dispensationem faciendam esse, si *urgens & justa ratio, & major quandoque utilitas postulaverit*. Causa autem *urgens* non est, nisi dispensationem saltem *æqualis* utilitas poscat.

Respondeo 3. Ad sufficientiam causæ sufficit *utilitas publica mediata*, quæ habetur ex praxi dispensandi circa ejusmodi personas; v. g. si ad matrimonia vel honores facilius dispensetur circa personas pauperes, excellentes scientia aut stemate. Expedit enim Ecclesiæ, solari pauperes, excitare omnes ad amorem scientiarum, habere ubivis inter potentes cultores pietatis, fautores, patronos, & tutores status Ecclesiastici, aut veneratores. Hinc etiam sæpe dispensatur mulieri ob inopiam ad matrimonium, vel ob periculum incontinentiæ.

Respondeo 4. Omnes causæ dispensationum reducuntur ad tres sequentes; nempe, *pietatem*, *utilitatem*, *necessitatem*. Sensus est, ut ubi in dispensatione reperitur boni publici major vel æqualis pietas, major vel æqualis utilitas, major vel æqualis necessitas, ubi causa dispensationis justa sit. Patet ex dictis.

Quæritur 16. An stante justa causa dispensationis Superior teneatur ad concedendam dispensationem?

Respondeo 1. Superior *per se* non tenetur ex officio aut justitia ad concedendam dispensationem, nisi reperiatur *evidenter & notabiliter* major utilitas boni publici ex dispensatione, quam ejus recusatione. *Ratio* est, quia stante æquali utilitate boni publici non potest ostendi fundamentum obligationis. At concurrente majori utilitate boni publici datur fundamentum obligationis, quia Superior & Legislator semper tenetur ex officio & justitia distributiva procurare bonum publicum *evidenter & notabiliter majus*, ubi convenienter fieri potest.

Respondeo 2. Superior tamen tenetur aliquando concurrente justa causa dispensare *per accidens*, nempe ex charitate Dei vel charitate proximi, vel ex contractu, vel ex æquitate naturali, &c. Sic quando periculum est impediendi malitiose matrimonii factis denuntiationibus, tenetur Superior ex charitate ad dispensandum circa denuntiationes. Sic etiam *Tridentinum* Sess. 14. C. 7. dicit: *Si homicidium vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quamobrem etiam ad sacrorum Ordinum & altaris ministerium jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, qui non nisi causa cognita, nec aliter dispensare possit*; in quo casu æquitas naturalis exigit, ne quis privetur jure suo ad recipiendos Ordines *ex delicto*, vel *ex defectu lenitatis*, ubi neuter titulus vere subsistit. Sic etiam in Jubilæo habenti privilegium eligendi Confessarium pro commutatione votorum, debet Confessarius commutare vota concurrente causa legitima, quia Confessarius acceptando hunc delectum pœnitentis tenetur ex contractu ad ministrandam gratiam commutationis a Papa indultam.

Quæritur 17. An dispensans possit dispensando imponere mulctam pecuniariam pro dispensatione?

Respondeo. Ne quidem supremus Legislator pro dispensatione ad gratias spirituales potest imponere mulctam pecuniariam. Id enim saperet manifestam Simoniam juris divini. Potest tamen in compensationem boni publici, quod diminuitur ex relaxatione legis, imponere titulo commutationis *eleemosynam* vel *contributionem ad causas pias*. Et hac ratione a nobilibus pro dispensatione circa impedimenta matrimonii solet Pontifex exigere contributionem pecuniariam in pias causas, v. g. sustentatione Seminariorum in variis provinciis

& Mis-

& Missionariorum, & Tribunalium erectorum pro tota Ecclesia, impendendam.

Quæritur 18. Quænam sint signa tacitæ dispensationis?

Respondeo. Ab authoribus recte enumerantur duo. Primum signum est; si a Superiore præcipiatur, vel expresse concedatur actus, qui sine dispensatione exerceri non potest. Sic si Episcopus concedat dimissorias, vel conferat beneficium alicui, quem scit esse irregularem, eoipso censetur dispensare in irregularitate. Aliud dicendum foret, si Superior ignoret defectum, ob quem requiritur dispensatio. *Secundum signum* est, si Superior videat subditum bona fide ex ignorantia non affectata operari, vel accinctum ad operandum contra legem, & non contradicit, cum possit facillime impedire. Verum hæc posterior regula non potest illimitate concedi; quia dispensatio sine legitima causa, & matura consideratione circa objecta non adiaphora nulla est; prout constat ex superius dictis qq. 11. & 12. Sæpe autem in talibus circumstantiis potest contingere, quod Superior vel ignoret sua jura, vel quod dubitando de sua potestate velit potius silere, quam se prostituere, vel quod timendo inconvenientias monitionis intempestivæ sit indiscrete discretus. Itaque hæc Regula solum procedit, quando in Superiore prudenter supponitur scientia suorum jurium, & animus cordatus.

Quæritur 19. Utrum pro signo tacitæ dispensationis haberi possit sola taciturnitas & dissimulatio Superioris, si in ejus præsentia inferior agat contra legem ab illo dispensabilem?

Respondeo. Sola ejusmodi taciturnitas & dissimulatio in tali circumstantia pro signo tacitæ dispensationis haberi non potest.

Probatur 1. Ex sensu complurium gravium Doctorum Juris, quos h. l. p. 12. n. 4. citat & sequitur *Palao*, nempe *Glossæ*, *Cardinalis*, *Ancorani*, *Immolæ*, *Bonifacii*, *Innocentii*, *Hostiensis*, *Panormitani*, *Pelini*, *Menochii*, quibus accedunt etiam plures Theologi, *Gabriel*, *Henriquez*, *Sayrus* &c.

Probatur 2. Sola *permissio* in Jure non habetur pro *concessione*. Sic enim in C. *super eo*. De cognat. Spirit. dicitur: *Id in Ecclesia dissimulare poteris, ita quod nec contradicere, nec tuum videaris præstare assensum*. Sic etiam in C. *cum desideres*, declaratur adhuc esse excommunicatus, & vitandus, qui ab Episcopo accepit communionem.

Probatur. Ex ratione quam affert *Palao* l. c. „ In tali circumstantia, inquit, „ stat potius præsumptio pro *permissione* „ *facti*, quam pro illius *concessione*; eo „ quod sæpius Prælatus *permissive* se „ habet, quam *concessive*. Cum enim „ sæpe ex subita resistentia subditi au„ daciores fiant, ob hoc damnum Præ„ latus dissimulat, esto non dispenset. „ Adde; etsi in hac dissimulatione ali„ quam culpam committeret pusillani„ mitatis & negligentiæ, forte gravio„ rem faceret, si absque causæ exami„ natione dispensationem concederet, „ & ansam non mediocrem pluribus „ daret, transgrediendi legem coram „ Superiore, ut sic Superior dispensare „ cum illis censeretur. Quando autem „ duæ præsumptiones concurrunt, illa „ præferenda est, in qua minor culpa „ intercedit ex l. si *adulterium* ff. ad „ legem Jul. de adulter. Et in hoc sen„ su dixit textus in *C. cum jam du„ dum* de præbendis; *multa per patien„ tiam esse tolerata, quæ si deferantur „ ad judicium, non subsistunt*. „ Ita Palao.

Quæritur 20. An dispensatio facta absque causæ cognitione valida sit, etiamsi reipsa causa subsistat?

Respondeo. Dispensatio ab inferiore facta sine causæ cognitione invalida est. Hanc sententiam tenet *Palao* l. c. p. 13. ubi n. 4. sic scribit: „ Probabilius cen„ seo, in utroque foro nullam esse dis„ pensationem factam absque causæ co„ gnitione. Sic docent post alios anti„ quiores Navarrus, Azor, Covarru„ vias, Guttierez, Menochius, qui te„ statur esse omnium, Barbosa & alii. „ *Probatur*. Quia non videtur facul„ tas dispensandi inferioribus concessa, „ nisi

„ nisi servato juris ordine. At ordo juris expostulat, dispensationi præcedere causæ cognitionem. C. necesse. & C. dispensatione. 1. q. 7. Secundo & præcipue moveor; quia dispensatio facta sine cognitione causæ est facta sine causa. Quia intantum causa movere potest dispensantem, inquantum cognita est. Si igitur nulla illius cognitio præcedit, dispensatio non erit data propter causam. Ex qua ratione sentit *Suarez* loquens de voto l. *6.* C. 27. n. 7. dispensationem voti factam absque cognitione causæ nullam esse, etiamsi in re causa subsistat; quod de omnibus legibus Superioris dicere debebat. *Neque obstat* fundamentum contrarium ex Concilio Tridentino; fateor enim, cognitionem causæ expostulari a Concilio, ut *sit licita dispensatio*, in Legislatore dispensante in lege propria; at in inferioribus expostulari *pro forma.* " Ita *Palao*. Idem tamen observat, eam causæ cognitionem non necessario debere esse judicialem; sed sufficere, quocunque modo nota sit dispensanti.

Quæritur 21. An pro foro conscientiæ tuto præsumi possit, Superiorem in dispensatione habuisse legitimam causam, & cognitionem causæ?

Respondeo. Quamdiu contrarium non constat, id recte præsumi potest & debet. Ratio est, quia delictum præsumi non debet, nisi probetur. l. *si merito*. *ff. pro socio*. Ita Palao. l. c. p. 14.

Quæritur. 22. Quales sunt causæ, ex quibus vitiatur dispensatio?

Respondeo. Vitiatur ex duabus potissimum causis, nempe per *subreptionem*, & *obreptionem*, quamvis hi duo termini ab antiquioribus non exacte distinguantur. A modernis authoribus *subreptio* vocatur *reticentia veri*, dum in petitione dispensationis reticetur aliqua circumstantia, quam si dispensans cognovisset, dispensationem non concessisset aut certe non tam facile. *Obreptio* vocatur *narratio falsi*, dum in supplicatione aliqua falsitas affirmatur, quæ dispensantem movit ad concedendam dispensationem. Ex his autem duabus causis vitiari dispensationes, patet ex eo; quia in dispensationibus omnibus vel exprimitur, vel tacite subintelligitur hæc clausula: *Si preces veritate nitantur.*

Quæritur 23. An omnis dispensatio sit invalida, obtenta per obreptionem, vel subreptionem?

Respondeo. Omnis dispensatio obreptitie vel subreptitie obtenta est invalida, si obreptio vel subreptio fuit motivum, *sine quo non* foret dispensatum.

Id *probatur* ex variis textibus Juris Canonici. *Sic C. fin. de filiis presbyterorum* in *6.* dicitur: *Si is, cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes Ordines promoveri valeat, & obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum, dispensationem aliam tacito prædicto defectu postmodum obtineat a Sede præfata, ut duo aut plura beneficia similem curam habentia possit recipere; talis dispensatio, cum non sit verisimile, Sedem ipsam cum illo prædictum defectum patiente voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare, velut per surreptionem obtenta nullius penitus est momenti*. Et C. *postulasti*, de Rescriptis, dum quidam vicarius perpetuus postularet aliud beneficium pro congrua sustentatione, nulla facta mentione, quod jam haberet vicariam perpetuam, Innocentius III. declarat, nullam esse beneficii impetrationem. *Vicarius perpetuus*, inquit, *nisi de Vicaria fecerit mentionem, commodum reportare non debet de hujusmodi litteris, utpote veritate tacita impetratis. Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de vicariæ perpetuæ proventibus est provisum.*

Quæritur. 24. An idem dicendum, si veritas aliqua non sit reticita per malitiam, aut falsitas malitiose expressa, sed per simplicitatem vel ignorantiam?

Respondeo. Quando in supplicatione veritas fuit reticita aut falsitas suggesta tantum per simplicitatem vel ignorantiam, relinquitur delegato seu executori Litterarum Apostolicarum libertas id statuendi, quod ipse Pontifex verosimiliter statuisset, si statim ab initio de verita-

ritate plene fuisset informatus. Ita declarat *Innocentius* III. in C. super litteris. 20. de Rescriptis, ubi ad Canonicum Pictaviensem, delegatum seu executorem Rescripti Apostolici sic scribit: *Super litteris, quæ ab aliquibus ex malitia, & a nonnullis ex ignorantia, tacita veritate, vel suggesta falsitate, impetrantur a nobis, diversos intelleximus diversa sentire, aliis asserentibus, eos debere prorsus carere omni commodo litterarum; cum mendax precator carere debeat penitus impetratis; aliis vero dicentibus, quod etsi forma carere debeant in litteris nostris expressa, nihilominus juxta rigorem juris sit a delegato judice in negotio procedendum. Nos igitur inter eos, qui per fraudem vel malitiam, & illos, qui per simplicitatem vel ignorantiam litteras a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur, ita videlicet, quod delegatus, postquam sibi super hoc facta fuerit fides, nullatenus de causa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum; quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas fuerit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi litteras dedissemus, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam secundum ordinem juris in causa procedat. Si vero per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, litteræ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa nos nullas prorsus litteras dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam præsentiam convocatis de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quæ delegantem moveret, moveat etiam delegatum; & ubi delegans suas litteras denegaret, delegatus etiam suæ cognitionis officium nullatenus interponat.* Ex his patet, dari aliquam reticentiam veri, & suggestionem, quæ non vitiat dispensationem *quoad substantiam*, sed tantum *quoad modum*, vel omnino nullo modo. Patet etiam, dari aliquam veritatem aut falsitatem, quæ dispensantem simpliciter *movit* ad dispensandum, quæ proin ab authoribus vocatur *causa motiva*, seu *motivum sine quo non*; & aliam dari, quæ dispensantem magis *impulit* ad facilius dispensandum; quæ proin ab authoribus vocatur *causa impulsiva*, seu *motivum sine quo* fuisset dispensatum. Rectius ac expeditius loquuntur, qui terminum obreptionis & subreptionis in sensu latiori accipientes utramque distinguunt in *substantialem* & *accidentalem*, ita ut per illam dispensatio *vitietur substantialiter*, per hanc *accidentaliter*. In hac proin acceptione.

Quæritur. 25. Qualium veritatum reticentia solet de jure vel consuetudine haberi pro vitio substantiali?

Respondeo. Pro vitio substantiali censentur 1. si quis emisit votum ingrediendi Ordinem religiosum, & petitur dispensatio a voto castitatis tantum. 2. si quis emisit votum perpetuæ castitatis, & petatur dispensatio tantum a voto non nubendi, vel a voto non fornicandi. 3. si quis emisit votum suscipiendi ordines, & petatur tantum dispensatio a voto non nubendi. 4. si quis emisit votum profitendi in aliqua religione, & petatur solum dispensatio a voto ingrediendi religionem. 5. Si quis petat dispensationem ad beneficium non exprimendo quod sit curatum. In aliis variis casibus ipsimet authores disputant; an vitietur dispensatio quoad substantiam? sic Menochius & Thomas Sanchez censent; vitiari substantialiter dispensationem, si in supplicatione reticeatur, quod jam aliquando prius postulata & denegata fuerit dispensatio. Sic etiam Doctores censent, esse vitium substantiale, si quis in Supplicatione reticeat, quod in eadem materia jam aliquando obtinuerit dispensationem, v. g. si petat dispensationem ad plura beneficia, cum tamen jam obtinuerit dispensationem ad primum beneficium. Sic etiam Doctores censent, dari vitium substantiale, si quis habens simul plura impedi-

pedimenta matrimonii petat ab iis impedimentis divisim dispensationem, ne dispensans absterreatur a dispensando simultate plurium impedimentorum. In his tamen inveniuntur authores, qui contradicant. Verum *Innocentius* III. prout vidimus, delegatum seu executorem litterarum Apostolicarum non ad alienum authorum, sed ad proprium judicium sanamque rationem remisit, ut agat, quod credit, Summum Pontificem perspecta veritate fuisse acturum. Idem sentiendum de vitio obreptionis suggestione falsitatis.

Quaeritur 26. Quid delegato agendum, si dubitet, an vitium obreptionis vel subreptionis sit substantiale?

Respondeo. In tali casu idem agendum est delegato, quod eodem casu agendum est deleganti, si dubitet, an qualificatio obreptionis vel subreptionis mereatur concessionem vel denegationem postulatae gratiae. Aget autem Pontifex id, quod spectatis omnibus viderit conducibilius ad salutem animarum, honestatem religionis, & gloriam Dei. Ita colligitur ex Q. 24.

Quaeritur 27. Quid observandum in praxi quoad petendas Dispensationes Romanas ex Poenitentiaria Romana pro foro interno?

Respondeo. Hanc praxin paucis complexus est P. *Tiburtius Navar* in sua Manuductione ad Praxin executionis Litterarum S. Poenitentiariae, ubi in *Appendice part.* 4. sic scribit:

Instructio Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seu dispensatio a Sacra Poenitentiaria Apostolica impetratur.

CUm saepe sit experientia compertum, plurimos utriusque sexus Christi fideles, & praecipue in longinquis degentes, Censurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon Irregularitatum, & casuum quoquo modo reservatorum ligaminibus astrictos ad Sanctam Sedem, ejusque Sacram Poenitentiariam spectantibus irretitos, in illis lacrymose persistere, & continuis Conscientiae agitationibus laboriose perdurare, cujus mali causas ex similibus provenire innotuit.

Primo eo quod Parochi, vel alii, ad quos hujusmodi Poenitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis Ruralibus degunt, & viam modumque recurrendi ad praefatam Sacram Poenitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romae agnoscunt, ad quem supplicationes dirigant, unde Poenitentes perplexos dimittunt, quibus, cum ad Ordinarium accedendi (foeminis praesertim) verecundia, aut timor aditum intercludat, consilium ulterius requirere nescientes, remedium desperant, & in praedictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

Secundo evenit, quod Poenitentes egeni recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romae commorantium, exsolvere non valentes, inconsolati, ac Conscientiae motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & forte (quod pejus est) sibi persuadent, Sacrae Poenitentiariae Tribunal aliquid lucri pro litteris praedictis recipere, cum revera Sacrae Poenitentiariae Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes, serena fronte complectantur.

Tertio accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiae juxta exposita obtentae, irritae evadant, eo quia casus, & circumstantias necessarias reticeant, unde fit, quod litterarum executores, casu postea Poenitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias esse inveniant, quare Poenitentes confusi remanent, & spe novae dispensationis se carere putantes, in praedictis vinculis, obligationibus &c. miserabiliter remanent.

Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Poenitentiariam proponatur.

Confessores itaque, cum Poenitentes vinculis praefatis irretitos ad se accedere con-

contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutationum exprimant, & caveant ne quod occultum est publicum faciant, præsertim impedimenta occulta Matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et sic præfati Confessores, seu Pœnitentes poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocumque alio idiomate propriæ regionis, nam Sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione Pœnitentiarios subordinatos habet, exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit a Sacra Pœnitentiaria rescribendum, etiamsi ipsum nomen, & cognomen sit fictitium. Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando scilicet, vulgari nomine, Oppidum, seu Civitatem, & Regionem, cum data mensis, & anni in hunc modum. Cæterum hoc loco Confessarii bene notent tres regulas 1. vota dubii valoris, aut vota solum conditionata juxta graves authores non esse Papæ reservata, sed ea ab Episcopo & a Regularibus privilegiatis dispensari, vel saltem commutari posse; quod in casu necessitatis & occulto, non deducto ad forum contentiosum, concedi potest. 2. Sicut Episcopus in casu urgentis necessitatis, ubi Papa adiri nequit, potest dispensare circa impedimenta occulta, vel orta ex delicto occulto, ex licentia seu delegatione Papæ præsumpta, ita in casu necessitatis, ubi Episcopus adiri tam celeriter nequit, poterit dispensare quilibet Confessarius ex delegatione Episcopi præsumpta non solum in votis, sed etiam in impedimentis; Si tamen necessitas tanta sit, ut Episcopus evidenter teneatur dispensare, & dein sic bona fide contracto matrimonio petatur dispensatio in forma consueta. 3. dispensationem vel commutationem non esse extendendam ultra limites necessitatis, v. g. ad petendum debitum, vel ad actus alios contrarios voto, videlicet desideria, verba, aut facta libidinosa, circa quæ manet obligatio voti, nisi ob dubietatem valoris voti, vel ob rationem melioris dispensetur absolute. Plura Vide *De Votis* & *De Impedimentis*.

Formula petendi a S. Pœnitentiaria commutationem in voto perpetuo Castitatis.

Intus incipiant Epistolam, seu supplicationem sic:

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. Mulier emisit Votum simplex Castitatis, & patitur periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi Votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epistolam, seu supplicationem sic.

Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. & N., & exprimant nomen, & cognomen cui est rescribendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seu gratiam simplici Confessario, seu Confessario Magistro in Theologia, sive Decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam Conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant Epistolam, seu supplicationem scribendo extra, seu a foris in hunc modum.

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Domino Cardinali Majori Pœnitentiario Romam.

Et, si tardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne forte sit deperdita, & nunquam desperent Pœnitentes.

Hortantur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præsentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt pro Animarum salute communicare.

Pro petenda Commutatione Voti Religionis, & non Nubendi simul.

N. N. Orator humillimus, obsequenter-

ter exponit, qualiter quotannis, tempore autumnali, infirmitate febrili divexabatur, eaque sublevari cupiens, ætatis suæ anno decimo, Deo promissiones sequentes, si a tali febrili divexatione annua liberaretur, condionatas emisit:

Primo: Se Uxorem ad dies vitæ non ducturum.

Secundo: Se velle ingredi aliquam Religionem, non specificando qualem. Nec expresse, aut tacite intellexit votum castitatis servare; sed solum uxorem non ducere, & aliquam Religionem ingredi.

Tertio: Se quovis die Veneris, velle a Lacticiniis abstinere &

Quarto: Quod quovis anno, semel vellet peregrinatum ire, ad quandam Miraculosam Imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ, quatuor circiter germanicis milliaribus, a loco suæ habitationis dissitam.

Quapropter, cum præfatus Orator, jam ab aliquot annis, recuperata plena sanitate, nec febri annua redeunte, se pro primis duabus promissionibus servandis (ex suæ fragilitatis experientia, corporisque debilitate) imparem cognoscat, sponsaliaque cum suæ conditionis pari persona jam contraxerit.

Humillime supplicat benigne dispensari, super præfatis duabus primis promissionibus: Tertiam, & quartam servare paratus; diffidit enim, sine uxore caste vivere posse. Quam Deus &c.

Super præfatam petitionem, gratiæ elargitio sic sonabat:

SAcra Pœnitentiaria, Tibi Confessario, a Latore electo concedit, ut ipsi latori, vota supradicta, præsertim Religionis & Uxorem non ducendi, ad hoc ut Matrimonium licite contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere licite valeat, in alia Pietatis seu Pœnitentiæ opera, prout secundum Deum, ipsius animæ saluti expedire judicaveris, dispensando Authoritate Apostolica commutes. In foro Conscientiæ, & in Sacramentali Confessione tantum, & non aliter. Datum Romæ ex Sacra Pœnitentiaria, die 10. Januarii 1710.

Formula pro petenda Dispensatione super impedimento affinitatis primi gradus ex copula illicita;

Eminentissime & Reverendissime S. R. E. Cardinalis: Domine Dn. Clementissime.

E. &c. N. N. contraxit sponsalia de futuro, cum muliere, cujus post hæc; Matrem carnaliter cognovit, inscius impedimenti (quod occultum est) Cum vero absque scandalo a Matrimonio contrahendo desistere non posit, supplicat humillime pro remedio. Dignabitur Eminentia sua responsum mittere ad Civitatem N. ad me infra scriptum. Quam Deus &c.

Eminentiæ Vestræ.

Devotissimus ad Deum Exorator

Dedi N. die N. anno N.

N. N.

Eminentissime & Reverendissime Domine &c.

N. N. Contraxit Matrimonium cum Muliere, in quarto gradu inæquali consanguinitatis, cum qua jam duobus annis convixit, unamque prolem generavit. Inscii igitur, per totum tempus Matrimonii, impedimenti (quod adhuc occultum est) cum absque scandalo separari non possint, supplicant humillime pro remedio. Quam Deus &c.

Eminentissime & Reverendissime Domine Domine.

N. N. Pars conjugata, commisit adulterium, cum N. parte Libera, sibique durante primo Matrimonio partis conjugatæ, promiserunt Matrimonium de futuro; quod etiam post mortem naturalem (quam machinati non sunt) prioris conjugis, in facie Ecclesiæ simul inierunt; si non conscii ob suam simplicitatem, cum sint personæ rusticæ,

seu

seu Villanæ, saltem probabiliter dubii, de impedimento, quod de facto occultum est. Quapropter cum ob scandalum ab invicem separari nequeant, unamque jam prolem (de facto viventem) simul genuerint, nec spes sit, eos continenter victuros, supplicant humillime pro remedio.

Dignabitur Eminentia Vestra responsum, Latino idiomate, ad Civitatem N. per Oppidum N. in Regno N. ad me infrascriptum dirigere. Quam Deus &c.

Eminentiæ Vestræ

Dedi &c. N. N. ut supra in præcedenti Supplica.

Gratia elargita super præcedentem petitionem, sic sonabat:

SAcra Pœnitentiaria Tibi dilecto in Christo Confessario, retroscripto, concedit facultatem ipsos, Virum & Mulierem, a quibusvis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adulterio, fide data, & excessibus hujusmodi, authoritate Apostolica absolvendi; & cum eisdem, ut impedimento ex præmissis proveniente, dummodo illud occultum remaneat, non obstante, Matrimonium inter se, de novo secrete ad vitanda scandala, renovato consensu contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, eadem authoritate Apostolica dispensandi; Prolem susceptam, si quæ sit, non tamen in adulterio conceptam, & suscipiendam exinde legitimam decernendo; injuncta eis pro modo culpæ, gravi pœnitentia salutari, ac confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus, arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis, de jure injungendis; in foro conscientiæ, & in actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, nec alio modo. Præsentibus Litteris statim per te laceratis. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria die ---- anno ---- &c.

Petitio pro impetranda dispensatione in irregularitate, contracta ex homicidio occulto:

Eminentissime & Reverendissime Domine Domine.

N. Sacerdos contraxit irregularitatem ex homicidio occulto, ab eo ob talem N. causam, clam, tali modo N. patrato vel perpatrato in persona Laici. Ab eo tempore, non abstinuit ab exercitio ordinum, vitandi scandali causa (vel ne se proderet) sive (abstinuit) sed cum diu sine scandalo abstinere non possit, humillime supplicat pro remedio. Quam Deus. &c. &c.

Alia formula petitionis, super impedimento affinitatis in primo gradu ex copula illicita contractæ:

Eminentissime & Reverendissime Domine Domine.

N. N. Sub verbo & promissione Matrimonii, deosculatus est mulierem Liberam, & cum ea tactibus impudicis operatus est extra vas, ob recensitam promissionem consentiente; postea carnaliter cognovit ejus Matrem conjugatam, nescius supervenientis impedimenti, quod est occultum: Imo Mater & Filia ita se habent, ut neutra sciat delictum alterius. Deinde perfecte defloravit allatam puellam, sub eadem spe, & promissione Matrimonii; Quodque delictum etiam est occultum; modo non potest absque scandalo, & periculo vitæ, quod ex ejusdem parentibus utrique immineret, a promissione resilire. Non absque scandalo: quia licet delictum omnino sit occultum, tota tamen Vicinia putat facta esse sponsalia, & Matrimonium expectat. Non absque periculo; quia Mulier relicta & promissione frustrata, faciliter in odium conversa, rem suis Patri, & Fratribus aperiret, ut novissime in casu prorsus simili hic, paucis ab hinc mensibus, cum gravi & lethali damno contigit. Item cum

cum ei Romam accedere non permittatur, tam quia est pauper, quam quia sic rem aperiret; facti vere pœnitens, humillime, & in JESU Christi visceribus supplicat pro remedio, & quam citius pro dispensatione super affinitate; in primo gradu contracta, ad effectum contrahendi Matrimonium cum eadem, cui illud promisit; Nam ex mora grave & certum ei vitæ periculum imminet. Dignetur Eminentia Vestra rescribere Mihi infra scripto, ad Civitatem N. in Ducatu N. per Oppidum N. Interim Orator, ad Eminentiæ Vestræ pedes humiliter provolutus, & pro Ejusdem incolumitate precans silet. Quam DEUS. &c.

Eminentiæ Vestræ.

Die 12. *Sept.* 1710.

N. N.

Formula petendi Dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis, ex duplici capite orta, ex copula illicita.

Eminentissime & Reverendissime Domine Domine.

N. N. Contraxit sponsalia cum muliere libera, quam consentientem prius sub spe Matrimonii defloraverat, cujusque Matrem, & sororem conjugatas ante carnaliter cognoverat, conscius impedimenti, quod est occultum; ac proinde cum absque scandalo, & valde gravi vitæ periculo, quod ex ejusdem parentibus immineret, a sponsalibus resilire, vel in longum Matrimonium protrahere minime possit, atque ei Romam accedere haud permittatur; Facti vere pœnitens, humillime, & in JESU Christi visceribus, supplicat pro remedio, & quam citius pro Dispensatione, super affinitate, ex duplici parte, in primo gradu contracta, ad effectum contrahendi Matrimonium cum eadem, cum qua præmissa sponsalia inivit. Dignetur &c. ut supra.

Eminentiæ Vestræ N N.

Formula petendi Dispensationem super impedimento primi gradus affinitatis, ex copula illicita in ordine ad remanendum in Matrimonio jam contracto invalide.

Eminentissime & Reverendissime Domine Domine.

N. N. Publice in facie Ecclesiæ, contraxit Matrimonium, & successive consummavit, cum Muliere, cujus Matrem antea carnaliter cognoverat, conscius (vel nescius) impedimenti, quod occultum est. Cum autem ob dictum impedimentum, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione, in præfato Matrimonio remanere nequeat; & absque gravi scandalo ab invicem separari nequeant, nec spes sit, eos simul continenter victuros, ad evitanda scandala, & pro suæ conscientiæ quiete, humillime, ac in JESU Christi visceribus, facti pœnitens, supplicat pro remedio. Dignabitur Eminentia Vestra responsum mittere, ad N. in Civitatem N. Idiomate Latino. Quam Deus &c.

N. N.

Animadversio.

Sciendum est; quod pro Dispensatione super impedimentis dirimentibus Matrimonium, si non sint occulta, sed publica, non debeat aut posit recurri ad Sacram Pœnitentiariam, sed ad Datariam Romæ, exponendo casum, & allegando motiva, ob quæ super simile publicum impedimentum (v. gr. in quarto vel tertio gradu affinitatis) dispensatio petitur. Contingit tamen subinde, quod cum simili impedimento publico v. gr. affinitatis, etiam concurrat impedimentum occultum, eo quod carnalis copula inter eos intercesserit. Ex quo postea fit, ut solo expresso in Dataria impedimento publico, ex ignorantia reticitum fuerit impedimentum occultum, ac sic Dispensatio Datariæ evadat subreptitia & consequenter nulla;

Ma-

Matrimoniumque supra contrahatur, vel jam contractum sit invalide. Quo casu proinde comperto, postmodum remedium quæri debet apud Sacram Pœnitentiariam sub sequentibus fere formulis.

Formula prima, pro Matrimonio contrahendo :

Eminentissime & Reverendissime Domine Dne &c.

N.N. Volentes inter se Matrimonium inire, dispensationem super impedimento tertii Consanguinitatis (vel affinitatis) gradus, quo invicem conjuncti sunt, a Sede Apostolica obtinuerunt, tacita in Litteris impetrationis, copula carnali inter eos secuta. Cum autem præfata carnalis copula sit occulta, & nisi Matrimonium vigore dictæ Dispensationis inter Oratores contrahatur, gravia scandala, lites, & inimicitiæ sint exoritura; ad hæc evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete, de facto plurimum dolentes, humillime supplicant, per Sedem Apostolicam secum desuper dispensari. Responsum dignabitur Eminentia vestra &c. ut supra.

Eadem Formula pro Matrimonio jam sic invalide contracto :

Eminentissime & Reverendissime Domine Dne &c.

N.N. Latores, vigore Litterarum Dispensationis, super impedimento tertii consanguinitatis (aut affinitatis) gradus, quo sunt conjuncti, a Sede Apostolica obtentæ supreptitiæ, ob reticitam in Litteris impetrationis carnali copula, inter eos prius secuta, Matrimonium inter se publice in facie Ecclesiæ contraxerunt, & successive consummarunt. Cum autem ob dictam carnalem copulam non expressam, præfata dispensatio sit invalida, Matrimoniumque inter eos celebratum nullum, nec ab invicem, sine gravi scandalo; lite, aut odio, quæ verosimiliter inter eos oritura timentur, separari nequeant, præfataque copula carnalis, inter eos habita, sit occulta, ad pedes suæ Sanctitatis provoluti, plurimum de peccato suo dolentes, pro suæ conscientiæ quiete, & ad evitanda scandala, humillime pro remedio supplicant. Dignabitur sua Eminentia rescribere N. ad Civitatem N. charactere Latino. Quam DEUS &c. &c. ut supra.

Formula Dispensationis petendæ pro iis, qui præcedente adulterio & fide data, hic & nunc Matrimonium contrahere desiderant :

Eminentissime &c. &c.

N. N. Vir & Mulier, Latores præsentium, vivente adhuc alia Latoris conjuge (vel si ambo erant Conjugati, dicatur: viventibus adhuc præcedentibus Latorum, Marito & Conjuge) se carnaliter cognoverunt, sibique fidem invicem dederunt, de Matrimonio inter se contrahendo, si Latoris Uxor (vel Latorum Uxor & Maritus) præmoreretur, qua modo præmortua (aut quibus modo præmortuis) neutro tamen Latorum in ejus (vel eorum alicujus) mortem machinante, Matrimonium inter se contrahere desiderant. Cum autem impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum, & nisi Matrimonium contrahatur inter Latores, periculum immineat scandalorum, aut in peccato perseverantia; ideo ad hæc evitanda, & pro conscientiæ suæ quiete, supplicant humillime a præmissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari. Dignabitur Eminentia Vestra, &c. ut supra.

Animadversio 2.

CUm in Jure petendi debitum conjugale, alioquin v. g. ob Votum simplex castitatis, vel incestum cum consanguinea uxoris, in primo vel secundo gradu tantum commissum, deperdito dispensare possint Ordinarii locorum, & omnes ad id privilegium haben-

bentes, necessarium hic non est quidem, formulam texere recurrendi Romam ad S. Pœnitentiariam; si quis tamen illuc recurrere vellet, in hunc modum posset:

Eminentissime & Reverendissime
Domine Domine &c.

N. N. Emisit votum simplex Castitatis, supra quod uxorem, ad præsens viventem duxit & successive consummavit. Cum autem de suæ Promissionis transgressione plurimum doleat, & ob periculum incontinentiæ, debitum conjugale licite exigere posse desideret; ideo pro suæ conscientiæ quiete, humillime supplicat pro remedio. Dignabitur Eminentia sua respondere N. &c. ut supra. Quam DEUS &c.

Vel Sic:

N. N. Vesana libidine ductus, Sororem suæ propriæ Uxoris carnaliter cognovit; propter quod jus amisit petendi debitum conjugale. Cum autem dictus N. N. de tam enormi libidinis excessu, qui occultus est, plurimum doleat, debitumque conjugale, ob periculum suæ incontinentiæ, exigere licite posse desideret, omnemque recidivæ occasionem abstulerit; ideo pro suæ conscientiæ quiete, humillime supplicat per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari.

Petitio super absolutione Occulti percussoris Clerici. Dicitur autem: Occulti, *quia in casibus publicis & manifestis, vel saltem ad forum Ordinarii deductis, aut facile deducendis, Confessarii se immiscere nec debent nec possunt; sive in hoc, sive in aliis huic similibus casibus. Si proinde casus iste prorsus occultus, nec facile ad forum externum deducendus sit, hoc fere modo recurri potest.*

Eminentissime & Reverendissime
Domine Domine.

N. N. Lator præsentium, ausu prorsus temerario, manus violentas in quendam Clericum injecit, sine quidem sanguinis effusione, aut replicatis ictibus, ob quod tamen dictus Lator excommunicationem incurrit. Cum autem de præmissis (quæ occulta sunt, ac ad forum Ordinarii minime deducta fuerunt, aut deducentur) plurimum doleat, satisfactionemque omnem jam debite præstiterit; ideo ad pedes suæ Sanctitatis pronus provolutus, humillime supplicat absolvi. Responsum dignabitur Eminentia Vestra mittere N. &c. ut supra.

Cæterum cum innumeri possint emergere casus, innumeræ quoque apponi possent supplicationum formæ. Ast brevitatis gratia solum supradictæ appositæ sunt, non quasi ex omnibus numeris suis essent semper absolutæ, aut meliori non possint apponi modo, sed solum ut pro aliquali idæa deserviant. Hoc tamen adhuc pro formulis absolutionum annotare placuit: quod si pœnitens, ex elargita gratia S. Pœnitentiariæ, absolvi debeat ab aliqua excommunicatione, suspensione &c. Delegatus absolvens dicere debeat: *Ego te absolvo a vinculo excommunicationis*, &c. *quam incurristi* &c. *propter hanc causam* N. (si sit excommunicatus, addatur) *& restituo Te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium*: (si vero sit suspensus) *executioni tuorum Ordinum, vel Officiorum, vel Beneficiorum*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

§. XV.

De suprema Lege Charitatis.

QUæritur 1. In quo consistat lex charitatis?

Respondeo. Lex charitatis consistit in *ordine incommutabili rationis, quo jubentur emolumenta divinæ gloriæ humanis commodis, & bona majora minoribus in omni concursu præferri. Sensus est*, ut in omni casu, quo emolumenta divinæ gloriæ, & commoda humana, seu bona majora & minora, simul stare nequeunt, emolumenta divinæ gloriæ præ commodis humanis, & bona majora præ bonis minoribus eligantur.

Ra-

Ratio hujus legis petitur ex natura charitatis, cujus actus proprius eſt, ut emolumenta divinæ gloriæ propriis commodis præferat, ubi id rectiſſimus ordo & lex divinæ amicitiæ poſtulat, prout in *Tract. de Charitate* oſtenſum eſt. Hanc autem prælationem unius præ alio ex lege amicitiæ divinæ poſtulari, ubi ambo ſimul ſtare nequeunt, ratio & natura bonorum petit, prout ibi ex D. Thoma oſtenſum eſt.

Quæritur 2. Quare hæc lex charitatis vocatur *ſuprema lex?*

Reſpondeo. Quia lex iſta charitatis eſt regula omnium legum dubiarum, & ultimum principium conſcientiæ in omnibus controverſiis circa materiam legum. Patebit enim ex dicendis, quod omnes quæſtiones Morales, quæ infinitis opinionibus diſciſſæ in hunc usque diem manſerunt in determinatæ, tandem per legem charitatis determinari, ſolvi, ac finiri poſſint & debeant.

Quæritur 3. Quot & quales ſint primariæ obligationes ex lege charitatis?

Reſpondeo. Obligationes primariæ per legem charitatis ſunt ſequentes. 1. *Vitentur omnia, quæ graviter diſplicent Deo.* 2. *Vitentur per ſe omnia, quæ inferunt grave detrimentum divinæ gloriæ, etſi illa damnificatio fiat ſine peccato formali, relate ad aliam legem a charitate diſtinctam ſpectato.* 3. *Vitentur per ſe omnia, quæ inferunt grave detrimentum bono Eccleſiæ, etſi illa damnificatio ſequatur ſine peccato formali, relate ad aliam legem a charitate diſtinctam ſpectato.* 4. *Vitentur per ſe omnia, quæ inferunt grave malum homini, pertinenti ad Deum, etſi illa damnificatio ſequatur ſine peccato formali, relate ad aliam legem a charitate diſtinctam ſpectato.* 5. *Vitentur per ſe omnia pericula propinqua inferendi grave detrimentum divinæ gloriæ, bono Eccleſiæ, aut homini, etſi hoc periculum ſequatur ſine peccato formali, relate ad aliam legem a charitate diſtinctam ſpectato.* 6. *In concurſu per ſe præferatur bonum majus minori, commune privato, bonum ſuperioris bono inferioris.* *Dixi, ſine peccato formali relate ad aliam legem ſpectato.* Hoc eſt; etſi actio vel omiſſio non foret contra aliam legem v. g. juſtitiæ, temperantiæ, caſtitatis, &c. *Dixi etiam per ſe*, hoc eſt, niſi actio foret tantæ arduitatis, ut eam non cenſeatur imponere amicus amico in tali caſu vel materia. Hæ ſunt primariæ obligationes charitatis, in ejus natura fundatæ. Cum enim charitas ſit amor amicitiæ ad Deum, & amor amicitiæ habeat omnia communia cum amico ſervato ordine charitatis, ſic ut principio bonorum communium plus debeatur, quam ſubjecto receptivo bonorum communium, manifeſte ſequitur, quod in illa ſocietate amicabili inter Deum & hominem homo teneatur plus tribuere Deo, tanquam principio bonorum, quam ſibi, ubi alterutri aliquid detrahendum eſt. Sequitur præterea, quod homo teneatur præferre majora bona Dei minoribus bonis propriis; & conſequenter, cum bona quæ pertinent ad Deum cum quadam extenſione ad plures homines, & cum extenſione ad gloriam ſuam extenſive majorem, ſint majora bona Dei, quam bonum privatum unius hominis, conſequitur, bona univerſalis Eccleſiæ, & bona communia generis humani, Reipublicæ, familiæ, ac ſtatus, privatis bonis anteponenda eſſe.

Quæritur 4. Quid vult dicere illa limitatio: *per ſe?*

Reſpondeo. Senſus hujus limitationis eſt; ſic faciendum eſſe, niſi urgeat lex altioris ordinis vel ſtrictioris obligationis ad aliquid faciendum, ex quo detrimentum divinæ gloriæ ſequitur ſolum *per accidens*, hoc eſt, *contra* intentionem operantis. Sic enim ex bello juſto, ex conceſſione lupanarium in magnis urbibus mixtarum nationum a gubernio independentium, ex tolerantia inolitarum conſuetudinum pravarum immedicabilium in Clero & populo, &c. ſequuntur haud dubie ingentia detrimenta divinæ gloriæ, ſed lex altioris ordinis tuendi bona & jura populi adverſus iniquas aggreſſiones hominum malorum, præcavendi majora mala ex ſeductione puellarum ſtantium ſub gubernio, impediendi majora mala ex turbatione & oppoſitione nationum, vel communitatum, aliquando præcipit aliquid faciendum vel omittendum, ex

quo

quo *contra intentionem* sequuntur illa detrimenta divinæ gloriæ, aliis mediis inimpedibilia.

Quæritur 5. Quid vult dicere illa limitatio: *in concursu*?

Respondeo. Sensus illius limitationis est; sic faciendum esse, quando bonum *majus & minus*, *commune & privatum*, *bonum Superioris & Inferioris* simul stare nequeunt. Sic enim in servis Dei simul stant moderata refectio ac recreatio virium cum labore fervido ac diuturno promovendi gloriam Dei; conservatio bonorum moderata in conservationem familiæ & status cum promotione divinæ gloriæ, sublevatione pauperum; cooperatio ad bonum Ecclesiæ & Reipublicæ per rectam educationem filiorum & subditorum, &c. ita ut jactatio seu perditio boni privati simultanea, nonnunquam potius successive cederet in detrimentum divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Idem dicendum, ubi *lex generalis* sic se privandi commodis propriis, aut præferendi commoda Dei, & Ecclesiæ, *manifeste* cederet in majus præjudicium seu detrimentum divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

Quæritur 6. Quomodo hæ obligationes charitatis possunt influere in casus particulares?

Respondeo. Id patebit ab exemplis. Sic

1. Si princeps ob honorem læsum, vel ob violata jura spectato solo titulo justitiæ posset vicino inferre justum bellum, si tamen sua jura vindicare nequeat sine confœderatione cum hæreticis vel Turcis sub pactionibus præjudiciosis religioni catholicæ; vel si prævideat, per copias auxiliares talium hæreticorum inferenda gravissima damna Ecclesiæ, charitas erga Deum illum obligabit ad cedendum potius aliquid suis juribus, si cessio fieri possit sine præjudicio & consequentia in futurum vergente in malum Ecclesiæ, aut detrimentum divinæ gloriæ.

2. Si Magistratus spectato solo titulo boni communis, aut spectata sola justitia legali & obligatione status, declarata a consuetudine & sensu Doctorum multorum, posset tolerare varios abusus & pravas consuetudines, non eradicabiles sine querelis, inimicitiis, & damno temporali particularium vel Reipublicæ, tenentur tamen eos abusus & consuetudines tollere, quando notabiliter majus detrimentum exinde patitur divina gloria, honestas Religionis, & salus animarum. Itaque in tali casu tenentur revocare sanctissimas leges consuetudine contraria irrationabili abolitas, easque urgere ad procuranda emolumenta divinæ gloriæ; tenentur etiam ex eadem lege charitatis erga Deum tollere luxum vestium, abolere choreas nocturnas, compotationes in seram noctem, cauponarias publicas, evagationes promiscui sexus tempore nocturno, receptationes meretricum clancularias, promotiones inexpertorum & minus habilium ad officia, &c. Iidem Magistratus exemplo, verbo, & opere possent impedire ingentia detrimenta divinæ gloriæ, & Ecclesiæ, si præscindendo recreationes superfluas se totos applicarent ad cogitanda & tractanda ea, quæ sunt sui muneris, si frequentarent consilia, lustrarent acta, legerent libros suo officio congruos, conversarentur cum viris probis ac doctis.

3. Manifestum est nonnunquam, ex tepore & profano more, & relaxatione Canonum, in Clero & religiosis Ordinibus nasci ingentia detrimenta divinæ gloriæ. Languent enim conciones, Catecheses, visitationes infirmorum, pensum Canonicum, sacrificium Missæ, ac tota vita, ubi deest spiritus, & fervor, & animarum puritas, & exemplaris honestas in moribus. At vero charitas Dei animat hæc omnia. Hæc bonas leges amat, quærit, & invenit. Hæc de bonis exemplis aliorum Episcopatuum, Ordinum, vel Monasteriorum gaudet, æmulatur, & circumspicit. Hæc consulentibus bona consentit, collaborat pro Dei gloria conantibus, & suamet commoda, fastum, libertatem, & autocratiam sacrificat pro emolumento divinæ gloriæ & Ecclesiæ.

4. Facile agnoscere possent Parochi, innumera committi peccata in suis ovibus, si non continuo excitetur memoria

&affe-

affectus ad divina in parochianis per fervidas conciones octiduanas & catacheses, per devotiones publicas v. g. confraternitates, usum frequentem confessionis & communionis, &c. Agnoscere etiam possent multas insidias dæmonum & peccata impediri posse, si diligenter visitarent infirmos, si redditus Ecclesiasticos impenderent in causas pias, si honesta parsimonia succurrerent egenis; si vitarent conversationes non ædificatorias, & vanitates ac recreationes superfluas; si promoveretur Ecclesiarum decor, si erigerentur Scholæ & conducerentur Ludimagistri, &c. Sed quia censent, ad hæc non dari obligationem tam arctam sub peccato mortali spectato præcise jure sui muneris, dimenso per consuetudinem aliorum parochorum similium, vel per sensum laxiorum Doctorum, & lex suprema charitatis ipsis satis perspecta non est, eò quod charitati solum actum internum, nullum vero practicum huic legi proprium tribuant, deficiente genuina charitate etiam deficiunt emolumenta divinæ gloriæ & Ecclesiæ.

5. Idem contingit circa Patres familias, & Matres familias. Facile enim agnoscere possent, sequi magna detrimenta divinæ gloriæ ex eo, si in liberis, famulis, & ancillis non præscindantur occasiones variorum peccatorum, v. g. nocturna promiscui sexus conventicula; si non mittantur ad conciones & catecheses vel devotiones publicas; si non instituantur devotiones vel lectiones piæ domesticæ; si non præeant exemplo ad frequentem usum sacramentorum & publica pietatis exercitia. At vero si amarent Deum vero amore, haud dubie semper apertos circumferrent mentis oculos ad ampliandam in suis subditis Dei gloriam, & honestatem religionis coram exteris; eaque emolumenta divinæ gloriæ præferrent commodis vel lucris propriis, quantum permittunt jura socialia conjugii & obligationes status, & honestas gubernationis familiaris, quas Deus vult præferii lucris suæ gloriæ, aut per accidens occasionatis detrimentis propriis, utpote justitiæ generalis lege, quæ lex licet non sit altioris, est tamen amplioris ordinis, anticipato debitas.

Quæritur 7. Quomodo ostenditur, Legem charitatis esse Regulam directivam conscientiæ in omnibus controversiis moralibus circa obligationes legum?

Respondeo. Id hoc modo ostenditur. Omnes controversiæ morales consistunt tantum in eo, utrum Legislator divinus, Ecclesiasticus, vel civilis pro bono communi divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ obliget sub indignatione levi vel gravi, & ubi obligat ad actum ex suo genere sub indignatione gravi, utrum in individuo materia legis sit gravis, vel levis. Sed has omnes controversias regulat lex charitatis. Ergo; min. prob. In omni ejusmodi controversia stante stricto dubio de obligatione legis directæ particularis, & consequenter stante libertate conscientiæ a peccato formali relate ad legem directam particularem vel est grave periculum, ex transgressione *materiali* legis inferendi grave detrimentum bono communi divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ; aut non est tale grave periculum. Si non est tale periculum, in dubio strictæ tali circa legem directam datur libertas conscientiæ per dictamen concomitans moraliter certum de non existentia legis, prout in Tractatu *de Conscientia* ostensum est. Si vero datur grave periculum, ex transgressione *materiali* legis dubiæ oritnri gravis detrimenti contra bonum commune divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ, eo ipso ad positionem vel omissionem talis actus *per se* obligat lex charitatis.

Dixi per se; hoc est, nisi nimia sit arduitas operis, ita ut eam in simili non censeatur exigere amicus Deus ab amico homine. Res exemplis declaratur.

1. In controversia, an detur parvitas materiæ in Simonia. *Diana* in Tract. *de parvitate materiæ* Resol. 2. respondet; *probabile esse, dari parvitatem materiæ in Simonia, v. g. vendendo guttam aquæ benedictæ, nec propterea incurri excommunicationem*. Quis autem non videt, ex ejusmodi more, & transgressione materiali frequentata graviter lædi honestatem religionis Christianæ, & honesta-

nestatem Ecclesiæ coram Ethnicis & hæreticis; adeoque grave præjudicium irrogari divinæ gloriæ & Ecclesiæ? Quod si quis negare audeat; in tali casu ex transgressione solum *materiali* graviter lædi honestatem religionis & Ecclesiæ, negari tamen non potest in conscientia, ex prohibitione solum levi venditionis ejusmodi recularum Simoniacæ, jure divino oriri propinquum periculum conflandi gravem ignominiam Religioni Christianæ, adeoque inferendi grave detrimentum divinæ gloriæ, & honestati Ecclesiæ. Itaque cum *per se* divina gloria non possit sine peccato mortali exponi gravi periculo magni detrimenti seu præjudicii, non poterit illa sententia Dianæ practicari sine peccato mortali.

2. *Diana* ibidem *Resol.* 2. dicit; Probabilem & tutam sententiam esse in praxi, quod in juramento promissorio detur parvitas materiæ. Quis autem non videat, quod ex transgressionibus materialibus frequentatis ejusmodi juramentorum, imo ex ipsa generali licentia sine gravi indignatione transgrediendi talia juramenta nascatur grave detrimentum vel saltem grave periculum magni detrimenti quoad gloriam divinam & honestatem Ecclesiæ seu Religionis Catholicæ? Itaque illa sententia authorum in praxi non potest practicari sine peccato mortali. Aliud dicendum est in voto, ubi modus promissionis & obligationis determinatur ab homine.

3. *Idem Diana* l. c. *Resol.* 6. refert aliorum sententias, qui ad hoc, ut quis peccet mortaliter laborando serviliter in die festo, tertiam aut quartam diei partem requirunt. Transmittamus; respiciendo ad probabilitatem hujus sententiæ & legem directam sic laborantes excusari a peccato formali relate ad legem directam Ecclesiæ. Quis autem non videat, etiam per frequentes ejusmodi transgressiones materiales & licentiam generalem sic laborandi sine peccato mortali facile induci consuetudinem generalem, sicque graviter præjudicari finibus ac honestati Ecclesiæ, quæ juventuti, ancillis, famulis, & omnibus vult providere occasionem sæpius & liberius vacandi Deo ac se recolligendi ad Deum per exercitia pietatis, lectionem ac auditionem verbi divini? Aliud dicendum, quando cum lege Ecclesiastica concurrit lex naturalis misericordiæ vel pietatis erga pauperes, miseros, bonum publicum, reverentiam debitam principibus, &c.

4. *Idem Diana* l. c. *Resol.* 11. asserit; a Doctoribus probabiliter doceri, duas uncias esse parvitatem materiæ in comestione extra refectionis & collationis tempora. At vero, qui plus indulgent, an certi sunt vel prudenter esse possunt, nullum ex illa laxiori indulgentia nasci periculum gravis præjudicii ac detrimenti contra finem & honestatem Ecclesiæ quoad legem jejunii? Esto enim, quod non tamen concesserim, nullum intervenire peccatum formale relate ad legem directam jejunii, hoc tamen non obstante etiam per transgressionem materialem tollitur vel notabiliter minuitur mortificatio seu debilitatio carnis, satisfactio pro peccatis, placatio iræ divinæ in populum, sobrietas animæ ad serenius vacandum cogitandis & audiendis divinis, &c. quorum omnium finium complexum ab Ecclesia intentum conciliat magnam honestatem & sanctitatem religioni catholicæ. Itaque dum tales Probabilistæ se eximi putant a peccato formali contra legem directam jejunii, peccant tamen contra legem charitatis graviter, exponendo se periculo gravi, causandi magnum detrimentum ac præjudicium honestati Ecclesiæ per illas transgressiones materiales, hoc est, constituentes solum *materiale* peccati mortalis relate ad legem directam jejunii.

5. *Idem Diana* l. c. *Resol.* 13. docet, dari probabiliter parvitatem materiæ in acceptione personarum quoad conferenda beneficia, quando videlicet munus conferendum minus digno non est magni momenti, vel quando munus conferendum est quidem magni momenti, ita tamen ut excessus magis digni præ minus digno sit modicus. Supponamus, quod tamen non concesserim, probabilitatem hujus sententiæ ex ea operantem excusare a peccato formali relate ad legem divinam Simoniæ circa beneficia

cura-

curata, vel Ecclesiasticam circa beneficia simplicia. Videamus tamen, an ex illa licentia sic operandi sine peccato mortali Simoniæ nullum oriatur grave periculum gravis detrimenti vel præjudicii erga divinam gloriam vel honestatem Ecclesiæ? Profecto manifestum est, excœcatis pecunia vel alio munere oculis internis facillime illa beneficia vel officia, quæ indifferenti animo apparebunt magna, apparitura parva, nec adeo magna; & candidati, qui spectati animo indifferenti aliis apparebunt tanquam notabiliter magis digni, illis munere excœcatis apparituri sunt tanquam in excessu præcise modico digni, præsertim cum ejusmodi profani homines non soleant agnoscere omnes obligationes veri Clerici aut Parochi, relate ad quas metienda est vera dignitas vel indignitas Candidatorum. Itaque ex illa Simonia solum venialiter peccaminosa, licet absit peccatum formale mortale in opposita sententia, reipsa tamen sequuntur ingentia detrimenta divinæ gloriæ, Ecclesiæ, & salutis animarum.

Eodem ergo modo in omnibus controversiis moralibus, ubi respiciendo ad legem directam videtur esse dubia illius obligatio, ad supremam legem charitatis respiciendum est, utrum ex transgressionibus materialibus frequentatis, vel ex relaxatione obligationis gravis in levem nullum sequatur grave præjudicium, vel saltem gravis præjudicii periculum divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ, ut apparente tali periculo servetur ordo charitatis, quæ divina humanis, majora minoribus, communia privatis, & bona Superiorum bonis Inferiorum præponit.

Pro clausula proin hujus Tractatus de Legibus adjungam principium magnum Theologiæ Moralis huc apprime congruens. Reperi illud in Epistola D. Barnabæ Apostoli, qui n. 21. suam Epistolam his verbis concludit: *Estote vobis legislatores boni* [νομοθέται;] *manete vobis consiliarii fideles; efficiamini docti a Deo, exquirentes, quid a vobis requirat Dominus*. Dum S. Barnabas hoc loco vult, ut quilibet sit sibi bonus legislator, atque ut voluntatem Dei ipsemet exquirat, haud dubie in omni controversia legum & morum ad bonum commune Dei, Ecclesiæ, vel Reipublicæ respiciendum esse docet, ut, si fuerit particularis lex dubia, & periculum præjudicii immineat divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel Reipublicæ, imperet lex charitatis.

TRACTATUS III.

De Præceptis Decalogi & Ecclesiæ.

SECTIO I.

De obligatione amandi Deum & Proximum.

SUmma totius Decalogi ab ipsomet *Christo* reducitur ad *charitatem Dei*, & *charitatem proximi*. *In his duobus mandatis*, inquit, *universa lex pendet*, *& Prophetæ*. Matth. 22. v. 37. Acturus proin de Præceptis Decalogi Tractatum in *duas partes* divido. *In prima* agitur de charitate Dei & proximi in genere; in specie vero de primo, secundo, & tertio præcepto, quæ pertinent ad charitatem ac cultum Dei. *In secunda* parte agetur de reliquis septem præceptis, quæ pertinent ad charitatem proximi, & de *Præceptis Ecclesiæ*. Itaque in hac Sectione agetur. 1. De obligatione charitatis erga Deum 2. De obligatione charitatis erga proximum 3. De ordine charitatis erga proximum. 4. De dilectione inimicorum. 5. De correctione fraterna & denuntiatione 6. De Elemosina. 7. De obligatione ad mutuum gratuitum. 8. De variis operibus misericordiæ ex charitate debitis, & de immisericordia. 9. De scandalo.

§. *I.*

De obligatione charitatis erga Deum.

QUæritur 1. Quid sit charitas?

Respondeo. Charitas est amor amicitiæ practicus, quo homo per amorem benevolentiæ & concupiscentiæ

vult Deo & sibi mutuam communicationem omnium bonorum. Hæc definitio probatur ex D. *Thoma* in tertium Sententiarum, distinctione vigesima septima, quæstione secunda, articulo primo in Corpore, ubi sic scribit: *Quia amor unit quodammodo amantem amato, ideo amans se habet ad amatum, quasi ad seipsum, vel ad id, quod est de perfectione sui Ad seipsum autem & ad ea, quæ sui sunt, hoc modo se habet, ut primo velit sibi præsens esse, quidquid de perfectione sua est. Et ideo amor includit concupiscentiam amati, quia desideratur ejus præsentia. Secundo homo alia in seipsum retorquet per affectum, & appetit, quæcunque sibi expediunt, & secundum hoc, quod ad amatum afficitur, amor benevolentiam includit, secundum quam aliquis amato bona desiderat. Tertio homo ea, quæ sibi appetit, operando sibi aquirit, & secundum hoc, quod ad alium exercetur, beneficentia in amore includitur. Quarto homo ea, quæ sibi bona videntur, implere consentit; & secundum quod hoc ad amicum fit, amor concordiam includit, secundum quam aliquis consentit in his, quæ amico videntur. Sunt etiam quædam, quæ super amorem aliquid addunt. Amicitia enim addit duo, quorum unum est societas quædam amantis & amati in amore, ut scilicet se mutuo diligere sciant. Aliud est, ut ex electione operentur, & non ex passione. Sic ergo patet, quod amicitia est perfectissimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens. Unde in genere hujusmodi ponenda est charitas, quæ est amicitia quædam hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit, & Deus hominem, & sic efficitur quædam associatio hominis ad Deum.* Et ad 2. *Dicendum, quod quælibet amicitia concupiscentiam seu desiderium includit, & aliquid super eam addit.* Hucusque S. Thomas, manifeste ostendens, quod charitas sit amicitia, includens hæc quatuor, *concupiscentiam*, *benevolentiam*, *beneficentiam* practicam, & *concordiam* in operando. Hinc charitas etiam definiri posset, quod sit *amor amicitiæ, qua diligitur Deus ut summum bonum tam absolutum quam relativum in ordine ad actus amicitiæ practicos.* Vel potest dici, quod sicut justitia definitur, quod sit constans ac perpetua voluntas cuique tribuendi jus suum, ita etiam charitas definiatur, quod sit *constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus amicitiæ practicos.*

Quæritur 2. Quodnam sit objectum materiale charitatis?

Respondeo. Objectum materiale charitatis est Deus summe bonus, summe amabilis, & summe desiderabilis.

Quæritur 3. Quodnam sit objectum seu motivum formale charitatis?

Respondeo. Motivum formale charitatis *practice* loquendo, & *moraliter*, prout in Scriptura Deus a nobis amandus proponitur, est infinita Dei bonitas tam absoluta quam relativa; hoc est, Deus ut est in se bonus, & ut nobis bonus, quamvis *metaphysice* & *speculative* loquendo prius sit esse bonum *in se* quam ad alium. Ratio est, quia ideo amatur Deus super omnia, quia est infinite perfectus, & *quia prior dilexit nos*.

Quæritur 4. Quomodo possit elici actus charitatis?

Respondeo. Potest sic elici. *Mi Deus, cujus natura & voluntas bonitas est; qui etiam prior dilexisti me, atque ad intimam tuam amicitiam invitasti me, te reciproco amore præ omnibus aliis bonis creatis complector, nec aliud cupio, nisi te. Spondeo insuper, me omnia præstiturum, quæ lege amicitiæ a me exegeris rectissimo ordine charitatis.*

Quæritur 5. Quales sint actus eliciti charitatis?

Respondeo. Actus eliciti charitatis sunt omnes illi actus interni, qui eliciuntur ex motivo charitatis, seu amicitiæ ad Deum. Tales actus in amante Deum sunt 1. gaudium de perfectionibus divinis, v. g. sapientia, justitia, omnipotentia, providentia &c. quæ ex operationibus Dei in creaturis, & sanctis relucent. 2. congratulatio 3. optatio gloriæ extrinsecæ. 4. desiderium operandi & patiendi pro gloria divina in tempore. 5. desiderium unionis cum Deo ac fruitionis in æternitate.

Quæ-

Quæritur 6. Quales sint actus imperati charitatis?

Respondeo. Actus imperati charitatis sunt actus omnes qui ponuntur dependenter ab aliquo præcedente actu elicito charitatis. Tales actus sunt. 1. Libenter de Deo cogitare. 2. Libenter de Deo audire. 3. Libenter de Deo & ejus operationibus loqui. 4. Promovere pro viribus gloriam Dei. 5. Alios homines trahere ad laudem, cultum, & amorem Dei. 6. Sequi libenter nutus beneplaciti divini. 7. Libenter pati pro augmento divinæ gloriæ. 8. Impedire pro viribus peccata ac inhonorationes Dei. 9. Promovere decorem & incrementum Ecclesiæ Catholicæ, sponsæ Dei. 10. Promovere ac tueri omnia, quæ Deus amat, pacem, tranquillitatem, & consolationem fidelium. 11. Plantare ubivis virtutes & consuetudines Deo acceptas. 12. Conservare decorem templorum & religionis in omnibus. *Verbo*; in omnibus emolumenta divinæ gloriæ præferre commodis propriis.

Quæritur 7. Quoties homo teneatur elicere actum charitatis?

Respondeo. Homo tenetur sub peccato mortali elicere actum charitatis in sequentibus circumstantiis. 1. *Initio usus rationis*, quando videlicet infans primo aquirit sufficientem cognitionem Dei, tanquam authoris omnium bonorum, & beatitudinis humanæ ultimæ. Tunc enim tenetur, se & omnia sua subjicere Deo, ejusque beneplacito, quæ *constans ac perpetua voluntas in omnibus placendi Deo*, seu *omnia sua referendi in Deum tanquam principium & finem*, est actus charitatis, prout docet S. *Thomas*, referendus in *Tract. de Charit.* 2. *In articulo mortis*, quando videlicet homo agnoscit, se esse constitutum in eo articulo, ut verosimiliter sit abiturus ad Deum. 3. *In confessione & communione annua*, ubi Ecclesia suo præcepto fideles monet de obligatione juris naturalis ac divini ad seriam cordis conversionem ad Deum, & renovationem amicitiæ cum Deo. 4. *In quovis arduo salutem animarum, vel gloriam Dei attingente negotio*, ubi ordo charitatis exigit, ut emolumentum ingens divinæ gloriæ præferatur commodis propriis respective exiguis. 5. *In statu peccati mortalis*, quoties occurrit cogitatio practica ad seriam conversionem, & concurrit sufficiens libertas se recolligendi ad Deum. 6. *In statu frigescentis charitatis*, quamprimum occurrit cogitatio practica de gravi periculo transgrediendi leges amicitiæ divinæ & incurrendi gravem indignationem divinam. Hæc omnia supponuntur ex *Tractatu* de spe & charitate. Et ex Tract. *de Pœnit.* & ex damnatis propositionibus infra qq. 20. subjungendis.

Quæritur 8. An detur etiam obligatio eliciendi actum charitatis diebus Dominicis & festis?

Respondeo. Datur saltem sub peccato veniali obligatio eliciendi actum charitatis singulis Dominicis & Festis. *Ratio* est, quia cultus Religiosus partim jure naturæ, partim præcepto Ecclesiæ debitus, decenter præstari nequit sine *constanti ac perpetua voluntate placendi Deo per actus amicitiæ practicos*. Hæc autem voluntas opere probata est ipsa charitas prout in definitione charitatis qq. 1. ostensum est.

Quæritur 9. An ad satisfaciendum præcepto charitatis sufficiat actus charitatis imperatus?

Respondeo. Ad satisfaciendum præcepto charitatis non sufficit actus charitatis imperatus, nisi vel actualiter vel saltem virtualiter procedat ex præcedente actu elicito charitatis. *Ratio* est, quia alioquin non est verum, quod proprie loquendo sit *imperatus* a charitate; sed tantum erit verum, quod sit *imperabilis*, vel *ex sua natura petat* imperari a virtute charitatis.

Quæritur 10. An ad satisfaciendum præcepto charitatis sufficiat quilibet actus elicitus charitatis? an vero requiratur exercitium plurium vel omnium actuum elicitorum charitatis?

Respondeo. Ad satisfaciendum præcepto charitatis non sufficit exercitium solum unius actus eliciti charitatis, nisi saltem virtualiter aut implicite concurrat exercitium aliorum actuum elicitorum

rum *essentialium* charitatis. *Ratio* est; quia etiam peccator, v. g. lascivus, potest gaudere de perfectionibus divinis, potest optare Deo bona intrinseca & extrinseca, potest cum affectu cujusdam amoris laudare Deum, & congratulari Deo, & desiderare Deum; quin tamen habeat virtutem charitatis, quæ involvit efficax propositum placendi Deo *per actus amicitiæ practicos, quoscunque exegerit lex amicitiæ rectissimo ordine charitatis*. Itaque ad satisfaciendum præcepto charitatis requiritur, ut in actum elicitum aut imperatum charitatis, vel actualiter vel virtualiter, aut explicite aut implicite influat *constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus amicitiæ practicos*, seu placendi Deo per actus amicitiæ practicos rectissimo ordine charitatis.

Quæritur 11. An præceptum charitatis obliget ad agendum omnia, quæ Deo placent?

Respondeo. Præceptum charitatis obligat ad omnes actus amicitiæ *essentiales*, non vero ad actus amicitiæ *accidentales*. *Ratio* est, quia repugnaret veræ amicitiæ, si amicus ab amico exigeret omnia prorsus servitia absolute possibilia: imponeret enim amico onus etiam mancipio importabile. Hoc tamen non obstante reperiuntur etiam in amicitia humana actus quidam *decretorii*, ac *essentiales*, quibus negatis negatur & dissolvitur vera amicitia; si nempe amicus damna amici in bonis fortunæ, famæ, vel corporis non curet & impediat, vel si ejus *emolumenta ingentia ob leve incommodum* seu dispendium promovere negligat.

Quæritur 12. Quales sint actus essentiales vel accidentales præcepti charitatis?

Respondeo. Actus essentiales charitatis consistunt in tribus. 1. *In fuga peccati determinate prohibiti sub gravi indignatione divina*. Cum enim charitas essentialiter includat benevolentiam & concupiscentiam erga Deum, necessario horret gravem indignationem divinam, & separationem æternam a Deo. 2. *In ordine charitatis, præferentis emolumenta divinæ gloriæ humanis commodis, ubi de alterius agitur gravi præjudicio*. Cum enim charitas consideret Deum tanquam principium bonorum, se autem præcise ut receptivum bonorum, necessario plus amat Deum, quam se ipsum; & consequenter, ubi de alterius gravi præjudicio datur inevitabilis optio, necessario præfert in rebus magni momenti emolumenta divinæ gloriæ commodis propriis. 3. *In exclusione gravis torporis quoad exercitium actuum charitatis*. Cum enim talis torpor ipsa multiplicatione omissionum, vel commissionum, seorsim leviter repugnantium charitati, merito graviter displiceat Deo, & ipso complexo actuum vel omissionum inferat grave præjudicium divinæ gloriæ, charitas necessario exigit, ut excludatur talis gravis neglectus & torpor. Cæteri omnes actus boni, quos nec in individuo exigit ordo charitatis, nec aliqua lex determinate præcipit sub levi displicentia divina, pertinent ad actus *accidentales* charitatis.

Quæritur 13. An possit peccari mortaliter ex habituali neglectu actuum accidentalium charitatis?

Respondeo. In praxi fieri non posse, ut ex continuo habituali neglectu omnis generis actuum accidentalium charitatis nullum sequatur præjudicium divinæ gloriæ. Et hinc, si ille neglectus actuum accidentalium eousque increscat, ut transeat in gravem torporem charitatis, eo ipso excrescet ad malitiam gravem.

Quæritur 14. Quales sint potissimum casus, in quibus peccatur mortaliter contra charitatem?

Respondeo. Casus notabiles, ac summe periculosi, quia in iis plurimi homines credunt se non peccare mortaliter, sunt sequentes: 1. *Si homo non curat emendare peccata venialia plene deliberata*. Vix enim fieri potest, ut in tali homine detur vera charitas Dei; tum quia talis status, cum repugnet finibus a Deo præstabilitis per regenerationem hominis in baptismo, & tendentiæ ad perfectionem Christianam, ad quam tendentiam quilibet Christianus obligatur, graviter displicet Deo; tum quia ex tali statu per neglectum continuum

nuum talentorum gratiæ infertur grave præjudicium emolumentis gloriæ & œconomiæ divinæ. 2. *Si homo non curat vitare pericula propinqua peccatorum mortalium, determinate prohibitorum sub gravi indignatione divina*. Talis enim homo eoipso censetur interpretative non curare, sive gaudeat amicitia divina, sive non. 3. *Quando homo per continuatum neglectum actuum accidentalium charitatis, se constituit in gravi periculo per privationem auxiliorum gratiæ specialium incidendi in gravia peccata formalia vincibilis ignorantiæ & malitiæ*. 4. *Quando homo passim sequendo quascunque laxas sententias, dummodo sint probabiles, se constituit in gravi periculo, per iteratas transgressiones saltem materiales legum, causandi grave damnum divinæ gloriæ extrinsecæ, vel honestati Religionis & Ecclesiæ Catholicæ*, prout in *Tractatu de Legibus* §. 15. ostensum est, ubi explicavi *supremam legem charitatis*. Nihil enim interest *quoad effectum nocumenti*, sive proximo, Ecclesiæ, & divinæ gloriæ extrinsecæ inferatur grave damnum per peccatum formale, sive per peccatum materiale. Tenetur itaque homo abstinere ab illa probabilitate sententiarum, cujus usus conjunctum habet periculum probabile inferendi grave detrimentum divinæ gloriæ vel honestati Ecclesiæ per transgressiones *materiales*. Exempla plura dedi in *Tract. de Legibus* §. 15. 5. *Quando Doctores docendo laxas sententias sine respectu ad emolumenta vel detrimenta divinæ gloriæ, & honestatis generalis Ecclesiæ, sunt causa per transgressiones materiales legum ejusmodi di gravium detrimentorum divinæ gloriæ & honestatis Ecclesiæ*, prout in *Tract. de legibus* §. 15. ostensum est. Qui enim ad detrimenta gloriæ divinæ & Ecclesiæ vel non attendunt, vel ea non curant, non amant Deum, & ejus Ecclesiam, quam diligit Deus. Illud enim amantium Deum proprium est: *Dilexi decorem domus tuæ* (Ecclesiæ) *& locum habitationis gloriæ tuæ*. Psal. 25. v. 8. 6. *Quando homo in suis actionibus non solet quærere, quid placeat Deo, sed quid liceat probabiliter sine peccato, saltem mortali*. Hæc enim consuetudo habitualis sic interrogandi & agendi est signum characteristicum non amantium Deum, adeoque reproborum, nisi se ante mortem emendaverint serio. Quomodo enim fieri potest, ut illi ament Deum, qui non quærunt gloriam Dei & ejus Ecclesiæ per actus amoris gratuitos, vi aliorum mandatorum indebitos? Quomodo autem quærunt gloriam Dei per actus amoris gratuitos vi aliorum mandatorum indebitos, quibus non est quæstio, quid placeat Deo, sed tantum, quid non sit peccatum, saltem mortale? Itaque ille mos solum *inquirendi* omnes probabilitates, & *sequendi*, est genuinus character non amantium, adeoque damnandorum.

Quæritur 15. Quinam sint alii casus magis particulares pro diversitate statuum, in quibus possit graviter peccari contra charitatem Dei?

Respondeo. In Tractatu *de legibus* §. 15. enumeravi sequentes. Sic I. Si princeps ob honorem læsum vel ob violata jura spectato solo titulo justitiæ posset vicino inferre justum bellum, si tamen sua jura vindicare nequeat sine confœderatione cum hæreticis vel Turcis sub pactionibus *valde præjudiciosis* Religioni Catholicæ; vel si prævideat, per copias auxiliares talium hæreticorum inferenda *gravissima* damna Ecclesiæ, charitas erga Deum illum obligabit ad cedendum potius *aliquid* de suis juribus, si cessio fieri possit sine præjudicio & consequentia in futurum vergente in malum Ecclesiæ, aut detrimentum divinæ gloriæ. 2. Si Magistratus spectato solo titulo boni communis, aut spectata sola justitia legali & obligatione status, declarata a consuetudine & sensu Doctorum multorum, posset tollere varios abusus, & pravas consuetudines, non eradicabiles sine querelis, inimicitiis, & damno temporali particularium vel Reipublicæ, tenetur tamen eos abusus & consuetudines tollere, quando *notabiliter* majus detrimentum exinde patitur divina gloria, honestas Religionis, & salus animarum. Itaque in tali casu tenetur revocare sanctissimas leges consuetudine

contraria irrationabili abolitas, easque urgere ad procuranda emolumenta divinæ gloriæ; tenentur etiam ex eadem lege charitatis erga Deum tollere luxum vestium, abolere choreas *plebis* nocturnas, compotationes puellarum & juvenum in seram noctem cauponarias publicas, evagationes promiscui sexus tempore nocturno, receptationes meretricum clancularias, promotiones inexpertorum, & minus habilium ad officia &c. Iidem Magistratus exemplo, verbo, & opere possent impedire ingentia detrimenta divinæ gloriæ, & Ecclesiæ, si præscindendo recreationes *superfluas* se applicarent ad cogitanda, & tractanda ea, quæ sunt sui muneris, si frequentarent consilia, lustrarent acta, legerent libros suo officio congruos, conversarentur cum viris probis ac doctis. Ubi ergo charitas? 3. Manifestum est nonnunquam ex relaxatione Canonum vel legum, in Clero, & Religiosis Ordinibus nasci ingentia detrimenta divinæ gloriæ. Languent enim Conciones, Catecheses, visitationes infirmorum, pensum Canonicum, sacrificium Missæ, ac tota vita, ubi deest Spiritus, & fervor, & animarum puritas, & exemplaris honestas in moribus. At vero charitas Dei animat hæc omnia. Hæc bonas leges *amat*, *quærit*, & *invenit*. Hæc de bonis exemplis aliorum Episcopatuum, Ordinum, vel Monasteriorum gaudet, æmulatur, & circumspicit. Hæc consulentibus bona consentit, collaborat pro Dei gloria conantibus, & sua commoda, fastum, libertatem, & autocratiam sacrificat pro emolumento divinæ gloriæ & Ecclesiæ. 4. Facile agnoscere possent Parochi, innumera committi peccata in suis ovibus, si non continuo excitetur memoria & affectus ad divina in parochianis per fervidas conciones octiduanas, catecheses, per devotiones publicas, v. g. Confraternitates, usum frequentem confessionis & communionis &c. Agnoscere etiam possent multas insidias dæmonum, & peccata impediri posse, si diligenter visitarent infirmos, si redditus Ecclesiasticos impenderent in causas pias, si honesta parsimonia succurrerent egenis; si vitarent conversationes non ædificatorias, & vanitates, ac recreationes superfluas; si promoveretur Ecclesiarum decor, si erigerentur Scholæ, & conducerentur Ludimagistri, &c. Sed quia censent, ad hæc non dari obligationem tam arctam sub peccato mortali spectato præcise jure sui muneris, dimenso per consuetudinem aliorum Parochorum similium, vel per sensum laxiorum doctorum, & lex suprema charitatis ipsis satis perspecta non est, eo quod charitati solum actum internum, nullum vero externum practicum huic legi proprium tribuant, deficiente genuina charitate, etiam deficiunt emolumenta divinæ gloriæ & Ecclesiæ. 5. Idem contingit circa Patresfamilias. Facile enim agnoscere possent, sequi magna detrimenta divinæ gloriæ ex eo, si in liberis, famulis, & ancillis non præscindantur occasiones variorum peccatorum, v. g. nocturna promiscui sexus conventicula; si non mittantur ad conciones & catecheses vel devotiones publicas; si non instituantur devotiones vel lectiones piæ domesticæ; si non præeant exemplo ad frequentem usum Sacramentorum & publica pietatis exercitia. At vero si amarent Deum vero amore, haud dubie semper apertos circumferrent mentis oculos ad ampliandam in suis subditis Dei gloriam & honestatem religionis coram exteris; eaque emolumenta divinæ gloriæ præferrent commodis vel lucris propriis, quantum permittunt jura socialia conjugii, & obligationes status, & honestas gubernationis familiaris, quas Deus vult præferri lucris suæ gloriæ, utpote justitiæ generalis lege anticipato debitas.

Quæritur 16. Quomodo ex Scriptura probetur [tam stricta obligatio charitatis?

Respondeo. Hæc obligatio charitatis probatur ex variis Scripturæ textibus. 1. Deus jam in veteri Lege Mosaica perpetuo inculcat, ut diligatur Deus *ex toto corde & ex omnibus viribus animæ*. Ergo nisi exhibeantur Deo actus amoris practici, sine quibus vera charitas amicitiæ consistere nequit, prout ex ejus

de-

definitione patet, & in *Tractatu de charitate* ostensum est, non potest obtineri salus. *Ant. prob.*

1. *Deuteronomii 6.* Deus per *Moysem* dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua; eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ.* Ex hoc textu apparet, quam vigilanter & quam assidue Deus præ oculis haberi velit mandatum dilectionis. Nam, cum Moyses legem scriptam suo populo divisim per varias conciones seu prælectiones proposuerit, & modo has, modo illas cæremonias ac leges ediderit, nullibi tamen tam sedulam memoriam & observantiam jugem inculcat, quam in hac concione, ubi legem charitatis inculcat.

2. Moyses in aliis suis concionibus nullam aliam legem tot repetitis vicibus & tot motivis, quam legem amoris ac timoris filialis inculcat. Deut. 10. v. 10. & Deut. 11. v. 1. & 2. ait: *Audivit me Dominus, & te perdere noluit; dixitque mihi; vade, & præcede populum, ut ingrediatur terram quam juravi Patribus eorum, ut traderem eis. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum; ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo & in tota anima tua. En Domini sunt cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegitque semen post eos, id est, vos de cunctis gentibus. -- Ama itaque Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus & cæremonias. -- Si obedieritis mandatis ejus* (amoris & timoris filialis) *quæ hodie præcipio vobis, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra, dabit pluviam terræ vestræ. -- Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, ut ea meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atque surrexeris. Scribe ea super postes & januas domus tuæ, ut mulplicentur dies tui. Si enim custodieritis mandata, quæ præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, propono benedictionem vobis.* Hoc loco iterum Moyses, dum de dilectione agit, renovat emphasin legis, & dum eam super postes scribi vult, non de sexcentis aliis legibus, sed de una lege amoris loquitur. De eadem lege dilectionis Moyses loquitur *Deut.* 30. v. 2. *Cum dispersérit te Dominus Deus tuus, & reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis in toto corde tuo, & in tota anima tua, miserebitur tui Deus, & circumcidet cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere. -- Testes hodie invoco cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem. Elige ergo vitam, ut vivas & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, atque illi adhæreas.* In hac ultima sua Concione Moyses iterum mandatum dilectionis inculcat, prout fecerat in prima Concione Exodi 29. ubi Deum sic loquentem inducit. *Ego sum Dominus Deus tuus, faciens misericordiam in millia, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

3. *Josue*, successor Moysis in Ducatu populi, ultima sua exhortatione ad populum arctissime mandatum dilectionis inculcavit. Sic enim in ejus libro c. 23. legitur: *Josue jam persenilis ætatis vocavit omnem Israelem, dixitque ad eos: Cernitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus vester; Confortamini, & estote soliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt. Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.*

4. Hanc legem charitatis renovavit Christus in novo testamento Matth. 22. v. 35.

v, 35. ubi dicitur : *Interrogavit eum Legis Doctor tentans eum . Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua . Hoc est primum & maximum mandatum . Secundum autem simile est est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum . In his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ .* In Marco c. 12. v. 29. verba Christi sic redduntur : *Respondit ei : Quia primum omnium mandatum est ; Diliges Dominum Deum tuum ex totó corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua . Hoc est primum mandatum . Ait illi scriba : Bene Magister, in veritate respondisti, quia unus est Deus, & ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine .* In Luca c. 10. v. 25. Idem mandatum & ejus necessitas aliis verbis exprimitur, nempe istis : *Ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est, quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua ; & proximum tuum sicut teipsum . Dixit illi : Recte respondisti ; hoc fac & vives .*

5. *Christus* Joan. 5. v. 42. cum Judæis in compendio causam omnium peccatorum, & summam iniquitatis exprobraret, id unum dixit: *Sed* (quid multis disputem?) *cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis .*

6. *Apostolus* 1. Cor. 13. ait : *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest . Charitas* (cum non quærat aliud bonum in cœlo vel in terra præter summum ac infinitum bonum, Deum ; cumque Deo velit omnia bona extrinseca, nempe gloriam extrinsecam ex virtute, & salute hominum, ideo ex animo omnes homines lucrandi Deo & promovendi divinam gloriam in omnium mentibus) *patiens est, benigna est ; charitas non æmulatur, non agit perperam ; non inflatur ; non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt ; non irritatur, non cogitat malum ; non gaudet super iniquitate ; congaudet autem veritati ; omnia suffert ; omnia credit ; omnia sperat ; omnia sustinet . Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur . Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc ; major autem horum est charitas .* Cum hoc loco Apostolus fidem, spem, & charitatem conjungat, manifestum est, quod principaliter loquatur de charitate Dei, quæ ad dilatandam magis divinam gloriam se etiam ad opera charitatis erga proximum extendit.

6. S. *Joannis* Epist. 1. c. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt . Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo .* c. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus . Nunc filii Dei sumus, & non apparuit, quid erimus . Quoniam cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbimus eum, sicuti est ; & omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est . -- Qui non diligit, manet in morte .* c. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum . Qui non diligit, non novit Deum ; quoniam Deus charitas est . In hoc apparuit charitas Dei in nobis ; quoniam filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum ; non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos . Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo : Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos .* Ex hoc textu manifestum est, sine dilectione Dei, quæ, cum studeat augere Dei gloriam, est diffusiva sui ad pro-

proximum, justitiam in adultis dari non posse.

7. *Idem* in Apocal. c. 2. v. 4. Deus Episcopo Ephesino dicit: *Habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum, nisi pœnitentiam egeris*. Ubi advertendum; hanc eandem commonitionem, & comminationem fieri etiam aliis Episcopis, qui aliorum gravium criminum incusantur. Ergo relinquere charitatem, & committere alia crimina æquiparantur, ita ut illi soli debeatur pœna gravis.

Quæritur 17. Quid sit diligere Deum *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & totis viribus?*

Respondeo. Hæc verba a D. Thoma sic explicantur, ut per cor intelligatur *voluntas*, per mentem *intellectus*, per animam *appetitus* rationalis irascibilis vel concupiscibilis, per vires, seu fortitudinem *omnes exteriores sensus, membra, & facultates*, sive consistant in hominibus, sive in bonis fortunæ, sive in authoritate ac potestate, sive in donis naturæ vel gratiæ gratis datis, nostro imperio subditis. In hac proin explicatione tenetur homo omnes volitiones, cogitationes, inclinationes affectuum, actus externos sensuum, pecunias, authoritatem, eloquentiam, vires corporis, honorem, talenta, tempus &c. sic ordinare, ut serviant ad honorandum, & assequendum Deum. Angelicus 2. 2. q. 44. a. 5. c. sic scribit: *Dilectio est actus voluntatis, quæ hic significatur per cor. Nam sicut cor corporale est principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui est objectum charitatis, est principium omnium spiritualium motuum. Tria autem sunt principia actuum, quæ moventur a voluntate, scilicet intellectus, qui significatur per mentem; vis appetitiva inferior, quæ significatur per animam; & vis executiva exterior, quæ significatur per fortitudinem seu virtutem, sive vires. Præcipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde; & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente; & quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima; & quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere*. In eundem sensum hoc præceptum ferme explicat S. Chrysostomus Hom. 42. in c. 22. his verbis: *Quid est diligere Deum ex toto corde? id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quam ad dilectionem Dei: nec delecteris in aliqua specie mundi amplius, quam in Deo; non in honoribus, non in auro, vel in argento; non in possessionibus aut vineis; non in animalibus aut mancipiis, non in ornamentis aut vestibus; non in filiis aut parentibus aut amicis, sed hæc omnia tibi existimes esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Si autem in aliquo horum amor cordis tui fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas Deum. Pro quanta enim parte cor tuum fuerit ad aliquam rem amandam inclinatum, pro tanta parte minus est ad Deum. Quid est tota mente diligere Deum? id est, ut omnes sensus tui Deo vacent. Cujus intellectus Deo ministrat, & cujus sapientia circa Deum est, cujus cogitatio ea, quæ sunt Dei, tractat; cujus memoria, quæ sunt bona, recordatur, tota mente diligit Deum*.

Quæritur 18. An homo possit & debeat hoc præceptum in eo rigore, quem sonat, implere?

Respondeo Homo potest & tenetur præceptum charitatis in ea perfectione implere, ut *nihil velit*, nec æstimet, nec in id affectum inclinet, *contra rectissimum ordinem charitatis*. Quidquid enim appetitur contra ordinem charitatis, aut quidquid magis comparative æstimatur, quam æstimandum præscribit ordo charitatis; aut in quod affectus sponte magis inclinatur, quam inclinandum petit ordo charitatis, jam ad cupiditatem illicitam pertinet, quæ positive repugnat charitati, ac consequenter etiam præcepto charitatis. Ita quoad rem docet S. *Augustinus* de spiritu & littera c. 36. ubi sic

sic scribit: „ Hoc primum præceptum „ justitiæ, quo jubemur Deum diligere „ ex toto corde, ex tota anima, & ex „ tota mente, in illa vita implebitur, „ cum videbimus Deum facie ad faciem. „ Sed dici potest quædam justitia minor „ huic vitæ competens, qua justus ex „ fide vivit, etiam ad istam pertinere, „ ne peccet. Neque enim, si esse non- „ dum potest tanta dilectio Dei, quan- „ ta illi cognitioni plenæ, perfectæque „ debetur, jam culpæ deputandum est. „ Aliud enim est, totam nondum asse- „ qui charitatem; aliud nullam sequi „ cupiditatem. Quamobrem debet ho- „ mo, quamvis longe minus amet Deum, „ quam potest eum amare conspectum, „ nihil tamen appetere illicitum. Si- „ cut etiam in his, quæ adiacent sen- „ sibus corporis, potest oculus nullis te- „ nebris delectari, quamvis non possit „ in fulgentissima luce defigi. *Ita S. Augustinus. Melius tamen & exactius rem explicat* S. *Thomas* 2. 2. q. 42. a. 6. c. *ubi ait:* Præceptum aliquod „ potest dupliciter impleri. Uno modo „ perfecte; alio modo imperfecte. Per- „ fecte impletur præceptum, quando per- „ venitur ad finem, quem intendit præ- „ cipiens. Impletur autem imperfecte, „ quando etsi non pertingat ad finem „ præcipientis, non tamen receditur ab „ ordine ad finem. Intendit autem Deus „ per hoc præceptum, ut homo sibi to- „ taliter uniatur, quod fiet in patria, „ quando Deus erit omnia in omnibus. „ Ideo plene & perfecte in patria im- „ plebitur hoc præceptum. In via au- „ tem impletur, sed imperfecte. Et ta- „ men in via tanto unus alio perfectius „ implet, quanto magis accedit per quan- „ dam similitudinem ad patriæ perfe- „ ctionem.

Idem 2. 2. q. 24. a. 8. c. dicit: „ Ex „ parte diligentis tunc est charitas per- „ fecta, quando diligit, quantum po- „ test. Quod quidem contingit triplici- „ ter. Uno modo sic; quod totum cor „ hominis actualiter semper feratur in „ Deum. Et hæc est perfectio charita- „ tis patriæ, quæ non est possibilis in „ hac vita, in qua impossibile est pro- „ pter humanæ vitæ infirmitatem sem- „ per actu cogitare de Deo & moveri „ dilectione ad ipsum. Alio modo ut „ homo studium suum deputet ad vacan- „ dum Deo & rebus divinis, prætermis- „ sis aliis, nisi quantum necessitas præ- „ sentis vitæ requirit. Et ista est perfe- „ ctio charitatis, quæ est possibilis in „ via, non tamen est communis omni- „ bus habentibus charitatem. Tertio mo- „ do ita, quod habitualiter aliquis to- „ tum cor suum ponat in Deo, ita sci- „ licet, quod nihil cogitet vel velit, „ quod divinæ dilectioni sit contrarium. „ Et hæc perfectio est communis omni- „ bus charitatem habentibus. „ *Et ad* 2. ubi objicitur; quod in hac vita sine peccato vivere non possimus. Ergo in hac vita charitas perfecta esse non potest; sic respondet: „ Hoc dicitur propter pec- „ cata venialia, quæ non contrariantur „ habitui charitatis, sed actui; & ita „ non repugnant perfectioni patriæ. Si- „ milia habet 2. 2. q. 44. ad 2. ubi „ ait: Dupliciter contingit, ex toto cor- „ de diligere Deum. Uno modo in actu, „ id est, ut totum cor hominis semper „ actualiter in Deum feratur. Et ista „ est perfectio patriæ. Alio modo ut ha- „ bitualiter totum cor hominis in Deum „ feratur, ita scilicet, quod nihil con- „ tra Dei dilectionem cor hominis re- „ cipiat. Et hæc est perfectio viæ, cui „ non contrariatur peccatum veniale.

Quæritur 19. Utrum in præcepto charitatis homo teneatur observare quendam ordinem charitatis erga Deum? Et qualem?

Respondeo 1. Datur quidam ordo charitatis erga Deum. 2. Homo tenetur observare illum ordinem charitatis erga Deum. 3. Ordo charitatis erga Deum consistit in eo, ut ea, quæ notabiliter magis conducunt ad gloriam Dei extrinsecam, cæteris paribus præponantur iis, quæ ad illam notabiliter minus conducunt. Hinc cum manifestum sit, ad gloriam Dei extrinsecam notabiliter plus conferre sanctitatem internam animarum, quam honestatem externam, exercitium virtutum essentialium religionis amoris erga Deum, & misericordiæ erga pro-

ximum

ximum quam devotiones accidentales, bonum universale religionis ac Ecclesiæ quam bonum privatum, semper illa præferenda erunt, nisi specialis vocatio divina ad ista alliget, & imbecillitas virium ad illa impediat. S. *Thomas* 2. 2. q. 44. a. 8. c. dicit: Ordo charitatis pertinet ad ipsam rationem virtutis, cum accipiatur secundum proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifestum est, quod ordo charitatis debet cadere sub præcepto. Et 2. 2. q. 26. a. 1. c. *Ordo in se includit aliquem motum prioris & posterioris. Unde oportet, quod ubicunque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo. Dilectio autem charitatis tendit in Deum; sicut in aliquod principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia charitatis fundatur; & ideo oportet, quod in his, quæ ex charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo secundum relationem ad primum principium hujus dilectionis, quod est Deus.* Verum hunc ordinem charitatis clarius explicat *Rainerius de Pisa* in *Pantheologia* Tit. Charitas, ubi c. 3. & 4. sic scribit: „ Principaliter circa charitatem „ consideranda est observatio ordinis. „ Nam in dilectione charitatis est ordo „ debitus observandus, quia in ordinata bona per rationem ordinate charitas tendit. Nam ordo charitatis est „ in præcepto, & peccat, qui præpostere agit. Unde *Magister* sent. l. 3. „ dist. 29. ait: *Scire quid facias, & „ nescire ordinem faciendi, non est perfectæ cognitionis ordinis.* Ita dicit etiam *Augustinus* in l. de doctrina Christiana. *Ille inordinatam habet dilectionem, qui diligit, quod non est diligendum; aut non diligit, quod est diligendum; aut æque diligit, quod minus, vel amplius diligit, quod æque est diligendum.* Idem probo ex *Canticorum* 2. ubi dicitur: *Ordinavit in me charitatem*; quod verbum exponitur secundum *Glossam: Ordinatam me fecit habere charitatem, quia ostendit mihi, qualiter Deus, qualiter proximus esset diligendus.* Unde *Ambrosius* „ super illo verbo ait: *Multorum charitas inordinata est; eo quod illud, quod primo diligendum est, ponunt secundum, tertium, vel quartum.* Unde *Augustinus* „ l. 1. de doctrina Christiana ait: *Quatuor sunt ex charitate diligenda. Primum, quod est supra nos, scilicet Deus. Secundum, quod sumus nos. Tertium, quod est juxta nos, scilicet proximus. Quartum, quod est infra nos, scilicet corpus proprium.* Et ideo „ primo ex charitate diligendus est Deus. „ Post Deum nos & angelos debemus „ diligere; tertio proximum, ultimo „ corpus nostrum. Ordo charitatis etiam attendendus est in fervore cordis, „ ut magis, id est, majori affectu diligatur, quod est magis diligendum. „ Nam ordo charitatis est attendendus „ secundum affectum cordis, & non tantum secundum effectum operis. Quod „ probo. Oportet enim, quod ordo charitatis servetur; quia ut dicit Gregorius; probatio dilectionis exhibitio est „ operis. Quod verbum non semper actu „ debet impleri (ex defectu occasionis) „ sed aptitudine, scilicet quod homo „ paratus sit magis impendere, si necesse foret. „ Ita Rainerius.

Sed Dices: Si in omnibus actionibus humanis deberet observari ordo charitatis, non darentur bona supererogatoria, nec res meri consilii, v. g. vota religiosa, quia ordo charitatis exigeret semper, meliora seu majora bona minoribus præponi.

Respondeo. Id non consequi. Quia licet *per se* majora bona minoribus præponenda sint, sæpe tamen contingit, ut illa bona, quæ *in se*, & *absolute* spectata majora sunt, v. g. vota religiosa, non sint majora *comparative* ad personam & circumstantias spectata, sed sint vel *minus idonea* ad gloriam Dei, ut si princeps unicus hæres regni susciperet statum religiosum concurrente probabili periculo gravium turbationum in regno; vel quod sint *dubiæ majoritatis*, eo quod non possit discerni, quodnam ex ambobus ad decorem Ecclesiæ & salutem propriam certius & alacrius assequendam magis expediat; vel sint *nimiæ arduitatis*, ut si talia a Deo sub lege imponerentur, refunderent imperfectionem

in

in. Deum & amicitiam divinam, eo quod amicis suis imponeret *sine necessitate* onera moraliter importabilia.

Dixi, *sine necessitate*, id est, ubi divina gloria nullum grave detrimentum vel periculum patitur circa honestatem religionis Christianæ vel salutis animarum.

Quæritur 20. Quales propositiones fuerint damnatæ de charitate.

Respondeo. Sequentes. Inter damnatas ab *Alexandro* VII. 1665. *Prima* est hæc: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Quinta inter damnatas ab *Innocentio* XI. 1679. est hæc: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum eliceret, condemnare non audemus.*

Sexta inter easdem. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.*

Septima, inter easdem. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.*

Prima inter damnatas ab *Alexandro* VIII. 1690. *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

Quæritur 21. In quo consistant errores *Bay* de charitate?

Respondeo. Errores Bay consistunt potissimum in eo, quod nullam agnoscat gratiam sanctificantem intrinsece supernaturalem, & inhabitantem, qua omnes actus humani, etiam dilectionis, reddantur meritorii vitæ æternæ. Exinde enim intulit, quod homo fiat solum justus per suosmet actus bonos, præsertim perfecti amoris erga Deum, excitati per motionem Spiritus sancti, quando talis actus extrinsece acceptatur a Deo. Hinc si a Deo non acceptetur, consequens erat, actum *charitatis perfectæ* posse stare cum peccato mortali seu reatu pœnæ æternæ. Hinc etiam consequitur, omnem amorem Dei esse respectivum & idoneum, & meritorium beatitudinis ultimæ, nec dari bonum amorem nisi tendat ad illam beatitudinem modo meritorio, utpote excitatum ex motione Spiritus in ordine ad ultimam beatitudinem. Hanc fuisse mentem Bay, manifeste patet ex ejus sequentibus propositionibus damnatis.

Secunda. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

Quarta. Vita æterna homini integro & angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

Quinta. In promissione facta angelo & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur.

Sexta. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam transiret, in qua mori non posset.

Undecima. Quod pie & juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est. Neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

Duodecima. Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.

Decima tertia. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

Decima quinta. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum sanctum, sed in eo solum, quod obedit legi divinæ.

Hucusque Bajus. Ex hoc ergo manifestum est, quod Bajus, ubicunque lo-

qui-

quitur de charitate, etiam perfecta, tantum loquatur de naturali actu amoris erga Deum, non informato per gratiam sanctificantem. Et hinc fluunt ejus alii errores seu propositiones damnatæ. v. g.

Decima sexta. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate, (videlicet naturaliter meritoria vitæ æternæ, non informata per gratiam sanctificantem.)

Vigesima tertia. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

Trigesima prima. Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam pœnitentibus, potest esse sine remissione pecatorum.

Trigesima secunda. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. In omnibus his & similibus propositionibus, dum Ecclesia per charitatem perfectam intelligit amorem Dei perfectum informatum gratia sanctificante, remissiva peccati, Bajus intelligit purum amorem naturalem Dei.

Quæritur 22. In quo consistant errores *Fenelonii* de charitate?

Respondeo. Errores illius consistunt in eo, quod homo in statu habituali perfectissimi amoris erga Deum non solum possit *explicite* abstrahere a desiderio Dei, tanquam sui summi boni, & beatitudinis suæ æternæ, sed quod etiam possit hoc desiderium summi boni ac beatitudinis propriæ *positive excludere* a suo habituali amore Dei, ita ut dum operatur ex habitu perfecti amoris, non velit amplius Deum, beatitudinem, aut virtutes tanquam bonum proprium, sed unice quia ita placet Deo. Itaque per hoc Ecclesia docere voluit; quod charitas in Scripturis præcepta non solum *concomitanter* compatiatur actum desiderii ad beatitudinem propriam, sed etiam quod intrinsece in suo formali conceptu involvat *explicite* vel *implicite actualiter* vel saltem *virtualiter* desiderium ~~Dei~~ tanquam nostri summi boni & felicitatis æternæ. Propositiones *Fenelonii* reperiuntur in *Tract. de Charitate*. in *Theol. Eclect.*

Dices: S. Franciscus Xaverius in suo Hymno Xaveriano positive excludit motivum beatitudinis propriæ. Ergo in actu ac consequenter etiam habitu positive exclusivo Interesse proprii, consistentis in fruitione Dei beatifica, consistit perfectus amor Dei. *ant. prob.* S. Xaverius in illo Hymno sic canit: *O Deus ego amo te; nec amo te ut salves me. Cur igitur non amem te, non ut in cœlo salves me, nec præmii ullius spe?*

Respondeo; hunc Hymnum non esse genuinum partum S. Francisci Xaverii, sed eum tantum esse quandam paraphrasin verborum S. Xaverii, non conformem ejus menti. Hujus rei sufficiens quidem indicium esse poterat, quia hujus Hymni nulla extat mentio, citatio, aut umbra in ullo Scriptore Societatis Jesu ante annum 1665. quo prodiit Monachii in parvo libello precatorio, cui titulus: *Hebdomadas Sacra*, authore P. Hesero Soc. Jes. quamvis ante annum illum multi Patres Societatis Jesu de amore Dei præclare scripserint, v. g. P. *Caraffa*, ubi habuissent occasionem optimam citandi illum hymnum, si extitisset. Imo nec post annum 1665. citatus reperitur in *Via Charitatis* edita a Pat. *Weyer* Soc. J. Ingolstadii 1682. nec in *Philothea Paulini* Soc. J. edita Monachii 1669. nec in *Xaverio dormiente* edito a P. *Viera*, ubi habentur duæ Panegyres *de excessu amoris Xaveriani*. Convincens autem argumentum est, quia P. *Possinus* S. J. l. 2. *Epistolarum Sanct. Xaverii* Epist. 2. anno 1667. Romæ edidit alium Hymnum ex authenticis documentis Hispanicis, in quo non continentur ejusmodi phrases *exclusivæ beatitudinis propriæ essentialis*, sed tantum mercedis accidentalis distinctæ a Deo, in ordine ad quam amor diceretur *mercenarius*, non vero *gratuitus & inemptus*, juxta phrasin S. Augustini & S. Xaverii. Ut hoc palam fiat, utrumque hymnum, ex editione Romana genuinum, & ex editione Monacensi non genuinum subjungo.

Hym-

Hymnus Xaverianus in editione Romana.

I.

Ut te colam Deus meus!
Non me movet terror tuæ
Manus vibrantis fulmina,
Nec horror ignis tartari
Urentis æternum reos.

II.

Tu me Deus per te moves,
Tu Christe transfixus trahis,
Crux urget, incendit cruor,
Jesu tu plagis fluens.

III.

Si cesset inferni metus,
Tollatur, & spes gloriæ,
Ego tamen mi Conditor,
De dotibus captus tuis,
Te Numen admirans tuum,
Sublime, Sanctum, providum
Amore inempto prosequar.

IV.

Te Christe, te Fili Dei,
Te Virgo, proles Virginis,
Mansuete, fortis, innocens
Dignate pro nobis mori,
Gratis merentem diligam.

Hymnus Xaverianus in editione Monacensi.

I.

O Deus ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te,
Æterno punis igne.

II.

Tu tu mi Jesu totum me
Amplexus es in Cruce.
Tulisti clavos lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores, & Angores,
Ac mortem, & hæc propter me,
Ac pro me peccatore.

III.

Cur igitur non amem te
O Jesu amantissime,
Non ut in cœlo salves me,
Aut ne æternum damnes me,
Nec præmii ullius spe.

IV.

Sed sicut tu amasti me,
Sic amo, & amabo te,
Solum quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es.

Quæritur 23. Quales sint errores *Quesnelli* de charitate?

Respondeo. Quesnellus, cujus propositiones a Clemente XI. condemnatæ sunt anno 1714. in Bulla *Unigenitus*, docuit, nullum actum esse meritorium, aut bonum, nisi sint actus charitatis perfectæ, prout in Tract. de Charitate *in Theol. Eclect.* ostensum est. Hoc autem dupliciter erroneum est. Nam inprimis falsum est, nullum actum esse bonum, nisi sit actus charitatis perfectæ. Fidei enim, & spei, & temperantiæ &c. actus sunt ex suo genere boni, etiamsi non sint actus charitatis perfectæ. Secundo falsum est, actus aliarum virtutum non esse meritorios, etiamsi non sint actus *eliciti* vel *immediate imperati* charitatis. Verum quidem est; nullum actum esse meritorium vitæ æternæ, nisi saltem *virtualiter* procedat ex charitate per gratiam sanctificantem informata. Sed actus tan-

tum

tum *virtualiter* procedentes a charitate non possunt vocari actus charitatis. Actus enim virtutum aut vitiorum denominantur *a motivo aut immediato imperio* voluntatis *explicite importato*. Vide dicta in Tract. de *Charitate*, in *Theol. Eclect.*, & Propositiones Quesnelli in Bulla *Unigenitus* in fine hujus Operis cum aliis Bullis & Propositionibus damnatis subnectenda.

Quæritur 24. An actus ad hoc, ut sit meritorius, debeat saltem virtualiter procedere ex charitate?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex Apostolo ad Gal. 5. v. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* (hoc est, nulla opera Judæorum vel Gentilium), *sed fides, quæ per charitatem operatur*. Hinc & D. *Thomas* 1. 2. q. 114. a 4. C. ait: *Dicendum, quod actus humanus habet rationem merendi ex duobus. Primo quidem & principaliter ex divina ordinatione, secundum quod actus dicitur esse meritorius illius boni, ad quod homo divinitus ordinatur. Secundo ex parte liberi arbitrii. Et quantum ad utrumque principalitas meriti penes charitatem consistit. Primo enim considerandum est, quod vita æterna in Dei fruitione consistit. Motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate, & ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a charitate imperantur. Et ad* 1. *Dicendum, quod charitas inquantum habet ultimum finem pro objecto, movet alias virtutes ad operandum. Semper enim habitus, ad quem pertinet finis, imperat habitibus, ad quos pertinent ea, quæ sunt ad finem. Et ad* 3. *Dicendum, quod fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur ut dicitur ad Gal.* 5. *Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate operetur, secundum illud ad Cor.* 1. *c.* 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Quomodo autem actus ex charitate procedere debeant ad hoc, ut sint meritorii, explicat *S. Bonaventura*, dum ait, actus humanos ad hoc, ut sint meritorii, debere ex charitate procedere saltem *habitualiter*, habitualitate videlicet *physica* per quendam inchoatum habitum ex actu præcedente relictum, seu ut nunc Scholæ loquuntur, *virtualiter*. In 2. Sent. dist. 41. qu. 3. n. 32. ad 6. sic scribit: *Ad hoc, quod aliqua actio sit meritoria non oportet, quod semper quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio habitualis. Habitualem relationem voco, non quia habeat charitatem* (infusam), *per quam sit habilis ad referendum; sed quia in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa consequenter se habet* (dependentia causalitatis physicæ) *intentionem habet ad Deum directam. Unde si quis intendit dare pro Deo centum marcas, & incipit dare, & cogitat de Deo in prima Marca, & in aliis non cogitat; nihilominus tamen omnes dationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ. Si autem opus alterius generis inciperet, oporteret, quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset meritorium*. Et ibidem n. 35. *Relationem habitualem voco, non qua quis in generali refert omnia opera diei vel anni; sed qua quis refert aliquod opus ad Deum; ita quod opus sequens directam habet ad opus primum ordinationem* (ex sua natura, ita ut non esset ratio necessaria illud ponendi, nisi primum præcessisset) *& consequentiam. Sicut est in illo, qui dat centum marcas, vel intendit ire ad S. Jacobum. In aliis autem non habet locum*. Ita S. Bonaventura, qui etiam concedit, actus obedientiæ toto vitæ tempore exercitos esse meritorios ob dependentiam ex præcedente voto obedientiæ *habitualem*, puta, habitualitate physica. Hinc etiam D. *Thomas* in 2. Sent. dist. 38. q. 1. a. 1. ad 4. & dist. 40. q. 1. a. 5. ad 6. eam dependentiam actuum meritoriorum ex præcedente charitatis actu explicat per modum habitualis dependentiæ, qua artifex operatur conformiter ad regulas artis

artis, etsi in ipsa operatione non amplius cogitet de regulis artis; dicit etiam; quod ad merendum sufficiat, dummodo homo omnes *particulares* actiones & *fines* actionum *in ultimum finem aliquando* (efficaciter) *ordinaverit*, *sicut fit*, *quando aliquis cogitat*, *se totum ad Dei dilectionem dirigere*; *tunc enim*, *quidquid ad se ordinat*, *in Deum ordinatum erit: quia quandocunque habitus charitatis in actum exit*, *fit ordinatio totius hominis in finem ultimum*, *& per consequens omnium eorum*, *quæ in ipsum* (hominem) *ordinantur ut bona sibi*. Vide dicta in *Tract. de Charit. Quæst.* 5. in *Theol. Eclect.*

§. II.

De obligatione charitatis erga proximum.

QUæritur 1. Quid sit charitas erga proximum?

Respondeo. Charitas erga proximum est *dilectio proximi propter Deum*, *seu extensio charitatis Deo debitæ erga creaturas rationales*, *in quantum non solum sunt aliqua res titulo creationis*, *redemptionis*, *adoptionis*, *sacrationis*, *& inhabitationis pertinens ad Deum*, *sed etiam inquantum sunt objectum commune dilectionis divinæ erga homines*. Hæc Idea seu definitio charitatis erga proximum

Probatur 1. ex Scriptura. Nam Christus ostendit, indivisibilem, immo eandem esse dilectionem, qua diligitur Deus & proximus. Joa. 15. v. 9. Christus ad discipulos ait: *Sicut dilexit me pater*, *& ego dilexi vos*. *Manete in dilectione mea*. *Si præcepta mea servaveritis*, *manebitis in dilectione mea; sicut & ego præcepta patris mei* (nutus beneplaciti) *servavi*, *& maneo in ejus dilectione*. *Hoc est præceptum meum*, *ut diligatis invicem*, *sicut dilexi vos*. *Hæc mando vobis*, *ut diligatis invicem*. Et c. 17. *Pro eis ego sanctifico meipsum* (in cruce me offerendo in sacrificium), *ut sint & ipsi sanctificati in veritate*. *Non pro eis autem rogo tantum*, *sed & pro eis*, *qui credituri sunt per verbum eorum in me*; *ut omnes unum sint*, *sicut tu pater in me*, *& ego in te*, *ut & ipsi in nobis unum sint*; *& ego claritatem*, *quam tu dedisti mihi*, *dedi eis*, *ut sint unum*, *sicut & nos unum sumus*; *ego in eis*, *& tu in me*, *ut sint consummati in unum*, *& cognoscat mundus*, *quia tu me dilexisti*. *Notum feci eis nomen tuum*, *ut dilectio*, *qua dilexisti me*, *in ipsis sit*, *& ego in ipsis*. Hæc omnia ostendunt, charitatem erga proximum esse fundatam in dilectione Dei, qua omnes homines diligit, in qua fundatur etiam charitas nostra erga Deum. Itaque dum diligimus Deum ob ejus prædilectionem erga nos, ob eandem etiam diligimus proximum. Idem ostendit S. *Joannes* Epist. 1. c. 4. vers. 7. ubi sic scribit: *Charissimi*, *diligamus nos invicem*; *quia charitas ex Deo est*; *& omnis qui diligit*, *ex Deo natus est*, *& cognoscit Deum*. *Qui non diligit*, *non novit Deum* (utpote diligentem omnes suas creaturas rationales); *quoniam Deus charitas est*. *In hoc apparuit charitas Dei* (erga homines) *in nobis*, *quoniam filium suum unigenitum misit in mundum*, *ut vivamus per eum*. *Si sic Deus dilexit nos*, *& nos debemus alterutrum diligere*. *Si diligamus invicem*, *Deus* (amans homines) *manet in nobis*, *& charitas ejus in nobis* (per nos erga alios extensive in actum secundum redacta) *perfecta est*. *Deus charitas est*, *& qui manet in charitate*, *in Deo manet*, *& Deus in eo*. *Nos ergo diligamus Deum*; *quoniam Deus prior dilexit nos*. *Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum*, *& fratrem suum oderit*, *mendax est*. *Qui enim non diligit fratrem suum*, *quem videt* (& scit a Deo diligi) *Deum*, *quem non videt quomodo potest diligere*? *Et hoc mandatum habemus a Deo*, *ut qui diligit Deum*, *diligat & fratrem suum*. *Omnis qui diligit eum qui genuit*, (parentes alicujus) *diligit & eum*, *qui natus est ex eo* (nempe liberos parentum, quales sunt omnes homines respectu Dei, patris omnium.) *In hoc cognoscimus*, *quoniam diligimus*, (diligamus, seu diligere debeamus, ὅτι ἀγαπῶμεν) *natos Dei*, *cum Deum diliga-*

ligamus (ὅτι ἀγαπῶμεν.) Ex hoc textu S. Joanuis iterum manifestum est, quod charitas proximi sit tantum extensio illius charitatis, quam habemus erga Deum, qui prior dilexit nos, & suam charitatem transplantavit seu effudit in nos.

Probatur Definitio 2. authoritate S. S. *Augustini*, qui in pluribus locis docet, hoc esse proprium amoris erga Deum, ut diligantur ea, quæ diligit Deus, atque ut omnes pertrahantur ad ejus amorem. In l. 1. de Doct. Christ. dicit: „ Omnis homo, inquantum homo est, diligendus est propter Deum. „ Velle debemus ut omnes, qui nobiscum frui possunt Deo, nobiscum diligant Deum, & totum, quod eos adjuvamus, vel ab eis adjuvamur, ad unum illum finem referendum est. „ Qui diligit histrionem, omnes diligit, qui eum diligunt secum, & quanto est in amore ferventior, tanto agit quibus potest modis, ut a pluribus diligatur. Quid nos in dilectione Dei agere convenit?

Quæritur 2. Utrum sit una eadem charitas, qua diligitur Deus, & qua diligatur proximus?

Respondeo. Charitas, quatenus differt ab amore proximi solum morali ac naturali, est una eademque, qua diligitur Deus, & proximus.

Probatur 1. Ex dictis *Resp*. 1. quia charitas proximi est tantum extensio amoris erga Deum in ea, quæ diliguntur a Deo.

Probatur 2. ex D. *Thoma*, qui 2. 2. q. 25. a. 1. C. ait: „ Ratio diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis se non solum extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi. „ Idem l. c. a. 4. c. ait: Possumus loqui de charitate secundum propriam rationem ejus, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea, quæ sunt Dei, inter quæ etiam est ipse homo. Et sic inter cætera, quæ ex charitate diligit, quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex charitate diligit. " Eadem ratio est de proximo, qui & ipse spectandus est tanquam aliquid ad Deum pertinens.

Probatur 3. Ex S. *Augustino*, qui Serm. 265. c. 8. & 9. ait: „ Duo sunt præcepta charitatis, & una est charitas. „ Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & diliges proximum tuum sicut te ipsum. Una charitas, & duo præcepta, quia non alia charitas diligit proximum, quam illa, quæ diligit Deum. Non ergo alia charitas est. Qua charitate proximum, ipsa charitate diligamus & Deum.

Idem l. 8. de Trinit. c. 8. n. 12. *Ex una eademque charitate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum*. Hanc suam assertionem S. Augustinus probat triplici ratione.

Primo, quia Deus vult diligi proximum. Itaque Deus diligi nequit, nisi diligatur & proximus.

Secundo, quia Deus est ipsa dilectio in se subsistens. Itaque Deus diligi nequit, quin diligatur ipsa dilectio de se diffusiva sui in omnes creaturas capaces dilectionis. Diligi autem dilectio nequit, nisi libenter practicetur, ubi datur opportunitas. Ita l. 8. de Trinit. c. 7. 8. & 10. discurrit.

Tertia ejus ratio captu facilior est, quia omnes homines, præsertim fideles, per redemptionem sunt filii, aut membra Christi, saltem in voto. Itaque Christus diligi nequit, quin diligantur membra & filii ejus. In Epistolam 1. Joa. Tract. 10. nu. 2. & 3. sic scribit: *Non potest quisquam diligere Patrem, nisi diligat filium; & qui diligit filium, diligit & filios Dei. Quos filios Dei? Membra filii Dei. Vos estis corpus Christi & membra.* 1. *Cor.* 12. *Cum erga membra Christi diligis, filium Dei diligis. Cum filium Dei diligis, & Patrem diligis. Non potest ergo separari dilectio.*

Quæritur. 3. In quo sensu Apostolus ad Rom. c. 13. scribit: *Qui diligit pro-*

ximum, *legem implevit?* & ad Gal. 5. *Omnis lex uno sermone impletur? diliges proximum tuum*, *sicut teipsum?*

Respondeo. Sensus Apostoli videtur esse, quod omnis lex consistat in duobus, primo in dilectione Dei, secundo per modum complementi ultimi dilectionis divinæ in dilectione proximi. Itaque necesse est, ut qui ultimum complementum dilectionis Deo debitæ posuit, censeatur totam legem, quæ totaliter est lex amoris, implesse. Alia hujus textus expositio est, quod una eademque sit charitas Dei & proximi, prout qq. 2. ostensum est. Ergo qui unam implevit, etiam alteram implevit. Tertia expositio est, quod, cum homo nec de se, nec de alio *directe* satis certo scire possit, an vere impleat legem dilectionis erga Deum, id indirecte scire possit ex re notiori, nempe ex dilectione proximi, quæ est ultimum complementum dilectionis erga Deum. Ita ex S. Augustino respondet V. Beda in Epist. ad Rom. *Cur*, inquit, *Apostolus solam proximi dilectionem commemorat*, *nisi quia dilectionem Dei possunt homines* (sibi & aliis) *mentiri*, *quia rariores tentationes eam probant: in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere*, *dum inique cum hominibus agunt*. *Cum præceptum utrumque*, *ut nullum sine altero possit teneri*, *etiam unum horum commemorare plerumque sufficit*, *sed opportunius illud*, *de quo facilius quisque convincitur*.

Quæritur 4. An homo eadem charitate, qua diligit Deum, possit & debeat diligere seipsum?

Respondeo. *Affirmative*. Ratio est, quia charitas erga Deum est amor amicitiæ, cujus objectum formale est communio bonorum, ita ut amans per amorem benevolentiæ & concupiscentiæ velit utrique bonum. Id eleganter explicat D. *Thomas* 2. 2. q. 25. a 12. C. ubi ait: „ Amicitia charitatis super com„ municatione beatitudinis fundatur, „ in qua quidem communicatione unum „ est, quod consideratur, ut principium „ influens beatitudinem, scilicet Deus; „ aliud est beatitudinem directe parti„ cipans, scilicet homo & angelus. „ Tertium est id, ad quod per quan„ dam redundantiam beatitudo deriva„ tur, scilicet corpus humanum. Id „ quod est beatitudinem influens est a „ ratione diligibile, quia est beatitudi„ nis causa. Id autem quod est beatu„ dinem participans, potest esse dupli„ ci ratione diligibile, vel quia est „ unum nobiscum, vel quia est nobis „ consociatum in beatitudinis partici„ patione, & secundum hoc homo di„ ligit & seipsum & proximum.

Quæritur 5. An & in quo sensu homo teneatur Deum plus diligere, quam seipsum?

Respondeo. Homo tenetur Deum plus diligere quam seipsum, quod *in omni casu possibili ac decente Deum* teneatur potius ferre omnia detrimenta suæ personæ, quam divinæ gloriæ. *Ratio* est, quia Deus est fons omnium bonorum, non solum nobis, sed etiam omnibus creaturis. Decet autem, ut ubi alterutri detrimentum perferendum est, conservetur potius bonum commune & fontale, quam particulare & participatum. *Dixi*. *In omni casu possibili & decente Deum*. Cogitare enim de casu impossibili, in quo tolleretur natura Dei, v. g. si deberet homo amicus Dei ex amore Dei æternas pati pœnas inferni, stultum est. Deus enim, si æternum torqueret suos intimos amicos, non esset Deus. Absint longe a cordibus piorum ejusmodi cogitationes blasphemæ conditionatæ, quæ Deum constituunt in casu necessitatis aut electionis ad aliquid inordinatum, quod dedecet sapientiam, bonitatem aut providentiam Dei. Quod si unus vel alter Sanctorum de ejusmodi casu cogitavit, mentem ipsius eatenus fuisse *perplexam* dicendum. Cæterum Responsio quoad substantiam est D. *Thomæ* 2. 2. q. 26. a. 3. C. ubi ait: „ „ Unaquæque pars naturaliter plus amat „ commune bonum totius, quam par„ ticulare bonum proprium. Apparet „ etiam hoc in politicis virtutibus, se„ cundum quas cives pro bono commu„ ni dispendia propriarum rerum & per„ sonarum interdum sustinent. Unde

mul-

„ multo magis hoc verificatur in ami-
„ citia charitatis, quæ fundatur super
„ communicationem donorum gratiæ.
„ Et ideo ex charitate magis debet ho-
„ mo diligere Deum, qui est bonum
„ commune omnium, quam seipsum;
„ quia beatitudo est in Deo, sicut in
„ communi & fontali principio omnium,
„ qui beatitudinem participare possunt. *Et ad* 2. ubi objiciebatur; quod homo Deum amet ut *suum* bonum; adeoque videatur magis diligere seipsum, quam Deum. Respondet: *Bonum totius diligit quidem pars, secundum quod est sibi conveniens, non autem ita, quod bonum totius referat ad se sed potius ita, quod seipsam refert in bonum totius*. Ex hoc textu D. Thomæ patet, quod homo Deum in genere bonorum utrique communi eum respiciat tanquam bonum infinities eminentius, ac dignius, ad cujus honorem & cultum homo totus ordinetur essentialiter; dum econtra Deus hominem non essentialiter sed tantum libere ad beatitudinem humanam in Deo habendam ordinet.

Quæritur 6. An homo ex charitate teneatur magis diligere seipsum, quam proximum?

Respondeo. Homo secundum animam tenetur ex charitate magis diligere seipsum, quam proximum. *Ratio* est 1. quia, prout Sanct. *Thomas* l. c. a. 4. in argumento *Sed contra*, observat; Levit. 19. v. 18. dicitur: *Diliges amicum tuum, sicut teipsum*. Et *Christus* Matth. 22. ait: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. Ergo cum dilectio suiipsius sit *regula* & *exemplar* diligendi proximum, manifestum est, dilectionem sui ipsius esse natura priorem dilectione aliorum quorumcunque, *inquantum spectantur tanquam subjecta participantia* Deum; & consequenter, cum principium boni diffusivum sui in alterum sit dignius altero; sequitur, in communione bonorum ad alterum hominem magis diligere seipsum, quam alterum. *Ratio* 2. est, quia homini non liceret se privare gratia Dei & æterna beatitudine, etiamsi per hoc posset salvare totum mundum. Ita discurrit S. *Thomas* l. c. a. 4. C. ubi ait: „ In ho-
„ mine duo sunt, scilicet natura spiri-
„ tualis, & natura corporalis. Per hoc
„ autem homo dicitur diligere seipsum,
„ quod diligit se secundum naturam spi-
„ ritualem. Et secundum hoc (*nempe*
„ *secundum animam*) debet homo magis
„ se diligere post Deum, quam quem-
„ cunque alium. Et hoc patet ex ipsa
„ ratione diligendi. Nam Deus diligi-
„ tur ut principium boni. Homo autem
„ seipsum diligit ex charitate secundum
„ rationem, qua est particeps prædicti
„ boni. Proximus autem diligitur se-
„ cundum rationem societatis in ipso
„ bono. Consociatio autem est ratio di-
„ lectionis [tantum] secundum quan-
„ dam unionem in ordine ad Deum.
„ Unde sicut unitas est potior, quam
„ unio; ita quod ipse homo participet
„ bonum divinum, est potior ratio di-
„ ligendi, quam quod alius associetur
„ sibi in hac participatione. Et ideo
„ homo ex charitate debet magis seip-
„ sum diligere, quam proximum. Et
„ hujus signum est, quod homo non
„ debet subire aliquod malum peccati,
„ quod contrariatur participationi bea-
„ titudinis, ut proximum liberet a pec-
„ cato. Ita S. Thomas.

Dixi. Secundum animam. Nam vitam suam corporalem tenetur aliquando sacrificare pro bono spirituali proximorum, ut postea dicetur.

Dices. Videtur esse perfectissimus actus charitatis, quo homo dicit: Mallem æternum privari beatitudine æterna pro salute plurium animarum, ut magis a pluribus honorificetur Deus, si hoc fieri posset sine peccato. Ergo non tenetur homo quoad animam se magis diligere, quam proximum.

Respondeo. Hunc actum solum posse habere locum, si ille casus possit prudenter & sine errore intellectus apprehendi *ut possibilis & decens Deum*. In tali autem hypothesi homo non diligeret proximum magis quam se, sed præcise magis diligeret Deum plus quam se, utpote cujus amore se vellet libenter privare beatitudine supernaturali, ac contentus esse beatitudine naturali, quæ consistit in fruitione Dei seu visione Dei ab-

abstractiva, prout in *Tract. de Charitate Quæst.* 2. *ad Object.* 5. in *Theol. Eclect.* ostensum est. Hinc in *probatione* 1. præcise dixi; quod homo teneatur quoad animam se magis amare, quam quoscunque proximos, inquantum spectantur *subjecta participantia Deum*, ut abstraherem ab hac objectione. Verum re penitius inspecta videtur, etiam hunc casum esse impossibilem & repugnantem perfectionibus divinis. Quomodo enim Deus salva sua bonitate hominem ea de causa excluderet æterna beatitudine supernaturali, quia alios amore Dei perduceret ad illam supernaturalem beatitudinem æternam? Itaque tales actus amoris solum locum habent in iis, qui intellectu errante vel de possibilitate casus dubitante apprehendunt casum ut absolute vel dubie possibilem. Actus autem charitatis, in quem influit intellectus errans, vel imprudenter dubitans, nec est exoptabilis absolute, nec absolute perfectior actu charitatis undequaque sano.

Dices 2. Quælibet pars tenetur magis diligere bonum *majus* præ minori bono; & bonum *commune* præ bono privato. Ergo homo tenetur magis diligere salutem totius communitatis vel provinciæ, quam salutem propriam; ac consequenter tenetur magis diligere proximos numero plures, quam se. Eadem ratione probaretur; quod quemcunque proximum dignitate vel donis eminentiorem teneretur magis quoad animam diligere, quam se.

Respondeo. d. Homo tenetur magis diligere bonum *majus*, & *commune*, in quantum illud majus & commune bonum simul magis perficit subjectum proprium quoad animam c. in quantum subjectum proprium quoad animam magis corrumpit. n. Nulla enim est ratio, quoad animam se spoliandi aliqua perfectione in gratiam aliorum præcise ex pruritu diffundendi bona, cum omnis appetitus naturalis feratur in bonum proprium. Nec etiam major glor a divina id peteret, loquendo de bono virtutum. Quod enim attinet *dona gratis data*, vel majorem *gloriam accidentalem* in cœlo, qualis v. g. datur Apostolicis viris, Martyribus, Doctoribus, Virginibus; sicut Deus non omnes ad hunc statum vocat, ita etiam pro majori Dei gloria & pro bono communi se homo ex obedientia vel speciali inspiratione divina eligendo statum v. g. eremiticum, vel conjugalem, iis donis privat, ita tamen ut per hoc justo Dei judicio conferatur major *beatitudo essentialis* consistens in unione intimiore cum essentia divina per visionem beatificam. Ita respondet S. *Thomas* l. c. a. 4. *ad* 2. ubi objiciebatur; quod homo sæpe sustineat ex charitate detrimentum pro proximo, puta vitæ, bonorum, juxta illud Proverb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, justus est*. Exinde enim videtur inferri posse, quod justus magis diligat proximum, quam seipsum. Ad hoc enim S. Thomas sic respondet: *Dicendum, quod detrimenta corporalia debet homo sustinere propter amicum, & in hoc ipso seipsum magis diligit secundum spiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ est bonum mentis. Sed in spiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet a peccato*, puta, in spiritualibus *sanctificativis* ac *perfectivis* proprii subjecti, qualia non sunt *dona gratis data*, prout dictum est.

Quæritur 7. An homo teneatur proximum diligere *positive* per actus internos? An vero sufficiat, eum præcise diligere *negative*, non volendo vel exterius operando aliquid contra charitatem proximi?

Respondeo. Homo tenetur proximum diligere per actus internos positive.

Id *probatur* 1. ex propositionibus damnatis ab *Innocentio* XI. quarum *Decima* sic habet: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*, & *Undecima*. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Idem probari potest ex plurimis textibus Scripturæ. Nam *Christus* Matth. 22. dicit: *Diliges Deum ex toto corde &c. Hoc est primum mandatum. Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Ergo sicut

homo

homo tenetur diligere *ex corde & mente*, seipsum ac Deum, per actus videlicet internos, ita etiam per actus internos tenetur proximum. Dein in Evangelio & in Apostolicis Epistolis pro forma diligendi proximum sæpissime præscribitur dilectio Dei erga homines. Deus autem diligit homines positive utique per actus internos. 1. Joa. 4. v. 11. dicitur: *Si sic Deus dilexit mundum, & nos debemus alterutrum diligere*, utique consimili actu interno. Apostolus 2. Cor. 6. dicit: *In omnibus exhibeamus nos in charitate non ficta*, sicut 1. Tim. 1. v. 5. dicitur: *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Ergo sicut *fides non ficta* requirit actum formalem internum, ita etiam requirit actum internum *charitas non ficta*. Ac certe videtur per se clarum; essentialia nostræ religionis præcepta non sapere meram hypocrisin, dum actus externi non corresponderent cum actu interno, si sufficiunt ad implendum charitatis erga proximos præceptum soli actus externi.

Quæritur 8. Quandonam sit eliciendus actus charitatis internus erga proximos?

Respondeo. Ille actus internus eliciendus est saltem *virtualiter* & *implicite* quoties datur obligatio eliciendi actum charitatis erga Deum.

Ratio est, quia, prout qq. 2. ostensum est, datur una eademque charitas erga Deum & proximum, in quantum proximus est aliquid pertinens ad Deum, & aliquid dilectum a Deo. Cum ergo homo in actu charitatis erga Deum proponat omnia amare, quæ Deus amat, & quæ ad Deum pertinent, necessario in illo amore Dei *virtualiter* ac *implicite* involvitur amor proximi.

Respondeo 2. Actus internus *explicitus* charitatis erga proximum datur, quoties datur obligatio ad actum charitatis externum.

Ratio est, quia ex Apostolo 2. Cor. 6. ostensum est, quod charitas debeat esse *non ficta*. Ergo quandocunque recurrente occasione urget obligatio exhibendi proximo actum charitatis externum, datur etiam obligatio exhibendi actum charitatis internum.

Respondeo 3. Datur etiam gravis obligatio eliciendi actum charitatis internum, quando datur obligatio retractandi odium internum proximi, vel quando datur gravis tentatio assentiendi odio aut inimicitiæ adversus proximum, quæ per solum dissensum negativum deponi aut animo expelli non possit. *Ratio* est, quia retractatio ejusmodi odii fieri nequit sine positivo motivo & proposito tendente in actus oppositos, v. g. arcendi a proximo omnia mala, qualia sunt etiam actus interni odii, rancoris, invidiæ, &c. Hoc enim propositum est formalissime actus charitatis; sicut *constans ac perpetua voluntas tribuendi cuique jus suum* est justitia, & *constans ac perpetua voluntas exhibendi Deo actus amicitiæ practicos* est charitas. Tentationem autem periculosam assentiendi odio fovere in animo, illam per actum charitatis positivum non excludendo, est grave peccatum, quia talis interpretative amat tentationem & periculum grave.

Quæritur 9. An Concionatores aut Parochi graviter peccent, toto ferme anno prædicando de rebus non præceptis, vix unquam autem aut raro inculcando præceptum & naturam charitatis internæ erga proximum in hoc mundo?

Respondeo. Peccant gravissime. *Id probatur*. Concionatores & Parochi tenentur illud frequenter inculcare & explanare, quod Deus non solum frequenter, sed etiam perpetuo inculcat in Scriptura tanquam præceptum Religionis Christianæ omnium *essentialissimum*, & *summe necessarium*, & Christianorum *characteristicum*. Sed hoc est præceptum charitatis internæ. Ergo; min. probatur ex variis textibus Scripturæ, quos ea de causa distincte pono, ut studiosis Theologiæ Moralis hæc lex melius imprimatur, quia apud plerosque propterea videtur neglectior, eo quod in juventute, ubi traduntur præcepta morum, non distincte imprimatur.

1. Christus Matth. 22. dicit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.*

Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & prophetæ.

2. *Idem* Marci 12. v. 30. ait: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto „corde tuo &c. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est „illi. Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud „mandatum non est. Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est „alius præter eum; & ut diligatur ex „toto corde &c. & diligere proximum „tanquam seipsum majus est omnibus „holocautomatibus & sacrificiis. Jesus „autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: non es longe a regno Dei.

3. *Christus* Joan. 13. post ultimam cœnam ultima exhortatione discipulis valedicens ait: „Filioli, adhuc modicum (*tempus*) vobiscum sum. Mandatum novum do vobis, ut diligatis „invicem: sicut dilexi vos, ut & vos „diligatis invicem. In hoc cognoscent „omnes, quia discipuli mei estis, si „dilectionem habueritis ad invicem." Et in eodem Sermone post cœnam c. 15. „Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si „præcepta mea servaveritis, manebitis „in dilectione mea; sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo „in ejus dilectione. Hoc est præceptum „meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem „nemo habet, quam ut animam suam „ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego „præcipio vobis. Hæc mando vobis, „ut diligatis invicem.

4. *Christus* Matth. 7. v. 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.*

5. *Idem* Lucæ 6. v. 27. „Vobis dico, qui auditis. Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui vos oderunt. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos. „Et qui te percutit in maxillam unam, „præbe illi & alteram. Et ab eo, qui „aufert tibi vestimentum, (*in gravissima necessitate*) etiam tunicam noli „prohibere. Omni autem petenti te, „tribue, (*si rationabiliter petat, & tu rationabiliter possis dare.*) Et qui aufert, quæ tua sunt (*in gravissima necessitate*) ne repetas. Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos „facite illis similiter. Et si diligitis „eos, qui vos diligunt, quæ vobis est „gratia? Nam & peccatores diligentes „se diligunt. Et si benefeceritis his, „qui vobis benefaciunt, quæ vobis est „gratia? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros; benefacite & mutuum date, „nihil inde (*auctarii*) sperantes; & „erit merces vestra multa, & eritis „filii altissimi, quia ipse benignus est „super ingratos & malos. Estote ergo „misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite judicare, & non „judicabimini, nolite condemnare, & „non condemnabimini. Dimittite, & „dimittemini. Date & dabitur vobis. „Mensuram bonam & confertam, & „coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

6. *Idem* Matth. 25. scribens formam extremi judicii ait: „Congregabuntur „ante eum omnes gentes, & separabit „eos ab invicem, sicut pastor segregat „oves ab hœdis. Et statuet oves a dextris suis, hœdos autem a sinistris. „Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus „erunt: Venite benedicti Patris mei, „possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, & „dedistis mihi manducare; sitivi, & „dedistis mihi bibere; hospes eram & „collegistis me; nudus & operuistis me; „infirmus & visitastis me; in carcere „eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine, „quando vidimus te esurientem, & pavimus; sitientem, & dedimus tibi potum?

„ tum? Quando autem te vidimus hospitem & collegimus te, aut nudum, „ & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & „ venimus ad te? Et respondens Rex „ dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis „ minimis, mihi fecistis. Tunc dicet „ & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi & non „ dedistis mihi potum. Hospes eram & „ non collegistis me, nudus & non operuistis me; infirmus & in carcere, „ & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, „ aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, „ & non ministravimus tibi? Tunc „ respondebit eis dicens: Amen dico „ vobis, quamdiu non fecistis uni de „ minoribus his, nec mihi fecistis. Et „ ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.

7. *Idem* Matth. 9. cum reprehenderetur, quod cum publicanis manducaret, ait: *Discite, quid est; misericordiam volo, & non sacrificium*. Alludit hoc loco Christus ad illud Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium*.

8. *Idem* Lucæ 10. interrogante quodam Legisperito: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* ait: In lege quid legis? ad quod respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. & proximum tuum sicut teipsum*. Dein dixit Jesus: *Recte respondisti. Hoc fac, & vives*. Cumque ille denuo interrogaret; *Et quis est meus proximus?* proposuit illi Christus parabolam de incidente in latrones, *qui despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt semivivo relicto. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterivit. Similiter & Levita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est; & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum, & imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, & curam ejus igit. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum: ait illi Jesus: vade & fac tu similiter*.

9. *Idem* Matth. 12. cum Pharisæi reprehenderent discipulos, eo quod esurientes in Sabbato vellerent spicas, ait. *Si sciretis, quid est;* [quod Oseæ 6. scriptum est) *Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes*.

Similibus textibus, quibus inculcantur opera charitatis & misericordiæ, plena est Scriptura. Peccant ergo graviter Concionatores & Parochi, qui conformiter ad hanc perpetuam instantiam divinam legem charitatis instanter urgere negligunt.

§. III.

De observando ordine charitatis erga proximum.

QUæritur 1. Quis ordo charitatis observandus sit erga proximum?

Respondeo. Generalis Regula hæc est. 1. Ut salus animæ in proximo præferatur *per se* omnibus emolumentis corporis proprii. 2. Ut inter proximos præferantur illi, qui arctiori vinculo societatis humanæ nobis conjuncti sunt. Id *Probatur* authoritate & ratione S. *Augustini*, qui l. 1. de doct. Christ. c. 27. sic scribit: „ Ille juste & sancte vivit, „ qui rerum integer æstimator est. Ipse „ autem est, qui ordinatam dilectionem „ habet, ne aut diligat, quod non est „ diligendum, aut non diligat, quod est „ diligendum, aut amplius diligat, quod „ minus est diligendum; aut æque diligat, quod vel minus vel amplius „ diligendum est; aut minus vel amplius, quod æque diligendum est. „ Omnis peccator, in quantum pecca-

„ tor

„ tor est, non est diligendus. Et omnis „ homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum; Deus vero „ propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius „ quisque debet eum diligere, quam seipsum Item. amplius alius homo diligendus est, quam corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & „ potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia „ corpus per animam vivit, qua fruimur Deo. Omnes autem homines „ æque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis; his potissimum consulendum est, qui pro locorum vel temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quadam sorte junguntur. Idem docet S. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 1. ad 1. ubi ait: *Cum dicitur proximus magis esse diligendus, quam corpus proprium, intelligitur hoc quantum ad animam, quæ est potior pars ejus.*

Quæritur 2. An salus animæ in proximo semper sit præponenda incolumitati aut vitæ proprii corporis.

Respondeo. Homo tenetur *per se* etiam propriam vitam sacrificare pro salute animæ alienæ, quandocunque illa salus aliter obtineri, aut prudenter sperari nequit, & ex sacrificio, aut periclitatione propriæ vitæ illa aliena salus certa fit. *Ratio* est, quia salus æterna unius animæ est eminenter majus bonum extrinsecum Dei, quam temporalis vita proprii corporis. Ergo, cum homo ex charitate teneatur in rebus momenti magni præferre emolumenta divinæ gloriæ commodis propriis, *per se* obligabitur ad præferendam salutem animæ alienæ certam vitæ propriæ. *Dixi*, *per se*. Ad hoc enim non obligatur *per accidens*. 1. Si homo non sit in statu gratiæ, & dubitet, an per contritionem perfectam se possit interea in casu repentino mortis constituere in statum gratiæ. 2. Si homo ipsemet habeat grave onus peccatorum in purgatorio luendum, quod sperat longiori vita expungi posse. In tali enim casu Deus lege amicitiæ non censetur obligare ad procurandam sibi ex aliena salute auctionem gloriæ, si hoc non nisi cum tanta difficultate fieri potest. 3. Si homo exponendo suam vitam pro aliorum salute timeat periclitari de salute propria, v. g. prædicando turcis, gentilibus, meretricibus, hæreticis &c. Ordinata enim charitas erga Deum exigit certiorationem salutis propriæ. 4. Si homo videat, se plus posse operari ad gloriam Dei & salutem plurium animarum, si interea suam vitam in tuto conservet. Si incertum sit, an expositione vitæ propriæ obtineri queat aliena salus. 6. Si proximus jam sit adultus, & possit ipsemet per contritionem vel aliam viam se constituere in statu salutis, dummodo velit. 7. Quando homo a tali cooperatione ad salutem alienam prohibetur alia lege naturali, v. g. si sit subditus, & conservationem vitæ suæ debeat uxori, liberis, communitati, Reipublicæ &c. Tunc enim tenetur vitam suam servare in bonum temporale & spirituale eorum, quibus obligatur vel ex obedientia, vel ex contractu. 8. Quando concurrunt tales circumstantiæ personales, ut homini videatur nimis difficile, ita suam vitam profundere ob salutem alienam. Lex enim amicitiæ inter Deum & hominem sic comparata est, ut non obliget ad nimis ardua pro cujusque captu, dispositione, fortitudine vel pusillanimitate, præjudiciis. Hinc sequitur; in praxi hanc obligationem pro casu particulari relinquendam esse cujuslibet proprio judicio, ut locum habeat illud Apostoli. *Quilibet in suo sensu abundet*. Rom. 14. Consequitur; etiam ob tot effugia & tot causas excusantes per accidens vix aliam in hac re regulam generaliter statui posse pro obligatione indispensabili, quam Regulam S. *Thomæ*, ut tunc homo censeatur obligatus ad exponendam vitam propriam pro aliena salute, quando cura salutis alienæ illi vel ex natura status vel ex contractu ea districtione demandata est. Hic enim verborum S. Doctoris sensus est, dum 2. 2. q. 26. a 5. ad 3. sic scribit: *Dicendum, quod cuilibet homini immi-*

net cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura da salute proximi, nisi forte in casu. Et ideo non est de necessitate charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.

Quæritur 3. Quinam possint esse casus practici, in quibus homo tenetur vel non tenetur exponere vitam suam pro salute proximi?

Respondeo. Casus practici possunt esse sequentes. 1. Si mater ægrota prævideat se morituram, nisi sumat medicinam, directe quidem operantem adversus radicem morbi, sed ex qua medicus judicat probabilius interiturum sine baptismo infantem in utero, tenetur potius mori, quam sumere medicinam, nisi medicus judicet, æquale fore periculum infantis, si mater moriatur non sumpta illa medicina. *Ratio* est, quia mater jure naturali tenetur habere curam pro salute infantis; & ea obligatio est annexa statui conjugali, ut liberi potius generentur Deo, quam mundo. Hocque verum est, etiamsi per mortem matris præjudicetur marito, aliis liberis, aut religioni, quæ fulcrum amitteret. Quia illud jus naturale personale recte a divina sapientia scribi potest, & decenter acceptatur a contracturis matrimonium. 2. Si conjux prævideat se morituram ex conceptu novæ prolis, eo quod habeat magnam rupturam, & jam in prioribus partibus luctata fuerit periculosissime cum morte, tenetur viro instanter petenti debitum, & periclitanti de incontinentia, reddere debitum. *Ratio* est, quia hæc lex sapienter scribitur a Deo & decenter acceptatur a conjugandis. 3. Si mater proxime moritura ex morbo credat, infantem in utero sine baptismo interiturum, nisi patiatur sectionem, nec tenetur nec potest admittere illam sectionem, etiamsi expectaretur unicus hæres regni, alioquin bello discindendi. *Ratio* est, quia lege naturali anticipata, nec subjecta glossis vel Epikiis humanis, prout in Tract. *de Legibus* ostensum est, prohibitum est, cooperari ad occisionem suiipsius. 4. Parochus non tenetur cum præsentissimo vitæ periculo transire torrentem exundantem ad providendum moribundum, vel baptizandum infantem alio baptizante destitutum. Quia prior obligatio non est juris naturalis; posterior autem in parocho, plurium saluti necessario, habet excusationem, vel certe ipsa difficultas recipiendi in se improviso tam durum genus mortis, cujus præsentissimo periculo se exponeret, nec injungitur a Deo lege amicitiæ, nec comprehendi censenda est in contractu vel officio inito. 5. Tenentur tamen non solum Parochi, sed quivis alii sacerdotes cum præsentissimo vitæ discrimine assistere moribundis tempore pestis. *Ratio* est, quia hæc obligatio debuisset ab Episcopo imponi in ipsa collatione potestatis in corpus Christi Mysticum, si de hoc fuisset cogitatum. Ergo tacite imposita est in ipsa ordinatione. Episcopus enim tenetur modo meliori quo potest providere suis ovibus, Ergo eos, qui se Jurisdictioni Ecclesiasticæ in Ordinatione subjiciunt, tenetur obligare ad tale subsidium in casu necessitatis. 6. Si quis cum periculo aut certo detrimento vitæ suæ possit conservare veram religionem integræ provinciæ, aut eidem sic veram Religionem invehere; ad id obligatur. *Ratio* est, quia ad hoc sapienter potest Deus obligare lege amicitiæ ob maximum excessum emolumentorum divinæ gloriæ præ bono corporali vitæ particularis propriæ.

Quæritur 4. An omnes proximi, saltem quoad affectum internum, sint æqualiter diligendi?

Respondeo. Proximi juxta eorum diversam conjunctionem, quam nobiscum habent, non tantum sunt inæqualiter diligendi *quoad affectum externum*; sed etiam *quoad affectum internum*. Id eleganter probat D. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 6. c. ex eo, quia gratia affectum internum movet modo proportionato ad objectum externum. „ Dicendum, *inquit*, „ quod duplex opinio circa hoc fuit.
„ Qui-

„ Quidam enim dixerunt, quod omnes „ proximi sunt æqualiter ex charitate „ diligendi quantum ad affectum, sed „ non quantum ad exteriorem effectum, „ ponentes, ordinem dilectionis esse in- „ telligendum secundum exteriora bene- „ ficia, quæ magis debemus impendere „ proximis, quam alienis; non autem „ secundum interiorem affectum, quem „ æqualiter debemus impendere omni- „ bus, etiam inimicis. Sed hoc irra- „ tionabiliter dicitur. Non enim mi- „ nus est ordinatus affectus charitatis, „ qui est inclinatio gratiæ, quam ap- „ petitus naturalis, qui est inclinatio „ naturæ. Utraque enim inclinatio „ ex divina sapientia procedit. Videmus „ autem in naturalibus, quod inclina- „ tio naturalis proportionatur actui vel „ motui, qui convenit naturæ unius- „ cujusque; sicut terra habet majorem „ inclinationem gravitatis, quam aqua, „ quia competit ei esse sub aqua. Opor- „ tet ergo, quod etiam inclinatio gra- „ tiæ, quæ est affectus charitatis, pro- „ portionetur his, quæ sunt exterius „ agenda, ita scilicet, ut ad eos inten- „ siorem charitatis affectum habeamus, „ quibus convenit nos magis beneficos „ esse. Et ideo dicendum est, quod etiam „ secundum affectum oportet magis unum „ proximorum, quam alium diligere. ita S. Thomas. *Si quis objiciat*, quod juxta S. Augustinum l. 1. de doct. christ. c. 28. *Omnes homines æque diligendi sint*. *Respondet* idem S. Doctor l. c. *ad* 1. id verum esse *quoad bonum finale*, & *quoad amorem benevolentiæ*, quo omnibus volumus Deum: sed id verum non esse *quoad amorem beneficentiæ*, & *quoad bona vialia*, & *quoad intensionem affectus*, quo uni magis quam alteri benefacere inclinamur.

Quæritur 5. Utrum teneamur magis diligere *meliores*, quam *conjunctiores?*

Respondeo. Distinguendum esse *quoad majoritatem boni finalis*, quod ex charitate proximis volumus, & *quoad majoritatem boni vialis*, *vel majoritatem intensionis*, qua proximis bona volumus. Quoad majoritatem boni finalis tenemur melioribus velle majus bonum finale, nempe majorem gradum beatitudinis finalis; quia tenemur voluntatem nostram conformare divinæ justitiæ, quæ melioribus majorem gradum beatitudinis tribuit. *Sed quoad majoritatem bonorum vialium*, quæ perducunt ad æternam beatitudinem, & *quoad majoritatem intensionis* ex parte affectus *per se* tenemur magis diligere conjunctiores, quam meliores. Nam inprimis possumus & debemus conjunctiori *minus bono majori intensione* velle minorem gradum beatitudinis finalis ejus meritis correspondentem, quam *meliori* volumus majorem gradum beatitudinis finalis. Secundo, cum ille, qui nunc est minus bonus, possit fieri melior, possumus & debemus conjunctiori velle, ut fiat alio melior. Tertio cum ad conjunctiores detur quædam amicitia particularis in genere virtutis moralis, socialis seu politicæ, quæ virtus amicitiæ moralis est subordinata charitati supernaturali, utpote quæ recte ordinat ac imperat omnes virtutes etiam morales, manifestum est, quod etiam *relate ad bona amicitiæ particularis* magis debeamus diligere conjunctiores, quam meliores. Ita quoad rem docet S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 7. c. *Dixi*, *per se*; nam si in consanguineo reperiatur tanta malitia, quæ amicitiam naturalem tollat vel minuat, illi meliores in amore præferendi sunt. Sic enim S. *Ambrosius* l. 1. de offic. c. 7. docet, quod *boni domestici sunt malis filiis præponendi*. Idem insinuat S. Thomas infra qq. 8. referendus.

Quæritur 6. Utrum inter eos, qui nobis nullatenus, vel æqualiter conjuncti sunt, debeamus magis diligere meliores?

Respondeo. Ubi cætera sunt paria, nempe æqualis conjunctio & indigentia, ordo charitatis dictat, ut non tantum speculative per amorem benevolentiæ, sed etiam practice per amorem beneficentiæ magis diligamus eos, quos magis diligit Deus, & unde speramus majora gratitudinis reciprocæ per eorum intercessionem ad Deum suffragia.

Quæritur 7. Utrum magis teneamur diligere conjunctos sanguine, quam conjunctos alia societate civili aut spirituali?

Resp.

Respondeo. In omni genere conjunctionum, quæ oriuntur ex contractu, quoad pertinentia ad contractum tenemur eos magis diligere, qui juncti sunt ex contractu, quam consanguineos. Quoad alia vero pertinentia ad necessitatem & honestatem naturæ, puta quoad sustentationem & honorem personarum tenemur magis diligere consanguineos, in quantum non impedit justa obligatio inita ex contractu. Ita quoad rem S. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 8. ubi sic scribit: „ Dicendum, quod illi, qui sunt nobis „ magis conjuncti, sunt ex charitate „ magis diligendi. Diversorum autem „ dilectio est mensuranda secundum di„ versam rationem conjunctionis, ut „ scilicet unusquisque diligatur magis in „ eo, quod pertinet ad illam conjun„ ctionem, secundum quam diligitur. „ Amicitia autem consanguineorum fun„ datur in conjunctione naturalis origi„ nis; amicitia concivium in commu„ nione civili, & amicitia commilitan„ tium in communicatione bellica. Et „ ideo in his, quæ pertinent ad natu„ ram, plus debemus diligere consan„ guineos; in his autem, quæ pertinent „ ad civilem conversationem, plus de„ bemus diligere concives; in bellicis „ plus commilitones.

Et *ad* 1. „ Quia amicitia sociorum „ propria electione contrahitur in his, „ quæ sub nostra electione cadunt, præ„ ponderat hæc dilectio dilectioni con„ sanguineorum, ut scilicet magis cum „ illis consentiamus in agendis. Ami„ citia tamen consanguineorum præva„ let in his, quæ ad naturam spectant. „ Unde magis tenemur eis in provisio„ ne necessariorum.

Et *ad* 2. ubi ex D. Ambrosio l. 1. de officiis c. 7. objicitur ille textus. „ Non „ minus vos diligo, quos in Evangelio „ genui, quam si in conjugio suscepis„ sem. Non enim vehementior est na„ tura, quam gratia." S. Doctor sic respondet: „ Dicendum, quod Ambro„ sius loquitur de dilectione quantum ad „ beneficia, quæ pertinent ad commu„ nicationem gratiæ, scilicet de instru„ ctione morum. In hac enim magis „ debet homo subvenire filiis spiritua„ libus, quos spiritualiter genuit, quam „ filiis corporalibus, quibus tenetur ma„ gis providere in corporalibus subsi„ diis.

Et *ad* 3. Ex hoc, *quod Duci exercitus magis obeditur in bello, quam Patri, non probatur, quod simpliciter pater minus diligatur; sed quod minus diligitur secundum quid, id est, secundum dilectionem bellicæ communicationis*.

Quæritur 8. An homo teneatur magis diligere patrem, quam filium?

Respondeo. In articulo necessitatis homo tenetur magis succurrere patri quam filio, at extra articulum necessitatis, tenetur homo patri plus deferre reverentiæ & honoris, sed filio plus subsidii. *Ratio prioris* est, quia obligatio patri debita est *anterior*, & semper etiam in emancipatione *tacite modificata sub clausula*; ut sibi in articulo necessitatis præstentur necessaria. Id enim natura omnia animalia, & omnes gentes, & omnes status etiam mendicabulorum docuit. *Ratio posterioris* est, quia homo per conjugium init cum uxore contractum de communione bonorum in favorem liberorum, quem contractum ratum habere parentes jure naturæ tenentur. Responsio quoad rem est D. *Thomæ* 2. 2. q. 26. a. 9. ad 1. ubi ait: *Parentibus a filiis magis debetur honor; filiis autem magis debetur cura provisionis*. Et *ad* 3. *Ad patrem proprie pertinet, ut ei a filiis honor impendatur; ad filium autem, ut ejus utilitati a parentibus provideatur; quamvis in articulo necessitatis filius obligatus sit ex beneficiis susceptis, ut parentibus maxime provideat*.

Quæritur 9. An pater sit magis diligendus, quam mater?

Respondeo. *Per se* loquendo pater est magis diligendus, quam mater. Sic enim etiam in Scriptura semper nomen patris præponitur nomini matris, & liberorum, v. g. Matth. 10. & 15. *Ratio* est, quia origo geniti principaliter est adscribenda patri. Licet enim in generatione tam pater quam mater active concurrant; mater tamen sua activitate solum eousque se extendit, ut ministret

ma-

materiam passivam aptam ad formationem embrionis humani, nempe ex suo ovario in matricem transvehendo ovulum; econtra pater sua activitate per spiritus genitales contentos in semine virili, & per virtutem plasticam in illis spiritibus contentam ac transfusam foecundat illam materiam seu ovula, eos vel per poros matricis & ovarii, & tunicarum ad materiam foecundandam propellendo, vel ab illa materia attrahendos ministrando.

Dixi, *per se*, nisi videlicet ex parte patris concurrat extraordinaria malitia, quæ tollat aut minuat amicitiam paternofilialem, aut ex parte matris extraordinaria beneficentia, cui debetur specialis gratitudo, & quæ auget amicitiam maternofilialem. Ita respondet S. Thomas 2. 2. q. 26. a. 10. c. ubi ait: *In istis comparationibus id, quod dicitur, est intelligendum per se, ut videlicet intelligatur esse quæsitum de patre, in quantum est pater, an sit plus diligendus matre, in quantum est mater? Potest enim in omnibus hujusmodi tanta esse distantia virtutis & malitiæ, ut amicitia solvatur vel minuatur. Et ideo ut Ambrosius dicit: Boni domestici sunt malis filiis præponendi. Sed per se loquendo pater est magis amandus, quam mater. Amantur enim pater & mater, ut principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principii, quam mater: quia pater est per modum principii agentis; mater autem magis per modum patientis & materiæ.* Et *ad* 1. *In generatione hominis mater ministrat materiam corporis informem, formatur autem per virtutem formativam, quæ est in semine patris. Et quamvis hujusmodi virtus non possit creare animam rationalem; disponit tamen materiam corporalem ad hujusmodi formæ susceptionem.* Ita S. Thomas. *Idem* tamen concedit, quod relate ad matrem in filiis reperiatur aliud quoddam genus specialis dilectionis, in quantum matres solent tenerius diligere suos liberos, quam pater. Illarum enim generatio laboriosior est, & certior, eo quod certius sciant, quinam liberi sint sui, quam pater. *Alia*, inquit l. c. *ad* 2. *est species amicitiæ, qua diligimus amantem, & alia, qua diligimus generantem.*

Si quis dicat, eo ipso, quod in matre concurrant duæ amicitiæ, matrem in amore esse præferendam practice.

Respondeo, id non sequi; quia originatio principii, quæ est in patre, est tantæ excellentiæ, ut præponderet pluribus imperfectioribus titulis amoris etiam simul sumptis. Dein specialis labor & amor matrum non est ipsis liber, sed necessarius & naturalis; adeoque illi non correspondet specialis actus amoris amicitiæ liber & practicus, nisi *negativus*, ne ob eum specialem laborem & amorem naturalem offendatur.

Quæritur 10. An homo teneatur plus diligere uxorem quam patrem & matrem?

Respondeo. Distinguendum esse. Nam parentibus exhibenda est major reverentia practica seu subventio in casu necessitatis ex bonis propriis, puta paraphernalibus, vel industrialibus; sed intensior dilectio & major subventio ex bonis communibus exhibenda est uxori. Ita quoad rem videtur docere S. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 11. Cæterum ad industrialia bona etiam revocari possunt parsimonialia, quæ uxores vel mariti licite consumere possent pro honesta refocillatione, donatione, remuneratione, operariorum, vel ancillarum conductione &c. more aliorum maritorum vel uxorum, æqualis conditionis. Item huc revocandæ sunt moderatæ largitiones pauperi patri vel matri per modum eleemosinarum factæ. S. *Thomas* l. c. sic scribit: *Secundum rationem conjunctionis magis diligenda est uxor; quia uxor conjungitur viro, ut una caro. Et ideo intensius diligitur uxor. Sed major reverentia est parentibus exhibenda.* Et *ad* 1. ubi objicitur illud Gen. 2. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori. Dicendum; quod non quantum ad omnia deseritur pater & mater propter uxorem. In quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus quam uxori. Sed quantum ad unionem carnalis copulæ & cohabitationis relictis omnibus parentibus*

homo adhæret uxori. Et *ad* 3. *In amicitia paterna* (antiquiore & naturali) *inveniuntur multæ rationes dilectionis* (seu diligendi) *& quantum ad aliquid præponderant rationi dilectionis*, *quæ habetur ad uxorem*. Et *ad* 4. ubi objicitur illud Apostoli : *Viri diligite uxores vestras*, *sicut & Christus Ecclesiam*. - - *Viri debent diligere uxores suas*, *ut corpora sua*. - - *Unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*. Ergo sicut in casu æqualis necessitatis quisque præferret seipsum patri, ita etiam uxorem ; S. Doctor sic respondet : *Illud*, *sicut*, *non importat æqualitatem*, *sed rationem dilectionis*. *Diligit enim homo uxorem suam principaliter ratione carnalis conjunctionis*. Recte hoc loco S. Thomas observat, in textu Apostoli non urgeri æqualitatem rationis. Revera enim obligatio præferendi uxorem in ejusmodi casu necessitatis parentibus, non fundatur in natura dilectionis, sed in contractu matrimoniali, ab ipsis parentibus saltem tacite approbato. In hoc enim contractu parentes jure naturali obligantur ad aliquid remittendum de suo jure, alioquin vi dilectionis & paternitatis vel maternitatis debito. Ex eodem emancipationis contractu censeo inferendum, quod, si parens ex aliquo scelere non repentino, sed habituato, & diu præmeditato, v. g. rebellionis, latrocinii, furti, peculatus, &c. incurrerit pœnam mortis, vel exilii, & filius aut filia parentem taliter scelere habituato infectum a mortis vel exilii supplicio liberare non posset sine notabili præjudicio uxoris, vel liberorum, ne quidem ex bonis paraphernalibus aut industrialibus daretur obligatio succurrendi. Nam jus naturale parentum requirendi a liberis subsidium non honeste comprehenderet hunc casum, si esset paciscendum inter patrem & filium emancipandum verbis explicitis. Quod autem non honeste exprimitur, nec tacite in contractu naturali continetur.

Quæritur II. An homo magis teneatur diligere suum benefactorem, quam beneficiatum a se?

Respondeo. Si beneficia a benefactore accepta sunt respective ingentia, tenetur magis amare benefactorem, quam beneficiatum quemcunque. *Ratio* est, quia erga benefactorem contrahitur specialis obligatio gratitudinis, inter cujus actus varios primarius actus est amor reciprocus, ut patet ex illa modesta reprehensione Corinthiorum, ubi Apostolus 2. Cor. 12. v. 15. scribit : *Ego libentissime impendam & superimpendar pro animabus vestris* ; *licet plus vos diligens minus diligar*. Econtra si beneficia a benefactore impensa sunt respective exigua, & beneficia beneficiato impensa sunt respective ingentia ; decet magis diligi beneficiatum, quam benefactorem, dummodo etiam benefactori par beneficio reddatur gratitudo. Obligatio enim gratitudinis *est jure naturæ rigorosa*. Obligatio autem amandi beneficiatum *non est rigorosa* sub gravi peccato, sed tantum *decentiæ*. Ita quoad rem videtur sentire D. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 12. ad 3. ubi ait : *Deus plus non diligit*, *quam nos eum diligamus*. *Et parentes plus diligunt filios*, *quam ab eis diligantur*. *Nec tamen oportet*, *quod quoslibet beneficiatos plus diligamus quibuslibet benefactoribus*. *Benefactores enim*, *a quibus maxima beneficia recepimus*, *scilicet Deum & parentes*, *præferimus his*, *quibus aliqua minora beneficia impendimus*.

§. IV.

De dilectione inimicorum.

QUæritur I. An detur obligatio diligendi inimicum in Novo testamento?

Respondeo. Certum est, in novo Testamento dari rigorosam obligationem diligendi inimicos.

Id probatur ex variis textibus Scripturæ. 1. *Christus* Matth. 5. dicit : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum*, *non intrabitis in regnum cœlorum*. *Audistis*, *quia dictum est* [juxta Traditionem corruptam Scribarum & Pharisæorum] *Diliges proximum tuum* ; *& odio habebis inimicum tuum*. *Ego autem dico vobis* :

Di-

Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos; ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super justos & injustos. In hoc textu promissio filiationis alligatur dilectioni inimicorum. Rationem *Christus* addit; quia mercedem essentialem filiorum Dei, quales in N. T. fiunt, non possunt sperare qui in dilectione proximi non patrem cœlestem, sed tantum peccatores publicos & Gentiles imitantur. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? Nonne & publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est*, [si vultis esse adoptati in sortem filiorum Dei].

2. *Christus* Matth. 6. ad omnes dicit: *Sic ergo orabitis: Pater noster -- & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus; nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Idem textus Marc. 11. sic habetur: *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.*

3. *Apostolus* ad Rom. 12. enumerans virtutes christianas, ad quas tendit, & pro diversa exigentia circumstantiarum etiam obligat charitas Dei & proximi ordinata, ait: *Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere; nulli malum pro malo reddentes; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes; non vos metipsos defendentes* [hoc est, ut in Græco textu habetur, vindicantes; ἐκδικοῦντες] *sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam* (in hoc & altero mundo pro malefactis digna peccati stipendia) *dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis* (inflammantes ad reciprocam charitatem) *congeres super caput ejus. Noli vinci a malo; sed vince in bono malum.*

Quæritur 2. An etiam in Veteri Testamento jam extiterit obligatio diligendi inimicos?

Respondeo. Ea obligatio jam extitit in Veteri Testamento per legem divinam. Sic 1. In Exodo c. 23. v. 4. dicitur: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.* 2. Proverb. 25. vers. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; & si sitierit, da ei aquam bibere.* 3. Proverb. 20. v. 22. *Ne dicas; reddam malum; expecta Dominum & liberabit te.* 4. Proverb. 24. v. 17. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* 5. Eccles. 28. *Qui vindicari vult* (liberari ab inimico) *a Domino inveniet vindictam* (liberationem,) *& peccata illius servans servabit. Relinque* (dimitte) *proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum & desine inimicari, tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Memorare testamentum altissimi, & despice ignorantiam proximi.* Hæc perfecte consonant cum lege & exemplo Christi; dum in cruce Luc. 23. orat: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*; & dum S. Petrus Act. 3. v. 17. ait: *Scio, quia per ignorantiam fecistis*, & dum S. Paulus Act. 17. v. 30. dicit: *Tempora hujus ignorantiæ despiciens Deus nunc annuntiat pœnitentiam.* Sic etiam Matth. 5. Christus dicit: „ Si offers munus tuum „ ad altare, & ibi recordatus fueris, „ quia frater tuus habet aliquid adver-

„ sum

„ sum tes; relinque ibi munus tuum „ ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer „ munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum „ eo; ne forte tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & „ in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

Quæritur 3. An obligatio diligendi inimicos jam extiterit in lege naturæ?

Respondeo. Obligatio diligendi inimicos jam extitit in lege naturæ, ac consequenter est legis naturalis.

Id probatur ex eo, quia *Job*, qui adhuc fuit in lege naturæ, prout suppono, postquam enumeraverat varia gravissima scelera, inter ea etiam ponit odium inimicorum. *Si gavisus sum*, inquit, *ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus*. *Ratio* autem est, quia ipsemet Deus non gaudet in vindicta, dum punit in hoc mundo, sed tantum intendit conversionem hominum, Sic Ezech. 18. v. 23. dicitur: „ Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit „ Dominus, & non ut convertatur & „ vivat? *Et v.* 32. Nolo mortem morientis; revertimini & vivite. *Et c.* „ 33. *v.* 11. Vivo ego, dicit Dominus „ Deus, nolo mortem impii, sed ut „ convertatur, & vivat. *Et Sapientiæ* „ 12. O quam bonus & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus! ideoque eos, qui exerrant, partibus (*gradatim*) corripis, & de quibus peccant „ admones & alloqueris, ut relicta malitia credant in te Domine. Illos „ enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam „ odibilia opera tibi faciebant, perdere „ voluisti. Sed & his *tanquam hominibus* perpercisti, & misisti antecessores „ exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent; non quia impotens eras, eos simul exterminare, sed „ partibus judicans dabas locum pœnitentiæ. - - Tu autem cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. Docuisti autem „ populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos, „ quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos „ servorum tuorum & debitos morti „ cum tanta cruciasti attentione, dans „ tempus & locum, per quæ possent „ mutari a malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos! Cum ergo „ nobis das disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus, judicantes, „ & cum de nobis judicatur, speremus „ misericordiam tuam, " Ita author hujus libri. Ex his colligitur, Deum, dum inimicos nostros punit, duos fines intendere; primo illorum correctionem, secundo nostram instructionem, ut divinis his amenis moribus animum nostrum conformemus juxta illud naturale principium Sapientis; *Sequere Deum*, hoc est, *imitare Deum*. Itaque jure naturali dilectio inimicorum, quia & ipsi homines sunt, versatiles in bonum, nobis præcepta est.

Quæritur 4. An liceat inimico optare malum temporale ad ejus emendationem, vel ad propriam liberationem ab ejus infestatione?

Respondeo. *Non licet optare, quod non licet inferre*. Hæc responsio est summi momenti, quia contraria opinio ferme universim invaluit a tempore D. Thomæ male, ut videtur, intellecti.

Probatur 1. Illud non licet inimico optare, quod, ut fiat, non licet a Deo per orationem postulare. Sed non licet a Deo per orationem postulare, ut inimico inferat temporale malum ad ejus emendationem vel propriam liberationem; quod non licet inimico per hominem inferre. Ergo; *m. patet*, quia jubemur orare pro persequentibus & calumniantibus, prout qq. 1. ostensum est. *maj. prob.* Optare nihil aliud est, quam Deum tacite invocare, ut præstet, quod optans cupit.

Probatur 2. Est contra exemplum Christi, Sanctorum, & Patrum Ecclesiæ, opta-

optare sic malum inimico. Ergo præsumendum est, quod sit contra obligationem charitatis Christianæ; *ant. prob.* negative, quia non potest ostendi tale exemplum.

Probatur 3. Si liceret talia mala optare inimico, fideles non tenerentur in publicis precibus Ecclesiæ orare pro temporali prosperitate suorum Imperatorum, Regum, ac Principum, infestantium, vel injuste opprimentium bonos. Sed hoc non potest dici. Ergo; *maj. patet*, quia publice orare pro temporali prosperitate inimici, & privatim optare ejus infelicitatem temporalem foret manifesta hypocrisis, & *ficta charitas*, cum tamen Apostolus 2. Cor. *6.* v. *6.* indiscriminatim omnes diligi præcipiat in multa patientia, in longanimitate, in *charitate non ficta*, *in verbo veritatis*; min. prob. Apostolus 1. Tim. 2. scribit: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes*, *orationes*, *postulationes*, *pro omnibus hominibus*, *pro regibus & omnibus*, *qui in sublimitate constituti sunt*. Hæ orationes publicæ non solum tendebant ad bonum proprium, sed etiam ad temporalem prosperitatem Imperatorum gentilium. Id enim declarat praxis primitivæ Ecclesiæ, & testimonia Patrum, qui scripserunt Apologias pro Religione Christiana. *Tertullianus* in Apologetico c. 30. scribit: *Nos pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum*, *Deum verum*, *Deum vivum*, *quem & ipsi Imperatores propitium sibi præter cæteros malunt*. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis de pectore oramus semper pro omnibus Imperatoribus*, *vitam illis prolixam*, *imperium securum*, *domum tutam*, *exercitus fortes*, *senatum fidelem*, *populum probum*, *orbem quietum*, *quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt*. *Extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore*. *Hic erit crimen*, *ubi veritas & Dei devotio est*. Si Christianis licuisset optare mala temporalia Imperatoribus persecutoribus ad eorum conversionem, & liberationem propriam, ejusmodi protestationes Christianorum fuissent *fictæ*, & *plenæ hypocrisi*. Hinc Tertullianus eam suspicionem exclusurus addit: *Scito*, *præceptum esse nobis*, *etiam pro inimicis Deum orare*, *& persecutoribus nostris bona precari*.

Probatur 4. Quod non licet inimico salva charitate Christiana optare in faciem verbis expressis, id non licet optare in mente. Sed salva charitate non licet inimico in faciem optare hoc modo mala temporalia. Ergo; min. patet: quia nemo suo inimico aperte sine summa offensione diceret; opto tibi, ut contrahas infirmitatem, ut fias claudus cœcus &c. *maj. prob.* quia sic iterum esset *ficta charitas*, si exterius inimico, v. g. uxor marito, vel maritus uxori condoleret propter infirmitatem, & in mente eam optaret.

Probatur 5. Actus, quo optantur inimicis talia mala temporalia, non oritur ex imperio rectæ rationis, sed ex imperio inordinatæ passionis, v. g. vindictæ, vel impatientiæ. Ergo non potest esse licitus; *ant. prob.* Si quis ordinate ex imperio rectæ rationis vellet inimici conversionem, vel suam liberationem, non præscriberet Deo determinate tam violentum medium, sed committeret discretioni divinæ, quem modum inter innumeros modos possibiles judicaret congruentiorem suæ paternæ providentiæ divinæ omnibus benignæ. Id patet ex humanis, si quis pro sua liberatione vel pro filii correctione Principi præscriberet determinate modum castigationis, quo vellet castigari unum ex filiis principis.

Probatur 6. Generali principio D. *Thomæ*, quod ponit. 2. 2. q. 76. a. 1. C. ubi sic scribit; *Scire oportet*, *quod facere aliquid*, *& velle illud*, *se consequuntur* (reciproce) *in bonitate & malitia*. *Unde in istis duobus modis*, *quibus malum* (inimico) *dicitur per modum imperantis*, *vel per modum optantis*, *eadem ratione est aliquid licitum & illicitum*. Ex hoc textu manifestum est, quod facere malum alicui, & optare malum alicui habeant parem malitiam, & quod legitima sit consequentia a malitia unius ad malitiam alterius. Ergo juxta S. Thomam vera est Regula; *quod non licet inferre*, *non licet optare*.

Pro-

Probatur 7. Si liceret inimico optare malum temporale ad liberationem propriam vel alienam ab ejus infestatione, etiam liceret amico optare malum temporale ob utilitatem propriam. Sed hoc non licet. Ergo; min. patet ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI. quarum *Decima tertia* hæc est: *Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. Et Decima quarta. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* Et *Decima quinta. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*; maj. prob. Ratio & authoritas utrinque est eadem. *Ratio est eadem*; quia patroni adversæ sententiæ ideo concedunt optationem ejusmodi malorum, quod optans non intendat malum inimici, sed tantum ejus correctionem & suam liberationem. Sed etiam in casu propositionum damnatarum non intenditur malum alienum, sed tantum suum bonum. Authoritas vero tam pro damnatis propositionibus, quam pro doctrina opposita est eadem, quia D. Thomas, & alii authores, quorum authoritate nituntur adversarii, pro licentia optandi inimico malum non solum allegant liberationem a malo, sed etiam utilitatem. Ergo vi hujus authoritatis licitum foret optare inimico malum causa utilitatis propriæ vel alienæ.

Dices. D. Thomas, & omnes alii Theologi non solum Recentiores sed etiam antiquiores, v. g. *Scotus*, *Durandus*, *Biel* in 3. Sent. dist. 30. docent, quod liceat inimico optare malum, v. g. infirmitatem ad consequendam liberationem a malo. Ergo temerarium est id negare.

Respondeo. Id negandum esse de D. Thoma. Ostendam enim, eum male explicari a Patronis adversæ sententiæ. Quoad alios Theologos, saltem nonnullos, *distinguo*. Docent, sic optare inimico licitum esse *per se*, & *speculative loquendo* tr. *practice loquendo* n. Nam etiam ii, qui adversam doctrinam tenent, negare non audent, in praxi *periculosissimum*, ac consequenter juxta principia in Tract. *de Legibus*, & *de Peccatis* posita, quod teneamur vitare periculum probabile peccati mortalis, illicitum esse sic optare. P. *Joannes Nider* Ord. S. Dom. in suo *Præceptorio* ad Præcept. 5. c. 7. ait: *Ex dictis sequitur, quod homo potest licite velle in casu amico suo malum, scilicet paupertatis, infirmitatis, mortis, vel hujusmodi, dummodo sine rancore fiat, & bona intentione ad bonum peccantis vel communitatis, vel justitiæ, ut Gregorius dicit l. 22. Moralium; sed ut ibidem subdit; ad hæc servanda valde necessarium est subtilissimæ discretionis examen, ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienæ, videlicet æstimantes, nos mala inimicis nostris velle propter eorum correctionem, ubi volumus ex odio, rancore, vel mala affectione. Et statim loquitur de tyranno propter facinora punito. Subtiliter in quo pensare debemus; quid debemus ruinæ peccatoris, & quid justitiæ Dei ferientis. Nam cum perversum quenquam Deus percusserit, condolendum est miseriæ pereuntis, & congaudendum est justitiæ judicis.* Hucusque P. Nider. Ex his autem *colligitur*; periculosissimum adeoque illicitum esse sic optare, quia passione homo facile excæcatur, ut vel judicet inimicum qui non est, vel ut malum, quod optat, judicet esse proportionatum culpæ, vel ut judicet, malum esse medium ad suam liberationem, vel ut se & inimicum non subjiciat providentiæ & longanimitati divinæ, vel ut judicet, se duci ex motivo correctionis & liberationis, dum potius ducitur motivo vindictæ. *Præterea observo*, a Nidero pro motivo optandi etiam admitti *utilitatem*, prout in probatione ultima monui. *Denique observo*, S. *Gregorium* tantum loqui de malis, quæ etiam licet inferre, non de iis, quæ non licet inferre, v. g. *infir-*

mitatis. Verum missis his Theologis, quorum doctrina satis manifeste continetur in præfatis propositionibus ab Innocentio XI. damnatis, ad examinandos textus D. Thomæ majorem attentionem refero, quos adversarii tanquam decisivos pro se allegant.

Dico proin, quod D. *Thomas* reipsa doceat, ejusmodi optationem *practice*, seu ut ipse loquitur, *per accidens*, esse illicitam, etiamsi *speculative*, seu ut ipse loquitur, *per se loquendo*, inquantum directe solum fertur in bonum volitum, non sit illicita. Hanc esse ipsius mentem, patet attente consideranti ejus textum. Nam 2. 2. q. 76. a. 1. C. sic scribit: „ Quæritur, utrum liceat maledicere aliquem? Respondeo, quod maledicere idem est, quod malum dicere. Id se habet tripliciter. Uno modo indicative, alio modo per modum causæ; tertio modo malum dicere se habet quasi expressio quædam affectus, desiderantis id, quod verbo exprimitur. Et ad hoc instituta sunt verba optativi modi. Prætermisso primo modo maledictionis, qui est per simplicem enuntiationem (narrativam) mali, considerandum est de aliis duobus. Ubi scire oportet, quod facere aliquid, & velle illud, se consequuntur in bonitate & malitia. Unde in istis duobus modis, quibus malum dicitur per modum *imperantis* vel per modum *optantis*, eadem ratione est aliquid licitum & illicitum. Si enim aliquis imperet, vel optet malum alterius, inquantum est malum, *quasi ipsum malum intendens*, sic maledicere utroque modo erit illicitum; & hoc est maledicere, *per se loquendo*. Si autem aliquis imperet vel optet malum alterius *sub ratione boni*, sic est licitum, nec erit maledictio, *per se loquendo*, *sed* (erit maledictio) *per accidens*; quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione justi. Et sic judex licite maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri. Quandoque vero dicitur aliquod malum *sub ratione utilis*, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset. " Hic notandum, quod S. Thomas hoc secundo modo maledicendi non addat; *licite* sic maledici, sicut affirmaverat de maledictione judicis. Et quamvis in Responsione *ad* 1. *&* 2. dicat; Apostolum & Scripturam, dum prohibet maledictionem, loqui de maledictione *per se tali*, ubi intenditur malum; non tamen dicit; Apostolum & Scripturam loqui *tantum* de maledictione *per se tali*. Itaque ex hoc textu ad summum posset evinci, D. Thomam voluisse præterire difficultatem, aut certe non latius explanare verbis explicitis. *Objiciunt* adversarii alium textum D. Thomæ ex 2. 2. q. 83. a. 8. ad 3. ubi ait: *Licitum est impugnare inimicos ut compescantur a peccatis; quod cedit in bonum eorum & aliorum. Et sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur, & sic oratio & operatio non erunt contraria*. Verum hic textus non obstat; loquitur enim de malis, quæ licet inimico *inferre*, *ut compescantur*. Quæ autem licet inferre, licet etiam optare, nisi obstet speciale vinculum charitatis. Et hoc modo etiam explicandus est textus S. Doctoris, quem habet in 3. dist. 30. a. 1. ad 4. ubi videtur universaliter ac indiscriminatim permittere, si quis alteri optet malum temporale, dummodo intendat bonum ipsius spirituale, vel temporale majus v. g. communitatis. Dicendum enim est, intentionem S. Doctoris, eoipso quod sit indefinita circa objectum eo loco exacte necdum discussum, exponibilem esse conformiter ad ea, quæ in summa expressius ponit, nempe quod in his rebus eadem malitia & bonitas facientis & optantis sit.

Quæritur 5. An hæc regula; *quod liceat inimico optare, quod licet inferre*, universim ac illimitate admittenda sit?

Respondeo. Hæc regula non est admitten-

tenda illimitate. Nam filio non licet patri optare furcam; etiamsi liceat judici eam statuere. Idem dicendum est de uxore respectu mariti & viciſſim, & de fratribus vel sororibus, quibus ob arctius propinquitatis vinculum non licet cooperari ad supplicium patris, mariti, fratris, &c. nisi ex eorum indemnitate periclitetur salus propria vel Reipublicæ, vel boni publici. Itaque Regula limitanda est; tunc licitum esse optare, quod licet inferre, nisi specialis obligatio charitatis prohibeat cooperationem ad illationem damni, quod optatur.

Quæritur 6. An detur obligatio, erga inimicos determinatos eliciendi actum dilectionis particularem?

Respondeo. Non datur obligatio, erga inimicum determinatum eliciendi actum dilectionis *particularem*, nisi in casu particulari, quo urget præceptum, illi exhibendi actum charitatis particularem.

Ratio est, quia nec datur obligatio, erga quaslibet alias personas, non inimicas, in particulari eliciendi actum dilectionis specialem; sed sufficit, omnes homines diligere in genere, quin intentio *explicite* referatur ad singularia individua; Ergo multo minus obligatio ea singularia respiciendi per actum internum dilectionis datur erga inimicos. Ita docet *S. Thomas*, qui 2. 2. quæst. 25. a. 8. C. sic scribit: „ Dilectio inimicorum potest accipi in universali, & „ sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis; ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum ab „ illa generalitate dilectionis proximi „ inimicos suos non excludat. Alio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali, ut scilicet quis in „ speciali moveatur motu dilectionis ad „ inimicum. Et istud non est de necessitate charitatis absolute; quia nec „ etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate charitatis; quia „ hoc esset impossibile. Est tamen de „ necessitate charitatis secundum præparationem animi, ut scilicet homo „ habeat animum paratum ad hoc, „ quod in singulari inimicum diligeret, „ si necessitas occurreret.

Quæritur 7. An detur obligatio eliciendi erga inimicum actum dilectionis positivum & particularem in gravi tentatione odii? vel utrum sufficiat, se ad ejusmodi motus odii habere negative?

Respondeo. Datur in tali circumstantia obligatio eliciendi internum actum dilectionis positivum & particularem.

Ratio est, quia in se tolerare periculosos insultus hostium sine positiva resistentia est quædam interpretativa voluntarietas tentationis ac periculi, saltem levis, & interpretativa negligentia exercendi actus charitatis, ubi monet opportunitas, & lex, & Deus in conscientia, nullo retrahente rationabili motivo difficultatis in oppositum. Ergo ad minimum est peccatum veniale, in tali casu non elicere actum positivum dissensus, qui dissensus, cum sit positiva voluntas particularem personam inimici non excludendi per odium a suo amore, reipsa est actus dilectionis particularis relate ad individuum.

Quæritur 8. Qualia inimicis sint exhibenda signa & obsequia dilectionis sub peccato?

Respondeo. Quilibet tenetur inimicis exhibere *communia* signa & officia charitatis Christianæ, hoc est, talia, quæ juxta morem Christianum quivis exhibere solet alteri homini non inimico. Sed *peculiaria* seu *extraordinaria* signa & officia charitatis non tenetur exhibere inimicis. Ita respondet ac probat S. *Thomas* 1. 2. q. 26. a. 9. C. his verbis: „ Effectus & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt; & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad „ inimicum in communi est de necessitate præcepti absolute; in speciali autem est non absolute, sed secundum „ præparationem animi (ut supra qq. 6. „ dictum est.) Sic ergo dicendum est „ de effectu & signo dilectionis exterius exhibendo. Sunt enim quædam „ signa vel beneficia dilectioni, quæ „ exhibentur proximis in communi, „ puta, cum aliquis orat pro omnibus „ fide-

„ fidelibus, vel pro toto populo, aut „ cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis „ exhibere eſt de neceſſitate præcepti. „ Si enim non exhiberentur inimicis, „ hoc pertineret ad livorem vindictæ, „ contra id, quod dicitur Levit. 19. *Non „ quæres ultionem, & non eris memor „ injuriæ civium tuorum*. Alia vero ſunt „ beneficia vel dilectionis ſigna, quæ „ quis exhibet particulariter aliquibus „ perſonis. Et talia beneficia vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt „ de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum „ præparationem animi, ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis, „ ſecundum illud Proverb. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, „ da illi potum*. Sed quod præter articulum neceſſitatis hujuſmodi beneficia „ aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad „ perfectionem charitatis, per quam aliquis non ſolum cavet vinci a malo, „ quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult „ in bono vincere malum, quod eſt perfectionis, dum ſcilicet non ſolum cavet propter injuriam ſibi illatam detrahi ad odium, ſed etiam propter ſua „ beneficia intendit inimicum pertrahere „ ad ſuum amorem.

Quæritur 9. Qualia ſint illa ſigna & officia dilectionis communia, quæ homo tenetur exhibere inimico?

Reſpondeo. Talia communia ſigna cenſentur 1. ſalutantem reſalutare. 2. frequentare converſationem ſolitam. 3. non ſubtrahere allocutionem conſuetam. 4. in oratione pro integro populo vel collegio fuſa non excipere perſonam inimicam, quæ eſt pars collegii. 5. non denegare petenti ignem ex foco vel aquam ex fonte domeſtico, alioquin communicari ſolitam.

Quæritur 10. An, & quando homo teneatur inimico exhibere ſpecialia ſigna dilectionis?

Reſpondeo. Tunc homo tenetur inimico exhibere ſpecialia ſigna dilectionis, quando id exigit ordo charitatis erga Deum, quando nempe ſine gravi ſuo incommodo vel damno ſic poteſt impedire grave detrimentum divinæ gloriæ, v. g. grave ſcandalum, vel perditionem animæ. Hinc ſi fuerint inimicitiæ inter perſonas Eccleſiaſticas, vel alias illuſtres cum gravi plebis ſcandalo, obligat ordo charitatis erga Deum ad exhibenda ſpecialia ſigna dilectionis.

Quæritur 11. An teneatur offenſus aliquando ultro quærere reconciliationem cum inimico? Et quando?

Reſpondeo. Offenſus tunc tenetur prior quærere reconciliationem cum inimico, quando id exigit ordo charitatis erga Deum; quando videlicet ſine gravi ſuo incommodo vel damno poteſt impedire graves offenſas divinas, quæ aliis congruis mediis impediri non poſſint. Si enim alia reconciliationis media jam fuerint tentata, aut prævideantur fore fruſtranea, & inimicitiæ ob contumacem obſtinationem inimici timeantur fore diuturnæ, charitas erga Deum poſtulat, ut offenſus prior reconciliationem quærat, & juxta modum loquendi Apoſtoli carbones ſuper caput inimici congerat.

Quæritur 12. An læſus aliquando teneatur aliquid de jure ſuo remittere, aut ferre damnum, ſi alias congruis mediis reconciliatio cum inimico ſperari non poſſit?

Reſpondeo. Læſus tunc tenetur aliquid de jure ſuo remittere, aut leve damnum perpeti, quando id exigit ordo charitatis erga Deum, quando videlicet per ejuſmodi leve damnum aut incommodum impediri poteſt grave detrimentum divinæ gloriæ per continuas inimicitias, quæ aliis congruis mediis præcaveri non poſſunt propter obſtinatam inimici malitiam. Id *confirmatur* ex ſermone Chriſti in monte, ubi Matth. 5. Servator daturus Compendium totius novæ Legis Chriſtianæ inter varia præcepta præcedentia & ſubſequentia etiam hoc intermiſcet; *Audiſtis, quia dictum eſt; oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Sed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; & quicunque te angariaverit mille*

le passus, vade cum illo & alia duo. Horum verborum sensus cum antecedentibus & consequentibus congruentior dari nequit, quam si dicatur, ea poni præceptive in hoc sensu. Nisi in nova lege, quam prædico, abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Scribæ enim & Pharisæi in sua lege non damnant peccati mortalis ulla *verba* contumeliosa, & ullas *cogitationes* ac *desideria* obscœna. Ego autem etiam horum aliqua in classe peccatorum mortalium pono. Scribæ & Pharisæi in sua lege nullum agnoscunt casum, in quo quis teneatur sua propria bona vel jura cedere inimico, aut illius gratia suscipere incommodum. Ego autem vobis dico, in nova mea lege reperiri aliquos casus, in quibus homo teneatur suo inimico propria aliqua bona vel jura cedere, aut illius causa suscipere incommodum, quando videlicet ita exegerit ordo charitatis erga Deum, & per leve damnum vel incommodum impediri possunt gravia detrimenta divinæ gloriæ, Ecclesiæ, vel salutis animarum, quæ aliis mediis congruis impediri non possunt. Dabuntur proin in nova mea lege casus, ubi non solum ex consilio, sed ex præcepto charitatis quis obligatur ad præbendam alteram inimico maxillam, ad relinquendam illi & tunicam, & ad comitandum per mille alios passus; quia ad id nonnunquam obligabit lex charitatis erga Deum.

Quæritur 13. An detur universim obligatio, inimico petenti concedendi veniam?

Respondeo. Quilibet tenetur *sub peccato mortali universim*, *semper* & *statim* inimico *serio* petenti dare veniam.

Id *probatur* ex verbis Christi Matth. 6. & 18. & Marci 11. ubi expresse negatur illis a Deo peccatorum venia, qui noluerint inimico dare sinceram ex corde veniam; quæ comminatio haud dubie est omnium gravissima, ideoque obligatio est sub mortali. In alio loco Christus docet toties esse concedendam veniam, quoties petitur, etiamsi centies petatur Matth. 6. Christus ait: *Sic vos orabitis. Pater noster --- Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si enim non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*. Et Marci 11. *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra*. Et Matth. 18. Christo Petrus dixit: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies*. Et Lucæ 17. Christus ait: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me; Dimitte illi. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem*; (hæc enim obligatio videtur humanæ infirmitati nimis difficilis, imo observatu impossibilis.) *Dixit autem Dominus; Si habueritis fidem, sicut granum sinapis; dicetis huic arbori moro; eradicare, & transplantare in mare; & obediet vobis*. (hoc est, per gratiam Dei, si in eo confiditis, quamcunque radicatam pravitatem naturæ humanæ superaveritis.) Hæc per se clara sunt. Et hinc etiam Apostolus inter officia hominis Christiani ponit, dare veniam. *Induite sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera* (habitum) *misericordiæ, donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut Dominus donavit vobis, ita & vos*. Et ad Ephes. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis*. Huc pertinet illa parabola, quam Christus Matth. 18. immediate præfatis superius verbis: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, per particulam illativam subjungit, ut manifestum sit; parabolam esse explicativam, & extensivam præcedentium dictorum.

„ *Ideo* assimilatum est, inquit, regnum
„ cœlorum homini regi, qui voluit ra-
„ tionem ponere cum servis suis. Et

 „ cum

„ cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Procidens autem ſervus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum Denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens: Redde, quod debes. Et procidens conſervus ejus rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. Tunc vocavit eum Dominus ſuus & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me. Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quo ad uſque redderet ei univerſum debitum. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. “ Cum hoc loco Chriſtus dicit: *De cordibus veſtris*, oſtendit, ſe non loqui de remiſſione debiti externi; ad hujus enim remiſſionem parum intereſt, quo animo & ex corde fiat; ſed de condonatione interna culpæ, & donatione veniæ.

Quæritur 14. An detur obligatio petenti veniam etiam condonandi ſatisfactionem?

Reſpondeo. Per ſe non datur obligatio, petenti veniam ſimul cum donatione veniæ condonandi ſatisfactionem. *Dixi*, *per ſe*, niſi videlicet in caſu particulari etiam ad condonationem ſatisfactionis obliget ordo charitatis.

Id *probatur* inprimis ab exemplo Dei, qui a peccatore poſt condonatam culpam & indultam veniam pro ablato honore adhuc exigit ſatisfactionem. Dein idem probatur a communi ſenſu Eccleſiæ indulgentis exactionem ſatisfactionis poſt factam reconciliationem.

Quæritur 15. Quomodo differant inter ſe donatio veniæ & donatio ſatisfactionis?

Reſpondeo. Donatio veniæ & donatio ſatisfactionis differunt eodem modo, quo differunt in ſacramento pœnitentiæ remiſſio *culpæ*, & remiſſio *ſatisfactionis*. *Donatio enim veniæ eſt remiſſio omnis indignationis*, iræ, odii, rancoris, amaritudinis, & averſionis *erga perſonam*; ita ut animus non ſit amplius averſus a perſona, ſed eam diligat, eique velit non ſolum beatitudinem æternam, & auxilia gratiæ, ſed etiam media temporalia ad vitam tranquillam & honeſtam & commodam, quantum illud fieri poteſt ſine detrimento proprio. Econtra *donatio ſatisfactionis eſt remiſſio compenſationis pro damno illato in bonis fortunæ*, *famæ*, *honoris & vitæ*. Nam ſi inimicus incendit domum, vaſtavit ſegetes, abſtulit ſuſtentationem vitæ modo injuſto, poteſt etiam poſt condonationem veniæ obligari ad compenſationem damni illati. Si inimicus injuſte abſtulit *famam*, v. g. aliquem diffamando tanquam adulterum, furem, hæreticum, vel ſuſpectum de fide, &c. obligari poteſt & per ſe obligatur etiam poſt condonationem veniæ ad reſtitutionem vel compenſationem famæ ablatæ. Similiter ſi quis viro nobili, Superiori, Parocho, Magiſtratui, perſonæ honeſtæ ac honoratæ irrogavit publicam injuſtam contumeliam, per quam diminuatur ejus æſtimatio, veneratio, reverentia, obſequium, &c. quæ pertinent *ad honorem* publicum, poteſt etiam poſt condonationem veniæ adhuc obligari, & per ſe obligatur, ad compenſationem honoris ablati vel notabiliter diminuti. Denique ſi quis alterum nec læſit in bonis fortunæ, nec in bono honoris, ſed tantum in *bonis vitæ*, ut ægre ducat vitam, v. g. parentibus ſenibus cauſando gravem contriſtationem, ſubtrahendo ſolatia vitæ, quietem, converſationem cum amicis, tenendo domeſticos importunos, &c. movendo murmura & ſeditiones aut inutiles & iniquas querelas contra ſuperiores; hinc inde movendo lites temerarias, diminuendo jura, ſeminando diſcordias, invehendo ſervitutes, &c. poteſt etiam poſt condonationem veniæ obligari ad præſtandam ſecuritatem vitæ tranquillæ in poſterum.

Quæritur 16. An ejuſmodi ſatisfactiones

nes semper & universim possint exigi sine læsione charitatis?

Respondeo. Ejusmodi satisfactiones ab inimico post donationem veniæ non possunt semper ac illimitate exigi sine læsione charitatis. Hinc in Responsione ad qq. 14. solum dixi, quod *per se* non detur obligatio condonandi satisfactionem. Datur enim obligatio ex charitate condonandi rigorosam satisfactionem.

1. *Quando ea satisfactio rigorosa est offendenti moraliter impossibilis*. Sicut enim Deus non obligat ad moraliter impossibilia, ita charitati repugnat, a proximo exigere satisfactionem moraliter impossibilem, nisi ex defectu satisfactionis sequatur vel æqualis difficultas ex parte læsi, vel ex parte reipublicæ simul patientis damnum gravissimum alias irreparabile.

2. *Quando satisfactio præstari nequit sine onere gravissimo alioquin vi satisfactionis indebito*, v. g. si ob injuriam illatam reus deferretur ad judicem, & compensatio prævideatur a judice obtineri non posse sine maximis expensis reum depauperantibus.

3. *Si satisfactio a judice imponenda*, vel alias præstanda *prævideatur fore inutilis* in æstimatione prudentum. v. g. si reus deferatur ad judicem simul ob aliud crimen capitale, ob quod afficiatur extremo supplicio. Mors enim injuriantis non delet injuriam impactam.

4. *Si satisfactio* præstanda esset a persona in magna authoritate constituta, eaque *sine magno scandalo*, *quod majus foret*, *quam damnum compensandum*, *præstari non posset*. Itaque ubi rigorosæ satisfactionis exactio non cedit in emolumentum, sed in grave detrimentum divinæ gloriæ, quod ex circumstantiis desumendum est, lex charitatis erga Deum obligat ad cedendum juri suo, utpote irreparabili, ut ponitur, sine majori præjudicio divinæ gloriæ.

Quæritur 17. An Superior subdito petenti veniam teneatur statim demonstrare priora signa benevolentiæ?

Respondeo. Superior subdito petenti veniam tenetur quidem exhibere signa benevolentiæ, sed non tenetur illi statim exhibere priora signa *beneficentiæ*.

Ratio est; quia Superior habet simul officium *judicis*, cujus est punire delicta non solum per subtractionem beneficiorum, sed etiam per inflictionem pœnarum. Sed judex delictum in suam personam commissum non tenetur impunitum relinquere, nec per impunitatem peccati in se commissi tenetur dare liberiorem veniam delinquenti in se. Exemplum præbet ipse Deus, dum post remissionem culpæ non solum adhuc punit in hoc & altero mundo, sed etiam amicos suos alioquin intimos ob levia peccata venialia excludit ab effectibus suæ beneficientiæ, nempe a familiari conversatione interna, a solatiis, & gratiis consuetis, eosque etiam post remissionem culpæ tradit variis cruciatibus partim externis, partim internis. Aliter enim Deus agit ut supremus legislator, judex, & vindex, dum jus suum relinquit & exercitium justitiæ vindicativæ, ut in posterum refrœnetur licentia peccandi; & aliter agit tanquam Pater, amicus, & sponsus, dum animas etiam in tormentis visitat, solatur, & gratias præparat, ut fiant dignæ sua unione. Aliud exemplum habetur in *Davide*, qui sine dubio tenerrime amabat Absalonem, & tamen illum adhuc exclusit a suo conspectu & aula. *Intelligens Joab, quod cor regis versum esset ad Absalon ---- adduxit Absalon in Jerusalem. Dixit autem Rex: revertatur in domum suam, & faciem meam non videat*. 2. Reg. 14.

Quæritur 18. An Pater possit licite in pœnam denegare reconciliationem filio eam petenti ob indignas nuptias cum dedecore familiæ celebratas; & denegare suæ familiæ, ne consuetudinem & familiaritatem cum eo habeant?

Respondeo. Non potest denegare reconciliationem in ordine ad effectus *benevolentiæ*; potest tamen illi denegare reconciliationem in ordine ad effectus *beneficentiæ*.

Ratio est, quia Pater non solum habet officium patris, sed habet in sua familia quoad delicta specialiter non reservata Magistratui etiam officium judicis, ac superioris. Itaque ipsius est, ad conservandam securitatem ab offensione ini-

iniqua domesticam, atque ad refroenandam licentiam peccandi punire delinquentes poena proportionata, prout in qq. 17. ostensum est. *Cavendum* tamen in ejusmodi casibus erit 1. ne, dum intenditur filii correctio, & securitas parentum publica, & exemplum justitiæ pro bono Ecclesiæ, relinquatur in se, vel in domesticis radix odii, & secretum motivum vindictæ. 2. Ne poena sit improportionata qualitati delicti, & fini. Potest autem esse improportionata, si poena ejusmodi sit nimis diuturna, si nimia miseria vel tristitia obruat filium & ejus conjugem; si poena relinquatur sine ullo lenimento solatii, aut spei.

Quæritur 19. An etiam personis privatis, v. g. uxori, fratri, vicino &c. liceat in poenam aliquamdiu denegare signa reconciliationis post petitam ab offendente veniam?

Respondeo. In personis privatis ad subtrahenda signa consueta beneficentiæ non habet locum titulus punitionis, sed tantum titulus *satisfactionis fraternæ*.

Ratio est; quia punitio pertinet ad justitiam vindicativam, quæ, cum directe respiciat conservationem boni publici ex officio, superioritatem requirit. Econtra *satisfactio* pertinet ad justitiam commutativam inter æquales, qui jure ab invicem *compensationem* læsionis in bonis fortunæ, famæ, vitæ, & honoris, & *cautionem* pro securitate indemnizationis in posterum requirunt. Ad cautionem autem seu potius ad *correctionem fraternam* aliquando pertinet usus & timor *justorum repressalium*, ut dum alter excedit limites justitiæ vel charitatis inferendo iniqua gravamina, experiatur, etiam seipsum gravari posse per moderatam suspensionem *beneficentiæ*, alioquin debitæ ex justitia vel charitate. Verum tamen hic titulus satisfactionis *per cautionem* ac *repressalia* nunquam licet, nisi altera pars adhuc pergat in obstinatione, & nulla alia supersint media lucrandi inimicum, aut nisi post petitam & impetratam veniam jam sæpius fregerit fidem, ita ut merito dubitari possit de serio emendationis proposito. Hic enim locum habet illud Proverb. 26. v. 25. *Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.* Immo ne sic quidem licitus est usus repressalium, nisi appareat prudens spes correctionis, ut sic ille usus ad titulum *correctionis fraternæ* referri possit.

Quæritur 20. An semper credendum sit inimico petenti veniam in ordine ad renovandam cum illo familiaritatem pristinam?

Respondeo. Non datur obligatio credendi inimico poscenti veniam in ordine ad renovandam familiaritatem pristinam, ubi prudenter timetur dolus, vel inconstantia poscentis. Nemo enim obligatur ad familiaritatem renovandam cum periculo prudenti læsionis propriæ. Id probatur ex Ecclesiastico C. 12. ubi sic scribit: *Non credas inimico tuo in æternum. Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curvus, adjice* (ἐπίστησον superpone) *animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum inquirat cathedram tuam, & in novissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, & omnibus, qui appropiant bestiis? Et sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus. Una hora tecum permanebit; si autem declinaveris, non supportabit. In labiis suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. In oculis suis lachrimatur inimicus, & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine; & si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. In oculis suis lachrimatur inimicus, & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. Caput suum movebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.* Ita Ecclesiasticus. Ne autem quis existimet, hæc prudentiæ humanæ præcepta a Christo in Novo Testamento mutata fuisse per altiorem legem charitatis, ostendam; hæc ipsa præcepta renovata esse a Christo & Apostolis verbo & exemplo. Sic enim Christus

ſtus non fidebat Herodi & hoſtibus ſuis, quamvis ſuaviter canentibus, antequam conſtituerat ultro mori. Lucæ 13. v. 32. dicitur: *In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc; quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi. Ecce ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.* Et Joa. 2. v. 23. dicitur: *Cum eſſet Jeroſolymis in Paſcha, multi crediderunt in nomine ejus. Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* Et Joa. 4. v. 1. *Ut cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quod Jeſus plures diſcipulos facit, quam Joannes, reliquit Judæam & abiit iterum in Galilæam.* Lucæ 9. v. 9. ſcribitur: *Herodes quærebat videre eum* (Jeſum). Sed Matth. 14. ſcribitur: *Diſcipuli* (Joannis poſt decollationem) *tulerunt corpus ejus, & venientes nuntiaverunt Jeſu. Quod cum audiſſet Jeſus, ſeceſſit inde in locum deſertum.* Et Luc. 12. *Chriſtus ait: Cavete a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Et Matth. 7. v. 15. *Attendite a falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Hinc & Apoſtolus Rom. 16. v. 17. *Rogo vos, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula faciunt, & declinate ab illis. Hujuſmodi enim per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Et 2. Theſſ. 3. v. 6. *Denuntiamus vobis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Et 1. Cor. 5. v. 11. *Scripſi vobis non commiſceri; ſi is, qui frater nominatur inter vos eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax; cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Ex his omnibus & pluribus ejuſmodi textibus patet, non dari obligationem renovandi familiaritatem cum iis, quorum converſatio nobis quoad ſpiritualia vel temporalia ob eorum fraudulentiam vel pravitatem timetur eſſe periculoſa.

Quæritur 21. Quis prior teneatur veniam petere, aut reconciliationem quærere, ſi ambo ſe mutuo offenderint?

Reſpondeo. Ad hoc authores communiter reſpondent; ſi cætera ſint paria, teneri eum, qui prior injuriam intulit; quia prius contraxit obligationem ſatisfaciendi, & conſequenter alteri pro priori quæſitum eſt jus petendi ſatisfactionem. Immo docent, eum ad quærendam reconciliationem per ablationem ſatisfactionis non obligari, ſi titulo compenſationis reſarcire nolit, prævidens prudenter ac probabiliter, alterum non correſponſurum ſatisfactioni exhibendæ; adeoque quaſi in depoſitum poterit ſatisfactionem retinere, donec alter paratus ſit. Si tamen cætera non ſint paria, vel quia prior levem intulit injuriam, poſterior longe graviorem; vel quia prior nobilioris conditionis eſt, juxta illos authores prior non tenebitur ad petendam veniam, & ſatisfactionem exhibendam, ſed poterit eam ſuſpendere, donec alter exhibeat. Verumtamen hæc doctrina non eſt admittenda, niſi quoad ſolam retentionem compenſationis æqualis quoad damnificationem in bonis fortunæ. Quoad reconciliationem quærendam tam in nobili, quam in privato, ſive injuria ſit æqualis, ſive inæqualis, ea doctrina rejicienda eſt; quia obligatio non eſt hominis ſed Dei. Neque enim offenſus obligat ad condonandam injuriam & reſtaurandam fraternam charitatem, ſed Deus. Leges autem divinæ a quovis prima opportunitate implendæ ſunt. Itaque quoad animorum concordiam quærendam, cum ab ea non poſſit excuſare aliena negligentia, obligatio utrumque ſtringit æqualiter & abſolute. Neque ignominioſum poteſt eſſe homini Chriſtiano, etiam nobili, priorem quærere reconciliationem, & verbo aut opere monſtrare animum concordem & affectionatum perſonæ læſæ a ſe. Quod ſi ob ſuperbiam & obſtinationem partis adverſæ ex reconciliationis ſolicitatione, vel, ubi opus fuerit, humili injuriationis deprecatione, timeantur gravia familiarum diſſidia, aut propriæ famæ gravia diſpendia, non propte-

pterea injurians excusatur a quærenda prima opportunitate reconciliationis, salvo tamen jure ad exquirendam reciprocam satisfactionem. Quod si eam opportunitatem serio quæsierit, eamque suam mentem cum obligatione satisfactionis debitæ per tertium amicum adversario insinuaverit, ea tamen oblatio acceptata non fuerit, satisfecit pro ea vice suæ obligationi, donec opportunior occasio reconciliationis quærendæ redierit. Nec curandum, sive adversarius suæ obligationi correspondeat, sive non. Quisque enim pro se respondebit Deo, non pro alio.

§. V.

De correctione fraterna, & denuntiatione.

QUæritur 1. Quid sit correctio fraterna?

Respondeo. Correctio fraterna est emendatio peccati in proximo, in quantum illud est malum vel Dei, vel delinquentis, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Si emendatio fiat ex motivo, quia est malum seu offensa Dei, sic est actus charitatis erga Deum. Si emendatio peccati fiat ex motivo, quia est malum delinquentis, sic est actus charitatis erga proximum. Si fiat ex motivo, quia est malum Ecclesiæ vel Reipublicæ, sic est actus simul charitatis & justitiæ erga Ecclesiam vel Rempublicam. Quilibet enim tenetur ex charitate & justitia promovere bonum commune, & impedire malum commune Ecclesiæ vel Reipublicæ. Ita quoad rem D. *Thomas* 2. 2. q. 32. a. 1. C. & ad 1. & 2. 2. q. 33. a. 1. C.

Quæritur 2. Quotuplex sit correctio fraterna?

Respondeo. Est duplex. Una est *privata*, quando delinquens corrigitur per admonitionem secretam amici. Altera est *Juridica*, quando delinquens corrigitur authoritate Superioris non ad vindictam, sed ad emendationem.

Quæritur 3. An correctio fraterna sit præcepta lege divina & naturali?

Respondeo. Correctio fraterna est præcepta lege divina & naturali.

Id *probatur* ex variis textibus Scripturæ. Nam Matth. 18. Christus nos ad hoc obligat ex charitate Dei, ne pereat una ex ovibus illius. *Venit filius hominis*, inquit, *salvare quod perierat. Quid vobis videtur, si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis; nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit? Et si contigerit, ut inveniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. 2. Lucæ 17. v. 3. dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. 3. ad Heb. 10. v. 24. *Consideremus invicem in provocationem charitatis & bonorum operum*. 4. In 1. ad Thess. 5. v. 14. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis*. 5. In 2. Thess. 3. v. 14. *Si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur, & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*. 6. Jacobi 5. v. 19. *Si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. 7. In Epistola Judæ v. 21. *Vosmetipsos in dilectione Dei servate. Et hos quidem arguite judicatos* (hoc est, etiamsi se non corrigant, sed sciantur reprobi apud Deum); *illos vero salvate de igne rapientes*. 8. Levit. 19. v. 17. *Non oderis fratrem tuum in cor-*

corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Dilige amicum tuum, sicut teipsum. Ego Dominus. 9. Ecclesiastici 19. v. 13. *Corripe amicum ne forte non intellexerit, & dicat: non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum; ne forte non dixerit, & si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum, sæpe enim fit commissio. Quis est enim, qui non deliquerit in vita sua? Corripe proximum, antequam commineris.* Quod autem hæc obligatio sit legis naturalis, probatur ex Eccles. 17. ubi de hominibus ex ipsa conditione primævæ creationis dicitur: *Deus dixit illis: Attendite ab omni iniquo, & mandavit illis unicuique de proximo suo.*

Quæritur 4. An præceptum correctionis fraternæ etiam possit probari ex sensu Doctorum Ecclesiæ?

Respondeo. Affirmative. In re per se liquida ex Scholasticis sumo D. Thomam, ex Patribus S. Augustinum.

D. *Thomas* 2. 2. q. 33. a. 2. c. sic scribit: *Dicendum, quod correctio fraterna cadit sub præcepto. Sed considerandum est, quod actus virtutum* (cadentium sub præcepto) *non quolibet modo fieri debent, sed observatis debitis circumstantiis, ut actus fiat, ubi debet, & quando debet, & secundum quod debet. Si ergo sit aliqua talis omissio alicujus circumstantiæ circa actum virtuosum, quæ totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto. Correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem* (tanquam ad finem seu bonum hujus virtutis), *& ideo hoc modo cadit sub præcepto, secundum quod est necessaria ad istum finem, non autem ita, quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur.*

S. Augustinus hoc præceptum non solum agnoscit, sed etiam ex generalibus principiis Legis Christianæ eleganter probat. Tract. 10. in Joan. sic scribit: „ Unusquisque Christianus in membris „ Christi zelo domus Dei comedatur. „ Quis comeditur zelo domus Dei? „ Qui omnia, quæ forte ibi videt per„ versa, satagit corrigi, cupit emenda„ ri, non quiescit. Si emendare non „ potest, tolerat, gemit. Ergo zelus „ domus Dei comedat te; unumquem„ que christianum zelus Dei comedat, „ in qua domo Dei membrum est. Si „ in domo tua, ne quid perversum fiat, „ satagis; in domo Dei, ubi salus pro„ posita est, pati debes, quantum in te „ est, si quid forte perversum videris. „ Verbi gratia, vides fratrem currere „ ad Theatrum? Prohibe, mone, con„ tristare, si zelus domus Dei comedit „ te. Vides alios currere, & inebriari „ velle, & hoc velle in locis sanctis? „ Prohibe, quos potes; tene, quos po„ tes; terre, quos potes; quibus potes, „ blandire; noli tamen quiescere. A„ micus est? admoneatur leniter. Uxor „ est? severissime refrœnetur. Ancilla „ est? etiam verberibus compescatur. „ Fac, quidquid potes pro persona quam „ portas, & perficis. Zelus domus tuæ „ comedit me. Si autem fueris frigi„ dus, marcidus, ad te solum spectans, „ & quasi tibi sufficiens, & dicens in „ corde tuo; quid mihi est curare alie„ na peccata? Sufficit mihi anima mea. „ Ipsam integram servem Deo; non ti„ bi venit in mentem servus ille, qui „ abscondit talentum, & noluit eroga„ re? Nunquid accusatus est, quia per„ didit? & non, quia sine lucro serva„ vit? Sic ergo audite fratres mei ut „ non quiescatis. Unusquisque in domo „ sua, cum amico, cum inquilino, „ cum cliente suo, cum majore, cum „ minore, nolite quiescere lucrari Chri„ sto, quia lucrati estis a Christo. In hoc textu S. Augustinus damnationem servi pigri intentat iis, qui negligunt animam fratris lucrari Christo.

2. *Idem* hanc obligationem correctionis fraternæ in Regula c. 6. sic probat, „ Si hanc oculi petulantiam in aliquo „ vestrum adverteritis statim admone„ te, ne cœpta progrediatur, sed de „ proximo corrigatur. Si autem & post „ admonitionem iterum vel alio quocun„ que die idipsum eum facere videritis, „ jam velut vulneratum sanandum pro„ dat, quicunque invenire hoc potuerit; „ prius tamen & alteri vel tertio de„ mon-

„ monstratum , ut duorum vel trium „ possit ore convinci , & competente „ severitate coerceri. Nec vos judicetis „ esse malevolos, quando hoc indicatis. „ Magis quippe innocentes non estis , „ si fratres vestros, quos indicando cor- „ rigere potestis, tacendo perire permit- „ titis. Si enim frater tuus vulnus ha- „ beret in corpore , quod vellet occul- „ tari, dum timeret secari, nonne cru- „ deliter abs te sileretur , & misericor- „ diter indicaretur? Quanto ergo potius „ eum debes manifestare , ne pernitio- „ sius putrescat in corde?

3. *Idem* Epist. 48. ad Vincentium de Donatistis circumcellionibus loquens ait: „ Si sic istos contemneremus & tolera- „ remus, ut nihil omnino, quod ad eos „ terrendos ac corrigendos valere pos- „ set, excogitaretur & ageretur a no- „ bis, vere malum pro malo reddere- „ mus. Si enim quisquam inimicum „ suum periculosis febribus phreneti- „ cum factum currere videret in præ- „ ceps, nonne tunc potius malum pro „ malo redderet, si eum sic currere per- „ mitteret, quam si corripiendum ligan- „ dumque curaret , & tamen tunc ei „ molestissimus & adversissimus videre- „ tur, quando utilissimus & misericordis- „ simus extitisset?

4. *Idem* in Psal. 49. n. 26. „ Præci- „ cipitas hominem incaute vitia sua „ proferentem, & , an sint vitia , ne- „ scientem. Tu, qui scis, vitium esse, „ non dicis: Quo irruis? Si illum vi- „ deres ambulare incautum in tenebris, „ ubi tu puteum esse scires, & taceres, „ qualis esses? Nonne inimicus depu- „ tareris animæ ejus? Et tamen, si in „ puteum caderet, non anima, sed cor- „ pus moreretur." Hujusmodi textus plurimi reperiuntur in S. Augustino , qui videri possunt apud *Cupetioli* V. *correctio*.

Quæritur 5. An correctio fraterna pertineat ad solos Prælatos?

Respondeo. Triplicem posse distingui correctionem. *Primo fraternam* stricte dictam. *Secundo Paternam*. *Tertio judicialem*. *Fraterna* consistit in sola admonitione, aut, ubi opus, denuntiationis comminatione. *Paterna* consistit in Superioris leni admonitione cum potestatis vindicativæ tacita vel expressa commonstratione. *Judicialis* consistit in moderata emendationis causa inflicta punitione. Secunda & tertia pertinet solum ad eos, qui parentis, superioris, vel judicis munere funguntur. Prima pertinet ad omnes fideles.

Quæritur 6. An subditus teneatur etiam corrigere suum Prælatum?

Respondeo. Ad hoc quæsitum D. *Thomas* 2. 2. q. 33. a. 4. c. sic respondet: „ Correctio, quæ est actus justitiæ per „ correctionem pœnæ , non competit „ subditis respectu Prælati. Sed corre- „ ctio fraterna, quæ est actus charita- „ tis, pertinet ad unumquemque respe- „ ctu cujuslibet personæ, ad quam cha- „ ritatem debet habere. Sed quia actus „ virtuosus debet esse moderatus debi- „ tis circumstantiis , ideo in correctio- „ ne, qua subditi corrigunt Prælatos , „ debet modus congruus adhiberi , ut „ scilicet non cum protervia & duri- „ tia , sed cum mansuetudine & re- „ verentia corrigantur. Unde Apo- „ stolus dicit 1. Timot. 5. *Seniorem* „ *ne increpaveris , sed obsecra ut patrem*.

Ad objectionem 3. in qua objicitur; videri hoc esse magnæ præsumptionis , quod quis de se meliora sentiat, quam de suo Prælato, respondet: „ Dicendum, „ quod præsumere , se esse simpliciter „ meliorem , quam Prælatus , videtur „ esse præsumptuosæ superbiæ. Sed æsti- „ mare se meliorem quantum ad ali- „ quid , non est præsumptionis , quia „ nullus est in hac vita , qui non ha- „ beat aliquem defectum. Et etiam „ considerandum est , quod cum ali- „ quis Prælatum charitative monet , „ non propter hoc se majorem existi- „ mat; sed auxilium impartitur ei, qui „ quanto in loco superiori, tanto in pe- „ riculo majori versatur, ut Augustinus „ dicit in Regula.

Idem S. Doctor l. c. *ad* 2. advertit; correctionem Superioris a subdito aliquando fieri posse publice , si ita periculum fidei petat. „ Sciendum tamen ,

„ *in-*

„ *quit*, quod ubi immineret periculum „ fidei, etiam publice essent Prælati a „ subditis arguendi. Unde & Paulus, „ qui erat subditus Petro, propter im- „ minens periculum scandali circa fi- „ dem Petrum publice arguit, & sicut „ dicit Augustinus Epist. 19. Ipse Petrus „ exemplum majoribus præbuit, ut si- „ cubi forte tramitem reliquissent, non „ dedignentur etiam a posterioribus cor- „ rigi." Ita Angelicus, insinuans etiam l. c. rationem, cur D. Paulo circa præjudicium fidei seu religionis licuerit corrigere D. Petrum Superiorem. *Paulus*, inquit, *Petrum non reprehendisset*, *nisi aliquo modo par esset quantum ad fidei defensionem*. Cum ergo etiam quoad defensionem disciplinæ & honestatis morum interdum Superioribus *pares* inveniri possent ex vocatione aut conditione status, ea observatio Angelici non solum ad defensionem fidei restringenda, sed etiam ad defensionem disciplinæ & morum extendenda est. Hanc extensionem doctrinæ etiam ad disciplinam morum confirmat generale principium S. *Augustini*, quod utilitas publica privato respective honoris puncto præferenda sit. In Epist. ad Gal. c. 15. sic scribit: „ Petrus objurgatus est a Paulo, non „ quia servabat consuetudinem Judæo- „ rum, sed quia gentibus volebat eam „ imponere. Quod autem hoc ei co- „ ram omnibus dixit, necessitas coe- „ git, ut omnes illius objurgatione sa- „ narentur. Non enim utile erat, er- „ rorem, qui palam noceret, in secre- „ to emendare. Huc accedit, quod fir- „ mitas & charitas Petri objurgationem „ talem posterioris pastoris pro salute „ gregis lubentissime sustinebat.

Quæritur 6. An etiam ii teneantur ad correctionem fraternam, qui in eodem vel diverso genere delictorum rei sunt?

Respondeo 1. Tenentur hi in primis corrigere seipsos, dein & proximos.

Respondeo 2. Si eorum delictum fuerit notorium, tenentur inprimis corrigere se ipsos *exemplariter*, hoc est, edendo signa notoria seriæ ac constantis emendationis, ad quæ pertinet declinatio occasionum, fuga periculorom, resecatio illicitorum, applicatio remediorum, odium vitii & omnium discursuum æquivocorum, amor vitæ pœnitentis & oppositæ vitio. Nisi enim hoc præstiterint, correctio aliorum carebit efficacia.

Respondeo 3. Postquam ejusmodi delinquentes notorii seipsos exemplariter emendaverint, tenentur alios emendare cum humilitate & mansuetudine invitando tacite vel expresse ad exemplum proprium. Si enim juxta Apostolum ad Gal. 6. v. 1. hoc ab omnibus observandum est, ut, nisi agatur cum obstinatis, corrigant alios *leniter*, *mansuete*, & *humiliter*, quanto magis id ab iis observandum est, qui experimento proprio fragilitatem & corruptionem naturæ humanæ experti sunt? *Fratres*, inquit Apostolus, *& si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, *vos qui spirituales estis*, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*, *considerans teipsum*, *ne & tu tenteris*. Fatendum tamen, quamdiu pro aliorum correctione haberi possunt immunes a crimine, eos criminosis universim pro aliorum emendatione aut directione præferendos esse. Raro enim contingit reperiri, qui exuant omnes pravos habitus, præsertim intellectus propensi ad laxa dictamina. Responsio quoad rem est D. *Thomæ*, qui 2. 2. q. 33. a. 5. C. sic scribit: *Correctio delinquentis pertinet ad aliquem*, *in quantum in eo viget judicium rectæ rationis*. *Peccatum autem non tollit totum bonum naturæ*, *quin in peccante remaneat aliquid de recto judicio rationis*. *Et secundum hoc potest ei competere*, *alterius delictum arguere*. *Sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria*. *Primo*, *quia ex peccato præcedente indignus redditur*, *ut alium corrigat*, *& præcipue si majus peccatum commisit*, *non est dignus*, *ut alium corrigat de minori peccato*. *Unde super illud Matth.* 7. Quid vides festucam, &c. *Dicit Hyeronimus*. *De his loquitur*, *qui cum mortali crimine detineantur obnoxii*, *minora peccata fratribus non concedunt*. *Secundo redditur indebita correctio propter scandalum*, *quod sequitur ex correctione*, *si peccatum corripientis sit manifestum*; *quia vide-*

videtur, quod ille qui corrigit, non corrigat ex charitate, sed magis ad ostentationem. Unde super illud Matth. 7. Quomodo dicis fratri tuo &c. *exponit Chrysostomus. Qua intentione hoc dicis? An ex charitate, ut salves proximum tuum? Non. Si enim ex hoc motivo id diceres, teipsum ante salvares. Vis ergo non alios salvare, sed per bonam doctrinam malos actus celare, & scientiæ laudem ab hominibus quærere. Tertio modo propter superbiam corripientis; in quantum scilicet aliquis propria peccata parvipendens seipsum proximo præfert in corde suo; peccata ejus austera severitate dijudicans, ac si ipse esset justus. Unde Augustinus dicit in l. de Serm. Domini in monte.* " Accusare vitia officium est bonorum virorum & benevolorum: quod cum mali faciunt, alienas partes agunt. " *Et ideo, sicut Augustinus dicit in eodem.* " Cogitemus, cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus? Et tunc cogitemus, nos homines esse, & habere potuisse: Vel tale, quod aliquando habuimus, & jam non habemus? Et tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, sed misericordia præcedat. Si autem invenerimus, nos in eodem vitio esse, non objurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter conandum invitemus. " *Ex his ergo patet, quod si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec sibi novam condemnationem acquirit; licet per hoc vel in conscientia fratris vel saltem sua pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat.* Ita S. Thomas. Verum data Responsio manifestius & solidius *probatur* ex ipsis verbis Christi, qui Matth. 7. sic ait: *Quid vides festucam in oculo fratris, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo: Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo; & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita; ejice primum trabem de oculo tuo; & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* In hoc textu Christus non negat, sed potius affirmat, ex oculo fratris ejiciendam esse festucam; sed ejiciendam esse prius trabem ex oculo proprio.

Quæritur 7. Utrum omittenda sit correctio, quando timetur, quod corrigendus ex correctione fiat deterior?

Respondeo. Quando probabiliter timetur, quod peccans non solum sit perseveraturus in peccato post admonitionem, sed etiam quod peccatum sit aucturus per odium corrigentis, & per excitationem persecutionum aut sparsionem calumniarum contra corrigentem cum præjudicio boni publici; vel quod delinquens sit abusurus admonitione privata ad peccandum in posterum cautius, securius, adeoque liberius, eo quod sit vitaturus eas circumstantias, in quibus a corrigente deprehendi, denuntiari, ac sic corrigi posset a legitimo Superiore judicialiter, non datur obligatio corrigendi correctione *privata;* sed tantum datur obligatio denuntiandi delinquentem Superiori, ut invigilet; præsertim si ex delicto delinquentis timeatur animarum seductio, vel scandalum publicum. Ita quo ad rem docet D. *Thomas* 2. 2. q. 33. a. 6. c. *Duplex*, inquit, *est correctio delinquentis. Una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam. Et talis correctio non est dimittenda propter turbationem ejus, qui corripitur, tum quia si propria sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccata dimittat; tum etiam, quia si incorrigibilis sit, per hoc providetur bono communi, dum servatur ordo justitiæ, & unius exemplo alii deterrentur. Unde Judex non prætermittit ferre sententiam condemnatoriam in peccantem propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum ejus. Alia vero est correctio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis, non habens coactionem, sed simplicem admonitionem. Et ideo, ubi probabiliter æstimatur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum; quia ea, quæ sunt ad finem, debent regulari, secundum quod exigit ratio finis.*

Quæritur 8. Utrum in fraterna correctione debeat admonitio secreta ex necessitate præcepti præcedere denuntiationem?

Re-

Respondeo. Si peccata sunt publica, statim fieri debet denuntiatio sine prævia admonitione privata. Si autem peccata sunt occulta, distinguendum est; an sint nociva aliis, vel non? Si fuerint nociva in corpore vel anima, v. g. per seductionem, & non fuerit certum, per admonitionem secretam illud nocumentum impediri posse, etiam in hoc casu denuntiatio facienda est sine admonitione privata. Si autem peccatum nulli noceat, nisi delinquenti & ejus complici; tunc videndum est, an per admonitionem privatam possit emendari conscientia delinquentis, ita ut quis probabilius credat, delinquentem ex admonitione privata se emendaturum? Si ita probabilius credatur admonitio privata profutura, ea denuntiationi præmittenda est. Si autem probabilius credatur, admonitionem privatam non profuturam, denuntiatio sine prævia admonitione facienda est. Ita quoad rem D. *Thomas* qui 2. 2. q. 33. a. 7. C. sic scribit: " Circa publicam denun- „ tiationem peccatorum distinguendum „ est. Aut enim peccata sunt publica, „ aut sunt occulta? Si sint publica, non „ est tantum adhibendum remedium ei, „ qui peccavit, ut melior fiat, sed et- „ iam aliis, in quorum notitiam deve- „ nit, ut non scandalizentur. Et ideo „ talia peccata sunt publice arguenda, „ secundum illud Apostoli 1. Tim. 5. „ *Peccantes coram omnibus argue, ut &* „ *cæteri timorem habeant*; quod intelli- „ gitur de peccatis publicis, ut Augu- „ stinus dicit in l. de Verbis Domini. „ Si vero sint peccata occulta, sic vi- „ detur habere locum, quod Dominus „ dicit: *Si peccaverit in te frater tuus*, „ *corripe eum inter te & ipsum solum &c.* „ Quando enim te offendit publice co- „ ram aliis, jam non solum in te pec- „ cat, sed etiam in alios quos turbat. „ Sed quia etiam in occultis peccatis po- „ test parari proximorum offensa, ideo „ adhuc videtur distinguendum esse. Quæ- „ dam enim peccata occulta sunt, quæ „ sunt in nocumentum proximorum vel „ corporale vel spirituale, puta si ali- „ quis occulte tractet, quomodo civi- „ tas tradatur hostibus, vel si hæreticus „ privatim homines a fide avertat. Et „ quia ille, qui sic occulte peccat, non „ solum in te peccat, sed etiam in alios, „ oportet statim procedere ad denuntia- „ tionem, ut hujusmodi nocumentum „ impediatur, nisi forte aliquis firmiter „ existimaret, quod statim per secretam „ admonitionem posset hujusmodi mala „ impedire. Quædam vero peccata sunt, „ quæ solum sunt in malum peccantis, „ & ejus in quem peccatur, vel quia a „ peccante solus læditur, vel (quia læ- „ ditur) saltem ex sola notitia (de cri- „ mine delinquentis, cui alioquin vene- „ rationem aut obedientiam deberet); „ & tunc ad hoc solum tendendum est, „ ut fratri peccanti subveniatur. Et sicut „ Medicus corporalis sanitatem ægroto „ confert, si potest, sine membri ali- „ cujus abscissione; si autem non potest, „ abscindit membrum minus necessa- „ rium, ut vita totius conservetur: ita „ etiam ille, qui studet emendationi fra- „ tris, debet, si potest (sine periculo „ aliorum membrorum) sic emendare „ fratrem quantum ad conscientiam, ut „ fama ejus conservetur; quæ quidem est „ utilis; primo quidem ipsi peccanti non „ solum in temporalibus, quibus quan- „ tum ad multa homo patitur detrimen- „ tum amissa fama, sed etiam quantum „ ad spiritualia; quia præ timore infa- „ miæ multi a peccato retrahuntur. Un- „ de quando se infamatos conspiciunt, „ irrefrænate peccant. Unde *Hierony-* „ *mus* dicit: *Corripiendus est seorsim fra-* „ *ter, ne si semel pudorem vel verecun-* „ *diam amiserit, permaneat in pecca-* „ *to*. Secundo debet conservari fama fra- „ tris peccantis; tum quia uno infama- „ to alii infamantur; secundum illud Au- „ gustini in Epistola 137. ad plebem „ Hipponensem. *Cum de aliquibus, qui* „ *sanctum nomen profitentur, aliquid cri-* „ *minis vel falsi sonuerit, vel veri pa-* „ *tuerit, instant, satagunt, ambiunt, ut* „ *de omnibus hoc credatur; tum etiam* „ *quia ex peccato unius publicato alii* „ *provocantur ad peccandum*. Sed quia „ conscientia præferenda est famæ, vo- „ luit Dominus, ut saltem cum dispendio „ famæ fratris conscientia per publicam „ de-

„ denuntiationem a peccato liberetur. „ Unde (quod attinet principalem quæ- „ ſtionem, ex toto hoc diſcurſu) patet, „ quod ſecreta admonitio publicam de- „ nunciationem præcedat.

Quæritur 9. Quid in praxi circa ejuſmodi correctiones vel denuntiationes obſervandum ſit?

Reſpondeo. Cum in hac re maxima circumſpectione agendum ſit, ſi in particulari caſus gravis momenti occurrat, pro praxi obſervari debet.

1. Ut de corpore & qualitate delicti certo conſtet; hoc eſt, non per ſolum rumorem; non per ſolos teſtes ex aliorum auditu; non per teſtes ſuſpectæ, dubiæ, vel exiguæ fidei; non ſub terminis ſolum generalibus, qui varie exponi, vel in ſpecie attenuari poſſint.

2. Ut bene expendatur; an delictum ſit contagioſum, ſeductorium, pernitioſum, nocivum? Item, an ſeductio pertingat tantum ad unam, vel plures perſonas; vel omnino multas? An exinde facile oriri poſſit ſcandalum publicum, v. g. infamatio ſtatus Clericalis, familiæ illuſtris, ordinis, communitatis &c.? Nam juxta magnitudinem mali, quod ſequi pronum eſt, etiam ſecurius ac certius remedium adhibendum eſt.

3. An delinquens jam ſe emendaverit? An habeat ſigna conſtantis emendationis ſine probabili periculo relapſus, ſi conſtituatur in iiſdem occaſionibus? An *firmiter*, prout D. Thomas loquitur, poſſit *exiſtimari*, admonitionem privatam fore profuturam? An vero timeri potius debeat, delinquentem evaſurum pejorem in ſenſu ſuperius explicato? Si enim delictum conſiſtat in genere luxuriæ vel impudicitiæ per ſeductionem puellárum vel puerorum, vix unquam ſperanda eſt ex viro præſertim jam adulto emendatio per admonitionem privatam. Cum enim poteſtas dæmonum in tales perſonas juſto Dei judicio magna ſit, & habitus ſit radicatus in memoria, phantaſia, & organis, facilis eſt relapſus, ſi eadem illicia vel eædem occaſiones redeant.

4. Si conſideratis omnibus timeatur, admonitionem parum profuturam, inſpiciendum eſt, an ille, cui denuntiatio facienda eſt, ſit vir prudens, qui ſciat & velit adhibere correctionem ab initio *paternam* cum læſione famæ, quantum fieri poteſt, omnium minima, præſertim ſi denuntiandus competenter corrigi non poſſit ſine gravi ſcandalo, aut damno ſpirituali vel temporali tertii? Si enim ob imprudentiam, imperitiam, aut impotentiam Superioris, cui facienda eſt denuntiatio, timeantur majora mala, minus malum, quod timeretur ex admonitione privata, eligendum foret.

5. Invocandus erit Deus ſpecialiter pro illuſtratione; excludenda ab animo omnis paſſio iræ, vindictæ, amoris, odii, ſpei, timoris &c. relegendæ ex authoribus probatis regulæ in hac materia obſervandæ; ac tandem Superior, cui fit denuntiatio, monendus erit, prima vice eam denuntiationem ſolum fieri in ordine ad *paternam admonitionem*, non ad *punitionem publicam* judicialem.

Quæritur 10. An liceant proclamationes publicæ in capitulo Religioſorum ſine prævia admonitione privata?

Reſpondeo. De culpis levioribus, quæ non inurunt infamiam, licent; de culpis autem gravioribus non licent, ſi ſufficienter profutura credatur *firmiter* admonitio privata ad arcendum gtave aliorum vel communitatis periculum. Ita reſpondet S. *Thomas* l. c. ad 4. his verbis: *Dicendum, quod hujuſmodi proclamationes, quæ in capitulis Religioſorum fiunt, ſunt de aliquibus levibus, quæ famæ non derogant. Unde ſunt quaſi quædam commemorationes potius oblitarum culparum, quam accuſationes vel denuntiationes. Si eſſent tamen talia, de quibus frater infamaretur, contra præceptum Domini ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret.*

Quæritur 11. An detur obligatio, ante privatam admonitionem denuntiandi gravia, quando Superior in viſitatione generatim omnibus, vel extra viſitationem alicui in particulari præcipit, præſertim ſi hoc præcipiatur ſub juramento, dicendi, ſi quid corrigendum ſciverit?

Reſpondeo. In tali caſu ſi Viſitator aut Superior interroget judicialiter, hoc eſt,

eſt, non ſolum ad paternam admonitionem pro ſecreta correctione, ſed ad publicam punitionem, non datur obligatio retegendi peccata prorſus occulta, de quibus circa perſonam determinatam neque in ſpecie, neque in genere præceſſit infamia, aut prudens ſuſpicio, ſaltem ſufficiens ad inquiſitionem generalem, niſi in illa perſona ſit timendus relapſus, & ex relapſu periculum immineat ſaluti animarum vel bono publico v. g. per ſeductionem, aut infamiam totius communitatis. Ita explicandus eſt D. *Thomas*, dum l. c. ſic ſcribit: *Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini ſecundum illud Act. 5. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. Et ideo, quando Prælatus præcipit, ut ſibi dicatur, quod quis ſciverit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſane ſalvo ordine fraternæ correctionis, ſive præceptum fiat communiter ad omnes, ſive ad aliquem ſpecialiter. Sed ſi Prælatus expreſſe præciperet contra hunc ordinem a Domino inſtitutum, & ipſe peccaret præcipiens, & ei obediens, quaſi contra præceptum Domini agens: Unde non eſſet ei obediendum; quia Prælatus non eſt Judex delictorum occultorum, ſed ſolus Deus. Unde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi in quantum per aliqua indicia manifeſtantur, vel per aliquas ſuſpiciones, in quibus caſibus poteſt Prælatus præcipere eodem modo, ſicut & Judex ſæcularis vel Eccleſiaſticus poteſt exigere juramentum de veritate dicenda.* Cæterum, ſi Superior non agat judicialiter, aliud dicendum eſt, prout explicabitur infra qq. 8.

Quæritur 12. Quid agendum, quando dubitatur, an delinquens jam ſit ſerio emendatus, vel non? an in eadem occaſione potius ſit relapſurus, vel non? an correctio privata ſit habitura fructum ſufficientem vel non?

Reſpondeo. Quando peccatum ſolum nocet delinquenti, & conſcius peccati probabilius judicat, delinquentem jam eſſe emendatum, nec redeunte eadem occaſione relapſurum, ac eatenus correctionem privatam fructu ſuo non carituram, non tenetur denuntiare delinquentem, etiamſi non detur moralis certitudo de probitate & conſtantia illius. At vero ſi peccatum fuerit ita comparatum, ut tendat ad aliorum nocumentum ſpirituale vel corporale, v. g. ad aliorum ſeductionem, vel diffamationem, & moralis certitudo non habeatur de actuali emendatione ac perſeverantia delinquentis, aut de profectu correctionis privatæ in ordine ad eam moralem certitudinem emendationis & perſeverantiæ, datur obligatio denuntiandi ad Superiorem non tanquam judicem in pœnam, ſed tanquam patrem & teſtem pro admonitione paterna. Imo in tali caſu aliquando utile fuerit, ſi Superior reticito nomine denuntiantis ad denuntiationem paternam adhibeat duos teſtes, niſi ex hoc ipſo, quod delinquens ſciat, quinam habeant notitiam ſui delicti, iis malum aut perſecutio, quod facile contingit, timenda ſint. Hanc eſſe mentem D. *Thomæ*, legibus ordinatæ charitatis conformem, ex ſequentibus ejus verbis pateſcit, in quibus terminum *probabiliter* ſumit pro eo, quod quis *verius ac probabilius* judicat, quia alioquin intra duas lineas ſibimet contradiceret, dum aſſerit, eum, qui *probabiliter* cenſetur ex privata correctione emendandus, non eſſe denuntiandum, eum vero, qui *probabiliter* cenſetur non emendandus, eſſe denuntiandum, quæ eſſent contradictoria in uſu hujus termini apud modernos probabiliſtas. At vero a D. Thoma & antiquis tò *probabile* regulariter ſumi pro tò probabilius, oſtendi in *Arte Critica*, quæ reperitur in Appendice *Philoſophiæ Pollinganæ* Auguſtæ & Venetiis editæ, & in Tract. *de Conſcientia* in *Theol. Eclect.* Ita S. *Thomas* 2. 2. q. 33. a. 7. C. ſic ſcribit: *Quædam peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum; & quia ille qui ſic peccat, peccat etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, niſi forte aliquis NB. firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire.* Et l. c. a. 8. ad 1. *Dicendum, quod poſt admonitionem ſecretam ſemel vel pluries factam, quamdiu ſpes probabiliter habetur de correctione, per ſecretam admonitio-*

tionem procedendum est. Ex *quo autem probabiliter jam cognoscere possumus, quod secreta admonitio non valet, procedendum est ulterius, quantumcunque peccatum sit occultum, ad testium inductionem; nisi forte probabiliter æstimaretur, quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur; quia propter hoc totaliter est a correctione* (privata) *cessandum*. Quod autem in tali casu denuntiatio Superiori sit facienda ut patri & testi, si speretur fructus, non solum insinuat S. *Thomas* l. c. *ad* 4. sed etiam S. *Augustinus* in Regula c. 6. his verbis: *Antequam* (delinquens) *aliis demonstretur per quos convincendus est, si negaverit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus* (privatim) *neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correptus non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendi sunt alii, ut jam coram omnibus possit non ab uno teste argui* (nempe Prælato) *sed a duobus vel tribus convinci*.

Quæritur 13. Utrum renuntiare juri suo pro correctione privata ante denuntiationem ad Superiorem sit omnibus Religiosis aut etiam Clericis commune? An vero id sit soli Societati Jesu proprium?

Respondeo. Id colligitur ex sequenti doctrina P. *Palao*, & P. *Catalani*, qui ambo sunt Societatis Jesu. *Prior* T. I. Theol. Tr. Sexto Disput. 3. de charitate punct. 12. sic scribit: " Quæritur, „ an si frater emendatus sit de delicto, „ possis Prælato patri denuntiare, ut securior sit a recidivo? Prima sententia „ affirmat, quam tenet *Richardus* in 4. „ *Gabriel*, *Rosella*, *Angelus*, *Graffius*. „ Secunda sententia negat: Ita *Adrianus*, *Sotus*, *Navarrus*, *D. Thomas*, „ *Antoninus*, *Sylvester*, & alii. Tertia „ sententia distinguit. Si delinquens non „ renuntiavit juri sibi conservandi famam, vera est secunda sententia. Si „ autem renuntiavit, ut renunciant Religiosi Societatis Jesu, vera est prima „ sententia. Quod autem Religiosi Societatis Jesu juri sibi conservandæ (apud „ Superiorem) famæ cedant, probari „ potest ex Reg. 9. Summ. Constitut. „ Ibi enim dicitur: *Ad majorem spiritus profectum & præcipue ad majorem „ submissionem & humilitatem propriam „ contentus esse quisque debet, ut omnes „ errores & defectus ipsius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo & observatæ fuerint, Superioribus per quemvis, „ qui extra confessionem eas acceperit, „ manifestentur*. Verum mihi probabilius videtur, si certo tibi constat, „ proximum emendatum esse, neque „ probabile periculum habere relabendi, nullo modo posse eorum delicta „ Superiori manifestare; neque consensus in Societate præstitus ad hunc casum censendus est extendi. Ita docet „ *Thomas Sanchez*, & probatur: Nam „ finis præcipuus in Societate, ob quem „ mandantur delicta Superioribus deferri, est correctio ipsius delinquentis, „ quod abunde constat ex Reg. 30. sequenti ad nuper positam, ubi dicitur: *Boni etiam omnes consulant ab „ aliis corrigi, & ad aliorum correctionem juvare debito cum amore, ad majorem spiritus profectum*. Si ergo frater correctus omnino est, & emendatus, neque periculum sit recidivi, cessat finis, ob quem consentit delicta „ Superioribus deferre.

„ *Dixi*, nisi proximus periculum habeat relabendi, si præteritus ejus lapsus „ Superiori non manifestatur. Nam stante periculo manifestandus est, ut præservet, quod sentit expresse *Valentia* „ cum *Adriano*, *Soto*, & *D. Thoma*, „ & probat. Nam etiam ob hujusmodi „ finem liceret cuilibet privato, sine „ cujus ope non reputaretur proximus „ immunis a relapsu, delictum indicare. Probabile periculum relapsus voco, quando ita proximus occasionibus „ peccati innodatus sit, ut moraliter „ loquendo judicetur casurus, nisi ab illis divertatur. Nam de alio periculo „ remoto non est curandum, cum omnibus tale periculum insit ex fragilitate naturæ. Quapropter Petrus de Ledesma affirmat; si scias Religiosum in „ luxuriam incidisse non ex malitia, „ hoc est, ex consuetudine, sed ex fragilitate humana propter occasionem sibi oblatam, te non debere Prælato de-

„ nun-

„ nuntiare, si a te corrigi potest; quia „ tunc non censetur in probabili periculo cadendi. At si ex malitia & „ prava consuetudine peccat, affirmat „ denuntiandum fore; quia raro præsumi potest emendatus, sed potius in „ morali periculo iterum & sæpe cadendi. Addo, in nostra Societate propter „ cessionem juris, etiamsi ex fragilitate peccet, denuntiari posse, quia semper præsumi debet, melius a Prælato, „ quam ab alio socio corrigendum fore, „ & quando hic major profectus intervenit, jam proximus cessit juri sibi conservandæ famæ apud Prælatum. Sed „ quid dicendum, quando dubium est, „ an delinquens emendatus sit? Respondeo, si delictum est tantum in damnum ipsius delinquentis, qui juri famæ non cessit, non teneris ullo modo deferre Prælato; immo nec potes, cum infamatio sit certa & ratio excusans dubia. Si tamen cessit „ juri famæ, bene poteris, quia adest „ finis correctionis saltem sub dubio, „ ac proinde sufficiens honestandi actionem. Verum si delicta sint in damnum „ tertii, vel communitatis, qualia censet Thomas Sanchez l. 6. Decal. c. 18. „ n. 50. & Suarez disp. 8. sect. 6. n. 12. „ esse fere omnia religiosorum externa „ peccata, tunc denuntianda sunt Prælato casu, quo dubium sit, an sit „ delinquens emendatus, & timeatur recidivum, nisi Prælato manifestetur, „ quia damnum communitati vel tertio faciendum etiam sub dubio præponderat famæ particularis delinquentis. Et ita docet Thomas Sanchez, „ Lorca, Petrus de Nav." Hucusque Palao. Eadem scribit *Catalanus* T. I. Theol. P. 1. de charit. q. 7. c. 6. qq. 8. n. 24. hoc solo discrimine, quod dum *Palao* scribit: *fere omnia religiosorum peccata externa*, Catalanus scribat illimitate: *omnia religiosorum peccata externa*. Ex his sequitur; quod juxta Palaum & Catalanum discrimen inter Jesuitas & alios Religiosos quoad hoc punctum correctionis solum consisteret in eo 1. quod Jesuitæ etiam denuntiandi essent circa peccata non nociva proximo, quando non peccant ex consuetudine, & dubium esset an sint relapsuri vel non; econtra alii religiosi in tali dubio de relapsu circa peccata non nociva proximo juxta eorum sententiam non deberent denuntiari; 2. in eo, quod si dubitetur, an delinquens sit emendatus, Jesuita sit denuntiandus circa peccata non nociva proximo; alius autem religiosus, nisi & ipse cesserit juri suæ famæ, non sit denuntiandus. Si itaque vera sit sententia, quod omnia peccata religiosorum sint nociva proximo, cessat totaliter totum discrimen inter Jesuitas & alios Religiosos. Hinc,

Quæritur 14. An omnia peccata externa Religiosorum sint nociva proximo, adeoque denuntiationi sine prævia admonitione privata obnoxia?

Respondeo 1. Non omnino omnia, sed tamen *ferme omnia* peccata externa religiosorum mortalia sunt graviter nociva proximo, adeoque denuntiationi sine prævia admonitione privata obnoxia.

Respondeo 2. Omnia illa peccata mortalia externa Religiosorum censenda sunt nociva proximo, & immediate sine prævia admonitione privata denuntiationi obnoxia, quæ præbent indicium pravi radicati habitus in animo, etiamsi quoad actum externum raro in opus prodire soleant. Econtra illa sola peccata mortalia externa non sunt nociva proximo, quæ præter hoc quod vere occulta sint; sunt ejus naturæ, ut non præbeant indicium pravi radicati habitus in animo. Talia autem illa sola sunt, quæ fiunt ex metu prorsus extraordinario, aut ex præcipitantia prorsus insolita animi in casu rarissimo ac extraordinario, qualia fuerunt perjurium & negatio Petri, & lapsus Marcellini Papæ, vulgo existimatus. Ea enim semper habent & promptam & seriam & acrem ac constantem pœnitentiam in animo prius optimo. Omnia enim alia peccata mortalia externa religiosorum cum plena deliberatione, & cum plena notitia de malitia objecti, quod certum est, esse mortale, commissa, sunt indicium, quod in animo talis religiosi lateat pravus habitus vel

vel crassæ ignorantiæ, vel pessimorum principiorum, vel neglectus virtutum & mediorum longe arcentium hominem religiosum a vitio, vel indurationis & excœcationis exulante radicato timore, & frigescente charitate Dei, & vitiata æstimatione ac apprehensione de malitia immensa peccati mortalis. Hæc, si in animo religiosi, qui abundat mediis spiritualibus, reperta fuerint, impossibile est, ut considerato præsenti statu Ecclesiæ, in quo omnes religiosi aut laborant pro salute sæcularium concionando, confessiones excipiendo, conversando, visitando, consulendo, admonendo, &c. aut laborant pro salute suorum confratrum, colloquendo, disciplinam promovendo, votis capitularibus superiores aut salubria constituendo, ut, inquam, latentes pravi radicati habitus non plurimum noceant bono communi & saluti aliorum. Itaque, si per peccatum mortale externum præbeatur indicium talis pravi habitus, interest Superioris immediati vel mediati, vel Visitatoris, nosse talia semina seu zizania nociva. Ita quoad rem docet *Suarez* de charitate Disput. 8. Sect. 6. num. 11. sic scribit: *Si delictum est contra commune bonum religionis, statim est denuntiandum* (Superiori vel Visitatori sine prævia admonitione privata in ordine ad correctionem paternam.) *Ubi advertendum est, ut peccatum aliquod Religiosi judicetur graviter pernitiosum religioni, non oportere, ut sit crimen hæresis vel proditio, &c. sed satis est, si ex illo grave scandalum oriatur ipsis religiosis. Et grave voco non solum quod ad mortalia peccata inclina, sed quod in causa est, ut multi remisse, & cum frequentibus defectibus vivant. Nam hoc sine dubio pro ratione status est grave damnum, multo magis quam sit infamia unius religiosi circa suum Superiorem. Ac simile est, si sit morale periculum, ut ex tali peccato oriatur gravis infamia corpori religionis & similia*. Et n. 12. *Regulariter loquendo, etiam, si peccatum sit omnino privatum, censeo licere illud immediate dicere Superiori. Quia si leve est, levis est etiam infamia, & magna est utilitas ei, qui denuntiatur. Item similis consuetudo est valde consentanea, & fere necessaria huic statui, ut possit proficere. Si vero est gravius delictum, vix fieri potest, ut non noceat multis propter magnam familiaritatem, & communicationem inter religiosos ejusdem domus; sæpe etiam est grave periculum infamiæ totius religionis; & deinde vix potest esse rationabilis spes emendationis perfectæ sine Superiore. Quia aut Religiosus peccat ex malitia & consuetudine, & tunc per se patet difficultas. Si ex fragilitate, oportet tollere occasiones. Illis enim manentibus non potest existimari firma emendatio. Illæ autem tolli vix possunt absque Superiore. Accedit, quod cum Religiosi profitentur religionem, vel tacite vel expresse renuntiant aliquo modo juri, quod habere possunt ad hujusmodi famam & ordinem. Tacite quidem, quia hoc ipso, quod profitentur perfectionem, & efficiuntur membra corporis, quod ad illam tendit, volunt secum agi illis mediis, quæ illi fini sunt magis consentanea. Præterea sicut se totos & omnia sua dedicant religioni, ita ipsa potius, quam illi, habet dominium famæ illorum. Explicite autem, si fortasse in religionis instituto id expresse contineatur. Quod non est contra charitatem, quia cedere alicui famæ propter majus spirituale bonum & proprium & communitatis, est valde rationi consentaneum; præcipue cum hujusmodi infamia fere nulla sit, ut in proposito. Et hoc sensu habet verum sententia Richardi. Idem habet Angelus; & est plane sententia D. Thomæ partim l. c. a. 7. clarius quodlibeto* 11. *art.* 13. *Quæ tamen omnia regulariter intelligenda sunt. Non quia hoc præceptum* (prius præmittendi admonitionem privatam) *non obliget omnes etiam religiosos, sed quia affirmativum est, & in eo statu* (religioso) *raro occurrunt omnes circumstantiæ, cum quibus obligat ad illum ordinem. Si tamen in aliquo casu occurrerent, non est dubium, quin obligaret, ut etiam* D. *Thomas ibi docet, & Basilius in quæstionibus longioribus* q. 46. *& Augustinus* Epist. 109. *Quia charitas omnes obligat & nullus cedit juri charitatis. Quocirca*

notan-

notanda sunt verba D. *Thomæ in Quod. l. c. ubi ait*. „ Quia propter varias circumstantias non potest certa regula assignari, ideo habendum pro regula est, „ quod in omnibus istis servanda est „ charitas, & *quod melius & magis ex*„ *pedire videtur*. Et si hoc intendat, „ scilicet emendam fratris & servet, „ quantum potest, bonum charitatis, „ tunc denuntiando non peccat. " Hucusque Suarez, recte cum D. Thoma pro ultima regula adducens charitatem Dei, vi cujus homo tenetur eligere, quod pro gloria Dei & decore Ecclesiæ & salute animarum plurium est *melius & expedientius*. Jus enim naturæ activum Dei pro sua gloria extrinseca est antiquius & prius quam jus naturæ activum hominis ad hominem. Cum autem Suarezius textum D. *Thomæ* non referat integrum, ne a Lectore sinistre explicetur, necessarium duco, illum referre integrum. Itaque textus sic habet: *Utrum statim, cum quis scit, fratrem suum peccasse, debeat denuntiare Prælato, dico, quod in his distinguendum est de conditionibus subditi & Prælati. Nam si ego scio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato. Si autem videtur, quod hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest hoc denuntiare sibi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi & emendam. Sed quia propter conditiones diversas Prælatorum & subditorum non potest in hoc dari generale judicium, quia aliquando Prælatus vel movetur ad odium adversus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati, ideo tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper servanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur* &c. Itaque in hac materia, quod pro gloria Dei, decore Ecclesiæ, bono Ordinis vel monasterii, salute plurium, salute delinquentis congruentius videbitur, eligatur, & majus bonum minori, publicum privato in selectu mediorum præponatur.

Quæritur 15. Utrum obligatio denuntiandi delinquentes semper viguerit in Ecclesia?

Respondeo. Hæc obligatio semper viguit in Ecclesia. Hujus rei testes sunt *Constitutiones Apostolicæ*, scriptæ sæculo secundo ad minimum, & repræsentantes Disciplinam primi sæculi. In l. 2. c. 20. Episcopo dicitur: „ Errantem aut delictis quassatum monitione hortatoria & „ ex delictis exonerans in Ecclesiam re„ stitue. Et c. 21. Non sis facilis ad „ ejiciendum ex Ecclesia, non testimo„ nium adversus ullum sumens, nisi „ quod dictum sit a duobus aut tribus „ fidelibus testibus, quorum mores jam „ diu probati sint, & qui neque ini„ micitia neque invidia moventur. Et „ c. 37. Episcopum oportet vitiosa cu„ rare, neque quibusvis credere. Igitur „ considera eum, qui accusatus est, ani„ madvertens, quæ ejus vita sit. Et si „ repereris, accusatorem verum dicere, „ fac, ut Dominus faciendum esse vo„ luit; conveni accusatum seorsim, & „ argue eum nemine præsente, ut pœ„ niteat; si autem non paruerit, adhi„ bito uno aut altero indica ei erratum. „ Si vobis tribus crediderit, bene se ha„ bet. Si obstinatus erit, dic Ecclesiæ. „ Hanc si audire noluerit, ne eum ad „ Ecclesiam admittas. Et c. 44. Diaco„ nus de omni re ad Episcopum refe„ rat. Sit Diaconus Episcopi auris & „ oculus, os, cor, & anima. „ Ea disciplina adhuc viguit Sæculo quarto & quinto tempore S. Augustini, qui *Hom.* 49. *inter* 50. sic scribit: „ Si deviastis a „ vinculo conjugali, sit in vobis humi„ litas pœnitentiæ. Commendo vos cu„ stodiendos uxoribus vestris; Zelent vi„ ros suos; ego jubeo; Christus in me „ jubet; nolite permittere fornicari vi„ ros vestros. Interpellate contra illos „ Ecclesiam. Non dico Judices publi„ cos, sed Deum. Est misera conditio „ mea; quia plerumque cogor adulteros „ nosse; castos nosse non possum. Et „ *Hom.* 50. *l. c.* Multi corriguntur ut „ Petrus; multi tolerantur ut Judas; „ multi nesciuntur. Nam plerique pro„ pterea nolunt alios accusare, dum se

„ per illos cupiunt excusare. Plerique „ autem boni Christiani propterea ta„ cent, & sufferunt aliorum peccata, „ quæ noverunt, quia documentis sæpe „ deseruntur, & ea, quæ ipsi sciunt, ju„ dicibus Ecclesiasticis probare non pos„ sunt. Quamvis enim vera sint quæ„ dam, non tamen judici facile creden„ da sunt, nisi certis indiciis demon„ strentur. Et *Serm. 16.* In secreto de„ bemus corripere, in secreto arguere „ ne volentes publice arguere prodamus „ hominem. Nos volumus corripere & „ corrigere. Novit nescio quem homi„ cidam Episcopus, & alius illum nemo „ novit. Prorsus nec prodo, nec negli„ go. Corripio in secreto; pono ante „ oculos judicium Dei; terreo cruen„ tam conscientiam, persuadeo pœniten„ tiam. Hac charitate præditi esse de„ bemus. Unde aliquando homines re„ prehendunt nos, quod quasi non cor„ ripiamus; aut putant nos tacere, „ quod scimus. Sed forte quod scis, & „ ego scio; sed non coram te corripio, „ quia curare volo, non accusare.

Quæritur 16. An Superior teneatur sub peccato mortali corrigere defectus veniales, si ex defectu correctionis sequatur eadem licentia in aliis?

Respondeo. P. *Catalanus*, alioquin Probabilista de Charit. q. 7. c. 7. n. 9. respondet affirmative, quod verissimum est. " Notandum, inquit, quod si pec„ cans venialiter subditus sit, & ex ejus „ peccatis venialibus nimia licentia in „ aliis oriretur similiter peccandi; ita „ ruinam & labefactationem pateretur „ religiosa observantia; teneretur tunc „ Superior non solum sub veniali, ve„ rum etiam sub gravi ad corrigendos „ illos defectus veniales, illosque extir„ pandos. Ratio est, quia spectat ad Su„ periorem ac ex munere suo adstringi„ tur ad religiosam disciplinam conser„ vandam, & arcenda ea, quæ ipsam „ labefactant, etiamsi levia sint. Idem „ dicendum de Provincialibus, Visitato„ ribus, Syndicis, si non corrigant Su„ periores sibi subditos, permittentes hanc „ labefactionem regularis observantiæ, „ cum eadem obligatio militet pro ip„ sis, ac pro Superioribus respectu suo„ rum subditorum. Sic ex Suarez, Lor„ ca, Coninch, Soto, Bannez, Sa, & „ aliis docet Castropalaus.

§. VI.

De Eleemosina.

QUæritur 1. Quid sit Eleemosina?

Respondeo. Elemosina *stricte accepta* dicitur subventio indigentiæ alienæ circa necessaria pro victu & vestitu. *Late accepta* vocatur eleemosina omnis subventio miseriæ alienæ, tam spiritualis quam corporalis. Hinc *ad eleemosinam spiritualem* refertur bonum *consilium*, delinquentium moderata *castigatio*, afflictorum *consolatio*, injuriarum *remissio*, patiens molestiarum a proximo illatarum *tolerantia*, & devota pro confortatione tribulatorum, periclitantium auxilio, agonizantium corroboratione, animarum purgantium liberatione, &c. *oratio*. *Ad corporalem eleemosinam* refertur visitatio infirmorum, potatio sitientium, refectio esurientium, redemptio captivorum, vestitio nudorum, receptio peregrinorum, mortuorum sepelitio. *Hoc loco* potissimum agetur *de eleemosina stricte accepta*.

Quæritur 2. An detur præceptum dandi eleesimosinam?

Respondeo. Obligatio dandi eleemosinam est juris naturalis & divini tam in V. quam N. Testamento. Christus enim eatenus non novam legem condidit, sed datam recognovit.

1. Deut. 15. v. 7. *Si unus de fratribus tuis ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum* (vere dictum sine censu) *quo eum indigere perspexeris*.

2. Proverb. 14. v. 21. *Qui despicit proximum tuum* (non subveniendo), *peccat*, & v. 31. *Honorat factorem ejus qui miseretur pauperis*. Nam cum Deus sit & videri velit providus pro omnibus, periclitatur reprehendi ejus providentia, nisi divites subveniant egenis, quos illorum misericordiæ commisit.

3. Pro-

3. Proverb. 19. v. 17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Ergo sicut homo jure naturæ tenetur subvenire parenti indigenti, ita etiam tenetur subvenire ut ita dicam, Deo, qui pro sua necessitate haberi vult indigentiam pauperis, filii sui titulo creationis & redemptionis. Hinc in eundem sensum Christus Matth. 25. v. 40. dicit: *Amen dico vobis; quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

4. Proverb. 21. v. 13. *Qui obturat aurem ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Quod est signum gravis indignationis divinæ.

5. Isaiæ 58. v. 1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum. Me enim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non dereliquerit. Quare jejunavimus, & non aspexisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Dissolve colligationes impietatis; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos; frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc anteibit faciem tuam justitia tua. Tunc invocabis & Dominus exaudiet. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua.* In hoc textu inter scelera computatur non subvenire indigenti.

6. In Ezechiele 16. v. 45. *Soror tua Samaria & Sodoma: neque secundum scelera eorum fecisti minus. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium, & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

7. Ecclesiastici 4. *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, & non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum.* Hæc exauditio signum est, quod etiam Deus graviter irascatur immisericordi, cui graviter & juste irascitur pauper.

8. Ibid. 12. v. 3. *Non est ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosinas non danti; quoniam altissimus odio habet peccatores.* Et c. 29. v. 12. *Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam tuam propter fratrem & amicum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quam aurum. Conclude eleemosinam in corde pauperis, & hæc te exorabit ab omni malo.* In hoc textu absconsio pecuniæ dicitur in perditionem; & immensa eleemosinæ vis apud Deum argumento est, eam exigi a Deo lege charitatis erga Deum.

9. Matth. 25. v. 41. Christus in extremo judicio se condemnaturum immisericordes ait: *Tunc* (Judex) *dicet & his, qui a sinistris erunt. Discedite a me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. Sitivi, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

10. S. Joannes 1. Epist. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

11. S. Jacobus 3. v. 14. *Quid proderit, Fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. Nunquid poterit fides salvare eum? Si autem Frater aut Soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic*

& fides,

& fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Ostendit in hoc textu; in tali homine misericordiam revera nullam esse; ubi autem nulla in homine est vera misericordia, ibi damnatio certa est. Ibidem enim c. 3. v. 13. dicitur: *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.* Ex his omnibus patet; inter essentiales ac primarias obligationes Christiani esse obligationem dandi eleemosinam, quam utinam Parochi & Concionatores præ aliis rebus non præceptis a Deo & Ecclesia magis inculcarent!

12. Eadem obligatio manifeste sequitur ex generali principio lumine naturæ noto; & tam a Lege veteri quam nova sæpius inculcato. Nam Levit. 19. v. 18. dicitur: *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum. Ego Dominus.* Et *Tobiæ* 4. v. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Et Matth. 7. v. 12. *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ.* Et Lucæ 6. *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.*

Quæritur 3. Quotuplex sit indigentia seu necessitas proximi?

Respondeo. Authores multi eam dividunt in *triplicem*, nempe in *extremam*, *gravem*, & *communem*. Nonnulli eam dividunt in *quadruplicem*, nempe in *extremam*, *quasi extremam*, *gravem*, & *communem*. *Extrema necessitas* vocatur, quando morali certitudine imminet vitæ periculum, nisi succurratur. *Quasi extrema* necessitas dicitur, quando morali certitudine imminet periculum mali, quod communi æstimatione hominum censetur gravius vel certe non minus grave ipsa morte. Talia mala sunt amissio sanitatis irrecuperabiliter; amissio alicujus membri vel sensus principalis, v. g. pedis, brachii, manus, visus, auditus; perpetua incarceratio, captivitas apud barbaros v. g. Turcas &c. *Gravis necessitas* dicitur, quando morali certitudine imminet periculum mali, quo stante quis difficillime vivere possit secundum statum suum. Talia mala sunt amissio libertatis per captivitatem, infamia, gravis jactura bonorum, officii &c. item, si vir nobilis cogatur famulari, & vir honestus aut artifex mendicare. *Communis necessitas* est, qua communiter laborant plerique homines pauperes juxta conditionem status sui, ita ut difficulter non sine magnis molestiis absque ulla ferme refocillatione ac consolatione se conservent in suo statu. Ita quoad rem plerique authores.

Quæritur 4. Quotuplicis generis sint *bona*, ex quibus datur obligatio erogandi eleemosinam?

Respondeo. Dividuntur ab authoribus in duo genera; nempe in *bona necessaria*, & in *bona superflua*. *Bona necessaria* sunt, quæ requiruntur vel ad vitæ commoditatem moderatam simul, ac honestatem, vel ad vitæ necessitatem. *Bona superflua* sunt, sine quibus vita juxta conditionem status honeste & commode servari potest. Hinc cum honestas status non consistat in indivisibili, merito damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Vix in sæcularibus, etiam in Regibus invenies superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosinam, quando tantum tenetur ex superfluo statui.* Cæterum ad bona necessaria non solum referuntur ea, quæ cuivis necessaria sunt pro statu præsente, sed etiam pro statu futuro, v. g. senio, probabiliter eventuro. Item ea, quæ cuivis necessaria sunt pro sua uxore, & liberis honeste elocandis; vel pro communitate honeste sustentanda.

Quæritur 5. An ad necessitatem quasi extremam referendum sit, si vir nobilis cogeretur publice mendicare?

Respondeo. Sunt, qui hoc ad necessitatem quasi extremam referunt. Censeo distinguendum; an sua gravi culpa, v. g. prodigalitate, injustitia &c. in eam miseriam venerit, vel sine sua culpa? si sine sua culpa eo devenit, merito gaudet misericordia speciali, quæ debetur constitutis in necessitate quasi extrema. Si autem suommet vitio eam miseriam, quam prævidere potuit & debuit, sponte elegit, non jure de ea miseria tanquam morti æquiparanda conqueritur. Nec enim supplicio addictos quis

in

in extremæ aut quasi extremæ necessitatis classem conjecerit.

Quæritur 6. An detur obligatio sub peccato mortali constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex superfluis suo statui?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex parabola, seu ut alii putant, historia Epulonis divitis, qui ea solum de causa damnatus est, quod Lazaro in extrema vel quasi extrema necessitate constituto sua superflua non communicaverit. De hoc in Luca 16. v. 19. sic legitur: " Homo quidam erat dives, qui „ induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat „ quidam mendicus nomine Lazarus, „ qui jacebat ad januam ejus, ulceribus „ plenus, cupiens saturari de micis, quæ „ cadebant de mensa divitis, & nemo „ illi dabat; sed & canes veniebant, & „ lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portabatur ab angelis in sinum Abrahæ. „ Mortuus est autem & dives, & sepultus est inferno. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe & Lazarum in „ sinu ejus. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum „ digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac „ flamma; & dixit illi Abraham: Fili, „ recordare, quia recepisti bona in vita „ tua, & Lazarus similiter mala. Nunc „ autem hic consolatur, & tu cruciaris. „ Et in his omnibus inter nos & vos „ chaos magnum firmatum est. " Ex hac parabola patet, causam æternæ damnationis in divite Epulone nullam aliam allegari, quam immisericordiam erga constitutum in gravi necessitate, non erogando superflua status. Ita observat S. *Augustinus* Serm. 178. ubi ait: " Si vis „ audire crimen divitis illius, noli amplius quærere, quod audis a veritate. „ Dives erat, induebatur purpura & „ bysso, & epulabatur quotidie splendide. Quod ergo ejus crimen? Jacens „ ante januam ulcerosus, & non adjutus. Nunquid si pauper ille ante januam jacens sufficientem panem a divite acciperet, diceretur de illo quia „ cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis? Propter hanc „ solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congrue digneque pascebat, sepultus est apud inferos. " Ita S. Augustinus. Lazarum vero in quasi extrema necessitate constitutum fuisse, expendit S. *Petrus Chrysologus* Serm. 121. ubi ait: " Deus ad aperiendum cor divitis totum corpus pauperis vulneribus aperit; solvuntur viscera, ulcera „ producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, sanies effunditur, ut quem vox „ esurientis non moverat, vel suspiria, „ vel dolores, vel gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret.

Quæritur 7. An detur obligatio, constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex necessariis ad status honestatem vel commoditatem?

Respondeo. Affirmative.

Id *probatur* 1. Ex Scriptura, quia 1. Joa. 3. indefinite dicitur: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Cum in hoc textu sermo sit de quavis necessitate gravi; quanto magis urgebit in necessitate extrema vel quasi extrema?

Probatur 2. Authoritate Patrum. *Lactantius* l. 6. Instit. c. 11. *Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis; quibus, nisi largiare, moriendum est; fove, quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.* 2. S. *Gregorius M.* in Pastorali p. 3. admonit. 21. *Admonendi sunt, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur. Incassum se innocentes putant, qui cum accepta* (a Deo) *non tribuunt, in proximorum necem grassantur; quia tot pene quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt.* Idem indefinite in Evangelia Hom. 20. ad illa verba S. Joannis B. " Qui habet „ duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat " sic scribit:

Per

Per hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro, quam pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut non solum exteriora quæque & minus necessaria, sed ipsa valde nobis necessaria dividere cum proximis debeamus, scilicet vel escam, qua carnaliter vivimus, vel tunicam qua vestimur. Quia enim in Lege scriptum est: diliges proximum tuum sicut teipsum, minus proximum amare convincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea, quæ sibi sunt necessaria, partitur.

Quæritur 8. An detur obligatio, constitutis in extrema vel quasi extrema necessitate subveniendi ex necessariis ad sustentationem vitæ?

Respondeo 1. Non datur obligatio, constitutis in extrema necessitate subveniendi cum periculo incidendi in necessitatem quasi extremam.

Respondeo 2. Non datur obligatio, constitutis in quasi extrema necessitate subveniendi cum periculo incidendi in necessitatem gravem.

Respondeo 3. Nec datur obligatio, constitutis in extrema necessitate subveniendi cum periculo incidendi in necessitatem gravem perpetuam vel diuturnam.

Respondeo 4. Datur tamen obligatio, constitutis in extrema necessitate subveniendi cum periculo incidendi in necessitatem gravem brevi transeuntem. Hæ Responsiones.

Probantur 1. Ex communi principio: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Nemo autem vellet, a suis amicis, quos forte centum numerat, aut a quovis homine proximo, sibi imponi obligationem subeundi necessitatem gravem perpetuam, ut eum a morte liberet, vel subeundi necessitatem gravem transeuntem, ut quemvis proximum a necessitate quasi extrema frequentissima, & in tanta multitudine populi ferme quotidiana, cum tanta sua difficultate liberet. Alioquin eoipso teneretur subire necessitatem gravem perpetuam, ut innumeris frequenter ad quasi extremam necessitatem redactis subveniat. Charitas Christiana est amor amicitiæ, quæ non consistit in communione gravissimorum malorum cum amico, sed in communione bonorum. Neque enim amicus amicum obligat ad subeundas & partiendas secum graves miserias perpetuas, a divina providentia sibi immissas.

Probatur 2. Ex D. *Paulo*, qui, cum ubique terrarum eleemosinas colligeret pro Sanctis in Jerusalem, hoc est, primis Christianis, viginti aut triginta millibus, qui abdicatis omnibus bonis voluntariam paupertatem elegerant, atque ob iteratas persecutiones & gravissimam famem in Judæa grassantem ad quasi extremam vel certe gravem necessitatem devenerant, non obligat alios Christianos ad subeundas & partiendas pares miserias. Sic enim scribit 2. Cor. 8. *Nunc & facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas.* In hoc textu Apostolus non urget sublevationem miseriæ alienæ, ad hoc ut fiat remissior, cum obligatione ad subeundam tribulationem seu gravem indigentiam propriam; neque intendit æqualitatem bonorum, sed æquationem meritorum, dum unum suis precibus juvant benefactores sui.

Probatur 3. S. *Augustinus* Serm. 42. explicans præfata verba Apostoli ait: *Ambos fecit Dominus, divitem unde pauperem adjuvaret; pauperem, unde divitem probaret. Pro viribus suis quisque faciat. Non sic faciat, ut ipse patiatur angustias; non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alii.*

Probatur 4. Textus Patrum, si attente inspiciantur, nulli docent obligationem esse subeundi gravem necessitatem perpetuam ad sublevandum proximum ab extrema necessitate, aut subeundi gravem necessitatem temporaneam ad eruendum proximum ex quasi extrema necessitate. Ergo ea obligatio non datur.

Probatur 5. Authoritate & ratione D. *Tho-*

Thomæ, qui 2. 2. q. 32. a. 5. C. sic scribit: „ Eleemosinarum largitio est de præcepto, secundum quod recta ratio requirit; secundum quam ex parte dantis considerandum est, ut id quod est in eleemosinas erogandum, sit ei superfluum: secundum illud Lucæ 11. *Quod supereſt, date eleemosinam*. Et dico *superfluum* non solum respectu suiipsius, quod est supra id, quod est necessarium individuo, sed etiam respectu aliorum, quorum cura ei incumbit respectu quorum dicitur necessarium personæ, secundum quod persona dignitatem importat. Quia prius oportet, quod unusquisque sibi provideat, & his quorum cura ei incumbit, & postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat. Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare ei eleemosina daretur. Sed cum non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri, non omnis necessitas (*quæ in nimis multis hominibus reperitur*) obligat ad præceptum, sed illa sola, in qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest. In illo enim casu locum habet, quod *Ambrosius* (*relatus* C. *pasce. dist.* 86.) dicit. *Pasce fame morientem; si non paveris, occidisti*. Sic ergo dare eleemosinam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosinam ei, qui est in extrema necessitate. Alias autem eleemosinas dare est in consilio. " In hoc textu D. Thomas solum agnoscit duos titulos dandi eleemosinam, nempe vel *ratione superflui* ad honestatem aut conservationem vitæ ex parte dantis; vel *extremam necessitatem* ex parte recipientis. Itaque ubi neuter horum duorum titulorum reperitur, non datur obligatio dandi eleemosinam. Idem repetit l. c. *ad* 3. „ Dicendum, inquit, quod est aliquod tempus dare, in quo mortaliter peccat, si eleemosinam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in infinitum. Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. Sed debent dijudicari *superfluum* & *necessarium*, secundum ea, quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt.

Idem l. c. a. 6. C. ex instituto examinat, an debeat dari eleemosina de necessario, & ait: „ Necessarium dupliciter dicitur. Uno modo, sine quo aliquid esse non potest. Et de tali necessario omnino eleemosina dari non debet; puta, si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solum, unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad eum pertinentes. De hoc enim necesſario eleemosina dare est sibi & suis vitam subtrahere. Alio modo dicitur aliquid necesſarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundum conditionem & statum propriæ personæ & aliarum personarum, quarum cura ei incumbit. Cujusmodi necesſarii terminus non est in indivisibili constitutus; sed multis additis non potest dijudicari esse ultra tale necessarium, & multis subtractis adhuc remanet unde possit convenienter aliquis vitam transigere secundum proprium statum. De hujusmodi ergo eleemosinam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio (generaliter loquendo.) Inordinatum autem esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed ab hoc tria sunt excipienda. Quorum primum est, quando aliquis statum mutat, puta per religionis ingresſum. Secundo, quando ea, quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertio, quando occur-

„ occurreret extrema necessitas alicujus „ privatæ personæ, vel etiam aliqua „ magna necessitas Reipublicæ. In hi „ enim casibus laudabiliter prætermit- „ teret aliquis id, quod ad decentiam „ sui status pertinere videretur, ut ma- „ jori necessitati subveniret. " Si hi textus D. Thomæ ex articulo quinto & sexto ad invicem conferantur, patebit; eum agnoscere obligationem, constitutis in extrema necessitate subveniendi de necessariis ad honestatem status, adeoque cum periculo incidendi in necessitatem perpetuam gravem; constitutis autem in necessitate quasi extrema subveniendi de necessariis ad honestatem status cum periculo incidendi in necessitatem temporaneam transeuntem.

Quæritur 9. An obligatio subveniendi in extrema necessitate incipiat jam tunc, quando est probabile periculum incurrendæ extremæ necessitatis?

Respondeo. Quando in paupere reperitur probabile periculum incurrendæ extremæ necessitatis; jam incipit obligatio subveniendi ex necessariis ad honestatem status etiam cum periculo incurrendi necessitatem gravem transeuntem. Ita colligitur partim ex textibus Scripturæ indefinitis, partim ex textibus Doctorum. D. *Thomas* in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. qq. 4. ad 4. sic scribit; „ Tempus, ad quod „ obligat præceptum de eleemosinis fa- „ ciendis accipitur ex parte accipientis, „ quando apparent signa probabilia ex- „ tremæ necessitatis futuræ, nisi ei sub- „ veniatur, ut cum aliquis videt alios „ impotentes vel pigros ad subvenien- „ dum, & pauperem indigentem cibo „ & potu, & aliis vitæ necessariis, nec „ sibi satisfacere posse. Non enim exspe- „ ctanda est ultima necessitas; quia tunc „ forte non posset juvari natura jam „ fame, vel siti confecta. Et l. c. a. 4. „ C. Illud sine quo non potest esse vel „ vivere aliquis, vel ipse, vel illi, quo- „ rum curam habet, non debet in elee- „ mosinas expendi, nisi forte posset, „ antequam talis necessitas incumbat, „ per alium modum resarciri. Similiter „ etiam illud, quo subtracto non potest „ servari decentia status aliquo modo „ sui vel suorum, non debet aliquis in „ eleemosinas expendere, nisi de facili „ resarciri posit; vel nisi necessitas il- „ la præponderet, vel alicujus personæ „ specialis in necessitate ultima existen- „ tis, vel Ecclesiæ vel Reipublicæ. In hoc textu D. Thomas agnoscit obligationem subveniendi proximo in necessitate extrema constituto ex necessariis ad decentiam status, si facile resarciri possit, ita ut brevi transitura sit ea necessitas vel incommoditas gravis. Immo si necessitas extrema foret alicujus personæ bono communi necessariæ, vel totius Ecclesiæ aut Reipublicæ, censet S. Thomas; eleemosinam dandam esse imminuta decentia status, etsi tam facile resarciri non posset.

Quæritur 10. Utrum in extrema necessitate omnia sint communia, ita ut in tali necessitate constitutus possit sibi providere modo meliore, quo potest?

Respondeo 1. In extrema necessitate omnia quidem sunt communia quoad usum, sed non quoad Dominium. Ut enim recte observat *Navarrus* infra referendus, absurdum est dicere, quod famelicus præ fame in extrema necessitate constitutus habeat Dominium omnium panum in urbe reperibilium, & quod exsatiatus frusto panis statim iterum amittat omnium panum Dominium.

Respondeo 2. Illa communio omnium bonorum in extrema necessitate quoad usum non fundatur in Dominio bonorum, sed in dispositione supremi principis, in tali casu utentis suo Dominio alto in bona subditorum in conservationem membri Reipublicæ.

Respondeo 3. Hinc constitutus in extrema necessitate non potest arripere bona pro suo libitu, sed juxta præsumptam rationabilem concessionem principis.

Respondeo 4. Hinc illum suum usum nequit extendere ultra limites extremæ necessitatis, & ultra modum concessionis præsumptæ. Hunc esse sensum Doctrinæ D. *Thomæ*, ratio evincit, dum 2. 2. q. 32. a. 7. ad 3. scribit: *In casu extremæ necessitatis omnia sunt communia; unde licet ei, qui talem necessitatem patitur, accipere de alieno ad sui su-*

sustentationem, *si non inveniat*, *qui sibi dare velit*. Ex hoc ipso textu patet; constitutos in extrema necessitate obligari ad rogandum pro iis rebus quibus indigent, & tunc primum, si injuste negentur, eas sumi posse.

Quæritur 11. An etiam constituti in quasi extrema necessitate possint uti hoc privilegio bonorum communium?

Respondeo. Si incurrunt periculum probabile creandi grave onus Reipublicæ, & hoc periculum excludi possit remedio facili, ac certo, quod in nullius cedit grave præjudicium, ex præsumpto consensu supremi Principis, licite utuntur hoc privilegio bonorum communium.

Ratio est; quia & leges amicitiæ Christianæ, & leges prudentiæ legislativæ hoc postulant, ut levi incommodo amici grave conamici & Reipublicæ malum prævertatur, & consensus legalis principis prudenter ad hoc cencedendum deesse nequit.

Quæritur 12. Utrum in tali casu liceat alienum accipere vel usurpare ad subveniendum in extrema vel quasi extrema necessitate constituto?

Respondeo. Si re modica subveniri possit, id licet. Si autem re modica indigens juvari non possit, id non licet.

Ratio est; quia id quod licet, tantum licet ex præsumpto rationabiliter consensu Domini, & Principis. Hi autem prudenter non relinquerent cuivis privato æstimationem necessitatis alienæ, & dispositionem de rebus alienis in rebus gravioris momenti. Ita explicanda est Doctrina D. Thomæ, dum 2. 2. q. 32. a. 7. ad 3. sic scribit: *In casu extremæ necessitatis omnia sunt communia. Unde licet ei*, *qui talem necessitatem patitur*, *accipere de alieno ad sui sustentationem*, *si non inveniat*, *qui sibi dare velit*. *Et eadem ratione licet habere aliquid de alieno*, *& potest de hoc eleemosinam dare*, *quinimo & accipere; si aliter subveniri non possit necessitatem patienti*. *Si tamen fieri potest sine periculo*, *debet requisita Domini voluntate pauperi providere extremam necessitatem patienti*.

Quæritur 13. An gravatus ære alieno possit valide aut licite non necessarias eleemosinas facere cum probabili præjudicio creditorum?

Respondeo. Si gravatus ære alieno possit creditoribus suis certo satisfacere ex aliis suis bonis, licite & valide erogat etiam magnas eleemosinas. Si autem dubium aut periculum si, an alia bona suffectura sint ad satisfaciendum creditoribus, illicite quidem sed tamen valide dat notabiles eleemosinas; quia repugnat æquitati naturali, exponere creditores notabili periculo amittendi pecunias bona fide creditas. Si autem manifestum sit, aut manifestum esse facile possit attentis oculis, eum non fore solvendo ex aliis bonis, ejusmodi notabiles eleemosinæ nec licite nec valide dantur, & nec licite nec valide acceptantur, sed acceptantes tenentur ad restitutionem faciendam creditoribus.

Ratio est, quia ex alieno non datur licite aut valide eleemosina. Sed illud, quod manifeste debetur creditoribus, est æs alienum. Jura enim ea, quæ debentur creditoribus, vocant æs alienum; dum hæredibus solum concedunt successionem in bona defuncti deducto *ære alieno*, hoc est debito famulis, mercenariis, creditoribus &c.

Quæritur 14. An licite aut valide detur eleemosina ex male partis?

Respondeo. Ex male partis, quamdiu restitutioni sunt obnoxia ad personam vel communitatem injuste damnificatam, nec licite nec valide erogantur in eleemosinam. Quamprimum autem extinguitur titulus restitutionis, debent erogari in eleemosinam, nisi ad applicationem in aliud genus causæ piæ obliget ordo charitatis. Ita colligitur ex Scriptura & Patribus & Theologis. In *Scriptura* Proverb. 3. dicitur: Honora Dominum de tua substantia. Et Tobiæ 3. *Ex substantia tua fac eleemosinam*. Et Isajæ 61. *Ego Dominus diligens judicium*, *& odio habens rapinam in holocausto*. Et Eccles. 34. *Dona iniquorum non probat altissimus*, *nec respicit oblationes iniquorum*. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum*, *quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Si itaque Deus non acce-

acceptat dona ex alieno, nec acceptat eleemosinas ex alieno. *Ex Patribus* S. *Augustinus* Serm. 113. c. 2. dicit: *Dominus ait; facite vobis amicos de divitiis iniquitatis. Hoc quidam male intelligendo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant, se facere, quod præceptum est. Intellectus iste corrigendus est.* Et Epist. 153. n. 24. *Qui contra jus societatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, oppressionibus, invasionibus abstulerit, reddenda potius, quam donanda censemus Zachæi publicani evangelico exemplo, qui in vitam sanctam repente mutatus inquit: Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cui aliquid abstuli, reddo quadruplum.* Et Serm. 178. *Ait mihi raptor rerum alienarum; Agapes facio, nudos vestio, peregrinos suscipio. Dare te putas? tollere noli, & dedisti. Si ergo, quod alteri abstulisti, egentibus dedisses &c. nec talia opera diligit Deus. Dicit tibi Deus; stulte, jussi ut dares, non de alieno. Si habes; da de tuo.* Ex *Theologis* S. *Thomas* 2. 2. q. 32. a. 7. ait: *Tripliciter potest aliquid esse illicite aquisitum. Uno modo id, quod illicite ab aliquo aquiritur, debetur ei, a quo est aquisitum, nec potest ab eo retineri, qui aquisivit, sicut contingit in rapina & furto, & usuris. Et de talibus cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosina fieri non potest; alio vero modo est aliquid illicite aquisitum, quia quidem ille, qui aquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, a quo aquisivit, quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit; sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosinas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. Tertio modo est aliquid illicite aquisitum, non quia ipsa aquisitio est illicita, sed quia id, ex quo aquiritur est illicitum, sicut patet de eo, quod mulier aquirit per meretricium* (donationibus gratuitis. Quod enim contractus turpes jure naturæ invalidi sint, suppono ex Tract. de Justitia.) *Unde quod sic illicite aquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosina fieri.*

Quæritur 15. An possint erogare eleemosinam constituti sub alterius potestate?

Respondeo, Distinguendum esse, an quis sit constitutus sub alterius potestate, *tanquam Domini* bonorum, prout sunt famuli sub suo Hero; vel *tanquam administratoris* bonorum, quales sunt Tutores, Prælati, Camerarii civitatum &c. Si fuerit sub potestate alterius tanquam Domini bonorum ad illius solius *voluntatem personalem* rationabiliter præsumptam respiciendum est in erogandis eleemosinis. Si autem constitutus fuerit sub potestate alterius tanquam administratoris bonorum, *ad voluntatem legalem* veri Domini, puta pupilli, communitatis, urbis, &c. in erogandis eleemosinis respiciendum est. Voluntatem *legalem* dico, quam talis Dominus juxta leges prudentiæ Christianæ & œconomicæ potest & debet habere. In hoc sensu intelligendus est S. *Thomas*; dum 2. 2. q. 32. a. 8. ait: *Oportet, quod ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter, quam sit ei a Superiore commissum. Sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus de re, secundum quam Superiori subjicitur, eleemosinam facere non debet, nisi quatenus ei a Superiore fuerit commissum. Si quis vero habeat aliquid, secundum quod potestati Superioris non subsit, jam secundum hoc non est potestati subjectus, quantum ad hoc proprii juris existens. Et de hoc potest eleemosinam facere.*

Quæritur 16. An & qualem eleemosinam facere possint Religiosi, præsertim habentes administrationem bonorum?

Respondeo. In hac re præsupponendum est; quod ipsimet Prælati non sint Domini, sed tantum Administratores bonorum communium. Dominium enim bonorum est penes communitatem, cujus voluntas subjacet sacris legibus Ecclesiæ, & directioni ac intentoni summorum Pontificum. Hoc præsupposito dico; quod Religiosi privati de bonis suæ dispositioni vel administrationi non concreditis nullas possint facere eleemosinas, nisi *ex personali consensu* Superio-

perio-

perioris immediati rationabiliter præsumpto.

Ratio est, quia non expedit bono communi, ut Ecclesia cuivis privato Religioso relinquat æstimationem de legalitate consensus vel dissensus Superiorum. At vero Religiosi habentes dispositionem vel administrationem bonorum possunt facere eleemosinas ex consensu legali Superioris immediati rationabiliter præsumpto. Ratio est, quia bonum Ecclesiæ exigit, ut Religiosi habentes dispositionem vel administrationem habeant libertatem æstimandi de legalitate consensus vel dissensus Superiorum, ubi consensus personalis vergit in præjudicium, dissensus in favorem pauperum. Nam, cum dominium bonorum sit penes communitatem, & suprema directio penes Summos Pontifices, administratoribus communibus, nempe Prælato & ejus Officialibus incumbit, magis respicere ad voluntatem *ordinatam* Communitatis & Summorum Pontificum, quam ad voluntatem *personalem* propriam vel Prælati. Ita explicandus est S. *Thomas*, dum 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1. sic scribit: *Dicendum, quod Monachus* (eadem ratio est de aliis Religiosis,) *si habet dispensationem a Prælato commissam, potest eleemosinas facere de rebus monasterii, secundum quod est commissum. Si vero non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta, nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari, ut eleemosinam daret.*

Quæritur 17. An & qualem eleemosinam facere possit uxor, vel maritus?

Respondeo. Si uxor habeat paraphernalia, certum est, quod de iis possit libere disponere in eleemosinas sine consensu mariti. Idem de marito dicendum est. Si autem uxor non habeat paraphernalia, distinguendum est; an habeat cum marito per aquæstum bona communia? Si habeat per aquæstum bona communia, prout fieri solet, ubi uxores obeunt functiones mercaturæ, cauponariæ, ancillæ, administrationis œconomiæ domesticæ laboriosæ, &c. licet ipsi ex bonis communibus communi labore partis facere moderatas eleemosinas ex consensu legali mariti tanquam coadministratoris communis rationabiliter præsumpto. Ille autem consensus legalis maritorum æstimandus erit vel ex more aliarum conjugum æqualis conditionis, opulentiæ, vel indigentiæ; aut ex judicio prudentis Confessarii, qui consideratis redditibus post deductas expensas annuas, debitis activis & passivis, prolium numero, mariti parsimonia vel prodigalitate, & aliis circumstantiis, judicabit, utrum uxori centesima, quinquagesima, vel vigesima, vel decima communis aquæstus annui pars in eleemosinas, vel alias pias causas concedenda sit. Si enim maritus omnia abliguriat vel prodigat, & nulli adsint liberi, vel pauci, quibus bona immobilia sufficientissime abundant, non est impedienda uxor a facienda moderata eleemosina, cum a tali viro, aut liberis vix ulla amplius speret post mortem eleemosinarum suffragia. Si autem uxor non habeat cum marito bona communia per æquæstum, & bona dotalia, quæ attulit, laborque, quem impendit, vix sufficiant ad providendum illi & liberis de victu & vestitu, quales sunt uxores nobilium communiter, non poterit facere insuetas eleemosinas sine consensu personali sui mariti rationabiliter præsumpto.

Ratio est; quia bona dotalia marito concessa sunt pro administratione in levamen onerum maritalium. Aliud dicendum foret, si uxor marito attulisset bona dotalia ferentia annuos redditus redundantes ultra victum & vestitum suum & liberorum. In hunc sensum explicandus est S. *Thomas*, dum. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. sic scribit: *Si Uxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosinas etiam irrequisito assensu viri; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemosinas sine consensu viri vel expresso vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est.* Huc pertinet Epi-

ſtola 262. S. *Auguſtini* , ubi acriter reprehendit quandam uxorem , quæ ferme omnia ſua bona duobus tranſeuntibus Monachis donaverat . Notandum etiam eſt monitum S. *Raimundi* , qui l. 2. Tit. *de furtis* §. 9. ſic ſcribit : *Uxor de rebus viri, ut de pane , vino & aliis , quæ bono & approbato more ſolent ad diſpenſationem uxorum pertinere , poteſt & debet facere eleemoſinam , moderate tamen, ſecundum facultatem viri , & majorem vel minorem multitudinem vel neceſſitatem pauperum , & debet ſibi ſemper formare conſcientiam , quod non diſpliceat marito in corde , licet prohibuerit ore . Solent enim ſic prohibere ut ſic temperent eas non a teto , ſed ab exceſſu .*

Quæritur 18. An & quales eleemoſinas facere poſſint filii & famuli ?

Reſpondeo. Si nullam habeant adminiſtrationem , nullas poſſunt dare , niſi ex conſenſu *perſonali* parentum & Dominorum rationabiliter præſumpto , qualis habetur, ſi ea erogent, quæ ſuo ori vel uſui legitime applicanda comparcunt ſine alio præjudicio æquivalenti rei domeſticæ. Si enim in uno genere ciborum vellent ſibi detrahere , & in alio genere ciborum æqualis valoris id ſupplere, non poſſent tales eleemoſinæ dici ſumptæ ex vere parſimonialibus. Addo; ad conſenſum præſumptum ſufficere, dummodo filius aut filia habeat tacitum conſenſum unius parentis habentis facultatem diſponendi ; & ſi famulus aut ancilla habeat conſenſum Domini vel Dominæ , pollentis facultate diſponendi. Immo in dubio circa conſenſum tacitum licite dabunt moderatam eleemoſinam ſub propoſito , per parſimoniam , extraordinarium laborem , vel alium modum reſarciendi juxta arbitrium Confeſſarii , ſi forte erogatam eleemoſinam non approbaret tanquam licitam. In hoc ſenſu explicandus eſt S. *Thomas*, dum 2. 2. q. 32. a. 8. ad 3. ſic ſcribit : *Ea, quæ ſunt filiifamilias , ſunt & patris , & ideo non poteſt eleemoſinam facere , niſi forte aliquam modicam, de qua poteſt præſumere , quod patri placeat , niſi forte alicujus rei eſſet ſibi a patre diſpenſatio commiſſa . Et idem dicendum eſt de ſervis .* Dum hoc loco S. Thomas facit oppoſitionem inter eos filios, aut ſervos , qui nullam habent , & qui habent adminiſtrationem, diſcrimen in alio conſiſtere nequit, niſi quod illi indigeant *conſenſu perſonali*, iſti tantum *conſenſu legali* ſuorum parentum , vel Dominorum *præſumpto* , hoc eſt tali , quem prudens adminiſtrator ſuarum rerum juxta leges prudentiæ chriſtianæ debet habere, quamdiu non expreſſe diſſentiat.

Quæritur 19. An conjunctiori magis ſuccurrendum ſit per eleemoſinam , quam ſanctiori ?

Reſpondeo. Cæteris paribus magis ſuccurrendum eſt propinquo , quam non propinquo. Si autem cætera non ſint paria , ſed in eo , qui non eſt propinquus , reperiatur *notabilis exceſſus* quoad *ſanctitatem* , vel quoad *indigentiam* , vel quoad excellentiam & *utilitatem* perſonæ pro bono communi utilioris , attendendum eſt , an propinquitas & conditio & indigentia propinqui tanta ſit, ut jure naturali ejus nobis ſpecialis cura immineat , vel non ? Si jure naturali ejus nobis ſpecialis cura incumbit , & indigentia gravis ſit , datur obligatio ſuccurrendi potius ejuſmodi propinquo quam ſanctiori vel indigentiori, aut utiliori . Si autem jure naturali nulla amplius ejuſmodi perſonæ ſpecialis cura incumbat, eo quod per leges civiles , vel ſtatuta municipalia , vel per contractum jam ſit aliorum curæ concredita , ſuccurrendum potius eſt illi , ex cujus ſublevatione major Dei gloria vel animarum ſalus , vel Religionis honeſtas exurgit . Cum enim proximus diligendus ſit propter Deum , in dubio alterius naturalis juris ad proximum lex charitatis erga Deum conſulenda eſt , ut illud præferatur, ex quo Deus magis colitur. Quod ſi hæc omnia liquida non ſunt , aut dividenda & parianda ſunt jura, ubi convenienter fieri poteſt, aut libertas electionis affectioni privatæ relinquenda eſt . In hunc ſenſum reſpicere videtur S. *Thomas* , dum 2. 2. q. 32. a. 9. ſic ſcribit : *Dicendum, quod ſicut dicit Auguſtinus in l. 1. de doct. chriſt.*

christ. c. 28. (Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.) *Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda secundum differentiam conjunctionis, & sanctitatis, & utilitatis. Nam multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum est magis eleemosina danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjunctæ, cujus cura specialis nobis immineat, & si magnam necessitatem non patitur.* *Idem* 2. 2. q. 31. a. 3. ad 1. ait: *Si duorum unus est magis conjunctus, & alter magis indigens, non potest universali regula determinari, cui sit magis subveniendum, quia sunt diversi gradus & indigentiæ & propinquitatis; sed hoc requirit prudentis arbitrium. Et ad* 3. *Nullius Benefactoris beneficium est tantum, sicut parentum; & ideo parentes in recompensandis beneficiis sunt omnibus aliis præferendi, nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio, puta, communis utilitas Ecclesiæ vel Reipublicæ. In aliis autem est æstimatio habenda & conjunctionis & beneficii suscepti: quæ similiter non potest communi regula determinari.* In his textibus remittit D. Thomas ad prudentis judicium. Nam cum prudentia sit ordo mediorum ad finem, finis autem sit gloria Dei, decor Religionis seu Ecclesiæ Christi, & salus animarum, manifestum est, ubi diversa combinatio multarum circumstantiarum variat judicium, regulam universalem prælationis ex consideratione solum unius circumstantiæ dari non posse. Cæterum *si quis quærat*, quinam sint ii, quorum homini specialis cura incumbat, dico esse eos 1. qui sunt hæredes necessarii ab intestato. 2. conjuncti ex cognatione spirituali in baptismo & confirmatione. 3. pupilli & Minorennes ex sorore vel fratre carentes alio tutore vel curatore. 4. fratres & sorores, præsertim viduæ. 5. fratres & sorores parentum, præsertim viduæ. 6. domestici famuli aut famulæ diuturno servitio vel casu viribus destitutæ. Horum omnium curam specialem partim lex naturalis, partim lex divina, partim decor Ecclesiæ & honestas veræ Religionis imponit. Sic 1. Tim. 5. dicitur: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit & est infideli deterior.*

Quæritur 20. An liceat dare eleemosinam, si a Magistratu severe prohibitum sit dare eleemosinam vagabundis vel aliis mendicantibus?

Respondeo. Si prohibitio solum sit sub pœna pecuniaria, vel alia pœna amissionis jurium temporalium, censendum est, legem esse pœnalem, sicque tuta conscientia illis licebit dare eleemosinam, quibus licet se exponere periculo probabili incurrendi illam pœnam.

Respondeo 2. Si talia mendicabula sint in extrema necessitate, sublevandi sunt etiam cum periculo subeundi mulctam, nisi ea tam gravis sit, ut largientem eleemosinas constituat in periculo probabili incurrendi necessitatem gravem perpetuam.

Respondeo 3. Si mendicabula habeant anticipatum jus quærendi sustentationem honestam ex mendicatione, prout alicubi solent habere milites ob inhabilitatem dimissi, vel pauperes indigenæ, & Respublica illis non provideat de sustentatione sufficiente ad conservandam decenter sanitatem & vitam, non licebit illis propterea spoliare privatos; sed tantum poterunt quærere satisfactionem ab eo, qui iis tenetur providere de sufficiente honesta sustentatione.

§. VII.

De Obligatione mutuandi gratis.

QUæritur 1. An & quando detur obligatio mutuandi gratis sine exactione census consueti?

Respondeo. Datur ex charitate obligatio mutuandi gratis in triplici casu. 1. Quando servantur pecuniæ ad decentiam status superfluæ, eæque sine morali periculo sortis commodari possunt amico aut subdito in gravi necessitate constituto. 2. Quando habentur pecuniæ ad de-

decentiam ſtatus ſuperfluæ, illæque ſine morali periculo ſortis commodari poſſunt alicui in quaſi extrema neceſſitate conſtituto. 3. Quando habentur pecuniæ ad decentiam ſtatus quidem requiſitæ, ſed quæ in extrema neceſſitate conſtituto commodari poſſint ſine morali periculo, ex amiſſione probabili ſortis incidendi in neceſſitatem gravem perpetuam. Ad hæc omnia obligari hominem ex charitate fuſe oſtenſum eſt in Tract. de Jure & Juſtitia in *Theol. Eclect.*

Id Probatur 1. authoritate D. *Antonini*, qui part. 2. tit. 1. C. 7. §. 2. ſic ſcribit: *Dicitur Luc. 6. Mutuum date nihil inde ſperantes. Quod quantum ad eos, qui commode poſſunt mutuare ſine notabili detrimento ſui ſtatus erga eos, qui ſunt in magnis neceſſitatibus conſtituti, & quaſi extremis, videtur eſſe præceptum. Quia ſi hoc dicimus de eleemoſina, a fortiori in mutuo dicendum eſt. Arg. diſt. 86. in ſingulis.*

Idem Probatur 2. ex SS. Patribus.

I. D. *Baſilius* in Pſal. 14. ad illa verba: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, ſic ſcribit: „ Homo animal „ politicum eſt, & ſociale. In communi vero convictu ad ſublevandam alienam inopiam opus eſt in alios liberali rerum largitione. *Petenti namque te*, da. Vult te omnino erga petentes ob fraternam charitatem eſſe facilem in ſimplicitate, ad rationis tamen libellam, ut petentis te appendas neceſſitatem... His qui miſericordiam in illos maxime oſtendunt, qui patienter tribulationem ferre didicerunt, illa a Domino verba dicentur: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare &c. & qui vult a te mutuum accipere, ne avertaris*; quod præceptum pendet ex prius dictis: Nam & pauper, qui hic te petit, utique mutuum ex te petit, illum tibi oſtendens divitem in cœlis, qui pro eo ſolvet debitum. -- Inhumanitas eſt maxima, ſi is, qui egeſtate premitur, mutuum ad vitæ ſubſidium quærat, dans vero minime ſorte contentus ex miſeri calamitate proventus & opes ſibi excogitet. Dominus enim palam nobis præcipit: *Ne vultum avertas ab eo, qui abs te mutuum petit.* Avarus autem videns inopem neceſſitate coactum ad genua ſua ſupplicem procumbentem non miſeretur illius; communem non cogitat naturam; ſed negando perſeverat. Poſtquam vero conſpicit miſerum illum uſuram ſortis ultro offerentem ſubridere incipit. Tunc videamus, inquit, ſi non nihil relictum eſt depoſiti argenti. -- Officium tuum fuerat, hominis depreſſi egeſtatem conſolari ac leniorem reddere; tu contra potius adauges, fructum ex homine deſtituto quærens. -- Et tu inopum calamitates materiam tibi conſtituis augendi proventus? Quod accipis ex paupere, omne ſuperat odii in homines exemplum. Ex calamitatibus pauperum quæſtum facis; ex lacrymis argentum tibi corradis, nudum ſtrangulas; famelicum cædis; miſericordia nulla ſubit mentem. Igitur a volente accipere mutuum ne vultum avertas; nec pecuniam tuam dederis ad uſuram.

II. *Gregorius Nyſſenus* in oratione *contra uſurarios*, dicit: „ Illum, qui mutuum petit, ne averſeris; ob inopiam tibi ſit ſupplex foribuſque tuis aſſidet, cum egens ſit, confugit ad tuas copias, ut ab eo egeſtatem depellas. At tu contrarium facis; opitulator vertitur in hoſtem; non enim opem fers, ut ex illa, qua premitur inopia, evadat, ſed feris afflicto mala, nudum exuens, vulneratum denuo vulnerans, curas curis accumulans, dolores doloribus addens. -- Sed, inquient (*uſurarii*): Ergo a mutuo dando ſuperſedebimus, & quam vitam agent inopes & afflicti? Digna profecto moribus iſtorum ratio! ut enim minantur ſe pauperibus non daturos mutuum; ſic minantur, egenis venientibus ſeſe occluſuros januam. Ego vero primo dandum & donandum eſſe prædico, & annuntio; deinde ad mutuum quoque exhortor. Altera enim donationis ſpecies eſt mutuum; ſed addo, hoc dandum eſſe „ ſine

„ sine fænore, & exactione usuraria, „ eoque modo, quo id divina oracula „ præcipiunt. Æque enim obnoxius est „ pœnæ, qui non dat mutuum, & qui „ dat sub conditione usuræ. Illius nam- „ que inhumanitas, hujus vero caupo- „ narius quæstus merito condemnatur. „ Ast illi ultro ad alterum extremum se „ conferunt, omnique modo a dando „ abstinere volunt; quod sane impru- „ dens est propositum, & contra jus „ fasque furiosa contentio, lisque & „ bellum contra Deum. Vel enim non „ dabo, inquit; vel mutuum dantis con- „ tractum faciam fœneratitium.

III. D. *Ambrosius* lib. de Tobia cap. 2. „ Quod Tobias commodavit pecuniam, „ & non fœneravit, justi servavit of- „ ficium. Malum est enim fœnus, quo „ quæruntur usuræ; sed non illud fœ- „ nus malum, de quo scriptum est: „ *fœnera proximo tuo in tempore neces- „ sitatis illius:* nam David ait: *Justus „ miseretur & commodat.* cap. 3. *Multi „ dispendii metu non fœnerant, dum „ fraudem verentur.* Et hoc est, quod „ petentibus consueverunt referre. Ho- „ rum unicuique dicitur: (*Eccl.* 29.) „ *perde pecuniam propter fratrem & ami- „ cum, & non abscondas illam sub la- „ pide in perditionem. Pone thesaurum „ tuum in præceptis altissimi, & prode- „ rit tibi magis quam aurum.* Sed ob- „ surduerunt aures hominum ad tam „ salutaria præcepta & maxime divi- „ tes. Simul ut aliquis necessitate con- „ strictus, aut pro suorum redemptione „ solicitus, quos captivos barbarus ven- „ dit, rogare cœperit, statim dives vul- „ tum avertit, naturam non recogno- „ scit, humilitatem supplicis non mi- „ seretur, non lacrymis movetur, ju- „ rans quod non habeat. At ubi usu- „ rarum mentio facta fuerit, arridet. „ Quæremus, inquit, domi, si quid no- „ bis peculii est. Frangam propter te „ argentum paternum, plurimum damni „ erit, quæ usuræ compensabunt. Mi- „ sericordes plane viri! usuras solvit, „ qui victu indiget! Quid gravius?

Idem l. 3. de officiis cap. 3. docet, omnes lege naturali humanitatis adstrin- gi, ut indigentibus gratis subveniant. *Christus*, inquit, *exinanivit se, tu ex- polias, quem Christus induit? Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua com- moda augeri expetis. Si quid dolet unum membrum, compatiuntur ei membra omnia. Unde quam grave est, ut detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet? Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cum contra naturam sit non juvare.*

Ex his ergo Basilii, Nysseni, & Ambrosii textibus colligitur, non solum da- ri præceptum negativum, ex mutuo res- pectu indigentium non exigendi lucrum; sed etiam dari præceptum naturale posi- tivum, mutuandi gratis proximo in ne- cessitate constituto.

IV. *Lactantius* inter officia necessaria justi, ex præcepto observanda, ponit etiam, hoc ut necessitatem patienti pe- cuniam commodet gratis. Lib. 6. cap. 18. sic scribit: " Sed omittamus Philoso- „ phos; faciamus, quæ jubet illumina- „ tor noster Deus. Quæ observare cul- „ tor Dei debet, facilia sunt. Non „ mentiatur unquam. Est enim nefas, „ in re aliqua esse fallacem. Itaque ju- „ stus non dicet illud Lucillianum: *Ho- „ mini amico non est mentiri meum*; sed „ etiam inimico existimabit non esse „ mentiri suum. Pecuniam si quam cre- „ diderit, non accipiat usuram, ut & „ beneficium incolume sit, quod suc- „ currit necessitati, & abstineat se pror- „ sus alieno. In hoc enim genere of- „ ficii debet suo esse contentus, quem „ oporteat alias ne proprio quidem par- „ cere, ut bonum faciat, plus autem „ accipere, quam dederit, injustum est; „ quod qui facit, insidiatur quodammo- „ do, ut ex aliena necessitate prædetur. „ At justus nunquam prætermittet, quo „ minus aliquid misericorditer faciat, „ nec inquinabit se hujusmodi quæstu, „ sed id efficiet, ut sine ullo suo damno „ idipsum quod commodat inter bona „ opera numeretur. Munus non acci- „ piet a paupere, ut si ipse præstiterit, „ eo bonum sit, quo fuerit gratuitum.

In hoc textu Lactantius inter officia obligatoria justi ponit non solum, ut usuram in mutuo caveat, sed etiam ipsam concessionem mutui.

V. D. *Hieronymus* in cap. Isaiæ 58. ad illa verba: *Dissolve colligationes impietatis*, docet omne lucrum in mutuo, quod pauperem gravat, iniquum esse; sed eos gratis juvandos esse. „ *Dissolve*, „ *inquit*, *colligationes impietatis*, *solve* „ *fasciculos deprimentes*; sive ut 70. manifestius transtulerunt, obligationes „ violentarum cautionum, quas nostri „ commutationes pro Chirographis interpretati sunt. Significat autem chartarum fasciculos, in quibus fœneratorum calumniæ continentur, & opprimuntur pauperes ære alieno. Non ergo præcipit Propheta, ne exigat unusquisque quod juste dedit, & juste repetit; sed ubi iniqua est cautio, „ ubi pauperes opprimuntur calumnia, „ ibi fasciculi cautionum, & omnia „ iniquitatis vincula rumpenda sunt. „ --- De debitoribus jungitur apertius; *dimitte eos*, *qui confracti* „ *sunt liberos*; hoc est qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, ne liberos sinas mendicare, & omne onus, quo deprimuntur, rumpe. -- frange esurienti panem tuum. „ Si panem non habes, & esurientium „ plurima multitudo est, præbe, de quo „ nullum damnum pateris, in quo nulla dispendia sunt; *pauperes absque te*- „ *cto induc in domum tuam; si videris* „ *nudum*, *operi eum; domesticos seminis tui ne despexeris*: Eadem, & Dominus loquitur: *Esurivi & dedistis* „ *mihi manducare* &c.

Idem in Ezechielem cap. 22. ad illa verba: *Usuram & superabundantiam accepisti*, *& avare proximos tuos calumniata es*, *meique oblita es*. Malitiam hujus criminis non repetit ex eo, quod ex mutuo lucrentur, sed quod ex paupere lucrum quærant, cui per se teneretur opitulari. *Necessitatem*, *inquit*, *pauperum verterunt in lucrum*, *ut usuram & superabundantiam acciperent*, *& propter avaritiam amicos calumniati sunt*.

VI. D. *Chrysostomus* in cap. 17. Matt. Hom. 57. „ Gravis morbus & gravi indigens studio in Ecclesiam incidit. „ Nam cum neque justis laboribus partam pecuniam recondere jubeamur, „ sed apertas pauperibus domos tenere, „ ex aliorum inopia opes nobis colligimus, excusabile avaritiæ & rapinæ „ genus invenisse putantes. Nec de illis quidquam mihi dicas, quæ exterioris sunt legis. Nam & Publicanus exteriorem servat legem, tamen punitur. Quod sane nos quoque patiemur, nisi desinamus pauperes conterere, atque egestate, necessarioque alimento & penuria in cauponationem „ impudentem abuti. Ea enim de causa pecuniis abundas, ut paupertate homines liberes, non ut in paupertatem cauponando intrudas. Tu vero „ simulatione solaminis majores facis ærumnas, & liberalitatem vendis fœnore.

Idem in cap. 23. *Matth. Hom.* 75. „ Quomodo possibile est divitem salvari? Si quæ habet, communia illi cum „ indigentibus sint. Si cupiditatem ab „ animo evellat; si ultra necessarium „ usum non procedat.

Idem in cap. 24. *Matth. hom.* 78. explicans illud Evangelium: *Si dixerit malus servus in corde suo*, *tardat Dominus meus venire*, *& inceperit percutere conservos*, *comedat & bibat cum ebriis &c.* sic scribit: „ Huic similes profecto sunt, „ qui pecuniam habentes pauperibus non „ erogant. Dispensator & tu es pecuniarum tuarum non minus ac qui Ecclesias gubernant. Quemadmodum igitur illi non habent potestatem ea, quæ a vobis collata sunt pauperibus, temere dispergere; quandoquidem ad alimenta pauperum constituta sunt, pari tu quoque modo non debes temere tua consumere. Nam etsi paternam hæreditatem accepisti, atque „ ea ratione, quæcunque habes, tua „ sunt; Dei tamen sunt universa. Si „ tu, quæ dedisti, diligenter dispensari vis, Deum non arbitraris majori exactione a nobis rationem dispensationis petiturum, sed toleraturum, „ ut perperam cuncta dispendantur?

Non

„ Non est ita: non est [. Ideo enim & „ apud te pecuniam esse passus est, ut „ alimenta pauperibus in opportunitute „ concedas. Quid est porro in opporta- „ nitate? (ἐυκαίρῳ) cum egent, cum „ famescunt. Sicut igitur tu conser- „ vo ad dispensandum dedisti; sic Do- „ minus tibi, ut opportune dispen- „ ses. Tu vero non modo non præ- „ bes, verum etiam verberibus cædis. „ Quod si culpa non dare est, quæ ve- „ nia erit verberanti? Non accepisti ut de- „ vorare habeas, sed ut ad eleemosynam „ utaris. An forsan tua te credis ha- „ bere? Res pauperum tibi credita est. „ Perpende quomodo in omnibus fere „ parabolis ille punitur, qui sua pecu- „ nia probe usus non est. Neque virgi „ nes aliena rapuerunt, sed sua non ero- „ gaverunt.

Idem Conc. 2. *de Lazaro*. „ Hic ni- „ hil a divite accepit injuriæ, neque „ enim illius pecunias usurpaverat di- „ ves, sed suas non impartierat. Quod „ si is, qui sua non impartiit, accusa- „ torem habet eum, cui negavit mise- „ ricordiam, qui aliena quoque rapue- „ rit, quam veniam consequetur? -- „ Et hoc rapina est, non impartiri de „ tuis facultatibus. -- Steriles enim pe- „ cuniæ sunt, undecunque eas colle- „ gerimus. Ideo tibi plura possidere con- „ cessit Deus, ut non in scortationes, „ temulentiam, ingluviem, in vestes „ sumptuosas, aliamque mollitiem con- „ sumeres, sed ut ea distribueres egenti- „ bus. Quemadmodum enim receptor „ quispiam, qui regias pecunias acce- „ pit, si neglexerit his, quibus jussus „ est, distribuere, in qua proprias con- „ sumpserit delitias, pœnas dat ac per- „ ditur; ita sane & dives receptor est „ quispiam pecuniarum, quæ pauperibus „ distribui debebant. Itaque cum in „ mandatis habeat, eas distribuere suis „ conservis egentibus, si quid amplius „ quam quod postulet necessitas, in seip- „ sum insumpserit, gravissimas illic da- „ turus est pœnas. Non enim sunt „ ipsius, quæ possidet, sed conservorum „ illius. Parcamus igitur illis, tanquam „ alienis. Quomodo autem illis parce- „ mus tanquam alienis? si illos non in „ usus supervacuos insumpserimus, ne- „ que in nostros tantum usus, sed pau- „ perum manibus impartiverimus. Et- „ iamsi fueris opulentus, si sed plusquam „ opus est, insumpseris, rationem red- „ des pecuniarum tibi creditarum. Ac- „ cepisti plura cæteris, non ut ea solus „ consumas, sed ut eorum cæteris bonus „ fias dispensator.

Idem Serm. 66. circa in Pentecoste acta &c. „ Usura, & eum qui accipit, „ & eum qui solvit, damno afficit: „ ejus enim qui accipit, animam per- „ dit, & ejus, qui solvit, egestatem af- „ fligit. Quid crudelius fieri potest, „ quam cum ex proximi egestate quis- „ piam quæstum facit, & in fratrum „ calamitatibus lucra sectatur; cum qui „ porrigere manum debuerat, eum in „ baratrum propellit, qui subsidio in- „ digebat; Quid facis o homo? non id- „ circo ad tuas fores appulit pauper, ut „ ipsius augeas paupertatem, sed ut ipsum „ liberes paupertate: perinde agis, ac „ qui venena miscent cibis.

Ex his omnibus patet, graviter peccare eos, qui, cum sine suo damno aut probabili periculo succurrere possent amicis, vel subditis in gravi necessitate constitutis, hominibus alioquin probis, sedulis, fidelibus, nec vitio ebrietatis aut lusus aut luxuriæ, aut iniquitati contractuum deditis, id tamen faceret recusant sine onere census, quo ejusmodi homines accedente alioquin tolerabili infortunio non raro cum uxoribus & liberis deprimuntur in extremam miseriam.

Ex iisdem textibus patet; licitum esse, in extrema necessitate constitutis succurrere potius mutuo gratuito, quam eleemosyna, nisi hæc sufficeret modica ad levandam extremam necessitatem. In tali enim casu repugnaret charitati, indigentem gravare & contristari solicito diuturno onere restitutionis.

Quæritur 2. An sit peccatum mortale, denegare mutuum gratuitum in gravi necessitate constituto?

Respondeo. Denegare mutuum gratuitum in gravi necessitate constituto ex suo

genere est peccatum mortale, quando nullum est probabile periculum gravis damni, aut aliunde ob arctiorem conjunctionem & indigentiam ad subeundum periculum obligat ordo charitatis.

Id probatur non solum ex adductis hucusque Patrum textibus, sed etiam ex iteratis Scripturæ textibus, ubi ea recusatio mutui gratuiti habetur pro impia transgressione mandati divini, & pro usura illicita. Exodi 22. dicitur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Quid hoc sit, non opprimere usuris, explicatur *Levitici* 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam dedisti.* Quam autem gravis sit hæc obligatio, & quod sit juris naturalis; satis clare ostenditur in Deuteronomio C. 15. his verbis: *Si unus de fratribus tuis, qui non morantur intra portas civitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperias eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. Cave, ne forte obrepat tibi impia cogitatio; & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis; & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum; sed dabis ei; nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis.* Eadem gravitas obligationis inculcatur in Ecclesiastico c. 29. *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo; & qui prævalet manu, mandata servat. Fœnerare proximo in tempore necessitatis illius. Multi non causa nequitiæ non fœnerati sunt; sed fraudari gratis timuerunt. Verumtamen super humilem animo fortior esto, & pro eleemosina non trahas illum. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum in præceptis, & proderit tibi magis quam aurum.*

§. VIII.

De Immisericordia.

QUæritur 1. An immisericordia sit speciale peccatum?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex Scriptura, quæ immisericordiam tanquam speciale objectum indignationis divinæ proponit. Sic ad Rom. 1. post enumerata varia gentilium vitia additur: *sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et 2. Tim. 3. ubi describitur summa perversio ultimorum temporum, dicitur: *Erunt homines scelesti, sine affectione, immites, sine benignitate.* Et Jacobi 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

Quæritur 2. An frequentati actus immisericordiæ de se veniales possint coalescere in immisericordiam gravem?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex eo; quia voluntas nulli dandi eleemosynam constituto in necessitate communi juxta communem sensum Doctorum continet gravem inhonestatem repugnantem statui christiano. Ergo etiam frequentata omissio actuum misericordiæ coalescit in gravem inhonestatem vitæ christianæ. C. *prob.* Illa frequentata omissio constituit contemptum interpretativum, seu complet voluntatem nulli aut fere nulli exhibendi actum misericordiæ.

Quæritur 3. An peccet mortaliter contra misericordiam, qui rem pauperum usibus necessariam ab illis in pignus accipit ac diu retinet?

Respondeo. Si ex illa detentione pauperi absque ejus negligentia oritur gravis damnificatio, talis detentio est peccatum mortale.

Id Probatur ex eo, quia opponitur mandato speciali divino; specialia autem mandata divina ex suo genere non solent obligare sub levi, aut versari circa

deor-

deordinationes leves. Deut. 24. dicitur: *Non accipies loco pignoris inferiorem & superiorem molam; quia animam suam opposuit tibi.--Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino*. Et Exodi 22. *Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum*. Ex hoc modo tendendi, dum Deus se vindicaturum testatur rem tanquam oppositam suæ misericordiæ, apparet, legem hanc quoad substantiam esse juris naturalis.

Quæritur 4. An peccent mortaliter contra misericordiam, qui tempore penuriæ victualium frumenta coacervant, causantque, ut carior fiat annona?

Respondeo. Affirmative. Id *probatur* ex Prov. 11. ubi dicitur: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*. Tales autem maledictiones versari circa objecta gravis indignationis divinæ, patet ex eo, quia exaudiuntur a Deo. Dicitur enim Ecclesi. 4. *Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum*.

Idem *probatur* 2. *ex Capitulari Noviomagensi Caroli* M. a conventu Episcoporum edito anno 806. ubi c. 18. sic habetur: *Quicunque tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, & servat usque dum iterum venundari possit contra denarios quatuor aut sex seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter necessitatem comparat, ut sibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus*.

Probatur 3. ex S. *Ambrosio*, qui l. 3. de officiis C. 6. exacte ostendit, morem aut intentionem sic gravi peccato non carere. „ Non vincat, *inquit*, honestatem utilitas, sed honestas utilitatem. Hanc dico utilitatem, quæ æstimatur secundum vulgi opinionem. Mortificetur avaritia, moriatur concupiscentia. Spiritus Sanctus in negotiationem introisse se negat, quia pretiorum captare incrementa, non simplicitatis, sed versutiæ est. *Et alibi ait*: captans pretia frumenti, maledictus in plebe est. Definita est sententia, nihil disputationi relinquens. „ Mox inanes eorum, qui frumenta comprimunt, excusationes refellit. „ Avari, inquiunt, studiosius, uberius seminavi, diligentius excolui, bonos collegi proventus, solicitus recondidi, servavi fideliter, provide custodivi. Nunc in tempore famis subvenio esurientibus; vendo frumentum non alienum, sed meum, non pluris, quam cæteri; immo etiam minori pretio. Quid hic fraudis est? cum multi possent periclitari, si non haberent, quod emerent? Num industria in crimen vocatur? Num diligentia reprehenditur? Num providentia vituperatur? Fortasse dicat; & Joseph frumenta in abundantia collegit, in caritate vendidit. Num carius aliquis emere compellitur? Num vis adhibetur emptori? omnibus defertur emendi copia, nulli irrogatur injuria. „ Quas avarorum hominum ratiunculas nullius esse momenti ad eorum duritiem excusandam sic ostendit. „ Cur ad fraudem convertis naturæ indulgentiam? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, recondente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, uberes soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem,

„ tem, horrea frugum plena deploras, „ exploras, quando sterilior proventus sit, „ quando exilior partus. Votis tuis gaudes „ arrisisse maledictum, ut nihil usquam „ nasceretur. Tunc messem tuam ve- „ nisse lætaris, tunc tibi de omnium „ miseria congeris opes: & hanc tu in- „ dustriam vocas, hanc diligentiam no- „ minas, quæ calliditatis versutia, quæ „ astutia fraudis est? Et hoc tu reme- „ dium vocas? quod est commentum „ nequitiæ? Latrocinium hoc, an fœ- „ nus appellem? Captantur tanquam „ latrocinii tempora, quibus in viscera „ hominum durus insidiator obrepas. „ Augetur pretium tanquam sorte cu- „ mulatum fœnoris, quo periculum ca- „ pitis acervatur. Tibi conditæ frugis „ multiplicatur usura, tu frumentum „ quasi fœnerator occultas, quasi ven- „ ditor auctionaris. Quid imprecaris „ male omnibus, quia major futura sit, „ fames, quasi nihil frugum supersit, „ quasi infœcundior annus sequatur? „ Lucrum tuum damnum publicum est? „ Joseph sanctus omnibus aperuit hor- „ rea, non clausit: Nec pretia captavit „ annonæ, sed perenne subsidium col- „ locavit: Nihil sibi acquisivit, sed „ quemadmodum fames etiam in po- „ sterum vinceretur, provida ordinatio- „ ne dispofuit.

Quæritur 5. An peccent mortaliter, qui tempore famis indiscriminatim omnes peregrinos urbe aut provincia ejiciunt?

Respondeo. Licitum non est, ad exonerandam provinciam a necessitate gravi peregrinos conjicere in necessitatem quasi extremam, præsertim si illa ejectio non sit medium necessarium, aut sufficiens ad removendam necessitatem gravem. Itaque discrimen inter peregrinos faciendum est, ut qui in quasi extremam necessitatem conjicerentur, juventur, & ubi alia media amoliendi grave provinciæ malum suppetunt, ea prius congruis statuum consultationibus investigentur, & reperta teneantur. Ita circa ejusmodi casus respondet S. Ambrosius, dum l. 3. de officiis C. 7. sic scribit: „ Sed & illi, qui peregrinos ur- „ be prohibent, nequaquam probandi: „ expellere eo tempore, quo deberent „ juvare, separare commerciis communis „ parentis, fusos omnibus partus negare, „ inita jam consortia vivendi averrun- „ care: cum quibus fuerint communia „ jura, cum his nolle in tempore necessi- „ tatis subsidia partiri. Feræ non ex- „ pellunt feras, & homo excludit ho- „ minem? feræ, ac bestiæ communem „ putant omnibus victum, quem terra „ ministret; illæ etiam conformem sui „ generis adjuvant, homo impugnat, „ qui nihil a se alienum debet crede- „ re, quidquid humani est. Quanto il- „ le rectius, qui cum jam profecta pro- „ cessisset ætate, & famem toleraret ci- „ vitas, atque (ut in talibus solet) „ peterent vulgo, ut peregrini Urbe „ pellerentur, præfecturæ urbanæ cu- „ ram cæteris majorem sustinens convo- „ cavit honoratos, & locupletiores vi- „ ros, poposcit, ut in medium consu- „ lerent, dicens, quam immane esset „ peregrinos ejici, quam hominem „ exuere, qui cibum morienti negaret? „ Canes ante mensam impastos esse non „ patimur, & homines extrudimus? „ quam inutile quoque, tot populos „ mundo perire, quos dira conficeret „ tabes? Quantos urbi suæ perire, qui „ solerent adjumento esse, vel in con- „ ferendis subsidiis, vel in celebrandis „ commerciis? neminem fame aliena „ juvari: Protrahere ut plurimum diem „ posse, non inopiam repellere: immo „ tot cultoribus extinctis, occasura in „ perpetuum subsidia frumentaria. Hos „ igitur excludimus, qui victum nobis „ inferre consueverunt? Hos nolumus „ in tempore necessitatis pascere, qui „ nos omni ætate paverunt? Quanta „ sunt, quæ nobis ab ipsis hoc tempo- „ re ministrantur? non in solo pane vi- „ vit homo. Nostra illic familia, ple- „ rique etiam nostri parentes sunt. Red- „ damus, quod accipimus. Sed vere- „ mur, ne cumulemus inopiam. Pri- „ mum omnium misericordia nunquam „ destituitur, sed adjuvatur. Deinde sub- „ sidia annonæ, quæ his impertienda „ sunt, collatione redimamus, repare-

„ mus

„ mus auro. Nunquid his deficientibus, „ non alii nobis redimendi cultores videntur? Quanto vilius est pascere, „ quam emere cultores? - - - - Quid plura? collato auro, coacta frumenta sunt. „ Ita nec abundantiam urbis minuit, „ & peregrinis alimoniam subministravit. Quantæ hoc commendationis „ apud Deum fuit sanctissimo Seni? „ Quantæ apud homines gloriæ? Hic „ magnus vere probatus, qui vere potuit imperatori dicere, demonstrans „ Provinciæ totius populos: Hos tibi „ omnes reservavi, hi vivunt beneficio „ tui senatus, hos tua curia jam morti „ abstulit. Quanto hoc utilius, quam „ illud, quod proxime Romæ factum „ est, ejectos esse urbe amplissima, qui „ jam plurimam illic ætatem transegerant, flentes cum filiis abiisse, quibus velut civibus amoliendum exilium deplorarent, interruptas complurium necessitudines, diremptas affinitates? & certe arriserat anni fœcunditas, invectitio urbs sola egebat „ frumento; potuissent juvari, si peterent ab Italis frumentum, quorum filii expellebantur; Nihil hoc turpius, „ excludere quasi alienum, & exigere „ quasi suum. Quid illum ejicis, qui de „ suo pascitur? Quid illum ejicis, qui „ te pascit? Servum retines, trudis parentem? frumentum suscipis, nec affectum impertis? victum extorques, „ nec rependis gratiam? Quam deforme hoc, quam inutile! Quomodo „ enim potest utile esse, quod non decet? quantis corporatorum subsidiis dudum Roma fraudata est? potuit & illos „ non amittere, & evadere famem, „ exspectatis ventorum opportunis flatibus, ac speratarum commeatu navium. Quam vero illud superius honestum, atque utile? Quid enim tam „ decorum, atque honestum, quam collatione locupletum juvare egentes, „ ministrare victum esurientibus, nulli „ cibum defore?

Quæritur 6. An peccent mortaliter, qui mendicos in necessitate communi constitutos in necessitatem gravem conjiciunt?

Respondeo. Qui mendicos in necessitate communi constitutos in gravem necessitatem perpetuam conjiciunt, ita ut miseram vitam perpetuo transigere cogantur, peccant mortaliter. Itaque datur obligatio, etiam mendicis indigenis providendi de mediis aut lucrandi aut obtinendi sustentationem statui congruam, non omnino miseram. Id *probant* plurimi textus SS. Patrum, qui, dum loquuntur de obligatione privatorum, a fortiori urgent de obligatione Ministrorum populi publicorum. D. *Chrysostomus* Hol. 11. in Epist. ad Rom. sic scribit: *Hoc ipsum quantam gehennam meretur, cum fratrem tuum, qui bonorum arcanorum tecum particeps factus, atque eo usque a Domino honoratus est tuo, in infinitas calamitates præcipitem agis, ut lapides, ut domus tuæ pavimentum, ut animantium ratione carentium, ornatumque hujusmodi minime sentientium corpora exornes! tene tam sollicitam alendi canis curam gerere, hominem autem, seu (ut verius dicam) Christum ipsum, propter canem, & ea (quæ modo diximus) ad summam famen adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac iniquitate lethalius? quot tandem ignei fluvii ad hujusmodi animam depascendam satis esse possunt? Hem qui ad Dei similitudinem conditus est, pannosus, indecorusque jacet per tuam inhumanitatem; muli autem uxorem tuam portantes, tam pelles, & ligna, quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt. Christi autem membrum, & is propter quem e cœlo ad nos Deus descendit, sanguinemque pretiosum effudit, avaritia tua nequidem necessarium cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt: Sanctorum vero corpora, vel necessario operculo carent; an tibi minoris sit ipse Christus, quam famularum grex, quam muli, quam lectus, quam sedile, quam scabellum? Omitto enim vasa his etiam viliora. - - - Brutis inhumanior es effectus, qui cum erga ea, quæ sensu omnino carent, studium impendas, Dei templa fame, ac nuditate perire sinas.*

Huc pertinet etiam illud D. *Ambrosii* l. 1. de officiis c. 30. *Grandis culpa,*

pa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves: Si sit in carcere, & pœnis, & suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur: Si tempore afflictionis suæ nihil a te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri?

Idem probatur 2. Ex ratione & generali principio SS. Patrum, quod Deus tanquam provisor generalis omnium hominum divites solum constituerit ut administratores bonorum cum obligatione, suis superflua expendendi in pauperes. Ergo etiam Ministri publici tenentur se conformare intentioni divinæ circa illam ordinatam distributionem bonorum, ne aliqui in populo cogantur vivere misere sine sua culpa propria. Idem dicendum de magistratibus quarumvis communitatum particularium. 1. S. *Basilius* Hom. in illud Lucæ: *Destruam horrea mea.* ait: „ Quis peculator? Ille, qui „ ad se unum transfert, quæ sunt singulorum. Tu ergo nonne peculator, „ qui ea, quæ dispensanda, distribuenda acceperis, tibi uni propria facias? „ Nonne, qui vestem diripuerit, spoliator appellabitur? qui autem nudum „ non vestierit, modo potuerit, an „ alio, quam spoliatoris nomine donandus erit? esurientis est panis, quem „ tu retines: nudi est vestis, quam in „ arca servas: discalceati calceus, qui „ apud te marcescit: indigentis argentum, quod possides defossum; quocirca tam multis injuriam facis, quam „ multis opem ferre potuisti." Eodem modo loquitur S. *Chrysostomus* Concione secunda de Lazaro, t. 5. ubi sic habet: „ Rapina est, de suis facultatibus „ non impertiri. Quapropter Deus accusans Judæos per prophetam, ait: „ *Produxit terra proventum suum, & non intulistis decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris.* Quoniam „ oblationes solitas non dedistis, rapuistis ea, quæ sunt pauperis. Ita divites affatur per Malachiam prophetam, „ ut intelligant divites, sese res pauperum possidere, etiamsi ex paterna hæreditate eis obvenerint, etiamsi aliunde pecunias ex æquo, & bono conflaverint. Et alibi: *Ne spolies*, inquit, „ *vitam pauperis.* Qui autem spoliat, „ intervertit aliena. Nam spoliatio quædam amittitur a nobis, cum aliena rapimus, & detinemus. Unde discimus „ nos, si eleemosinæ præceptum infregerimus, eodem supplicio affectum iri, „ qua raptores, & spoliatores affici solent. Nostræ facultates, undecunque „ obvenerint, illius sunt domini, cujus „ obsequio mancipati sumus, qu d si eas „ egentibus erogaverimus, maximas opes „ procul dubio inde capiemus. Ideo enim „ uberiores divitias nobis indulsit Deus, „ non ut eas in scortationes, in temulentiam, in ingluviem, superbasque vestes, fœdamque mollitiem effunderemus, sed egenis, & calamitosis earum „ largitione succurreremus. Quemadmodum enim regalis ærarii custos, si commissas sibi pecunias illis ipsis, quibus „ est jussus distribuere, impartiri neglexerit, sed in suas contulerit voluptates, & delicias; plectitur, & exauctoratur: ita vir dives sese gerere debet ad instar quæstoris cujusdam, „ qui ab ipso Deo pecunias pauperibus „ erogandas acceperit. Quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, „ quam poscat sua ipsius necessitas, suos „ in usus convertat, se gravissime plectendum esse noverit. Non enim ejus „ sunt, quæ possidet, sed conservorum, „ quos egestas afflixerit. Parcamus igitur nostris opibus ut alienis, ut vere „ in nostram possessionem transeant. „ Quomodo autem illis parcemus? si eas „ non contulerimus in sumptus supervacaneos, nec in nostros duntaxat usus „ converterimus, sed in manus pauperum effuderimus. Nam quantumvis „ opulentus fueris, creditarum tibi pecuniarum redditurus es rationem, „ si ex eis impenderis plus, quam „ tua necessitas postularet. Hoc ipsum factitatur in Magnatum ædibus. Multi quippe suos reditus, suas

„ apo-

„ apothecas committunt famulis; famuli illi commissa studiosissime tuentur, & servant, nec iis abtuntur, at distribuunt, prout herus edixerit. Hoc ipsum, quisquis es dives, facito. Non enim plura cæteris accepisti bona, ut solus ea consumeres, sed ut ea indigentibus proximis impertiendo boni dispensatoris gloriam tibi comparares.

S. *Ambrosius* l. de Nabuthe c. 12. sic ait: „ *Ne dixeris*, inquit Deus, *cras dabo*. Qui non patitur te dicere: *cras dabo*. Quomodo patitur dicere: *non dabo*. Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis; quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum. Sed pauciores, qui non utuntur suo, quam qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum; ideo ait scriptura: *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam*, *&* *redde debitum tuum*, *&* *responde illi pacifica in mansuetudine*.

Idem Serm. 8. in Psal. CXVIII. „ Misericordia quidem justitiæ portio est; ut si velis donare pauperibus, hæc misericordia justitia est, secundum illud: *dispersit*, *dedit pauperibus*: *justitia ejus manet in æternum*. Deinde quia socius est tuus, injustum est, ut non adjuvetur a socio: Cum præsertim dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, & fructus omnibus ministrare: sed avaritia possessionum jura distribuit. Justum est igitur, ut si aliquid tibi privatum vendicas, quod generi humano, immo omnibus animantibus in commune collatum est, saltem aliquid inde pauperibus aspergas; ut quibus juris tui consortium debes, his alimenta non deneges.

S. *Augustinus* Serm. 1. alias de diversis 15. ait: „ Cur non miseri intelligunt, quod apud Aggæum loquens Dominus propterea dixerit: *meum est aurum*, *&* *meum argentum*, ut & ille, qui non vult cum indigentibus communicare, quod habet, cum audit præcepta faciendæ misericordiæ, intelligat; Deum non de re illius, cui jubet, sed de re sua jubere donari, & ille, qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordiæ nomine, quam infletur superbiæ vanitate? *meum est*, inquit, *aurum*, *&* *meum est argentum*, non vestrum, o divites terræ, quid ergo dubitatis, pauperi dare de meo; aut quid extollimini, cum datis de meo?

Idem Serm. 61. alias 5. *de verbis Domini* c. 7. ait: „ Mendici Dei sumus: ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus & nos nostros. Sed ibi etiam cogitemus, quando petitur a nobis, qui petunt, a quibus petunt, quid petunt? Qui petunt? homines. A quibus petunt? ab hominibus. Qui petunt? mortales. A quibus petunt? a mortalibus. Qui petunt? fragiles. A quibus petunt? a miseris. Excepta substantia facultatum, tales sunt, qui petunt, quales sunt, a quibus petant. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum? non sum, inquit, talis, absit a me, ut talis sim. Inflatus obsericatus ista loquitur de pannoso; sed ego nudos interrogo. Non interrogo in vestibus, qualis sitis, sed quales nati fueritis. Ambo nudi, ambo infirmi, miseram vitam inchoantes, ideo ambo plorantes. Recole dives primordia tua, vide, utrum huc aliquid attuleris. Jam venisti, & tanta invenisti, dic, quid attuleris, aut si dicere erubescis, Apostolum audi: *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum*, *sed nec auferre aliquid possumus*. Quid ergo sequitur? *victum*, *&* *tegumentum habentes*, *his contenti simus*. Nihil dives habet de divitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper, victum, & tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus, quæ habes? accepisti victum, accepisti necessarium tegumentum. Necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus de divitiis tuis capis? certe omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sint pauperibus necessaria.

Et infra ait *idem S. Pater*: „ Utan-

„ tur

„ tur divites consuetudine infirmitatis „ suæ; sed doleant, aliter se non posse; melius enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Conceditur tibi, utere superfluis, da pauperibus necessaria. Utere pretiosis, da pauperibus vilia. Exspectat a te, exspectas a Deo. Exspectat ille manum, quæ facta est secum, exspectas tu manum, quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit vobis unam viam istam vitam: invenistis vos comites, unam viam ambulatis: ille nihil portat, tu nimium oneratus es. Ille nihil secum portat, tu tecum plus portas, quam opus est. Oneratus es, da illi de eo, quod habes, & illum pascis, & onus minuis.

S. *Gregorius* M. P. 3. Pastoralis curæ admonit. 22. ait: „ Cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur, justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus. Unde & ipsa veritas, cum de misericordia caute exhibenda loqueretur, ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*. Cui sententiæ Psalmista concinens dicit: *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum*; Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit; quia quod a communi domino tribuitur, justum profecto est, ut, quicunque accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait: *Qui justus est, tribuet, & non cessabit*. Admonendi sunt quoque ut solicite attendant, quod ficulnea, quæ fructum non habuit, contra hanc districtus agricola quæritur, quod etiam terram occupavit. Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc, quod prodesse multis poterat, inutiliter servat.

Quæritur 7. An peccent mortaliter, qui propterea superflua non erogant in pauperes, ut sic ad altiorem statum ascendant?

Respondeo. Qui sic saltem interpretative constituti sunt, ut passim nolint dare eleemosinam ex superfluis animo per coacervationem talium bonorum ascendendi ad altiorem statum, peccant mortaliter.

Id *probatur* 1. ex Sanct. *Augustino*, dum in Psal. 147. n. 12. sic scribit: *Multa superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus. Nam si inania teneamus, nihil sufficit. Quærite, quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Quære, quæ sufficiant, & videbis, quam pauca sint. Quære, quantum tibi Deus dederit, & ex eo tolle, quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.*

Idem *probatur* 2. ex censura *Facultatis Lovaniensis*, quæ anno 1657. damnavit sequentem propositionem: *Superfluum non est, quod homines servant pro status sui vel parentum qualitate habita, vel adipiscenda; ideoque vix poterunt inter sæculares inveniri, qui superfluum habeant.*

Quæritur 8. An peccent mortaliter, qui statui superflua in frequentes & splendidas epulas, in ædium magnificentiam, in pretiosiorem, quam par est, supellectilem, in vestium luxum, in ludos, in curiositatis lenocinia, aut in voluptates neglectis pauperibus profundunt?

Respondeo. Affirmative. Superflua enim statui debentur pauperibus, ubi adsunt, prout qq. 6. ostensum est, vel ubi non reperiuntur, in alias causas pias juxta intentionem Dei, cujus administratores sunt.

Idem *probatur* ex Scriptura *Amos* 6. ubi dicitur: *Væ qui opulenti estis in Sion; optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel; qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem Psalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph, hoc est, calamitati & inopiæ fratrum Tribus Manasse nullatenus compatiebantur, nec illis succurrebant.*

Idem

Idem *probatur* 3. ex S. *Gregorio Nysseno*, qui in Orat. de pauperibus amandis, sic ait: " Usui vitæ modum ponite, ne omnia vestra existimate, sit „ pars etiam pauperum, & amicorum „ Dei, illius enim vere sunt omnia, „ quem habemus Patrem, nos autem „ fratres sumus. Quapropter ut genere „ conjunctos, ac fratres melius quidem, „ & justius erat, æquis partibus cernere „ hæreditatem. Verum quando id fa- „ ctum non est, sed unus, aut alter „ plus intervertit, reliqui partem unam „ saltem accipiant. Quod si quis om- „ nium prorsus est dominus, & univer- „ sam vult hæreditatem avertere, & „ sexta, aut quinta parte fratres exclu- „ dere, ille frater non est, sed acerbus „ tyrannus, immitis, barbarus, imo ve- „ ro inexplebilis fera, quæ hianti ore „ sola suaves devorat dapes. Vel potius „ ipsis etiam feris sævior, & agrestior. „ Siquidem & lupus ad devorandum præ- „ dam lupum sibi socium adjungit, & „ canes multi nonnunquam simul idem „ dilaniant corpus. At iste divitiarum „ suarum nullum ejusdem generis homi- „ nem participem facit. Moderata men- „ sa sufficit tibi. Ne te in illud luxu- „ riæ pelagus demittas, ut convivia om- „ ni genere ciborum instructa velis .... „ utere igitur, ne abutaris. Sic enim Pau- „ lus etiam edocuit. *Et infra:* Qui mol- „ liter, & delicate vivere instituerunt, „ necessario ad excogitandos magnificos „ ædificiorum apparatus alliciuntur; in „ his construendis, & exornandis maxi- „ ma vis pecuniarum profunditur. Ad „ hæc cætus hominum libenter convo- „ cant, & invitant. Splendidam, & va- „ riam suppellectilem studiose compa- „ rant, innumerabilia poculorum gene- „ ra, scurras, mimos, Cytharistas, Can- „ tores, Cantatrices, saltatores, salta- „ trices, totum denique petulantiæ lu- „ dum. Atque dum hæc intus gerun- „ tur, assident ad vestibuli fores innu- „ merabiles Lazari, partim gravibus ul- „ ceribus pleni, partim oculis orbati, „ partim pedibus mutili conclamant, „ nec tamen exaudiuntur. Si Deus hæc „ aspicit, ut profecto aspicit, quam vi- „ tæ commutationem, quem exitum fo- „ re, cogitatis, o pauperum inimici? An „ nescitis horum causa in sacro Evan- „ gelio poni, & commemorari exempla „ omnia horrenda, & terribilia? Non- „ ne graves illius cruciatus, & gemitus „ recensentur, qui in bysso fuerat enu- „ tritus? an non in malorum abysso de- „ scribitur coerceri? Quid huic alter simi- „ lis, nonne cum vespere de matutinis „ deliciis cogitaret, tam inexspectata, „ & repentina damnatus est morte, u „ ne orientis quidem solis radium po „ tuerit intueri? Proinde cum mortales „ simus, fidem ne abjiciamus, neve frua- „ mur voluptatibus ut immortales.

Quæritur 9. An peccet mortaliter advocatus, qui causæ pauperis in gravi necessitate constituti patrocinari renuit?

Respondeo. Si pauper non possit aliis mediis causam suam tueri sine magno rerum suarum dispendio, ita ut periculum gravis necessitatis diuturnæ incurrat, tenetur Advocatus gratis in se recipere patrocinium.

Probatur ratione & authoritate D. *Thomæ*, qui 2. 2. q. 71. a. 1. C. sic scribit: " Cum præstare patrocinium causæ „ pauperum ad opus misericordiæ perti- „ neat, idem de eo judicium esse debet, „ ac de aliis misericordiæ operibus. Nul- „ lus autem sufficit omnibus indigenti- „ bus misericordiæ opus impendere. Et „ ideo, sicut S. *Augustinus* ait l. 1. de „ Doct. Christiana c. 28. *Cum omnibus* „ *prodesse non possis, his potissimum con-* „ *sulendum est, qui pro locorum, & tem-* „ *porum, vel quarumlibet rerum opportu-* „ *nitatibus constrictius tibi quadam sorte* „ *junguntur*. Dicit, pro locorum oppor- „ tunitatibus; quia non tenetur homo „ per mundum quærere indigentes, qui- „ bus subveniat, sed sufficit, si eis, qui „ sibi occurrunt, misericordiæ opus im- „ pendat. Unde dicitur Exod. 21. *Si oc-* „ *curreris bovi inimici tui, aut asino er-* „ *ranti, reduc ad eum*. Addit, *& tem-* „ *porum:* quia non tenetur homo futu- „ ræ necessitati alterius providere; sed „ sufficit, si præsenti necessitati succur- „ rat. Unde dicitur 1. Joa. 3. Qui vi- „ derit fratrem suum necessitatem habe- „ re.

„ re, & clauserit viscera sua ab eo, quo-
„ modo charitas Dei manet in illo? Sub-
„ dit, vel *quarumlibet rerum;* quia ho-
„ mo sibi conjuncti quacunque necessi-
„ tudine maxime debet curam impen-
„ dere, secundum illud 1. Timoth. 5.
„ *Si quis suorum, & maxime domestico-*
„ *rum curam non habet fidem negavit.*
„ Quibus tamen concurrentibus, consi-
„ derandum restat, utrum aliquis tan-
„ tam necessitatem patiatur, quod non
„ in promptu appareat, quomodo possit
„ ei aliter subveniri; & in tali casu te-
„ netur ei opus misericordiæ impendere.
„ Si autem in promptu appareat, quo-
„ modo aliter ei subveniri possit, vel
„ per se ipsum, vel per aliam personam
„ magis conjunctam, aut majorem fa-
„ cultatem habentem, non tenetur ex
„ necessitate indigenti subvenire; ita
„ quod faciendo peccet. Quamvis si sub-
„ venerit absque tali necessitate, lauda-
„ biliter faciat. Unde Advocatus non
„ tenetur semper causæ pauperum pa-
„ trocinium præstare, sed solum con-
„ currentibus conditionibus prædictis: alio-
„ quin oporteret eum omnia alia nego-
„ tia prætermittere, & solis causis pau-
„ perum juvandis intendere." Vide *Tractatum de obligatione diversorum statuum.* §. 5.

Quæritur 10. An Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ peccent graviter, si non succurrant gratis ægroto, ab omnibus deserto, aut probabiliter deserendo?

Respondeo. Si habeant remedium certo profuturum, illudque sine gravi suo dispendio applicare possint, & ægrotus suppliciter remedium petat, alioquin moriturus, aut grave malum diuturnum subiturus, peccant mortaliter, si illud non applicent, aut statum morbi ne quidem investigent.

Id *probatur* 1. ratione & authoritate D. Thomæ, qui l. c. addit: *Idem dicendum est de Medico* (quod de Advocato,) *quantum ad curationem pauperum.*

Idem *probatur* 2. ex Proverb. 24. ubi *n.* 11. dicitur: *Erue eos, qui deducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit; & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.*

Quæritur 11. An graviter peccent, qui debitori, quem constat, non esse solvendo, urget & opprimit, ut solvat, nec inducias illi concedit?

Respondeo. Si ex tali repetitione debiti debitor præcipitatur in gravem necessitatem diuturnam, & creditor ex dilatione solutionis nullum refert grave dispendium, peccat graviter talis repetens.

Id *probatur* 1. ex Scriptura, ubi ejusmodi immisericordia repræsentatur tanquam objectum gravis indignationis divinæ. Sic enim Isajæ 50. dicitur: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. *Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester.* Non est objectum levis indignationis divinæ, quod prohibet exauditionem precum. Sic & Christus Matth. 18. gravem de tali immisericordia indignationem divinam ostendit, dum in Parabola servo immisericordi dicit: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?*

Probatur 2. Ex S. *Augustino*, qui Sermone $\frac{146}{239}$. de Tempore sic ait: " No-
„ li te avertere ab eo, qui mutuum pe-
„ tit, sed tantum accipe, quantum de-
„ disti. Non ploret, cui dedisti; nam
„ beneficium perdidisti. Et si hoc ip-
„ sum, quod datum est, vel quod ac-
„ cepit, exigitur, forte ad manum non-
„ dum habet: pertulisti petentem, ex-
„ specta non habentem. Cum habuerit,
„ reddet tibi; noli clamare, & dicere:
„ nunquid fœnus quæro? tantum peto,
„ quantum dedi; quod dedi, hoc ac-
„ cipiam. Bene facis, sed nondum ha-
„ bet. Non es fœnerator, & vis, cui
„ præstitisti, ut quærat fœneratorem, ut
„ tibi reddat. Si propterea fœnus non
„ exigis, ne te fœneratorem patiatur,
„ quare vis, ut propter te alium fœne-
„ ratorem patiatur? premis, suffocas.
„ Etsi tantum exigis, quantum dedisti:
„ suffocando tamen, & angustias faciendo,
„ non

„ non beneficium dedisti, sed potius „ majores angustias intulisti. Sed forte „ dicis: habet, unde reddat, habet do- „ mum, vendat. Habet possessionem, „ vendat. Quando a te petivit, ideo pe- „ tivit, ne venderet: propter te non „ faciat, qui subvenisti, ne fieret. Hoc „ fiat ita cir ca homines, hoc jubet Deus, „ hoc vult Deus.

Quæritur 12. An peccent graviter, qui agrorum suorum aut vinearum colono vel conductori non remittunt pensionem pro rata damni ex sterilitate seu alio casu fortuito absque coloni culpa causati?

Respondeo. Si pensio sit jam satis commensurata fructibus anno mediocri provenientibus, & fertilitas annorum præcedentium vel subsequentium non compenset damnum, æquitati & charitati repugnat, si non fiat remissio proportionata, ita ut colonus non constituatur in gravi necessitate. Ita habetur in *C. propter* De Locato, ubi *Gregorius* IX. scribit: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine culpa coloni seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata est pensionis remissio facienda; nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*.

Quæritur 13. An peccent graviter Canonici, Parochi, vel alii Clerici divites, si non relinquant Legata notabilia in subsidium Clericorum, vel Seminaristarum, vel Ecclesiarum pauperum?

Respondeo. Si non excusantur alia causa magis pia, vel æqualiter pia, tendente in æqualem vel majorem Dei gloriam, decorem Ecclesiæ & salutem animarum, peccant graviter.

Id *Probatur* ex eo, quia certum est, quod proventus Ecclesiasticos ex officio clericali partos teneantur expendere in causas pias servato ordine charitatis erga Deum & proximum. Ordo autem charitatis manifeste eos dirigit ad subveniendum Clericis, Seminaristis, & Ecclesiis pauperibus juxta illud D. *Augustini* l. 1. de Doctrina Christiana C. 28. *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quadam forte junguntur*; quales haud dubie Clerico sunt Sacerdotes seu alii Clerici paupères ejusdem Diœcesis, confratres in Christo, & Christus in suis Ecclesiis pauper.

Quæritur 14. An graviter peccent, qui alios retrahunt a faciendis vel servandis legatis, fundationibus, aut aliis subventionibus piis in favorem vere indigentium, sæcularium vel Regularium, virginum, viduarum &c?

Respondeo. Nisi eos excuset intentio alterius causæ magis vel æqualiter piæ, peccant graviter.

Ratio est, quia id repugnat ordini & primo principio charitatis in re magni momenti: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Sic etiam præscribitur juxta dictamen rectæ rationis & charitatis in Proverbiis c. 3. *Noli prohibere benefacere eum, qui potest. Si vales, & ipse benefac*.

Dixi. Nisi excuset intentio alterius causæ magis piæ; quia, prout recte P. *Alexander Natalis* in Theol. Moral. l. 3. de peccatis art. 9. Reg. 14. observat, ubi sic scribit: *Tenetur quandoque conscientiarum Moderator suadere, immo præcipere pœnitentibus, ut donationes, legata, fundationes in favorem Capitulorum, Parochialium Ecclesiarum, Seminariorum, pauperum Clericorum, Cœnobiorum, aut Parthenonum inopum factas rescindant, & commutent: Cum scilicet ipsorum bona restitutioni sunt obnoxia; cum debitis onerati sunt: Cum parentes, vel propinquos habent egenos, aut a sui status honestate, & decentia mox casuros, nisi ipsis succurratur; cum pauperes alios noverunt in Parochia, in vicinia, in Urbe magis indigentes, & quibus minus subvenitur, & præsertim invalidos, Ægros, Orphanos, puellas ingenuas, quas dura egestas in prostitutionis periculum conjicit, familias honestas, quas pudor mendicare prohibet. His enim prudens, & pius conscientiarum moderator prius, potiusque subveniendum esse docebit, quam Parochiis, Seminariis, Cœnobiis, & Monasteriis, quibus vel redditus aliqui,*

vel oblationes, vel eleemosinæ suppetunt ad vitam, tenuiter licet, ac frugaliter sustentandam. Sed restitutionem rerum male partarum in primis fieri, tum debita solvi, necesse est: nec fundationes ullas, aut impia potius, quam pia legata fieri permittat a pœnitente prudens, & pius conscientiæ moderator, nisi his officiis perfunctus fuerit: nec hæredes pauperes, aut illos quos enumaravimus, calamitosorum hominum ordines, graviori necessitate afflictos, & oppressos, necessariis subsidiis frustrari patietur, ut Capitulis, Parochiis, Seminariis, Cœnobiis, Monasteriis, non ita gravem passis inopiam, subveniatur. Reus erit alioquin & ipse lethalis adversus misericordiam obdurationis.

§. IX.

De Scandalo.

QUæritur 1. Quid sit scandalum?

Respondeo. Scandalum est dictum vel factum præbens proximo occasionem ruinæ spiritualis, hoc est, incurrendi peccatum. Sub hoc termino, *factum*, intelligitur etiam *omissio* actionis alias debitæ, vel consuetæ, cedens proximo in occasionem committendi peccati.

Quæritur 2. Quotuplex sit scandalum?

Respondeo, Scandalum dividitur 1. in *activum*, & *passivum* 2. in *datum*, & *acceptum*. 3. in scandalum *pusillorum*, & in scandalum *Pharisaicum*. *Scandalum activum* est dictum vel factum ex se malum, quod nulla probabili ratione a peccato excusari possit. *Scandalum passivum* est ipsum peccatum proximi, ortum occasione dicti vel facti alieni. *Scandalum datum*, vocatur peccatum proximi, ortum occasione dicti vel facti alieni ex se mali, quod nulla probabili ratione a peccato excusari possit. *Scandalum acceptum* dicitur peccatum proximi, ortum occasione dicti vel facti alieni, habentis quidem speciem mali, ita tamen, ut probabili ratione a peccato excusari possit. *Scandalum pusillorum* est peccatum proximi, ortum occasione dicti vel facti alieni, ne quidem habentis speciem mali; sed indifferentis, quod tamen a simplicibus apprehenditur ut malum. *Scandalum Pharisaicum* est peccatum proximi, ortum occasione dicti vel facti alieni positive boni, quod tamen ex malitia considerantis spectatur ut malum. Tale erat scandalum Pharisæorum, quando scandalizabantur ex dictis vel factis Christi, v.g. quod sanaret in Sabbato, quod manducaret cum Publicanis, quod non præciperet discipulis lavationem manuum ante mensam, quod remitteret peccata, quod diceret se filium Dei. Ita quoad rem D. Thomas 2. 2. q. 43.

Quæritur 3. Utrum dare scandalum sit grave peccatum?

Respondeo. Scandalizare proximum est ex *suo genere* grave peccatum. Id patet ex verbis *Christi* Matth. 18. ubi sic ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! Necesse est enim, ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum tibi est, unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. Dum Christus hoc loco tam graviter indignatur manui, pedi, & oculo scandalizanti, haud dubie ea gravis indignatio hominem scandalizantem pro objecto respicit.

Quæritur 4. An ad rationem scandali activi requiratur, ut quis advertat, exinde facili oriri posse ruinam spiritualem proximi?

Respondeo. Ad incurrendum peccatum scandali activi non requiritur, ut quis advertat *formaliter* ad periculum facile causandi aliis scandalum, sed sufficit *advertentia interpretativa*, consistens in eo, quod

quod potuerit & debuerit advertere hoc periculum. Ratio est; quia prout in Tract. de peccatis ostensum est, etiam effectus peccati, quando potuerunt & debuerunt prævideri, sunt peccatum formale, si opponantur legi prohibenti. Idem patet ex definitione scandali activi. Nam D. *Thomas* 2. 2. q. 43. a 6. dicit: Scandalum activum proprie est, cum aliquis tale aliquid dicit vel facit, quod de se tale est, ut alterum natum sit inducere ad ruinam. Et l. c. a. 1. ad 3. *Dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi. Uno modo per se; alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, at ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit indictivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati. Et tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ. Unde vocatur scandalum activum.*

Quæritur 5. An ad rationem scandali activi requiratur, ut operans intendat ruinam spiritualem proximi? aut peccatum?

Respondeo. Ad rationem scandali activi neque requiritur ut directe intendatur malitia peccati alieni, neque ut directe intendatur in proximo actus, qui est peccaminosus, sed sufficit, quod possit & debeat prævideri periculum secuturi actus peccaminosi ex dicto vel facto de se inductivo ad peccatum. Patet ex dictis in q. 4. & ex dicendis.

Quæritur 5. An scandalum activum semper sit peccatum mortale?

Respondeo. Scandalum activum, licet ex suo genere sit peccatum mortale, non tamen semper in particulari circumstantia est mortale. Fit enim peccatum veniale ex duplici causa. 1. *ex parvitate materiæ*, quando peccatum, ad quod actio scandalosa inducit, est solum veniale. 2. *ex defectu plenæ deliberationis*, quando operans non habuit plenam libertatem sufficienter considerandi, quid ex sua actione consequi pronum sit. In tali enim casu non datur advertentia interpretativa sufficiens ad peccatum mortale. Hæc tamen excusatio locum non habet in iis, qui scienter & cum plena libertate committunt peccata mortalia coram aliis. Ea enim plena libertas, quæ determinat ad actum mortaliter peccaminosum, determinat interpretative ad omnia, quæ per se sunt *apta nata*, seu prona, consequi ex tali causa. Ita sentit D. *Thomas* 2. 2. q. 43. a. 4. C. & a. 6. C. Textum S. Doctoris vide in qq. 7. & 8.

Quæritur 7. An scandalum activum sit peccatum specie distinctum ab eo actu, per quem præbetur scandalum?

Respondeo. Scandalum activum est speciale peccatum, specie distinctum ab eo actu, per quem præbetur scandalum. Ex hoc proin sequitur, quod sit specialiter in Confessione exprimendum. Sic si quis protulit verba blasphema, lasciva, seditiosa &c. non solum tenetur in confessione exprimere speciem blasphemiæ, lasciviæ, seditionis &c. sed etiam speciem scandali.

Ratio est, quia blasphemia opponitur primo præcepto, seditio quarto, lascivia sexto, sed scandalum præter has species opponitur legi charitatis erga proximum. Si *dicas*; quod D. *Thomas* 2. 2. q. 43. a. 3. C. non agnoscat in tali scandalo malitiam specie distinctam, nisi quis intendat *per se* peccatum proximi; sicut & furtum non contrahit speciem sacrilegii, nisi circumstantia sacrationis agnoscatur, & furtum sub tali circumstantia cognitum intendatur.

Respondeo; a D. Thoma illud existimari *intentum per se*, ad quod voluntas aut *formaliter* aut *interpretative* tendit, ita ut saltem actus ad illud sit *per se* inductivus. Hæc ejus mens colligitur ex iis, quæ scribit 2. 2. q. 43. a. 4. C. ubi *ad rationem specificam* scandali refert etiam ea, quæ, licet relate ad intentionem operantis formalem ac explicitam in consideratione physica fiant per accidens, saltem *interpretative* & *in consideratione morali* æquiparantur iis, quæ sunt intenta *per se*. *Scandalum activum*, inquit, *si sit per accidens* (relate ad intentionem explicitam) *potest esse quan-*

doque peccatum veniale , puta cum aliquis vel actum peccati venialis , vel actum , qui non est secundum se peccatum , sed habet aliquam speciem mali , cum aliqua levi indiscretione (seu inconsideratione) *committit . Quandoque vero est peccatum mortale , sive quando committit actum peccati mortalis , sive quando contemnit salutem proximi , ut si pro ea conservanda non prætermittat aliquis ea facere , quod sibi libuerit . Si vero scandalum activum sit per se , puta , cum intendit* (formaliter vel interpretative) *inducere alium ad peccandum ; siquidem intendat inducere ad peccandum mortaliter , est peccatum mortale , & similiter , si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis* (quia nempe , licet operans formaliter ac explicite non intendat inducere ad peccatum mortale , ipse tamen actus est per se & ex natura sua inductivus ad peccatum mortale , ita ut etiam operans censeatur saltem interpretative illud velle .) *Si vero intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis , est peccatum veniale .* Vide etiam dicenda in sequenti qq.

Quæritur 8. An actus possit esse peccatum mortale in genere scandali , etiamsi in se non sit peccatum mortale ?

Respondeo . Actus de se tantum venialiter peccaminosus , vel omnino indifferens potest esse peccatum mortale in genere scandali . Ita in pluribus locis docet S. *Thomas* . Nam 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. scribit : „ Dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi . Uno modo *per se* , alio modo *per accidens* . *Per se* quidem , quando aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere , vel etiamsi ipse hoc non intendat , & ipsum factum est tale , quod de sui ratione habet , quod sit inductivum ad peccandum , puta cum aliquis publice facit peccatum , vel quod habet similitudinem peccati . Et tunc ille , qui hujusmodi actum facit , proprie dat occasionem ruinæ ; unde vocatur scandalum activum . *Per accidens* autem aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi , quando etiam præter intentionem operantis , & præter conditionem operis aliquis male dispositus ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum , puta cum aliquis invidet bonis aliorum . Et tunc ille , qui facit hujusmodi actum rectum , non dat occasionem quantum in se est , sed alius sumit sibi occasionem . Et ideo hoc est scandalum passivum sine activo . *Et l. c. a.* 2. *C.* Scandalum activum semper est peccatum in eo , qui scandalizat ; quia vel ipsum opus quod facit , est peccatum ; vel etiamsi (*non sit peccatum , sed tantum*) habeat speciem peccati , dimittendum est semper propter proximi charitatem ; ex qua unusquisque tenetur saluti proximi providere . Et sic qui non dimittit , contra charitatem agit . *Et l. c. a.* 3. *ad* 2. Scandalum activum potest inveniri separatim ab aliis peccatis , ut puta , cum aliquis proximum scandalizat facto , quod de se non est peccatum , sed habet speciem mali . *Et l. c. a.* 4. *C.* Scandalum activum , si sit per accidens , potest quandoque esse peccatum veniale , puta cum aliquis vel actum peccati venialis , vel actum qui secundum se non est peccatum , sed habet aliquam speciem mali , cum aliqua levi indiscretione committit . Quandoque vero est peccatum mortale , sive quando committit actum peccati mortalis , sive quando contemnit salutem proximi , ut si pro ea conservanda non prætermittat aliquis facere , quod sibi libuerit . " Ex his D. Thomæ verbis manifestum est , quod possit peccari mortaliter in genere scandali , etiamsi actus de se sit tantum venialiter peccaminosus aut omnino indifferens , dummodo actus habeat speciem mali , cujus exemplum l. c. a. 1. ad 2. ponit , si quis in idolio assideat cum aliis gentilibus ad solemnia convivia , certis anni temporibus celebrari solita v. g. in anniversariis Imperatorum coronationis , aut alicujus victoriæ , in quibus conviviis solebant apponi idolothita , hoc est , escæ Diis oblatæ , quod secundum

se ,

se, teste D. Paulo, non erat peccatum. Cæterum Responsio *Probatur* ex Scriptura.

Nam 1. Apostolus ad Thessal. 1. C. 5. v. 22. inter actus charitatis erga Deum, & prudentiæ christianæ ponit tanquam aliquid notabile: *Ab omni specie mala abstinete vos*.

2. Idem Apostolus 1. Cor. 8. sic scribit: *De iis, quæ idolis immolantur, scimus, quod omnes scientiam habemus* (nempe de iis comedere, non esse peccatum. Sed) *scientia inflat, charitas vero ædificat. Si quis autem diligit Deum* (per charitatem ædificando) *hic cognitus est ab eo* (per gratiam.) *De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem usque nunc cum conscientia idoli, quasi idolothitum manducant, & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo; neque enim, si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus. Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in Idolio recumbentem, nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothita? & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. In hoc textu observari meretur 1. quod D. Paulus censeat esse rem secundum se licitam, accumbere ad convivia in Idolio, & manducare ibi carnes idolis oblatas. 2. Quod hoc non liceat, si quis videat, alios, existimantes rem esse illicitam, suo exemplo trahi ad similem comestionem contra ductum eorum conscientiæ. 3. Quod pro regula hujus obligationis sumat charitatem Dei, cujus est, impedire offensas Dei, si id fieri possit sine suo gravi damno vel præjudicio. 4. Quod circa hanc obligationem nullum agnoscat casum exceptionis, quia dicit, se in tali casu *in æternum* non manducaturum. Idem confirmat Apostolus in Epistola ad Rom. 14. ubi ad eundem casum respiciens ait: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit, se* (in ejusmodi conviviis gentilium publicis licite) *manducare omnia. Qui autem infirmus est* (existimans illicitum esse manducare carnes idolis oblatas) *olus manducet. Is qui manducat* (carnes idolis oblatas,) *non manducantem non spernat; & qui non manducat* (tales carnes) *manducantem non judicet. Qui manducat, Domino manducat; & qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo. Non ergo amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio, & confido in Domino Jesu, quia nihil commune* (immundum) *per ipsum, nisi ei, qui existimat, aliquid commune* (seu immundum ac propterea manducatu illicitum) *esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur*. In hoc textu Apostolus declarat 1. Licitum esse in tali casu esum carnium. 2. Eum autem malum ac peccaminosum esse, si alius, qui non habet simile judicium de licentia esus, trahatur exemplo ad agendum contra conscientiam. 3. Fundamentum hujus peccati non esse petendum a speciali præcepto naturali divino, sed a lege charitatis erga Deum, cujus est, operari concordiam & omnes perducere ad Deum.

Quæritur 9. An bona spiritualia omittenda sint, si prævideatur, exinde oritura scandala?

Respondeo. Distinguendum esse inter bona spiritualia *necessaria* & *non necessaria*. *Necessaria* vocantur, quæ aut necessaria sunt *ad salutem* propriam vel salutem alienam, aut quæ necessaria sunt *ad perfectionem vitæ Christianæ* propriam vel alienam, aut quæ necessaria sunt *ad conservationem vel honestatem fidei*, Religionis, Ecclesiæ, aut quæ necessaria sunt ad *sublevationem indigentiæ* propriæ vel alienæ. Hac explicatione præmissa *Respondeo*; Bona spiritualia *necessaria* non esse omittenda propter scandala exinde oritura. Ratio est, quia talia scandala magis oriuntur ex aliorum malitia, quam ex eorum infirmitate aut ignorantia invincibili, cum circa ejusmodi necessaria eorumque rectitudinem ignorantia invincibilis aut dari aut certe præsumi non possit. Si autem illa bona spiritualia non sint necessaria, occultanda vel differenda vel omittenda sunt propter scandalum pusillorum, donec de falsa persuasione sufficienter convincantur. Si enim per rationem de suis erroneis præjudiciis convicti fuerint, non datur amplius obligatio omittendi illa bona; quia ex eo tempore tale scandalum non amplius orietur ex infirmitate, sed ex malitia, ac consequenter non amplius foret scandalum pusillorum sed Pharisaicum. Ita quoad rem D. *Thomas* 2. 2. q. 43. a. 7. C. ubi sic scribit: " In spiritualibus bonis est distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quod nullus debeat mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat; quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius. Et ideo ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit; cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum Dominus docet Matth. 15. Quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia. Et hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione hujusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse. Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda." *Et ad* 4. ubi objicitur illud Hieronymi: *Dimittendum est propter scandalum omne, quod potest prætermitti salva triplici veritate, scilicet vitæ, justitiæ, & doctrinæ*. Sic respondet: " Dicendum, quod in veritate vitæ, doctrinæ, & justitiæ non solum comprehenditur id, quod est de necessitate salutis, sed etiam id, per quod perfectius pervenitur ad salutem, secundum illud ad Corinthios 12. Æmulamini charismata meliora. Unde etiam consilia non sunt simpliciter prætermittenda, nec etiam misericordiæ opera, propter scandalum, sed sunt interdum occultanda, vel differenda propter scandalum pusillorum. Quod patet in his, qui jam noverunt consilia (*utpote qui ob notitiam consiliorum tantum scandalizantur ex malitia*) & in his, quibus ex debito imminet defectibus aliorum subvenire; vel in temporalibus, puta, pascendo esurientem, vel in spiritualibus, puta, docendo ignorantem, sive hujusmodi sint debita propter injunctum officium, ut patet in Prælatis, sive propter necessitatem indigentis. Et tunc eadem ratio est de hujusmodi, sicut de aliis, quæ sunt de necessitate salutis.

Quæritur 10. An temporalia bona vel jura sint aliis relinquenda, si ex eorum tuitione vel retentione sint oritura scandala?

Respondeo 1. *Ex lege charitatis erga proximum* non datur obligatio cedendi

sua

sua bona aut jura certa propter scandalum, sed tantum datur obligatio, proximum sufficienter instruendi de certitudine bonorum & jurium. *Ratio* est; quia post sufficientem instructionem de certitudine bonorum & jurium scandalum non amplius fundatur in ignorantia vel infirmitate, sed in malitia proximi. Ob scandalum autem fundatum in mera malitia seu Pharisaicum jura sua relinquere nemo tenetur; alioquin brevi totus mundus cederet spoliationi improborum.

Respondeo 2. Si jura bonorum certa non sint, charitas & æquitas postulat compositionem, quam si adversarius renuat, jam scandalum ex ipsius parte mere passivum, & in malitia fundatum est, si quis tueatur sua bona & jura, in quorum possessione est.

Respondeo 3. Aliquando tamen datur obligatio *ex lege charitatis erga Deum*, cedendi aliquid de *suis* bonis vel juribus ad præcavendum grave scandalum, licet illud in malitia aliena, vel in ignorantia vincibili fundatum sit. *Ratio* est, quia ordo charitatis erga Deum postulat, ut emolumenta divinæ gloriæ & Ecclesiæ in rebus magni momenti præferantur commodis propriis & bonis, nisi ea cessio comparative ad statum personæ nimis ardua fuerit, ut in tali casu eam Deus titulo amicitiæ postulare non præsumatur. Ita quoad rem respondet D. *Thomas* 2. 2. q. 43. a. 8. C. scribit: *Circa temporalia bona distinguendum est; aut enim sunt nostra, aut nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona Ecclesiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuscunque rectoribus Reipublicæ. Et talium conservatio, sicut & depositorum, imminet his, quibus sunt commissa, ex necessitate* (ut videlicet nihil cedant, nisi ex consensu eorum, quorum interest, expresso, tacito, vel præsumpto.) *Et ideo non sunt propter scandalum dimittenda, sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis. Temporalia vero bona, quorum sumus Domini, dimittere propter scandalum quandoque debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod supra diximus esse scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum sedandum, scilicet per aliquam admonitionem. Unde Augustinus l. de Serm. Dom. in monte. Dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat. Et cum negaveris, quod petit, indicanda est ei justitia, & melius aliquid dabis, cum petentem injuste correxeris. Aliquando vero scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Pharisæorum. Et propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent. Unde dicit Gregorius in Moralibus: Quidam dum temporalia a nobis rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam vero æquitate servata prohibendi, non sola cura, ne nostra subtrahantur, sed ne rapientes non sua semetipsos perdant.*

Dixi in Responsione tertia; cedendum aliquando esse aliquid *ex lege charitatis erga Deum*. Id enim probatur ex 1. *Cor.* 6. ubi Apostolus dicit: *Jam omnino delictum est in vobis; quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Ergo datur aliquis casus, ubi jura sua cedenda sunt ad evitandum majus detrimentum divinæ gloriæ. Sic etiam ad Rom. 14. Apostolus dicit: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Et Christus Matth. 5. dicit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. Dein post enumeratas varias species abundantioris justitiæ addit: *Et qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*. Dantur ergo in Lege Christiana aliqui casus, in quibus ad præcavendum ingens detrimentum divinæ gloriæ sic fieri præcipit ordo charitatis erga Deum.

Quæritur 11. An illi, qui alios graviter scandalizant, teneantur in confessione exprimere speciem peccati, cujus præbuerunt occasionem?

Respondeo. Affirmative. Ita communis. *Ratio* est; quia, prout ostendam in Tract. *de peccatis*, omnes effectus peccati imputantur suæ causæ tanquam formale peccatum, utpote liberi in sua causa. Ergo cum sint etiam formale peccatum scandalizantis, etiam ipse tenetur explicare speciem peccati, v.g. furti, homicidii, vel adulterii, ad quod induxit scandalo activo. Hinc consequitur, tale peccatum formale, v. g. furti, habere duas libertates; unam ipsius scandalizati, quæ actui inest physice ac intrinsece; alteram ipsius scandalizantis, cujus libertas actui causato solum inest moraliter per denominationem extrinsecam.

Quæritur 12. An illi, qui alios graviter scandalizant, v. g. obscœnis cantilenis, vel colloquiis, teneantur in confessione exprimere numerum præsentium, qui potuerunt graviter scandalizari?

Respondeo. Affirmative. *Ratio* est, quia omnia peccata, quæ a scandalizatis præsumptive fuerunt commissa, sunt scandalizanti libera in causa, ipsique imputantur tamquam ejus formale peccatum, in quo ipsa forma extrinsece denominans est libertas scandalizantis; ipsum materiale autem sunt actus ipsi causati in scandalizatis. Cum ergo concreta multiplicentur juxta multiplicationem materiæ, v. g. plures muri albi, si dealbarentur per eandem albedinem, vel plura membra viva animata per eandem animam, consequitur, scandalizantem in tali casu plurium peccatorum numero distinctorum reum esse, quæ proin tenetur exprimere quoad numerum, quod fit exprimendo numerum scandalizatorum, seu præsentium, qui facile poterant scandalizari. Cum autem in tali materia confessarius non possit convenienter interrogare de phrasi cantilenæ vel colloquii, pœnitens solum interrogandus est, utrum talia fuerint, ut audientes exinde facile potuerint graviter scandalizari? hoc est, utrum exinde facile potuerint concipere cogitationes obscœnas ac delectationes morosas, vel desideria obscœna?

Quæritur 13. An peccent peccato scandali, qui vendunt ac ministrant materiam vel instrumentum peccati?

Respondeo. Si materia vel instrumentum peccati secundum se sit indifferens ad bonum vel malum usum, & ex circumstantia personæ non possit haberi prudens *suspicio* seu dubium de abusu, licitum est talia vendere vel ministrare. Si autem ex circumstantia personæ habeatur prudens *suspicio* de abusu, tenetur ministrans sufficientem exigere *cautionem* de non secuturo abusu per *testimonium*, *fidejussionem*, aut *monitionem* domesticorum, vel alterius personæ fide dignæ, quæ testatur de legitimo fine, aut caveat de recto usu. Si autem ex circumstantia personæ moraliter certum sit secuturum abusum, & hoc sufficienter probari possit, in nullo casu licet vendere aut ministrare materiam seu instrumentum peccati. Si vero id sufficienter probari non possit, & ministrans ex officio publico sui status tenetur omnibus indiscriminatim ministrare artefacta vel merces sui status, tenetur minister pro hoc casu particulari quærere excusationem, vel sumere sufficientia media, quibus impediatur abusus; vel manifestare postulanti, se habere particularem recusationis causam, quam teneatur dicere soli suo Judici. *Ratio* horum generalis est, quia homo tenetur ex charitate Dei impedire offensam Dei, & inhonestatem veræ Ecclesiæ, & ex charitate proximi tenetur impedire peccata & nocumenta proximi, quantum postulat lex amicitiæ inter Deum & hominem. Sed hæc omnia postulat præfata lex amicitiæ. Ergo. Hinc

Resolves 1. Non esse licitum ea proponere in discursu joci, eruditionis ostentandæ, aut diversionis gratia, quæ audienti præbeant ansam probabiliter committendi furtum, homicidium, fornicationem, detractionem, blasphemiam, &c. 2. Non esse licitum, vendere arma, chartas lusorias, venenum, &c. quibus emens creditur esse abusurus ad peccatum. 3. Non licere pharmacopolis, vendere puellis medicamenta, quæ suspectæ fuerint, an non sint abusuræ ad expellendum fœtum. 4. Non esse licitum cauponibus, semiebriis eousque ministrare vi-

vinum aut cerevisiam, ex quo jam moraliter certum est, eos plene inebriandos. 5. Non esse licitum, conficere Idola pro usu gentilium; quia hoc est contra honestatem nostræ Religionis. *6.* Non esse licitum pictoribus vel statuariis, conficere imagines obscœnas, facile inductivas ad prava desideria, vel delectationes morosas. 7. Non esse licitum fabris ferrariis, vendere claves generales personis suspectis. 8. Non esse licitum, in quadragesima vendere vel præbere carnes personis suspectis, de quibus creditur, eas non habere dispensationem. *9.* Non esse licitum, parare secundam refectionem in die jejunii personis, quas moraliter constat, jam semel sumpsisse justam refectionem, nec esse dispensatas ad alteram refectionem. 10. Non esse licitum, vendere eas merces vel ornamenta muliebria, quæ plerisque tantum serviunt ad luxum, vel seductionem. Omnes ejusmodi homines, nisi pro viribus abusum impediant, & fomenta subtrahant, peccant mortaliter, & peribunt ex defectu charitatis erga Deum, etiamsi non peccarent contra charitatem proximi.

Quæritur 14. An liceat ponere occasionem peccati animo tentandi fidelitatem in proximo?

Respondeo. 1. Non licet ex ullo prætextu ponere occasionem ex se inductivam ad peccatum. *Ratio* est, quia ponere directe causam inductivam peccati ex sua natura, est in æstimatione morali idem, ac directe inducere ad peccatum. Sed hoc nunquam licet. *Quia non sunt facienda mala, ut veniant bona*, prout insinuat Apostolus ad Rom. 3. v. 8.

Respondeo 2. Licet tamen ponere occasionem de se non inductivam ad peccatum ex intentione probandi animum proximi, si occasio de se non sit inductiva ad peccatum respectu animi mediocriter probi, & concurrat urgens causa tentandi alterius probitatem concernens bonum commune communitatis. Ratio est, quia etiam Deus sic tentat suos amicos ex intentione manifestandi eorum animum in ordine ad majorem eorum gloriam vel pœnam. Sic Deus tentavit intentionem puram serviendi Deo in Job, & patientiam Tobiæ, & obedientiam Saulis; & Christus ipsemet posuit ac reliquit Judam in Apostolatu. Sic enim legitur 1. Joan. 2. v. 18. *Nunc antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis; sed ut manifesti sint*. Et 1. Cor. 11. v. 19. *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt* (dum eos Deus in societate malorum ponit) *manifesti fiant in vobis*. Sic etiam Gen. 22. v. 1. *Tentavit Deus Abraham, & ait illi: Tolle filium tuum, atque offeres eum in holocaustum*. Et Exodi 15. v. 20. *Ambulaverunt tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam. Et murmuravit populus. Ibi* (Dominus) *tentavit eum*. Et Exodi 16. v. 4. *Dixit Dominus. Pluam panes de cœlo; egrediatur populus & colligat per singulos dies, ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non?* Et Deut. 8. v. 2. *Adduxit te Deus quadraginta annis per desertum ut affligeret te atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non?* Et Deut. 13. v. 1. *Si surrexerit in medio tui prophetes, & dixerit, sequamur Deos alienos, non audies; quia tentat vos Deus, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde*. Et 2. Paralip. 32. v. 31. de Ezechia scriptum est. *In legatione principum Babilonis dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus*. Et Sap. 3. *Tentavit eos & invenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probavit eos*. Et Tobiæ 12. v. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te*. Ex his tentationibus divinis aliquæ erant per actionem Dei positivam, aliæ tantum permissivæ, non subducendo occasionem. Itaque etiam homini licebit, proximum constituere in occasione peccandi, dummodo de se respectu animi mediocriter probi non sit inductiva ad peccatum, & detur urgens causa concernens bonum commune plurium v. g. familiæ, tentandi ejus fidelitatem. Hinc.

Resolves 1. Excusari posse maritum a peccato scandali, si habens justam suspicio-

picionem de adulterio uxoris eam in solita occasione relinquat, interim tamen secum secreto adducat testes ad observandum, an uxor adulteretur, ut eam convincere possit in judicio, & divortium facere. Pro hac sententia citantur Sanchez, Molina, Navarra, Bonacina, Palao. Verum hæc doctrina non potest admitti, si maritus spectatis circumstantiis haberet aliud medium securum, uxorem in posterum præservandi ab adulterio. 2. Excusari a peccato scandali, parentes, Heros, &c. si permittant filiis, famulis, & ancillis suspectis occasionem furandi, quam auferre possent, ut de ipsorum fidelitate experimentum capiant, sicque vel eos corrigant, vel ab eis caveant. Pro hac sententia refertur Sanchez, Navarrus, Corduba, Bonacina, Palao, Valentia, Molina. 3. Excusari a peccato custodes vinearum, hortorum, pomariorum; & Sylvarum, si se abscondant, ut ingredientes deprehendant, eorumque punitione loca suæ custodiæ commissa in posterum in tuto collocent. Si autem haberent aliud medium, ea loca in tuto collocandi, aut præcise intenderent lucrum ex mulcta pecuniaria, non liceret instituere ejusmodi probationes.

Quæritur 15. An liceat petere auxilium ab eo, qui creditur illud non præstiturus sine peccato?

Respondeo. Si auxilium, quod petitur, non possit præstari sine peccato, id petere non licet. Quia hoc esset postulare peccatum. Si autem præstari possit sine peccato, attendendum, utrum peccatum sit mere internum & occultum se tenens ex parte personæ; vel utrum sit externum, se tenens ex parte actionis auxiliaris externæ, & notorium. Si sit externum & notorium, non licet petere auxilium, saltem extra casum necessitatis; quia hoc foret ultro & notorie dare occasionem peccati, quod reougnat charitati erga Deum. Si autem foret solum internum ac se tenens ex parte personæ, sic posset peti causa magnæ utilitatis, si alio modo ab alia persona non potest sine gravi incommodo obtineri auxilium. Ratio est, quia lex charitatis seu amicitiæ inter Deum & hominem non videtur prohibere eam utilitatem amico Dei venientem ab impio parato ad malum, sicut ea lex non prohibet recipere alimenta ab avaro per contractum licitum, immo etiam pretio ex parte vendentis injusto, si alioquin comparari non possint. Hinc in casu necessitatis licet a Ministro improbo petere Sacramenta, & ab usurario sumere mutuum sub conditione usuraria, si ab alio Sacramenta vel mutuum in casu necessitatis æqua conditione obtineri non possint.

Quæritur 16. An locantes vel vendentes domos aut vestes meretricibus aut usurariis peccent peccato scandali?

Respondeo. Si locatio aut venditio ejusmodi est causa efficax peccatorum, ita ut illa non posita difficulter invenirentur aliæ domus aut vestes ita commodæ in hunc usum, sic locans aut vendens peccat mortaliter; quia tales contractus repugnant charitati erga Deum, & honestati religionis. Si autem talis locatio aut venditio non est causa efficax peccatorum, ita ut illa non posita nihilominus vigeret quæstus meretricius & usurarius, posset domus locari aut vendi Reipublicæ, ut ab illa applicaretur in fines necessarios pro bono Reipublicæ; sed ut a persona privata vendatur aut locetur meretricibus vel usurariis, non licet, quia hoc repugnat honestati legis christianæ.

Quæritur 17. An absque peccato scandali munera dari queant concubinæ Judieis, ut interpellet apud ipsum pro ferenda æqua sententia.

Respondo. Recte hoc negant Catalanus & Sanchez. *Ratio* illius est, quia porrigendo munera concubinæ, ut interpellet apud Judicem, petitur ab ea actio ex sua natura conformativa vinculi inhonesti, eo quod obliget amasium ad operandum ex motivo remunerandi vel conservandi turpis commercii. Cooperari autem vel inducere ad actionem ex sua *natura morali*, quam habet ex circumstantiis, inductiva ad peccati vinculum, non licet salva charitate erga Deum.

Quæ-

Quæritur 18. An filii, & famuli possint suis parentibus aut Dominis ministrare ad actiones peccaminosas, vel dispositivas ad peccatum?

Respondeo. Authores laxiores communiter distinguunt inter actiones proxime dispositivas ad peccatum, & inter actiones remote dispositivas. Hinc *Catalanus* de charit. q. 7. c. 8. qq. 10. ait: „ Si ministratio fiat in re ex se indifferenti, tunc attendendum erit, an ministratio illa indifferens remote se habeat ad peccatum illorum, an vero proxime. Nam si remote se habeat ministratio ad peccatum, ratione debitæ subjectionis & ex bona intentione poterunt eam efficere, maxime si ex denegatione ministrationis illius illis sequeretur incommodum. Sic essent, servire ad mensam concubinæ cum Domino, sternere lectum Domini, vel vestire Dominum, aut præparare equum volenti pergere ad concubinam. Secus tamen esset, si ministratio proxime se haberet ad peccatum. Sic esset, scienter deferre concubinam ad Dominum, vocare illam, comitari, dum ad Dominum pergit, eam deferre in sede, aut equo, scribere litteras amatorias, quas ei Dominus mittit, eas litteras deferre, notare domum mulieris, quam Dominus concupiscit, submissis humeris adjuvare Dominum ad ascendendum per fenestram concubinæ, deferre ei scalam ad ascendendum. Quæ ministrationes, quamvis abstractæ a talibus circumstantiis possint esse indifferentes, cum ipsis tamen sunt proximæ ad peccatum illud exequendum; adeoque ratio famulatus & debiti obsequii non erit sufficiens ad excusandum a peccato, etiamsi famulus male tractandus foret a Domino, aut tortis oculis aspiciendus, vel expellendus a domo. Sic constat ex definitione Innocentii XI. damnantis propositionem illam: Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a Domino male tractetur, ne tortis oculis aspiciatur, ne domo expellatur." Ita Catalanus. *Verum dicendum*, quod nunquam liceat ministrare ad actiones ex sua *natura morali manifeste* tendentes ad peccatum, sive disponant proxime sive remote ad peccatum. Actiones ex sua *natura morali* tendentes *manifeste* ad peccatum voco, quæ consideratis omnibus circumstantiis notoriis evidenter non ordinantur ad alium finem, quam ad peccatum. Hinc si evidens sit, accubitum concubinæ ad mensam, vel præparationem equi a Domino solum ordinari ad peccatum, non licet in hoc ei deservire, quia hoc repugnat honestati religionis, & statui amicorum Dei.

Quæritur 19. An excusentur a peccato Christiani apud Turcas captivi, si remigent in eorum triremibus? vel si iis arma ministrent ad Christianos occidendos? vel si applicent scalas ad Christianorum urbem expugnandam?

Respondeo. Si evidens sit, bellum Turcarum esse manifeste injustum, non excusantur a peccato mortali sic cooperando ad gravem damnificationem innocentium. Sic docent referente *Catalano Ugolinus*, *Toletus*, *Navarrus*, *Suarez*. Si autem non fuerit evidens, bellum esse injustum, possunt gravi metu coacti sic servire suis Dominis, quorum sunt mancipia. *Ratio* est, quia, prout suppono ex Tract. de fide & de justitia, etiam hæreticis & Turcis pacta servanda sunt. Ergo potest ex illorum parte bellum esse justum. Et cum mancipium non possit fundamenta utriusque partis examinare, in dubio tenetur parere suo Domino.

SECTIO SECUNDA.

De primo Præcepto Decalogi.

In hac Sectione agitur

1. De adoratione Dei, & cultu Sanctorum.

2. De

2. De Idololatria, Paganismo; Judaismo, & Hæresi.
3. De Magia & Maleficio.
4. De Superstitione, & Divinatione.
5. De vana observantia.
6. De tentatione Dei.
7. De blasphemia.
8. De Sacrilegio.
9. De Simonia.

§. I.

De adoratione Dei, & cultu Sanctorum.

QUæritur 1. Quomodo sonat primum Præceptum Decalogi?

Respondeo. Illud exprimitur in Exodo C. 20. his verbis: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me & custodiunt præcepta mea.* Hoc præceptum Moyses promulgavit populo Deut. 5. illudque statim explicavit uberius Deut. 6. his verbis: *Audi Israël; Dominus Deus noster Dominus unus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis & illi soli servies.* Ex his verbis colligitur; Deo deberi *fidem rectam* de Deo, *amorem*, *timorem*, *adorationem*, *cultum*, *detestationem* omnis superstitionis, cultus falsi, & erroris circa cultum verum Dei. De recta fide, dilectione & timore filiali actum jam est in Tract. de Fide, Spe, & Charitate. Restat proin hic agendum de Adoratione & cultu Dei, & de vitiis oppositis.

Quæritur 2. Quid sit adoratio in genere?

Respondeo. Adoratio in genere seu late sumpta est *exhibitio reverentiæ, ex institutione humana vel divina ordinatæ in contestationem excellentiæ dominativæ unius in alium*. Sic usurpatum fuisse terminum adorationis in Scriptura patet ex plurimis textibus. Sic Gen. 23. v. 7. de Abraham peregrino in Palæstina dicitur: *Adoravit populum terræ filios Heth.* Et Patriarcha Isaac filio suo Jacobo benedicens Gen. 27. v. 29. ait: *Serviant tibi populi & adorent te Tribus; esto Dominus fratrum tuorum.*

Quæritur 3. Quid sit adoratio Dei?

Respondeo. Adoratio Dei est *exhibitio cultus, Deo exhiberi soliti, in contestationem ejus supremi Dominii in homines*. Talis adoratio olim consistebat in profunda genuflexione, in sui prostratione in terram, in oblatione thuris, & in oblatione sacrificiorum. Sic servus Abrahæ Gen. 24. v. 48. dicit: *Pronus adoravi Dominum*. Et Dan. 3. v. 7. *Cadentes omnes populi adoraverunt statuam.* Cumque tres pueri hoc signum honoris recusarent, & ab igne præservarentur, Nabuchodonosor ipsemet ait: *Benedictus Deus eorum, qui tradiderunt corpora sua, ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.* Et Dan. 6. v. 10. de Daniele scribitur: *Tribus temporibus in die flectebat genua sua & adorabat coram Deo suo.*

Quæritur 4. Quotuplex est cultus?

Respondeo. Cultus sacer dividitur 1. in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. 2. In cultum internum & externum. 3. In cultum absolutum & respectivum. *Cultus Latriæ*, seu *latreuticus*, est genus reverentiæ soli Deo in contestationem ejus supremi Dominii debitæ. Talis cultus consistit in oblatione sacrificii, in celebratione infinitæ ejus excellentiæ independentis ab alio; in ejus invocatione ut omnipotentis ex semetipso. *Cultus Hyperduliæ* est genus reverentiæ soli Dei Genitrici ob ejus supra Angelos & alios Sanctos excellentiam exhiberi solitæ. Cum enim titulo maternitatis, qua merito vocatur Dei genitrix, omnes Angelos & Sanctos dignitate superet, etiam major illi debetur reverentia. Hæc potissimum consistit in celebratione & solenni contestatione hujus in illa eminen-

nentis dignitatis, & specialium donorum ab ea dignitate maternitatis dependentium, v. g. virginitatis, & in ipsius ad Deum patrocinii invocatione. *Cultus Duliæ* est genus reverentiæ Angelis & Sanctis cum Christo conregnantibus in cœlo exhiberi solitæ. Hic cultus consistit potissimum in celebratione ac solenni contestatione eorum dignitatis, & in eorum ad Deum patrocinii invocatione. *Cultus internus* consistit in actibus internis, videlicet in appretiatione, submissione, & affectione animi. *Cultus externus* consistit in actibus externis protestativis reverentiæ, affectionis, ac fiduciæ internæ. *Cultus absolutus* vocatur, qui immediate respicit ipsas personas per se capaces honoris & dignas reverentia, v. g. erga Deum, B. Virginem, Sanctos. *Cultus respectivus* dicitur reverens tractatio rei per respectum ad personam, ad quam habet relationem. Sic coluntur imagines, reliquiæ, instrumenta passionis Sanctorum; crux Christi &c.

Quæritur 5. An Christus sit etiam adorandus ut homo adoratione Latriæ?

Respondeo. Affirmative. *Ratio* est; quia Christus qua homo non habet subsistentiam propriam, sed subsistit per subsistentiam Verbi, ita ut verum sit dicere: *Homo est Deus*.

Quæritur 6. An etiam humanitas, anima, corpus, cor, sanguis, & nomen Christi Jesu sint adoranda adoratione latriæ?

Respondeo. Hæc omnia sunt adoranda adoratione seu cultu Latriæ, non tamen cultu absoluto, sed respectivo. *Ratio* est, quia non est verum dicere, quod humanitas Christi sit Deus, quod anima sit Deus, quod corpus sit Deus, quod cor, sanguis, aut nomen Jesu sit Deus. Neque verum est dicere, quod humanitas aut anima vel corpus Christi sit persona ratione sui potens salvare aut dominari in creaturas omnes. Multo minus id verum est de corde, sanguine, aut nomine Jesu. Itaque cultus Latriæ, quando ad eos dirigitur, solum est respectivus ad personam, cujus considerantur vel tanquam partes, vel tanquam proprietates. Immo cum anima Christi sit ipsum principium activum partiale meritorum & operationum in Christo, posset dici, quod per modum activæ partis in eo, quod est ratione sui adoratione dignum, aliqua ratione participet etiam cultum Latriæ absolutum, videlicet per modum objecti inadæquati in eo, quod cultum Latriæ recipit. Verum circa ejusmodi res loquendum cum pluribus. *Catalanus* in Decalogum q. 1. c. 3. n. 4. sic scribit: „ Infertur, Humanitatem in Christo „ adorandam esse adoratione Latriæ, non „ per se tamen, sed ratione Verbi, cui „ est personaliter unita, adeo ut per se „ ac primo adoretur persona Verbi, & „ concomitanter Humanitas ipsi Verbo „ unita. Et quamvis *Suarez*, *Durandus*, *Scotus*, *Gabriel*, *Vasquez*, *Azor*, „ relati a *Bonacina* in 1. Decal. d. 3. „ q. 1. p. 2. n. 7. dixerint, Humani- „ tatem Christi a Verbo per intellectum „ præcisim adorandam esse adoratione „ Hyperduliæ, quia ex se non habent „ excellentiam increatam, sed creatam, quamvis superet excellentiam „ omnium Sanctorum, nihilominus semper in praxi adorandus est Christus „ & ejus humanitas adoratione Latriæ. Ita *Catalanus*. Ego vero suadeo, ut in omnibus devotionibus, nisi ubi manifesta omnibus fuerit phrasis poetica, invocationes semper dirigantur solum ad personam; cultus autem, consistens solum in actibus reverentiæ & affectionis & benedictionis seu celebrationis, etiam dirigatur ad partes personæ, vel ad pertinentia ad personam. Sic in suis solennibus precibus observat Ecclesia. Non enim invocat corpus Christi, vel humanitatem Christi, vel oculos, manus, cerebrum, ac cor Christi, sed ipsum Christum. Quando videtur invocare crucem, manifestum est, esse phrasin poeticam.

Quæritur 7. Quid sufficiat & requiratur ad hoc, ut alicui rei possit exhiberi cultus latreuticus, saltem respectivus?

Respondeo. Ad hoc sufficit & requiritur, ut Deus velit ea vel in re vel in imagine honorari cultu excellenti tanquam

quam immediata instrumenta sua nostræ salvationis & suæ gloriæ. Ex hoc proin sequitur; non omnia *quæ attigerunt corpus Christi* esse capacia cultus latreutici; alioquin etiam asinus, in quo Christus fuit vectus, aut manus, quæ inflixit Christo alapam, aut excrementa, & hujusmodi multa, v. g. S. Joannem, qui in sinu recubuit, & ejus SS. Matrem, & S. Josephum, quia ipsum portarunt, & Judam, qui illum osculatus est, esse colenda cultu latreutico. Neque etiam ad cultum latreuticum sufficit; ut quomodocunque res habeat respectum seu relationem ad Chtistum per modum figuræ, symboli, aut signi; alioquin cultu latreutico colendæ essent vites, agni, leones, petræ, pastores, & litteræ alphabeticæ; quia etiam ista omnia tam in re quam in imagine repræsentant Christum vel ducunt in memoriam Christi. Immo neque sufficit, quod aliquid fuerit instrumentum operationis divinæ, salvationis, aut glorificationis in Christo; alioquin sequeretur, etiam cultu latreutico colendas esse in imagine funes, quibus Chistus fuit ligatus, sputa quibus fuit consputus, spongiam, acetum, laternas, enses, gladios, triginta argenteos, tam in re, quam in imagine accepta. Sed hoc nec praxis fidelium, nec ratio dictat. Immo spectata sola ratione videretur, instrumenta passionis Dominicæ potius esse contumelia afficienda, quia inhonorarunt Christum; sicut Soldanus in ultima expugnatione Jerosolymæ jussit publice circumferri & flagellari crucem Dominicam. Itaque ad præstandum cultum latreuticum insuper requiritur, ut res a Christo fuerit adoptata in partem suæ gloriæ, & jussa honorari, idque nobis signo aliquo expresso vel tacito fuerit manifestatum. Id autem nobis fuit manifestatum de omnibus partibus sui corporis in Resurrectione assumptis in gloriam; & de quinque ejus vulneribus, quæ retinuit in gloria, & de cruce, quæ tanquam gloriosum *signum* seu vexillum *filii hominis*, teste Apostolo est apparitura gloriose in extremo judicio. Cum igitur Christus glorietur in suis vulneribus, & in cruce, & in hac ipsa glorientur Christiani, consentaneum erat, ut etiam a nobis Deus instrumenta sua alia nostræ salvationis & suæ gloriæ, *assumpta in gloriam*, ubi decentia præeunte judicio Ecclesiæ id pateretur, haberi vellet in excellenti reverentia, honore, ac cultu, in quantum nobis repræsentant per illa vel in illis immediate ad nostram salvationem & suam gloriam operantem Christum.

Quæritur 8. Quales imagines Dei aut Sanctissimæ Trinitatis pro cultu publico tolerandæ sint?

Respondeo. Non sunt tolerandæ aliæ imagines Dei vel SS. Trinitatis, nisi in quibus Deum aliquando apparuisse ex Scriptura moraliter constat. Ita colligitur ex Epistola SS. D. N. Benedicti XIV. ad Episcopum Augustanum occasione cujusdam revelationis, quæ spargebatur piæ alicui Moniali factæ, quod illi Spiritus Sanctus in specie juvenis pulcherrimi, flammulis ad caput circumdati apparuerit; in qua re examinanda tunc temporis commissarii munere fungebar. In præfata Epistola, quæ inserta reperitur Tomo I. Bullarii *Benedicti* XIV. sic habetur: „ Hæc satis esse possent ad „ accuratam illam, quam de commissa „ tibi inquisitione Nobis reddidisti ratio- „ nem, ne ulterius progrederetur Epi- „ stola nostra, nisi alia quædam Litte- „ ris tuis Nobis indicanda judicasses; „ inter quæ præcipuum locum obti- „ net, quod scribis, de publicatis la- „ teque diffusis quibusdam imaginibus „ Spiritum Sanctum sub speciosi Juve- „ nis forma referentibus, subscriptis ver- „ bis: *Veni Sancte Spiritus*. De quibus „ imaginibus, utpote statim undequa- „ que sparsis atque multiplicatis inqui- „ rendum, an hujusmodi Iconum usus, „ expressio, & veneratio, sive intra Ec- „ clesias, sive extra illas admitti pos- „ sit? Nos autem primum omnium A- „ postolicum Fraternitatis tuæ Zelum, „ quo hujusmodi imagines huc illuc spar- „ sas & per cœnobium, per Ecclesiam, „ per chorum palam expositas auferri „ & removeri jussisti, laudamus atque „ probamus, mandantes, ut in suscepto

„ pro-

,, proposito firmiter constanterque per-
,, severans nullo pacto permittas hujus-
,, modi Icones ulterius multiplicari ;
,, quascunque vero ullibi existere com-
,, pereris, eas omnes & singulas de me-
,, dio tollas. Repræsentatur tamen Deus
,, eo modo, eaque forma, quibus in
,, Scripturis Sanctis legimus, ipsum mor-
,, talibus apparere dignatum esse. Pe-
,, tavius l. 15. de Incarnat. c. 14. de-
,, monstrat, licitum esse, Deum sub ea
,, forma depingere, qua ipsum accepi-
,, mus, semetipsum conspiciendum præ-
,, buisse. His positis principiis minime
,, dubiis facile patebit, qua ratione ima-
,, go Spiritus Sancti a Pictoribus effor-
,, mari debeat, & quænam ipsius ima-
,, gines approbari debeant aut reproba-
,, ri. In Evangeliis legitur, Spiritum
,, Sanctum corporali specie sicut colum-
,, bam descendisse ; Legitur insuper in
,, Sacris paginis, Spiritum Sanctum in
,, linguarum ignearum figura adventum
,, suum manifestasse. -- Quod si dicatur,
,, minime reprobari usum pingendi Spi-
,, ritum Sanctum in columbæ specie ;
,, verum id agi, ut præterea possit sub
,, speciosi Juvenis aut Viri forma re-
,, præsentari : Nos contra jure respon-
,, deri posse contendimus, quod cum
,, aliter non liceat divinæ personæ ima-
,, ginem humanis oculis intuendam ex-
,, hibere, quam sub ea forma, sub qua
,, in Scripturis sanctis narratur, eandem
,, personam se olim hominibus aspecta-
,, bilem præbuisse, sequitur inde, non
,, modo licitum esse, Spiritum Sanctum
,, vel die Pentecostes in mystica figura
,, linguarum ignis super Apostolos de-
,, scendentium, vel alias, in columbæ
,, specie depingere, sed hoc insuper col-
,, ligitur, minime licere, eundem Spi-
,, ritum Sanctum sub Adolescentis aut
,, Viri specie figurare, cum nullibi in-
,, veniatur in divinis Scripturis ipsum
,, sub hujusmodi forma hominibus ap-
,, paruisse. Huic autem rationi adden-
,, da est authoritas SS. Tridentinæ Sy-
,, nodi, quæ prohibet fidelium oculis
,, exhiberi imagines, rudibus periculosi
,, erroris occasionem præbentes, & ge-
,, neraliter ullam insolitam poni ima-
,, ginem tam in Ecclesiis, quam in aliis
,, quibuscunque locis distincte vetat.
,, Imago autem, de qua agitur, præ-
,, terquam quod insolita est, impium
,, etiam errorem in animos intuentium
,, revocare posset, eorum videlicet, qui
,, asseruerunt, divinam Spiritus Sancti
,, personam humanæ conditionis natu-
,, ram assumpsisse. -- Porro licere SS.
,, Trinitatem pingere, communis est
,, Theologorum opinio, illud tamen
,, communiter traditur, minime per-
,, mittendum esse pictoribus, ut SS. Tri-
,, nitatem qualibet forma pro ipsorum
,, libito repræsentare audeant. Inter re-
,, probatas imagines SS. Trinitatis est
,, procul dubio recensenda, qua repræ-
,, sentabatur Deipara Virgo Trinitatem
,, ipsam in utero gerens, quasi vero to-
,, ta Trinitas humanam carnem ex Vir-
,, gine assumpsisset. Humanam corporis
,, figuram tribus capitibus instructam,
,, tanquam imaginem repræsentandæ SS.
,, Trinitati aptam tueri quodammodo
,, conatur Valentia. Verum super hu-
,, jusmodi Imaginibus solenne judicium
,, Urbani VIII. prodiisse referunt Macri
,, & Sarnellus, qui testantur, prædi-
,, ctum Urbanum comburi jussisse pi-
,, cturas quasdam SS. Trinitatem exhi-
,, bentes sub specie hominis triplici fa-
,, cie instructi, idque factum fuisse 11.
,, Augusti 1628. --- Quod si usus pin-
,, gendi SS. Trinitatem in tribus per-
,, sonis æqualibus & similibus canonicus
,, esset, legitimus, & ab Ecclesia pro-
,, batus, atque etiam tutissima foret opi-
,, nio, quod apparitio trium angelorum
,, Abrahamo facta mysterium adorandæ
,, Trinitatis significaverit, nunquam ri-
,, te colligeretur, licere Spiritum San-
,, ctum seorsim a duabus aliis Personis
,, humana facie, & sub speciosi Juve-
,, nis forma depictum exhibere. Nec
,, enim exhibitio Abrahamo facta unius
,, Angeli fuit, sed trium ; nec ullibi in
,, Sacris Litteris narratur, Spiritum
,, Sanctum in forma Viri aut Juvenis
,, seorsim a duobus aliis, qui reliquas
,, duas Trinitatis Personas repræsen-
,, tarent, hominibus apparuisse, &c.
,, Datum Romæ 1. Oct. 1745.

Quæ-

Quæritur 9. An cultus *Hyperduliæ* differat specie a cultu *Duliæ*?

Respondeo. Affirmative. *Ratio* est; quia cultus Duliæ fundatur in relatione Dei ad angelum vel hominem titulo amicitiæ divinæ, qua Deus illis non solum communicat omnia bona sibi intrinseca, nempe seipsum, sed etiam sua bona intrinseca, nempe honorem ac gloriam juxta illud Psal. 138. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum*. Sed cultus Hyperduliæ fundatur potissimum in relatione Dei ad B. Virginem tanquam suam Matrem, vi cujus relationis seu tituli illam honore præfert & præferri vult omnibus aliis creaturis. Hæ autem duæ relationes specie differunt.

Quæritur 10. An etiam cultus Duliæ & Hyperduliæ pertineat ad virtutem religionis, cujus est objectum cultus Dei?

Respondeo. Affirmative. *Ratio* est; quia hoc pertinet ad majestatem, honorem, ac reverentiam Dei, ut eximie colantur ejus intimi amici, præsertim mater Dei. Concedendum tamen est, quod in cultu Sanctorum cultus Dei non importetur *explicite*, neque *in recto*; & motivum formale explicite importatum, est eorum excellentia virtutum & prœmiorum honore digna, ut proin virtus religionis, qua coluntur Sancti, videatur tantum analogice convenire cum virtute religionis simpliciter ac stricte dicta, quæ immediate *in recto* pro suo objecto habet *cultum Dei*, dum econtra virtus religionis, quatenus refertur ad Sanctos, cultum Dei tantum attingit in obliquo, cultum vero Sanctorum in recto. Itaque virtus religionis, quæ se habet ad Sanctos, se habet *analogice* ad virtutem religionis erga Deum; sicut ratio sani, quæ est in cibo, medicina, colore vultus, aere &c. se habet analogice ad rationem sani, quæ reperitur in temperamento corporis.

Quæritur 11. Quibus personis possit exhiberi cultus Duliæ?

Respondeo 1. Cultus duliæ publicus potest exhiberi solis Canonizatis, vel Beatificatis per solenne judicium Ecclesiæ, vel iis, qui ante Decretum *Urbani* VIII. editum anno 1625. jam habuerunt cultum publicum ultra centum annos, hoc est, jam ab anno 1624. Ita habetur in præfato decreto *Sanctissimus*, Urbani VIII. & in alia ejus Constitutione *Cœlestis Jerusalem* edita 1634.

Respondeo 2. Ad cultum publicum prohibitum in præfato Decreto refertur, si tabulæ votivæ publice relinquantur appensæ; si eorum imagines publice exponantur, vel etiam privatim cum radiis vel splendoribus exhibeantur; si eorum miracula ac beneficia per libellos sine approbatione non solum Ordinarii, sed etiam Sedis Apostolicæ publicentur; si eorum nomina Litaniis ab Ecclesia usitatis inserantur. Econtra ad cultum privatum pertinet invocatio privata.

Respondeo 3. Licet tamen Sanctis personis, de quorum sanctitate & sancto obitu morali certitudine constat, exhibere cultum privatum, hoc est, eos privatis orationibus invocare, eos in Patronum eligere, in eorum honorem jejunare, eorum imagines sine radiis reverenter servare, ac videntibus aliis domesticis venerari in domo privata. Hæc omnia habentur in Decreto & Constitutione *Urbani* VIII. præfatis, & in declaratione S. Congregationis Rituum edita 1659. quæ subjungo.

Definitio quoad Imagines nondum a Sede Apostolica Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radiis, splendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus, desuper proponendis, recipienda, & asservanda, sive eorum miracula in imprimendis libris enarranda.

Feria V. die 13. *Martii Anno Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi* 1625.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Vaticano coram S. D. N. D. Urbano Divina Providentia Papa VIII, ac Illustriss. & Reverendiss.

D. D.

D. D. S. R. E. Cardinalibus, adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

„ Sanctiss. D. N. solicite animadvertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui etsi neque Canonizationis neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque Ecclesiis, aliisque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis, & radiis, seu splendoribus proponuntur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta, in libris rerum ab ipsis gestarum enarrantur, & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

„ §. 1. Volensque proinde hujusmodi abusibus, pro debito Officii Pastoralis occurrere, re etiam cum Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in Republica universa Christiana generalibus Inquisitoribus communicata, & mature considerata, ac discussa, declaravit, statuit, & decrevit, de quorumvis hominum, cum sanctitatis, seu Martyrii fama (quantaque illa sit) defunctorum imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præ se ferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis tam sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponantur, antequam ab Apostolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit.

„ §. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione (ut præfertur) celebres e vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinceps fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque responsum expectet. Revelationes vero & miracula, aliaque beneficia supra dicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque sua Sanctitas.

„ §. 3. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi aut affigi, & lampades, sive alia quæcumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout supra facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda.

„ §. 4. Declarans, quod per supra scripta, præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ~~ac~~ tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii coluntur.

„ §. 5. Ut autem præmissa diligentius observentur; universis ac singulis, tam Ordinariis, quam hæreticæ pravitatis Inquisitoribus districte præcipit, ut in sua quisque Diœcesi, vel Provincia sedulo pervigilet, ne sine approbationibus prædictis, Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, Revelationes, ac Beneficia prædicta publicentur, aliave contra superius disposita fiant.

„ §. 6. Transgressores vero, si Regulares fuerint, privationis suorum officiorum, ac vocis activæ & passivæ, nec non & suspensionis a divinis: si vero Clerici sæculares, & privationis pariter suorum officiorum, suspensionis a divinis, & ab administratione Sacramentorum executioneque suorum Ordinum respective, aliisque arbitrio prædictorum Ordinariorum, seu Inquisitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

„ §. 7. Qui autem libros impresserint, aut imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formaverint, cæterique artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniariis, aliisque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio afficiantur.

„ §. 8. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

„ §. 9. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi, voluit, ut decretum hujusmodi, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Urbis, ac in acie Campi Floræ affixum omnes perinde arctet, atque afficiat, ac si unicuique personaliter intimatum fuisset.

„ §. 10. Quodque præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Jo. Antonius Thomasius Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Declaratio ac Confirmatio Decretorum editorum circa Imagines defunctorum nondum a Sede Apostolica Canonizatorum cum splendoribus, aut laureolis non proponendas, & processus pro eorum Beatificatione, ac Canonizatione conficiendos.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cœlestis Hierusalem Cives &c. &c.

„ §. I. Alias siquidem Nos solicite animadvertentes abusus, qui irrepserant, & irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen Imagines in Oratoriis, atque in Ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam privatis, cum laureolis aut radiis, seu splendoribus proponebantur, miracula, & revelationes, aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, & ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponebantur. Volentesque proinde hujusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem in Universa Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, ab eadem Sede specialiter deputatis, communicata, & mature considerata, ac discussa; de eorundem Cardinalium consilio sub die 13. Martii 1625. declaravimus, statuimus, & decrevimus, ne quorumvis hominum cum Sanctitatis, seu martyrii fama (quantacunque illa esset) defunctorum imagines, aliaque præfata, & quodcunque aliud venerationem, & cultum præseferens, & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, tam sæcularibus, quam Regularibus, cujuscunque Religions, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis apponerentur; antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, & (si quæ appositæ

„ es-

„ essent) amoverentur , prout eas statim amoveri mandavimus. Ac pariter imprimi de cœtero inhibuimus libros eorundem hominum, qui sanctitatis, sive Martyrii fama, vel opinione, ut præferetur, celebres e vita migravissent, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhiberet: & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novi, & inordinati in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret, ejusque responsum exspectaret: Revelationes vero, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris hominum vitam, gestaque continentibus eatenus sine recognitione, atque approbatione hujusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam, ac inhibuimus tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tam pictas, quam fictas, atque exsculptas appendi, seu affigi, & lampades, sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario omnino prout supra, facienda, Sedique Apostolicæ referenda, ac probanda. Declarantes, quod per supra scripta præjudicare in aliquo noluimus, neque intendimus iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia præfatæ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii celebrantur. Cumque postea die 2. Octobris ejusdem anni 1625. a quibusdam revocari in dubium accepissemus, an tabellas, & imagines, quas in posterum afferri contingeret, recipere, & antea oblatas conservare liceret? Nos, qui tantummodo voluimus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinæ Clementiæ placuerit admirandis operibus illustrare; re prius cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio declaravimus, quod sicut nunquam prohibuimus, nec intentionis nostræ fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum hujusmodi, ita ut deinceps nulli dubitationis locus relinqueretur, statuimus, & decrevimus, ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu regularem tabellas, & imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii, aut Sanctitatis fama demortuorum, optata impetravisse diceret, liceret Ecclesiasticis personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum curæ præpositis tabellas & imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcunque collatæ gratiæ fidem facientia simul cum deferentis, aliorumque qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare, & asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent hujusmodi Sanctitatis qualescunque probationes Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ. Demum vero, & ejusmodi Decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur executionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio præmissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps utriusque sexus cum Sanctitatis, aut Martyrii fama, vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisque ejusmodi Sanctitatem redolentibus ex integro informationes quoquo

„ modo reciperet, aut proceſſum inſtrueret, vel hucuſque receptas informationes, inſtructumve proceſſum ulterius proſequeretur, niſi poſtulator prius per legitimas juridice ſuſceptas probationes circa perſonam ejus, de cujus miraculis, revelationibus, aliiſve rebus geſtis ſanctitatem præſeferentibus ageretur, præſcriptam in præfato noſtro Decreto formam omnino ſervatam extitiſſe docuerit; & niſi poſtea ſucceſſive idem Ordinarius, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter ad hoc delegatus, diligenti præhabita diſquiſitione circa eandem perſonam, ſupracitato Decreto nullatenus contraventum eſſe rite pronunciaverit. Utque id inviolabiliter obſervetur, ſtatuimus inſuper, ac decrevimus, ne transmiſſi ad Urbem undecunque hujuſmodi proceſſus, a Congregationis Sacrarum Rituum Secretario; minuſve a Sanctæ fidei Promotore quomodolibet aperiantur, niſi prius in ipſa Sacrorum Rituum Congregatione, alio ſejunctim oblato autentico proceſſu, ex eo Ordinarium, aut ab Apoſtolica Sede ſpecialiter delegatum rite ac recte, ut præmittitur, cognoviſſe, ac pronunciaſſe prælibato Decreto nequaquam contrarium eſſe plene conſtiterit, ac deinde a nobis judicialiter aperiendi eos proceſſus facultas indulta fuiſſet. Inſuper longiſſimum tempus, illiuſve immemorabilem curſum, de quo in prædicto Decreto, intelligi declaravimus eſſe tempus, centum annorum metam excedens. Deque his, atque infraſcrptis omnibus, quæ in his Decretis diſpoſita, & ordinata ſunt, aliqua ſuboriente difficultate, Ordinariis locorum, & delegatis Apoſtolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus; utque Sedem Apoſtolicam deſuper conſulerent, ab eaque reſponſum exſpectarent, mandavimus eiſdem, ut alias, prout in Decretis deſuper editis plenius continetur.

„ §. 5. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis locorum Ordinariis, nec non dilectis Filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ubilibet exiſtentibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut ſtatim atque præſentes literæ noſtræ ad eorum, & cujuslibet eorum notitiam pervenerint, in ſua quiſque reſpective Diœceſi, vel Provincia ſedulo pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis imagines cum memoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliave contra ſuperius diſpoſita fiant: tranſgreſſores vero, ſi regulares fuerint, privationis ſuorum officiorum, ac vocis activæ, & paſſivæ, nec non ſuſpenſionis a divinis: ſi vero Clerici ſæculares privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis a divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum, executioneque ſuorum ordinum reſpective, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo. Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquo modo affixerint, vel formaverint, cœterique artifices circa præmiſſa qualitercunque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniariis, aliiſque, etiam corporalibus pœnis juxta criminis gravitatem, eorundem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni & quacunque appellatione, recurſu, & reclamatione remotis compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

„ §. 6. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, recol. memoriæ Bonifacii Octavi Papæ etiam Prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio generali edita de duobus dictis, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque.

„ §. 7. Ut autem præſentes &c. &c.

Datum Romæ die 5. Julii 1634.

DE-

DECRETUM.

Super cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando *a Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria habita coram Sanctissimo Domino Nostro ALEXANDRO Papa septimo emanatum.*

„ AD aures Eminentissimorum Patrum Congregationis Sacrorum Rituum plures devenerunt, qui patrantur, Indultorum excessus in materia præstationis cultus Beatis adhuc non Canonizatis.

„ Quamobrem eos eliminare, ac, ne in futurum inducantur, providere studentes, ad infrascripta devenerunt Decreta &c.

„ I. Quod eorundem Beatorum Imagines, etiam non principaliter, & uti supplices appositæ, Simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes in Ecclesiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuscunque, & præsertim in quibus Missæ Sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sede Apostolica, nullo pacto exponantur.

„ II. Quod, ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam, Imagines, Simalucra, pictasque Tabellas in Ecclesiis poni, & coli posse, in pariete tantum, non autem super altari, collocandi facultas tributa censeatur.

„ III. Quodsi concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam Altarium erectio, non tamen ob id Missam, & officium de prædictis Beatis celebrandi; vel recitandi facultas tradita præsumatur; etenim specifica, & expressa Concessio super his præcedere debet.

„ IV. Ubi in uno loco Cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia concurrente authoritate.

„ V. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica officii recitatio permissa censeatur; sed tantummodo privata, nec satisfactoria præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica hoc indulserit.

„ VI. Missæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis, nempe Presbyteris Regularibus, vel sæcularibus alicujus loci vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus quavis Dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis minime celebrentur.

„ VII. Dies festi in Beatorum eorundem memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisum fuerit.

„ VIII. Eorumdem nomina in Kalendariis non apponantur, nisi illius tantum loci, earumque Personarum, in quo, & a quibus Cultus cum officio & Missa celebretur.

„ IX. In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur, vel recitentur.

„ X. Publicis in precibus, præter indultas, & a Sede Apostolica approbatas, iidem Beati non invocentur.

„ XI. Eorumdem Reliquiæ in Processionibus minime circumferantur.

„ Sacra tamen Congregatio præsentibus Declaratione, & Jussione removere non intendit Cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Apostolicæ, aut Ordinariorum hactenus præstitum ac certo modo, & forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum, si a centum annis cultus hujusmodi aliqua ex parte constiterit auctus, & extensus, eo casu Sacra eadem Congregatio eumdem in pristinum reduci jubet; prout quemvis cultum extra casus prædictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat, sub pœnis &c.

„ Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe, ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum octa-

„ vis celebrentur, & aliis quibuscumque a Sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præsenti Decreto renovantur.

„ His autem Sanctissimo relatis, & in Congregatione Sacrorum Rituum ordinaria habita coram Sanctitate sua per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Sacchettum accurate perlectis, mature discussis, Sanctitas sua ea approbavit, & pro omnimoda eorumdem observatione mandavit, typis imprimi, ad Valvas affigi, & publicari, ut, elapso tempore sex mensium a die publicationis eorumdam, omnes & singulos afficiant, & arctent, acsi omnibus, & singulis eadem exhibita, vel personaliter præsentata, intimata, ac notificata fuissent. Indultisque locorum Ordinariis, ut authoritate Sedis Apostolicæ possint, imo debeant sæculares, & Regulares quoscumque, quantumvis exemptos, etiam Societatis Jesu, Sancti Antonii Viennen. & Sancti Joannis Hierosolymitani, ac reliquos omnes speciali expressione indigentes, etiam sub censuris compellere.

„ Cumque aliqui nulli subdantur Episcopo, qui eos, si excesserint, coercere valeat, eo casu a Sedis Apostolicæ Nuntiis, si aderint, sin minus ab Archiepiscopis, in quorum Provinciis, vel ab Episcopis Romano tantum Pontifici subjectis, intra, vel prope quorum Diœcesis limites eorum Ecclesiæ, vel Monasteria sita fuerint, tanquam a Sede Apostolica Delegatis ad hujusmodi Decretorum observationem prædicti omnino cogantur. Die 27. Septembris 1659.

DECLARATIO DECRETI

Super cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando.

„ Allatis ad Sacrorum Rituum Congregationem dubiis circa observationem, & intelligentiam Decreti super cultu Beatis adhuc non Canonizatis præstando editi die 27. Septembris 1659. & publicati 3. Februarii præsentis anni 1660.

„ Primo: An, ubi indultum fuerit, ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem, & Simulacrum super altari exponere, nec non votivas tabellas ibidem appendere.

„ Secundo: An §. *Dies Festi in Beatorum honorem non celebrentur*, extendatur ad Festa devotionis.

„ Tertio: An indulta recitandi officium cum octava, vel sine octava, & celebrandi Missam de Beatis fuerint revocata per dictum Decretum Sacræ Congregationis.

„ Quarto: An in Ecclesiis, in quibus Officium, & Missa de Beatis recitari, ac respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere.

„ Quinto: An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent Privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & altare Beatis prædictis erigere.

Sacrorum Rituum Congregatio respondit

„ Ad primum affirmative
„ Ad secundum negative
„ Ad tertium pariter negative
„ Ad quartum affirmative
„ Ad quintum negative

Die 17. Aprilis 1660.

Quæritur 12. An detur gravis obligatio, his Decretis exacte insistendi?

Respondeo. Affirmative. Nam Bulla *Urbani* VIII. *Cœlestis Jerusalem*, edita 1634. edita est ad omnes Episcopos totius Ecclesiæ *sub pœna nullitatis omnium informationum &c.* Ergo qui scienter transgrediuntur hæc Decreta, exponendo omnes Informationes, & Processus &c. in ordine ad Beatificationem aliquando instituendos nullitati, peccant graviter.

Quæritur 13. Quid sentiendum circa cultum Sanctorum, qui post Decreta *Urbani* acceperunt cultum publicum sine authoritate Sedis Apostolicæ?

Respondeo. Præsumendum quidem est, eos Episcopos, qui ejusmodi cultum publi-

blicum approbarunt non servatis Decretis *Urbani* VIII. non egisse ex contemptu, sed ex ignorantia vel Epikiia decretorum; *cultus plenus* tamen, si sine gravi scandalo populi tolli possit, non est permittendus sine permissione Sedis Apostolicæ.

Dixi, *cultus plenus*; qui fit non solùm per reverentem exornationem reliquiarum, sed etiam per novam publicam ac solennem invocationem. Si autem oriretur grave scandalum populi, & habeatur *moraliter certitudo* de sanctitate personæ, quæ colitur, in loco particulari continuatio cultus a tempore immemoriali cœpti, *in statu suo* relinqui poterit.

Ratio est; quia sicut ad colendum patrem, matrem, magistratum, regem &c. sufficit moralis certitudo, ita sufficit circa actus religionis ut patet ex adoratione determinatæ hostiæ.

Quæritur 14. Unde sumi poterit *moralis certitudo* de sanctitate & finali perseverantia personæ, de cujus cultu agitur?

Respondeo, Moralis certitudo habetur ex duobus 1. ex constanti notorietate virtutum eximiarum, moraliter cum peccato mortali, vel cum habitu peccati venialis plene deliberati incompossibilium. 2. ex notorietate miraculorum post mortem, moraliter infallibilium. Hæc ubi concurrunt, moralem certitudinem strictam haberi censeo, quæ etiam sufficiat pro statuendo cultu universali per totam Ecclesiam, & pro obtinenda infallibili assistentia providentiæ divinæ circa ejusmodi actus Beatificationis vel Canonizationis, utpote sic præcedente morali diligentia Ecclesiæ agentis pro rimanda veritate *totum*, *quod in se est*. Si autem solum unum concurrat, eam moralem certitudinem solum sufficere censeo pro statuendo cultu particulari, in quo non adeo certa est assistentia divinæ providentiæ pro exclusione omnis erroris, prout in Tract. de fide ostensum est. in *Theol. Eclect.*

Dixi, *cum habitu peccati venialis plene deliberati*. Neque enim omnes Sancti caruerunt peccatis venialibus ignorantiæ etiam in rebus magni momenti leviter culpabilis, aut peccatis venialibus ex imperfectione deliberationis, aut peccatis venialibus etiam plene deliberatis saltem rarissimis non provenientibus ex consuetudine seu habitu. Et hinc etiam in vitis Sanctorum aut in processu Beatificationis ejusmodi leves defectus neque dissimulandi, neque tanquam impedimentum essentiale cultus publici considerandi sunt.

Dixi 2. Cum peccato mortali vel tali habitu peccati venialis *moraliter incompossibilium*. Cum enim *David*, & S. *Petrus* graviter peccaverint, absolute non repugnat, quin etiam in Sanctorum tanto numero reperiretur unus vel alter, qui aliquando graviter peccasset, dummodo ex ejus actis subsequentibus habeatur *moralis certitudo* de ejus pœnitentia, *stricte talis* pro *statuendo* cultu universali, *late saltem talis* pro *permittendo* cultu particulari.

Quæritur 15. Quid sentiendum de novo genere vestiendi statuas vel imagines Sanctorum? vel circa alias novitates imaginum?

Respondeo, *Urbanus* VIII. in Constitutione generali ad totam Ecclesiam, *Sacro-Sancta*, edita anno 1642. prohibet tria 1. novationem habitus. 2. indecentiam imaginum, nempe formam Sanctitati Sanctorum vel devotioni fidelium incongruam. 3. Transgressores regulares, nisi moniti emendent se, jubet privari voce activa & passiva. Constitutio Urbani VIII. sic habet:

„ Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, siquid inordinatum, aut præpostere accommodatum, vel prophanum in Ecclesiis appareat, statuit nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

„ §. 1. Cum autem sicut accepimus ex prædicti decreti inobservantia varii abusus irrepserint, idcirco Nos abusus hujusmodi tollere pro debito Pastoralis Officii nostri volentes, re etiam cum Venerabilibus Fratribus no-

„ ftris Sanctæ Romanæ Ecclefiæ Cardinalibus Sacris Ritibus præpofitis communicata, & mature confiderata, & difcuffa, inhærendo dictæ difpofitioni Sacrofanctæ Tridentinæ Synodi, motu proprio, & ex certa fcientia, noftris, deque Apoftolicæ poteftatis plenitudine, ne quis cujufcumque gradus, qualitatis, ordinis, ftatus, vel conditionis, ac dignitatis & præeminentiæ etiam Ecclefiafticæ, etiam individua, ac fpeciali expreffione dignæ exiftat, imagines Domini Noftri Jefu Chrifti, & Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apoftolorum, Evangeliftarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum quarumcunque fculpere, aut pingere, vel fculpi, aut pingi facere, aut antehac fculptas, aut pictas aut alias quomodolibet effictas tenere, feu publico afpectui exponere, aut veftire cum alio habitu, & forma, quam in Catholica, & Apoftolica Ecclefia ab antiquo tempore confuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis tenore præfentium prohibemus. Ac ut imagines aliter pictæ, vel fculptæ ab Ecclefiis, & aliis locis quibuslibet amoveantur, & deleantur, vel reducantur, & reformentur ad Habitum, & formam in Ecclefia Catholica, & Apoftolica ab antiquo tempore confuetam, ut veneratio & cultus fic dictis imaginibus augeatur, & quæ oculis fidelium fubjiciuntur non inordinata, nec infolita appareant, fed devotionem pariant, & pietatem. Et ne exponantur in Ecclefiis quibuslibet, ac quomodolibet qualificatis, ac earum Frontifpiciis, & Atriis imagines prophanæ, vel alias indecentiam, & inhoneftatem præ fe ferentes, cum Domum Dei deceat fanctitudo, præcipimus. Quocirca quibufcumque Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepifcopis, Epifcopis, & aliis locorum Ordinariis, ac noftris, & Apoftolicæ Sedis Nunciis, & Legatis etiam de Latere, fub conteftatione divini judicii mandamus, ut prædicta inviolabiliter, & exacte obfervent. Mandantes infuper omnibus Capitulis Ecclefiarum etiam Cathedralium, & majorum, ac Univerfitatibus etiam ftudiorum, Monafteriis ac Collegiis, & quibufcumque etiam Ecclefiafticis, fæcularibus, & Regularibus cujufcunque ordinis etiam Ciftercienfis Inftituti, Congregationis, & Societatis etiam Jefu, etiam Militaribus, etiam Hofpitalis S. Joannis Hierofolymitani, aliarumque Militiarum, & cæteris quibufcunque quomodolibet qualificatis, ac etiam individua expreffione, & fpeciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio fubjectis, ac etiam Sedi Apoftolicæ immediate fuppofitis, ut in eorum Ecclefiis, & locis omnia, & fingula præmiffa obfervent, & obfervari faciant.

„ §. 2. Quatenus vero ipfi, præfertim Regulares, ac Moniales præfentibus litteris, ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, poffint, & debeant Epifcopi, & locorum Ordinarii, Metropolitani, Primates, Patriarchæ, Nuncii, & Legati Apoftolici de Latere miffi, tanquam in hoc a Sede Apoftolica fpecialiter delegati contra omnes, & fingulos prædictos, & quofcunque alios quomodolibet inobedientes, & tranfgreffores procedere, & quacumque appellatione, recurfu, reclamatione, aliifque juris, & facti remediis ordinariis, & extraordinariis penitus & omnino remotis ad omnimodam obfervantiam illos prævia unica monitione, cenfuris Ecclefiafticis, & aliis eorum arbitrio, & præfertim quoad loci Superiores, etiam privationis officii, & vocis activæ & paffivæ pœnis compellere.

„ §. 3. Præfentes quoque litteras, & in eis contenta quæcunque nullo unquam tempore de fubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, feu intentionis noftræ, vel quocumque alio etiam quantumvis fubftantiali defectu notari, impugnari, vel redargui poffe, fed illas femper validas, firmas, & efficaces exiftere, & fore, fuofque plenarios effectus fortiri, & obtinere,

„ & ab

„ & ab omnibus, ad quos spectat, & „ spectabit in futurum inviolabiliter ob- „ servari.

„ §. 4. Sicque & non aliter in præ- „ missis per quoscumque Judices ordi- „ narios, & delegatos etiam causarum „ Palatii Apostolici Auditores, ac San- „ ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales et- „ iam de Latere Legatos, nunc, & pro „ tempore existentes, sublata eis, & eo- „ rum cuilibet quavis aliter judicandi, „ seu interpretandi facultate, & aucto- „ ritate judicari, & definiri debere, ac „ irritum, & inane, si secus super his „ a quoquam quavis auctoritate, scien- „ ter, vel ignoranter contigerit atten- „ tari decernimus.

„ §. *6*. Et ne præmissorum ignoran- „ tia possit ab aliquo prætendi, volu- „ mus, & Apostolica auctoritate decer- „ nimus ut præsentes literæ, seu illa- „ rum exemplum ad Valvas Basilicæ „ Principis Apostolorum Urbis, ac in „ acie Campi Floræ affixæ omnes per- „ inde arctent, atque afficiant, acsi uni- „ cuique personaliter intimatæ, & no- „ tificatæ fuissent.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 15. Martii 1642. Pontificatus Nostri Anno Decimo Nono.

Quæritur 16. Quid docet vel statuit Concilium Tridentinum de cultu Sanctorum? Et de Actis Sanctorum vel miraculis incertis?

Respondeo. Concilium Tridentinum post explicatam naturam cultus Sanctorum jubet 1. ut non exponantur novæ imagines insolitæ, præsertim quæ erroris periculosi occasionem præbent. 2. ut evitetur quæstus circa eorum cultum. 3. ut non procaci venustate pingantur vel ornentur. 4. ut Sanctorum celebratio non transeat in occasionem comessationum & ebrietatum. 5. ut in cultu vel statuis nihil inhonestum appareat. *6*. ut non publicentur nova miracula nisi recognita ab Episcopo adhibitis in consilium Theologis. 7. ut de abusibus dubiis consulantur Concilia Provincialia ac Sedes Apostolica. 8. ut in Ecclesia nihil in hoc genere novum aut inusitatum sine judicio Sedis Apostolicæ decernatur. Textus Tridentini Sess. 25. sic habet: " Mandat Sancta Synodus omni- „ bus Episcopis, & ceteris docendi mu- „ nus, curamque sustinentibus, ut jux- „ ta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ „ usum, a primævis Christianæ religio- „ nis temporibus receptum, Sanctorum- „ que Patrum consensionem, & Sacro- „ rum Concilium decreta, in primis de „ Sanctorum intercessione, invocatione, „ Reliquiarum honore, & legitimo ima- „ ginum usu, fideles diligenter instruant, „ docentes eos, Sanctos una cum Chri- „ sto regnantes, orationes suas pro ho- „ minibus Deo offerre; bonum atque „ utile esse suppliciter eos invocare; & „ ob beneficia impetranda a Deo per „ filium ejus Jesum Christum Dominum „ nostrum, qui solus noster Redemptor „ & Salvator est, ad eorum orationes, „ opem, auxiliumque confugere: illos „ vero, qui negant Sanctos æterna fe- „ licitate in cælo fruentes, invocandos „ esse; aut qui asserunt vel illos pro ho- „ minibus non orare; vel eorum, ut „ pro nobis etiam singulis orent, invo- „ cationem esse idololatriam, vel pugna- „ re cum verbo Dei, adversarique ho- „ nori unius mediatoris Dei, & homi- „ num Jesu Christi, vel stultum esse, „ in cœlo regnantibus, voce vel men- „ te supplicare; impie sentire Sancto- „ rum quoque martyrum, & aliorum „ cum Christo viventium Sancta cor- „ pora, quæ viva fuerunt membra Chri- „ sti, & templum Spiritus Sancti, ab „ ipso ad æternam vitam suscitanda, „ & glorificanda a fidelibus veneranda „ esse: per quæ multa beneficia a Deo „ hominibus præstantur: ita ut affirman- „ tes, Sanctorum Reliquiis veneratio- „ nem, atque honorem non deberi; vel „ eas, aliaque Sacra monumenta a fi- „ delibus inutiliter honorari; atque eo- „ rum opis impetrandæ causa Sanctorum „ memorias frustra frequentari; omni- „ no damnandos esse, prout jam pridem „ eos damnavit, & nunc etiam dam- „ nat Ecclesia. Imagines porro Chri-

„ sti,

„ sti, Deiparæ Virginis, & aliorum San-„ ctorum, in Templis præsertim haben-„ das & retinendas, eisque debitum ho-„ norem, & venerationem impertien-„ dam, non quod credatur inesse aliqua „ in iis divinitas, vel virtus, propter „ quam sint colendæ; vel quod ab eis „ sit aliquid petendum, vel quod fidu-„ cia in imaginibus sit figenda; veluti „ olim fiebat a Gentibus, quæ in ido-„ lis spem suam collocabant, sed quo-„ niam honos, qui eis exhibetur, refer-„ tur ad prototypa, quæ illæ repræsen-„ tant: ita ut per imagines, quas oscu-„ lamur, & coram quibus caput aperi-„ mus, & procumbimus, Christum ado-„ remus, & Sanctos, quorum illæ si-„ militudinem gerunt, veneremur, id „ quod Conciliorum, præsertim vero „ secundæ Nicenæ Synodi decretis con-„ tra imaginum oppugnatores est san-„ citum.

„ Illud vero diligenter doceant Episc-„ pi, per historias mysterium nostræ „ redemptionis, picturis, vel aliis simi-„ litudinibus expressas, erudiri, & con-„ firmari populum in articulis fidei „ commemorandis, & assidue recolen-„ dis: tum vero ex omnibus Sacris „ imaginibus magnum fructum percipi, „ non solum, quia admonetur populus „ beneficiorum, & munerum, quæ a „ Christo sibi collata sunt; Sed etiam „ quia Dei per Sanctos miracula, & „ salutaria exempla oculis fidelium sub-„ jiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, „ ad Sanctorumque imitationem vitam „ moresque suos componant excitenturque „ ad adorandum, ac diligendum Deum, „ & ad pietatem colendam. Siquis au-„ tem his decretis contraria docuerit „ aut senserit, anathema sit; in has au-„ tem sanctas & salutares observationes „ siqui abusus irrepserint, eos prorsus „ aboleri sancta Synodus vehementer cu-„ pit, ita ut nullæ falsi dogmatis ima-„ gines, & rudibus periculosi erroris oc-„ casionem præbentes, statuantur. Quod „ si aliquando historias, & narrationes „ Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ ple-„ bi expediet, exprimi, & figurari con-„ tigerit, doceatur populus, non pro-„ pterea divinitatem figurari, quasi ocu-„ lis corporeis conspici, vel coloribus, „ aut figuris exprimi possit. Omnis por-„ ro superstitio in Sanctorum invocatio-„ ne, Reliquiarum veneratione, & ima-„ ginum Sacro usu tollatur, omnis tur-„ pis quæstus eliminetur, omnis deni-„ que lascivia vitetur, ita ut procaci „ venustate imagines non pingantur, „ nec ornentur, & Sanctorum celebra-„ tione, ac Reliquiarum visitatione ho-„ mines ad comessationes, atque ebrie-„ tates non abutantur, qui festi dies in „ honorem Sanctorum per luxum, ac „ lasciviam agantur. Postremo, tanta „ circa hæc diligentia, & cura ab E-„ piscopis adhibeatur, ut nihil inordi-„ natum, aut præpostere, & tumultua-„ rie accommodatum, nihil profanum, „ nihilque inhonestum appareat, cum „ domum Dei deceat Sanctitudo. Hæc „ ut fidelius observentur, statuit Sancta „ Synodus, nemini licere ullo in loco, „ vel Ecclesia etiam quomodolibet exem-„ pta, ullam insolitam ponere, vel po-„ nendam curare imaginem, nisi ab E-„ piscopo approbata fuerit, nulla etiam „ admittenda esse nova miracula, nec „ novas Reliquias recipiendas, nisi eo-„ dem recognoscente, & approbante E-„ piscopo, qui simul atque de iis ali-„ quid compertum habuerit, adhibitis „ in consilium Theologis, & aliis piis „ viris, ea faciat, quæ veritati consen-„ tanea judicaverit. Quod si aliquis du-„ bius, aut difficilis abusus sit extirpan-„ dus, vel omnino aliqua de iis rebus „ gravior quæstio incidat: Episcopus an-„ tequam controversiam dirimat, Me-„ tropolitani, & comprovincialium E-„ piscoporum in Concilio provinciali „ sententiam expectet, ita tamen, ut „ nihil inconsulto sanctissimo Romano „ Pontifice novum, aut in Ecclesia ha-„ ctenus inusitatum decernatur.

Ita Tridentinum. Quod vero de non spargendis miraculis statuit, fundatur in *Concilio Carthaginensi* V. Can. 4. ubi prohibet *constitui altaria per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum*. Idem clarius exponit *Concilium Aquense* celebratum anno 1585.

Cap.

Cap. 36. ubi sic habet : *Quia aliquando fit, ut vulgi concursu populique clamore aliquid pro miraculo aut sacra Reliquia evulgetur, quod re vera non est, studeat Episcopus, ubi ejusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis vulgi clamoribus pie obsistat, donec rei veritas legitime comprobata constet.*

Quæritur 17. Quomodo sint exponendæ Sacræ Reliquiæ ? aut largiendæ?

Respondeo. De his *Innocentius* III. in Concilio Generali Lateranensi 1215. relato c. cum ex eo, Tit. *de Reliquiis*, sic statuit: *Cum ex eo, quod quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ Religioni detractum sit sæpius; ne in posterum detrahatur, præsenti decreto statuimus, ut antiquæ Reliquiæ amodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo, nemo publice venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ. Prælati vero non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias causa venerationis accedunt, variis figmentis aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis occasione quæstus fieri consuevit.* Circa modum vero exponendi Sacras Reliquias, S. *Carolus Borromæus* in *Concilio Mediolanensi IV.* præscribit hanc normam:

„ Cum Reliquiæ ab Ecclesiastici Ordinis hominibus cum suis loculis vasculisve suscipiuntur, ut vel populo ostendantur, vel in altari exponantur, vel in processionibus ferantur; primum illis thurificatio adhibeatur, sique in via ferantur, tunc Acolythus Sacerdoti illas ferenti præeat, qui item thurificet.

„ Ne passim omni tempore, sed certis tantum festorum dierum celebritatibus, utpote in Nativitate Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, & ejusmodi, festoque ipso die exponantur, ostendanturve, quo illius Sancti cujus Reliquiæ sunt, Ecclesiæ in qua reconditæ sunt, celebritas solemni festoque officio agatur, tum præterea quo die ob aliquam causam jusserit, concesseritve Episcopus.

„ Cum in altari exponuntur, hæc servventur: primo in illis exponendis processio per Ecclesiam ab ejusdem Clero agatur, certo luminum numero adhibito. Rursus idem præstetur, cum conduntur.

„ A Sacerdote, qui post Episcopum in illa Ecclesia digniorem sacerdotalem locum obtinet, nisi aliquando Episcopus ipse id munus sibi obeundum censuerit, exponantur, & recondantur. Isque superpelliceo, & stola, vel pluviali etiam pro Reliquiarum, Ecclesiæve ratione, indutus sit. Dumque exponuntur, & item cum reconduntur, Hymnus canatur, tum antiphonæ, & alia ad hujusmodi rem accommodata, ultimoque loco oratio de Sanctis.

„ Dum in altari expositæ sunt, candelæ saltem quatuor grandiores accensæ ibi colluceant: ad earumque custodiam adhibeatur, qui semper assistat, unus, duove sacris majoribus ordinibus initiati, iique moribus probati, ac superpelliceo induti, horum vero Clericorum, non Laicorum opera ministeriove adhibito, liceat fidelibus, pietatis, & religionis causa, calculorum coronis Sacrarum Reliquiarum vascula, loculosve attingere, qua hora Episcopus concesserit.

„ Sacris Reliquiis, si sanctissimo Eucharistiæ Sacramento non ita prope quidem eæ collocatæ sunt, ut illius lampade harum cultui satisfiat; lampas propria assidue præluceat. Nisi hanc impensam nimia Ecclesiæ, & populi egestas, Episcopi judicio non patitur. Cæterum corporibus Sanctorum, & Reliquiis, Episcopi judicio insignibus, lampas omnibus una semper colluceat.

Quæritur 18. Quid agendum, si incertæ Reliquiæ in Ecclesiis nimis invaluerint?

Respondeo. Circa hoc sunt hæ sententiæ. Prima censet; omnes incertas Reliquias esse concremandas. Secunda docet; in loco decenti esse asservandas. Tertia putat Reliquias non approbatas servire posse pro ornatu crucis, vel altaris

taris, ubi veneratio non dirigitur ad ornatum, sed ad ipsum crucifixum vel aliud objectum, quod in altari colitur. Quarta judicat; incertas cum nonnullis certis Reliquiis in unam massam ac capsulam Reliquiarum conjungi posse, ita ut tota massa sub titulo, *Massa reliquiaria anonyma*, pro cultu publico exponi possit. Hæ Doctorum sententiæ colliguntur ex iis, quas refert *Catalanus de Adoratione* q. 1. c. 5. qq. 2. & qq. 5. Mihi videretur posterior modus quartus esse decentior pro publica expositione. In locis autem, ubi Reliquiæ jam ab antiquo tempore habuerunt celebritatem, quoad *valde incertas* eligerem secundum aut tertium.

§. II.

De Idololatria, Paganismo, Judaismo, & Hæresi.

QUæritur 1. Quid sit Idololatria?

Respondeo. Idololatria est adoratio creaturæ tanquam Dei, habentis in se vim divinam opitulandi ex sua natura, independentem ab alio. Hic est enim proprius character Deorum gentilium, quod Genios, Heroes, ac varios Spiritus coluerint tanquam virtute aliqua divina præditos, qua possent auxiliari hominibus authoritate, potestate, & voluntate propria independenter a nutu supremi Numinis. Quamvis enim plerosque Deos ab aliis Diis procreatos esse finxerint, & multos etiam homines v. g. Æsculapium, & Imperatores in numerum Deorum retulerint, in illis tamen crediderunt inesse naturam divinam per propagationem naturæ divinæ, sicut propagatur natura humana; in his vero existimarunt inesse quandam vim divinam per proprietatem.

Queritur 2 Quotuplex sit Idololatria?

Respondeo. Dividitur 1. in externam & internam seu mentalem. 2. Puram, & mixtam seu hæreticalem. 3. In materialem, & formalem.

Idolatria externa est, qua exhibetur cultus divinus creaturæ, quin credatur esse Deus. Talis erat Idololatria adorantium statuam Nabuchodonosoris, quem sciebant esse purum hominem. Talis est etiam Idololatria superstitiosorum hominum adorantium dæmonem ob spem obtinendi pecunias, cum tamen sciant, dæmonem esse miserrimum spiritum.

Idololatria Mentalis est, qua exhibetur creaturæ honor divinus ex falsa opinione, illi ex sua natura inesse vim divinam.

Idololatria pura est, quæ est sine errore intellectus circa naturam divinam; & sic coincidit cum Idololatria externa.

Idololatria mixta est, quæ est conjuncta cum errore intellectus. Talis est omnis idololatria mentalis. Immo talis etiam foret idololatria, qua homini scelerato, v. g. Imperatori impio, per Apotheosin tribueretur cultus divinus cum opinione, homini impio tributam esse post mortem a supremo Numine vim quandam opitulandi divinam, dependentem tamen a nutu supremi Numinis.

Idololatria materialis est adoratio creaturæ, quam homo invincibiliter judicat esse Deum. Sic D. Joannes Apocal. 19. existimans eum esse Deum qui sib apparebat *cecidit ante pedes ejus, ut adoraret eum*; qui tamen protestabatur testificans, se non esse Deum, sed conservum. Ea ergo adoratio erat materialis. Idem contingit, si quis adoret Hostiam, quam putat esse consecratam, quæ tamen consecrata non est.

Idololatria autem formalis est adoratio creaturæ tanquam Dei, quam scit, aut potest scire non esse Deum vel aliquid divinum.

Quæritur 3. Quid sit Paganismus?

Respondeo. Paganismus est Religio admittentium plures Deos. Tales erant Græci & Romani, & omnes gentes ante Christum, solis forte exceptis Sinensibus.

Quæritur 4. Quid sit Judaismus?

Respondeo. Judaismus est Religio admittentium solum unum Deum creatorem cœli & terræ cum plena subjectione ad legem Moysaicam.

Quæ-

Quæritur 5. Quid sit Hæresis?

Respondeo. Definitur communiter, quod sit *error intellectus, liber & pertinax circa articulos fidei in eo, qui semel religionem christianam suscepit*.

Quæritur 6. An Religio Turcarum pertineat ad Paganismum, vel Judaismum, vel Hæresin?

Respondeo. Religio Turcarum *neque* pertinet *ad Paganismum*, quia agnoscunt solum unum Deum; *neque ad Judaismum*, quia non habent plenam subjectionem ad legem Moysaicam; *neque ad Hæresin*, quia pro conditore religionis suæ non agnoscunt Christum; sed est Religio ex Judaismo, & ex hæresi Arriano Nestoriana mixta. A Judaismo enim retinet circumcisionem, & ex Hæresi Nestoriana retinet, quod Christus fuerit Propheta acceptus Deo. A christiana autem Religione plurimum differunt, quia pro conditore suæ Religionis agnoscunt Mahometen cum plena subjectione ad ejus legem in *Alcorano* scriptam, & cum totali rejectione omnium librorum Scripturæ & traditionum, quas potius præ mera barbaria crasse ignorant, quam reprobant. Huic enim Religioni soli propria est profundissima anterioris Historiæ & anteriorum Scriptorum ante sæculum sextum, quo Mahometes ortus est, ignorantia.

Quæritur 7. Quid sit Schisma?

Respondeo. Schisma est Religio admittentium omnes articulos fidei Catholicæ excepto *Primatu Papæ*, hoc est, excepta *suprema jurisdictione* Successorum in Cathedra Petri in omnes Ecclesias & fideles. Hujus religionis erant magna parte Græci a sæculo decimo, & etiamnum ejusdem religionis sunt Moscovitæ. Dubitatur tamen; an dati fuerint aliquando vel etiamnum dentur *puri Schismatici*, hoc est, tales; qui cum errore circa Primatum Papæ nullam aliam conjunxerint hæresin, v. g. de processione Spiritus Sancti, quam negant esse *a Patre & filio*, contendentes, eam esse *a Patre per filium*, & de vinculo matrimonii, quod causa fornicationis dissolvunt.

Quæritur 8. Quotuplex sit hæresis?

Respondeo. Hæresis dividitur 1. in materialem & formalem. 2. In positivam & negativam. 3. In contrariam oppositione contradictionis, & oppositione contrarietatis. 4. In toleratam & non toleratam. 5. In explicitam & implicitam. 6. In demonstratam & declaratam. 7. In virtualem seu æquipollentem & formalem. 8. In internam & externam. 9. In occultam & publicam.

Hæresis materialis est error intellectus circa fidem, fundatus in ignorantia invincibili motivorum fidei. An multi vel pauci sint hæretici materiales, relinquendum est judicio divino. Prudentiæ est, ut, cum cujuslibet hæretici in hæresi nati & educati varia hausta præjudicia a suis, aut accepta a Deo lumina exacte disquiri nequeant, in individuo nullus condemnetur, nec ab ignorantia vincibili absolvatur, sed cum ingenti timore in salutis incertitudine constitutus censeatur. Dantur quidem authores, qui vix ullos dari hæreticos materiales existiment; tum quia omnes homines habent gratiam sufficientem, cui possunt cooperari; tum etiam, quia paucissimi sunt, qui in ætate adulta se immunes servant a mortali peccato, a quo resurgere per contritionem perfectam justificativam uti difficillimum ita rarissimum est. Verum prior ratio me nom movet ad adeo stricte constringendum hæreticorum materialium numerum; quia aliud est *gratia sufficiens ad salutem* seu ad media salutis absoluta necessaria, & aliud est *gratia sufficiens ad agnoscendam atque inveniendam veram Ecclesiam* non solum implicite, sed etiam explicite credendam. Ad credendam veram Ecclesiam implicite omnes, etiam Turcæ & Gentiles habent gratiam sufficientem. Sed ut agnoscatur & credatur explicite, hoc est effectus gratiæ *gratis datæ*, & dependet a liberrima prædestinatione divina ad veram fidem, nec datur omnibus, ac reperitur etiam in Ethnicis, quos D. Thomas in pluribus locis per fidem implicitam salvari posse ostendit, dum credunt in genere, Deum salvare posse homines modis sibi placitis, prout

in

in Tract. de fide & baptismo ex ejus textibus ostendi.

Hæresis formalis est error intellectus circa fidem fundatus in ignorantia mysteriorum aut motivorum fidei vincibili, aut pertinax post sufficienter agnitam veritatem fidei.

Hæresis positiva est error intellectus circa fidem cum affirmatione absoluta falsi articuli.

Hæresis negativa est dubium intellectus circa fidem cum suspensione assensionis ad articulum verum & falsum quin tamen positive affirmetur ipsa incertitudo fidei.

Hæresis contraria cum oppositione contradictionis est positiva negatio religionis vel doctrinæ veræ. *Contraria autem oppositione contrarietatis* est positiva assertio articuli falsi.

Hæresis tolerata est, cujus asseclæ libere possunt conversari in negotiis profanis cum Catholicis sine ulla pœna legum Civilium. *Hæresis autem non tolerata* est, cum cujus asseclis non licet conversari etiam in negotiis profanis sine censuris Canonicis, & sine pœna legum civilium.

Hæresis explicita est professio aperta religionis hæreticæ ab Ecclesia declaratæ. *Hæresis autem implicita* est assensio intellectus ad propositiones aliquas reipsa vel synonymas vel æquipollentes, vel convertibiles, vel necessaria consecutione connexas cum articulis hæreticis declaratis.

Hæresis demonstrata est conclusio theologica legitime deducta ex una præmissa hæretica, & ex altera physice vel metaphysice certa. Econtra *Hæresis declarata* est assertio religionis vel propositionis erroneæ, pro hæretica ab Ecclesia declaratæ.

Hæresis virtualis seu æquipollens est conclusio theologica, quæ legitime sequitur ex una præmissa hæretica, & altera moraliter certa. *Formalis hæresis* est propositio manifeste synonyma aut convertibilis cum propositione hæretica.

Hæresis interna est error intellectus circa fidem non manifestatus signo externo. *Hæresis externa* est manifestatio erroris interni circa fidem, expressa signo vel facto.

Hæresis occulta est hæresis externa, manifestata quidem signo vel facto, ita tamen ut nondum sit deducta ad forum externum, nec adeo notoria ac habens tam paratas probationes, ut credatur deducenda ad forum externum. *Hæresis publica* est, quæ aut est actu deducta ad forum externum, aut tam notoria & tam liquidas habens probationes, ut credatur per denuntiationem vel accusationem deducenda ad forum externum.

Quæritur 9. Quale sit discrimen in praxi quoad confessionale inter hæresin *internam*, *occultam*, & *publicam*?

Respondeo. Hoc est discrimen. Ab hæresi *mere interna* possunt absolvere omnes confessarii habentes jurisdictionem, & approbationem legitimam; quia hæresis mere interna non est reservata Summo Pontifici, aut ulli Episcopo, prout suppono ex dicendis in Tract. de Pœnit. Disp. 9. Sed *ab hæresi externa occulta* solum possunt absolvere Episcopi, vel alii habentes specialem facultatem absolvendi a Papa vel Episcopo. Hæresis enim externa, quantumvis occulta reservata est Summo Pontifici ratione annexæ excommunicationis reservatæ Pontifici. *Ab hæresi autem publica* ne quidem absolvere possunt alioquin privilegiati ad absolvendum ab hæresi.

Quæritur 10. An dubitans de articulo fidei incurrat hæresin?

Respondeo. Si dubium sit *positivum*, ita ut dubitans positive affirmet dubietatem articuli, sic dubitando incurritur crimen hæresis. Si autem dubium sit tantum *negativum*, consistens in mera suspensione judicii de veritate, falsitate, certitudine vel incertitudine seu dubietate articuli, *speculative* quidem loquendo videtur non incurri crimen hæresis, *practice* tamen loquendo censendum est, accedente pertinacia incurri crimen hæresis. Ratio est, quia practice fieri non potest, ut quis voluntarie, deliberate, ac pertinaciter suspendat judicium de veritate articuli sufficienter sibi ad præstandum assensum fidei promulgati, quin

quin positive affirmet dubietatem articuli, & practice contradicat motivis fidei, proponentibus obligationem credendi, & præcipientibus assensum fidei. Hinc recte in Symbolo Athanasii dicitur: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non potest.*

Quæritur 11. Qualis requiratur pertinacia ad incurrendum crimen hæresis?

Respondeo. Ad incurrendum crimen hæresis sufficit & requiritur ea pertinacia, qua homo post sufficientem promulgationem de veritate Ecclesiæ Catholicæ, & de identitate articuli cum doctrina genuina ejusdem Ecclesiæ, se resolvit ad recusandum perpetuo assensum Ecclesiæ. *Ratio* est, quia crimen hæresis importat secessum saltem mentalem ab Ecclesia. Mentalis autem secessus ab Ecclesia non datur, quamdiu in homine remanet saltem habitualis dispositio, remanendi in Ecclesia Catholica, & admittendi ejus meliorem explicationem seu elucidationem dogmatis, quod hic & nunc judicat esse impossibile vel erroneum judicio transeunte & subordinato ad correctionem Ecclesiæ. Quamvis enim sic transeunter judicans & contradicens Ecclesiæ, rum gravissime ac mortaliter peccet contra fidem, habitum tamen ejus non videtur amittere, quamdiu habituali sua intentione primaria, utut contradictoria illi suo transitorio judicio, vult manere & mori in unitate Ecclesiæ Catholicæ. Sicut enim adulterans vel aliud mortale peccatum committens vult hic & nunc peccare, & diu in peccato perseverare, quin tamen velit in eo mori, ita videtur contingere in eo, qui contradicit quidem mentaliter pro hic & nunc articulo Ecclesiæ, stante habituali intentione primaria se subjiciendi instructioni Ecclesiæ, & mori pœnitenter in unitate Ecclesiæ. Si tamen quis pertinaciter ita suo judicio inhæreat, ut statuat, in suo errore etiam mori, nisi Ecclesia rationibus novis ac novis demonstrationibus se circa particularem errorem convicerit, talis eo momento, quo ita se resolvit, fit formalis & pertinax hæreticus.

Quæritur 12. An ab incurrendo crimine hæresis ac pertinaciæ excuset ignorantia vincibilis, etiam affectata, de veritate Religionis Catholicæ, aut de identitate articuli cum doctrina ejusdem Ecclesiæ, aut de infallibilitate illius circa particulares articulos?

Respondeo 1. Ignorantia vincibilis de veritate Religionis Catholicæ non excusat a crimine hæresis. Multo minus excusat ignorantia affectata. *Ratio* est, quia, prout in Tract. *de fide* ostensum est, in *Theol. Eclect.* Religio evidenter credibilior est eo ipso certissime vera Religio a Deo instituta. Ergo cum lumen naturæ dictet, quærendam esse veram Religionem a Deo institutam morali diligentia, sequitur; eum, qui in hac re negligens est, reum esse secessus a vera Religione seu hæresis, quæ est alienatio a vera Religione.

Respondeo 2. Ignorantia affectata de identiate articuli cum doctrina Ecclesiæ, vel de Infallibilitate Ecclesiæ circa particulares articulos, non excusat errorem pertinacem circa articulum fidei particularem a crimine hæresis. *Ratio* est, quia ignorantia affectata est directe volita, ac proin non meretur veniam, nec obtinet veniam, prout patet ex plurimis textibus Scripturæ, ubi ignorantiæ affectatæ Judæorum & Gentilium condemnantur. Sic & Apostolus 2. Thess. 2. v. 10. dicit: *Secundum operationem Satanæ iis qui pereunt eo, quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

Respondeo 3. Ignorantia vincibilis, si fuerit graviter culpabilis cum reatu peccati mortalis, nec excusat a crimine hæresis, nec a pœna excommunicationis. Hæc Responsio est contra *Palao*, qui Tr. 4. d. 3. p. 2. n. 3. ait: *Probabilius censeo, quamlibet ignorantiam etiam affectatam, quæ causa sit erroris, excusare a peccato hæresis, quia excommunicatio aliæque pœnæ Ecclesiasticæ imponuntur* (pro peccatis ex scientia commissis.) *Docent hanc sententiam Azor, Aragonius, Bannez,*

nez, *Coninck*, *Suarez Disp.* 19. *Sect.* 3. *n.* 9. *&* 18. *Farinacius*. Ratio autem est, quia Ecclesia universim pro hæreticis habet, in quibus præsumitur scientia veræ fidei. Tales autem sunt, in quibus reperitur ignorantia vincibilis graviter. Hinc ipsemet *Palao* l. c. n. 5. fatetur: *pro foro externo errantibus in fide*, *quando allegant*, *se ex ignorantia errasse*, *non credi*, *si error commissus sit in his*, *quæ quis ex officio scire tenetur*, *vel passim & communiter omnes illius qualitatis sciunt*. Cæterum, utrum ignorantia cujuslibet in individuo sit habenda pro *graviter culpabili*, dependet ex variis circumstantiis, in quibus reus non convictus nec a privato nec a Judice est condemnandus, sed sub oculo vigili conservandus.

Quæritur 13. Quales sunt pœnæ hæreticorum?

Respondeo 1. Pro hæresi pure mentali, seu interna, nulla est constituta pœna Ecclesiastica. Ita fere omnes authores. Ratio est, quia Ecclesia directe non judicat actus solum internos, ut ostensum est in Tract. *de legibus*.

Respondeo 2. Hæresi solum mentali nulla etiam annexa est inhabilitas, irregularitas, reservatio Papalis vel Episcopalis. Ita denuo sensus communis Doctorum in re præcise arbitraria ac dependente a voluntate Antistitum Ecclesiæ.

Respondeo 3. Pro hæresi tamen externa, quæ est manifestata signo externo, statuta est pœna excommunicationis latæ sententiæ, & reservatæ Summo Pontifici.

Respondeo 4. Hæc tamen excommunicatio non præcipit vitari talem hæreticum, nisi sit specialiter ac expresse denuntiatus. Ita enim desumitur ex *Extrav. Ad vitanda scandala*, ubi omnibus fidelibus conceditur favor communicandi cum excommunicatis, qui specialiter & exprese denuntiati non fuerint, nisi fuerint manifesti percusores Clerici.

Respondeo 5. Hæreticus, qui signo externo prodidit hæresin internam, ipso jure a die commissi criminis privatur omnibus beneficiis rite posseffis. *Non tamen tenetur talis hæreticus seipsum spoliare beneficiis*, *sed requiritur ad hoc sententia declaratoria criminis*. Ita Palao l. c. p. 4. n. 2. ubi sic scribit: *Non esse privatum ipso jure*, *sed venire privandum*, *affirmat Alphonsus a Castro*, *Gomez*, *Aragonius*, *Henriquez*, *Vasquez*, *Salzedo*. *Cæterum etsi prædicta sententia sit probabilis*, *probabilior tamen & omnino sequenda est contraria sententia affirmans hæreticum externum quantumcunque occultum ipso jure privatum esse beneficiis rite possessis*, *tenet innumeros allegans Gonzalez*. *Præcipuum fundamentum sumo ex stylo Curiæ*, *& praxi Romanæ Ecclesiæ*, *in qua a die commissi criminis reputatur beneficium vacare ipso jure*, *neque posse renuntiari*, *sed a quolibet alio impetrari*. *Requiritur tamen sententia declaratoria*, *cum ante illam non tenetur hæreticus se beneficiis spoliare*. *Adde*, *non solum requiri sententiam declaratoriam criminis*, *sed etiam executionem factam per judicem*. Ita Palao.

Respondeo 6. Præter *duas* præfatas pœnas, *Excommunicationis*, & *Amissionis Beneficii* dantur plures aliæ hæreticorum pœnæ, nempe confiscatio bonorum, irregularitas, infamia, incapacitas testandi, aut succedendi ex testamento vel ab intestato; exemptio filiorum a patria potestate, privatio dominii in servos, amissio cujuslibet juris, amissio securitatis & fidei datæ a privatis personis, destructio domus, in qua fuerunt celebrata conventicula vel ubi fuit occultatus hæreticus, extraditio Clerici sæculari potestati, privatio sepulturæ in loco sacro. Hæ omnes pœnæ continentur in Jure Canonico l. 5. Tit. de hæreticis, & statutæ sunt partim ab *Innocentio III. Lucio III. Gregorio IX.* & aliis insequentibus Summis Pontificibus. Excommunicatio vero hæreticorum jam erat universalis in primitiva Ecclesia, in quantum excludebantur a communione Ecclesiastica in divinis, & ab oblatione communium precum Ecclesiæ. Imo ea excommunicatio hæretici, saltem post unam & alteram correctionem fundata est in Apostolo, dum ad Titum 3. v. 10. scribit: *Hæreticum hominem*

post

post unam & secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est. Illa tamen Excommunicatio, ut incurreretur *ipso facto* sine prævia correptione, cujus loco his ultimis temporibus præcedit claritas ac evidentia luminis Evangelici expansi per orbem, ampliata est in Bulla Cœnæ, edita, ut videtur, sæculo 14. vel 15. ut ex Commentario Rebuffi colligitur. In ea, prout aucta est a *Gregorio* XIII. n. 1. sic habetur: *Consueverunt Romani Pontifices Prædecessores nostri ad retinendam puritatem Religionis Christianæ & ipsius unitatem, quæ in conjunctione ad unum caput, Christum videlicet ejusque Vicarium principaliter consistit, arma justitiæ per ministerium Apostolatus in præsenti celebritate exercere: Nos igitur vetustum & solennem hunc morem sequentes, excommunicamus quoscunque Usitas, Viclefistas, Lutheranos, Zvvinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, ac omnes & singulos alios hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cujuscunque Sectæ existant, & eorum credentes, ipsorumque receptatores & fautores, & generaliter quoslibet defensores, ac eorundem libros hæresin continentes, vel de religione tractantes, sine authoritate nostra & Sedis Apostolicæ scienter legentes aut tenentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore; nec non Schismaticos, & eos, qui se a nostra & Rom. Pont. pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.* Ita Bulla Cœnæ. Explicatio terminorum quæri potest in probatis Canonistis & Theologis cujuslibet Nationis. Cum enim Leges Summorum Pontificum ex ipsa eorum intentione recipiant moderationem ex congruentia varia locorum, & morali potentia vel impotentia observandæ legis; item ex melioritate vel respectiva pejoritate mediorum ad finem a Legislatore intentum, prout in Tract. *de Legibus* ostendi, satius duco, ut scripturus pro omnibus ad Doctores cujuslibet nationis remittam, ubi generalis regula unis nimia aliis manca videri posset. Hinc a particularibus abstineo, usque dum Summis Pontificibus placuerit ordinare *Synodos Provinciales* statis temporibus Præsidente Legato Apostolico. Hoc enim optimum, si non unicum, medium superesse video, ad congruentias & consuetudines nationales examinandas, & seligendas, ut leges generales necdum promulgatæ in Provinciis, aut oblivioni traditæ, ubi expedierit, publicentur, & quod cuivis tutum sit salvis legibus generalibus, sine scrupulo practicetur, aut scandalo. De facultate absolvendi ab hæresi videri poterit Tractatus de pœnit. & opus posthumum D. *Ruperti Grueber* de Privilegiis Regularium, a me cum additionibus editum Augustæ apud Veithium.

§. III.

De Magia & Maleficio.

Quæritur 1. Quid sit magia?

Respondeo. Magia, prout hoc loco sumitur, est professio patrandi ope dœmonis mira communes hominum vires excedentia. Talis magia erat Magorum in Ægypto, dum aquam Nili fluminis converterunt in sanguinem; & ranas eduxerunt per totam Ægyptum, quamvis hæc omnia forte tantum fuerint illusiones phantasiæ.

Quæritur 2. Quid sit maleficium?

Respondeo. Maleficium est species magiæ, qua ope dœmonis paratur damnum proximo. Tale maleficium est, si causatur in alio morbus &c.

Quæritur 3. Quid sit veneficium?

Respondeo. Veneficium est species maleficii, in quo per applicationem venenorum, herbarum vel aliarum rerum naturaliter nocentium ope vel ex instructione dœmonis factam nocetur proximo.

Quæritur 4. An dentur vera maleficia, & vera Magia?

Respondeo. Id nequit negari salva Scriptura. Nam de Magorum Ægyptiorum operationibus fit sermo *Exodi* c. 7. & 8. Levitici 19. v. 31. dicitur: *Non declinetis ad Magos*. 1. Reg. 28. Saul per Pythonissam jubet, & impetrat per illusionem phantasiæ suæ diabolicam susci-

ſcitari Spiritum Samuelis. 2. Paralip. 33. v. 6. de Manaſſe ſcribitur; *Maleficis artibus inſerviebat; habebat ſecum magos & incantatores*. Act. 9. v. 9. dicitur de Simone Mago. *Erat in civitate magus, cui auſcultabant omnes; dicentes: Hic eſt virtus Dei, quæ vocatur magna; propter quod a multo tempore magiis ſuis dementaſſet eos.*

Quæritur 5. Quodnam ſit diſcrimen inter magos & veneficos?

Reſpondeo. Diſcrimen conſiſtit in eo, quod Magi habeant expreſſum pactum cum dœmone; malefici autem & venefici ſoleant habere tantum pactum implicitum ſeu implicitam invocationem dœmonis.

Quæritur 6. Quodnam ſit diſcrimen inter Sagas, & magos, & veneficos?

Reſpondeo. Diſcrimen conſiſtit in hoc, quod *Magi* vocentur, qui ineunt expreſſum pactum cum dœmone principaliter ad patrandum mira coram oculis hominum. *Venefici* dicuntur, qui ineunt pactum cum dœmone vel expreſſum vel tacitum principaliter ad nocendum clam aliis. At vero *Sagæ* nominantur, quæ ineunt pactum expreſſum cum dœmone principaliter ad oblectationem propriam in conventibus nocturnis vel concubitu cum dœmone, ſecundario vero ad nocendum aliis, quando id vel ſaga a dœmone, vel dœmon a ſaga petierit.

Quæritur 7. An veroſimile ſit, dari tales conventus nocturnos Sagarum?

Reſpondeo, Non eſt veroſimile, dari tales integros conventus Sagarum.

Ratio eſt, quia licet dœmon abſolute poſſit accedente ſpeciali permiſſione divina homines transferre ab uno loco in alium, ſicut tranſtulit ipſum Chriſtum in montem excelſum, & ſupra pinnaculum Templi, non eſt tamen veroſimile, quod Dœmoni tribuat generalem vel particularem conceſſionem, ſic congregandi integros conventus Sagarum. Nulla enim tribuitur dœmoni poteſtas generalis vel particularis congregandi generales Synodos dœmonum, prout in Tractatu *de Angelis* oſtenſum eſt, in *Theol. Eclect.* Cur ergo Deus permitteret dœmoni poteſtatem congregandi integras Synodos Sagarum? Dein 2. Deus nullam dœmoni concedit extraordinariam poteſtatem, niſi ex motivo ſuæ divinæ gloriæ, ut eveniat aliquod emolumentum vel bonitati, vel miſericordiæ, vel juſtitiæ divinæ. Quodnam ergo emolumentum accederet divinæ gloriæ ex tali conceſſione? An ut ſervetur æquitas ac juſtitia divina relinquendo dœmoni jus ac dominium in Sagas? Verum quodnam habet dœmon jus in corpora? aut quod habent Sagæ & dœmones jus ad conventus congregandos? Certe plures in Confeſſionali & extra Confeſſionale faſſi ſunt, ſe ſolenniter vocaſſe dœmonem ad paciſcendum cum illo, & tamen eum non comparuiſſe. Non ergo dœmones habent liberam poteſtatem in eos, qui ſeipſos illis devovent ſine ſpeciali ac particulari permiſſione divina.

Confirmatur fortiſſime ex ſenſu perpetuo Romanæ Eccleſiæ. Hunc repræſentat conſtitutio *Damaſi* Papæ *in Concilio Romano* IV. ubi jubetur; *Omnes maleficos, ſacrilegos, augures, aliiſve ſuperſtitionibus vacantes, excommunicandos eſſe. Fœminas illas, quæ a dœmone illuſæ putant ſe noctu ſuper animalia ferri, atque cum Herodiade circumvagari, eadem ſententia plectendos eſſe.*

Idem *Confirmatur* ex C. Epiſcopi 26. q. 5. quod ſive ex Concilio aliquo Ancyrano, cujus acta interierunt, ſive ex alio quodam Concilio vel Scriptore a Gratiano deſumptum fuerit, certum eſt, repræſentare mentem Eccleſiæ circa tempora dudum anteriora Gratiano, qui vixit ſæculo duodecimo. In eo ſic habetur: *Epiſcopi, eorumque miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant, ut pernicioſam, & a Diabolo inventam ſortilegam, & magicam artem ex parochiis ſuis penitus eradicent, & ſi aliquem virum, aut mulierem hujuſcemodi ſceleris ſectatorem invenerint, turpiter dehoneſtatum de parochiis ſuis ejiciant. Ait enim Apoſtolus, (Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt), qui hujuſmodi eſt) ſubverſi ſunt, & diabolo captivi tenentur, qui relicto creatore ſuo, diaboli*

ſuf-

ſuffragia quærunt, & ideo a tali peſte debet mndari ſancta Eccleſia. Illud etiam non eſt omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt ſatanam converſæ, dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ credunt & profitentur, ſe nocturnis horis cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiade & innumera multitudine mulierum æquitare ſuper quaſdam beſtias, & multarum terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, ejuſque juſſionibus velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus ſervitium evocari. Sed utinam ſolæ in perfidia ſua periiſſent, & non multos ſecum ad infidelitatis interitum pertraxiſſent. Nam innumera multitudo hac falſa opinione decepta, hæc vera eſſe credunt, & credendo a recta via deviant, & errore paganorum involvuntur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum arbitrantur. Quapropter ſacerdotes per Eccleſias ſibi commiſſas populo Dei omni inſtantia prædicare debent, ut noverint hæc omnino falſa eſſe, & non a divino ſed maligno ſpiritu talia phantaſmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem ipſe ſatanas qui transfigurat ſe in Angelum lucis, cum mentem cujuſcunque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubjugaverit, illico transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum, atque ſimilitudines, & mentem, quam captivam tenet in ſomniis deludens modo læta, modo triſtia, modo cognitas perſonas oſtendens, per devia quæque deducit: & cum ſolus hoc ſpiritus patitur, infidelis mens hoc non animo ſed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in ſomniis & nocturnis viſionibus extra ſe educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis vero tam ſtultus & hebes ſit, qui hæc omnia quæ in ſolo ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cum Ezechiel propheta viſiones Domini in ſpiritu, non in corpore vidit? & Joannes Apoſtolus Apocalypſis ſacramentum in ſpiritu, non in corpore vidit & audivit, ſicut ipſe dicit? (ſtatim, inquit, fui in ſpiritu.) & Paulus non audet dicere ſe raptum in corpore. Omnibus itaque publice annunciandum eſt, quod qui talia, & his ſimilia credit, fidem perdidit: & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt ejus, ſed illius, in quem credit, id eſt, Diaboli. Nam de Domino noſtro ſcriptum eſt (omnia per ipſum facta ſunt &c.) Quiſquis ergo aliquid credit poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam ſpeciem vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, procul dubio infidelis eſt, & pagano deterior. In hoc textu non ſolum rejicitur hæreſis, quod creatura poſſit mutare homines in beſtias vel alias naturas, ſed etiam rejicitur & eliminari jubetur illa opinio, quod Sagæ corporaliter transferantur ad conventus magicos.

Nec obſtat, quod aliqui magi vel ſagæ corporaliter ab uno loco in alium tranſlatæ repertæ ſint, & quod confeſſæ ſint, ſe fuiſſe in conventu. Quod enim Deus in caſu extraordinario rariſſimo poſſit ad majus incrementum gloriæ ſuæ habere motivum, tribuendi diabolo poteſtatem, transferendi corpora, concedo; quod autem ea conceſſio ſit generalis aut frequens, nego.

Quæritur 8. Quotuplex ſit maleficium?

Reſpondeo. Maleficium *Dividitur* 1. ratione effectus *in ſomnificum*, dum aliquis potione, carmine, vel alio ritu ſuperſtitioſo ſoporatur, ut interea infuſione veneni, furto, raptu infantium lædatur, vel adulterio contaminetur; *in amatorium*, dum potu ſuperſtitioſo, quod philtrum dicitur, aliquis in æſtum libidinis erga certam perſonam agitur; *in faſcinationem*, qua per aſpectum fixum infantibus ope dœmonis morbus a ſaga inducitur, in *veneficium*, quo hominibus, animalibus, frugibus terræ varia genera malorum inferuntur, v. g. abortus, difficilis partus, ſterilitas, corruptio lactis, grando, morbus, occiſio vel vulneratio in imagine facta ſed directa & translata in perſonam, ingeſtio variarum rerum in corpus, puta acuum, filamentorum, pilorum, ferramentorum &c.

de quibus fuse scribit Delrio rerum magicarum l. 3. p. 1. q. 4. in *maleficium* directum in personam devovendi ad infessionem dœmonis, in *maleficium ligaminis* in conjugatis, ne possint uti matrimonio, in *maleficium odii*, ut qui prius dilexerant, se odio habeant; in maleficium tumultuationis spirituum &c. quæ tamen maleficiorum genera plerumque consistunt in fraude hominum, qui se simulant maleficio affectos, vel in phantasia corrupta, vel per dœmonem illusa. *Dividitur* 2. ratione diversæ cooperationis dœmonum in *maleficium per operationem dœmonis transeuntem*, & in maleficium *per operationem dœmonis permanentem*. Hæc divisio, quam alii authores non sufficienter attingunt, notatu necessaria est. *Maleficium per operationem dœmonis transeuntem* fit, quando dœmon applicatione rerum naturalium causat effectum naturalem de se stabilem, v. g. morbum per ingestionem veneni, vel alterius rei nocivæ, per desiccationem nervorum, fractionem vel luxationem membrorum. Hujusmodi enim operationes dœmonis semel factæ ex sua natura habent effectum de se stabilem. *Maleficium per operationem dœmonis permanentem* seu continuam fit, quando ad causandum effectum perpetuum opus est continua ac perpetua operatione dœmonis. Tales effectus sunt furor libidinosus, odium erga personam amatam repentinum nulla data causa, furor iræ vel concitandi rixas nulla præcedente causa, furor causandi inimicitias ac dissensiones, furor ad vitia contraria naturæ, v. g. bestialitatem, sodomiam; tristitia animi, vel desperabundus animus &c. Hæc enim omnia, quando veniunt ab operatione dœmonis, necesse est, ut fiant a continua ac permanente operatione dœmonis; eo quod nulla causa naturalis, aut operatio transiens sit sufficiens ad causandos tales effectus stabiles.

Quæritur 9. Quænam sint potissimum causæ maleficii?

Respondeo. Cum ad maleficium concurrant tria requisita 1. actio malefici. 2. operatio dœmonis. 3. specialis permissio divina, manifestum est, inquirere causas maleficii nihil aliud esse, quam inquirere causas specialis permissionis divinæ, qua Deus dœmoni concedit potestatem nocendi aliis. Dœmon enim & venefici, dœmonum mancipia, jam ex se semper sunt parati ad nocendum, aliis quos odiunt, quandocunque Deus permittit, & non arceantur metu gravioris supplicii. Causæ autem, ob quas Deus frequentius dœmoni postulanti concedit vel ultro confert potestatem nocendi hominibus partim sunt bonæ, partim malæ. Causæ bonæ ex parte Dei sunt sequentes.

1. *Excellens hominis sanctitas inter prospera*, quam Deus, si alia infortunia, vel persecutores desint, nonnunquam probat, perficit, ac purgat per afflictiones illatas a dœmone. Verum, quia excellens sanctitas inter prospera est rarissima, ideo etiam hæc causa specialis permissionis divinæ, cujus exemplum habetur in Jobo, rarissima est.

2. *Manifestatio divinæ justitiæ*, quando eam specialiter exigunt circumstantiæ personarum, locorum. & temporum. Sic legimus in Evangelio, quod Christus malis spiritibus ex energumeno ejectis ad eorum petitionem concesserit intrare in porcos; quorum manducatio & negotiatio erat prohibita Judæis. *Deprecabantur eum spiritus: Mitte nos in porcos. Et concessit eis statim Jesus. Et introierunt in porcos ad duo millia.* Marci 5. Dum in hoc textu Christus dœmoni postulanti *statim*, hoc est, sine difficultate, consentit, Evangelista ostendit, justas Christo visas fuisse preces.

3. *Manifestatio divinæ omnipotentiæ opportuno tempore facienda*. Sic enim Christus Joa. 9. hanc causam allegat, cur cœcus quispiam natus sit; *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo;* eadem causa sufficiet, cur permittat maleficium, v. g. in eo casu, quo Christus sanavit mulierem, *quæ habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec poterat omnino sursum respicere*. Luc. 13. Causa enim hujus infirmitatis videtur fuis-

fuisse maleficium, quia Christus dicit: *Hanc filiam, quam alligavit Satanas decem & octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die Sabbati?*

Quæritur 10. Quænam sunt causæ maleficiorum ex parte maleficiati?

Respondeo. Causæ, ob quas Deus solet permittere maleficia, vel operationes dœmonum, ex parte maleficiati solent esse sequentes.

Prima causa omnium frequentissima solent esse *imprecationes occasionatæ* per gravem oppressionem, persecutionem, immisericordiam vel injustitiam. Sic enim habetur Ecclesiastici 4. *Rogationem contribulati ne abjicias; ab inope ne avertas ocults tuos propter iram, & non relinquas quærentibus te retro maledicere; maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum, qui fecit eum.* Accerte, ex imprecationibus ejusmodi secuta esse innumera maleficia, experientia frequens demonstrat. D. *Augustinus* l. 22. de civit. c. 8. narrat, quod, cum filius natu major matrem quandam gravibus injuriis afficeret, illa ex instinctu dœmonis, qui ei humana specie occurrebat, omnibus suis filiis imprecata sit, ut fierent extorres patria & omnes homines suo terrerent exemplo. Tunc successive filios terribilis tremor membrorum arripuit, quo viso mater se laqueo suspendit. *Delrio* plura alia similia per imprecationes l. 3. p. 1. q. 7. refert exempla.

Secunda causa est effrœnis luxuria. Hujus rei exemplum habetur Tobiæ 6. ubi angelus ad Tobiam Juniorem ait: *Raguel habet filiam: pete eam in uxorem. Respondit Tobias: Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt, quia dœmonium occidit illos; timeo, ne forte & mihi hæc eveniant. Tunc angelus dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dœmonium. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, habet dœmonium potestatem super eos.* Sic & D. Paulus incæstuosum Corinthium tradidit Satanæ, ut caro salva fieret in die, quod aliqui de corporali incessione dœmonis intelligunt.

Tertia causa sunt blasphemiæ in Deum. Sic Apostolus 1. Tim. 1. v. 19. *Bonam conscientiam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Si ergo Apostolus tales homines excommunicando, & excludendo a suffragiis Ecclesiæ eos relinquit potestati ac operationi dœmonum, verosimile est, quod etiam Deus blasphemos, qui res & personas sacras blasphemant, relinquat interdum potestati dœmonum.

Quarta causa est *odium & invidia* & usurpatio seu profanatio Sacrorum erga probas personas vel sacratas Deo. Sic 1. Reg. 16. de Saul rege legitur, quod eum malus spiritus invaserit & exagitaverit, postquam Davidi ob victoriam invidere & odisse cœpit; quod erat ultimum complementum derelictionis seu abjectionis, qua Deus Saulem jam prius abjecerat a facie sua propter usurpationem potestatis sacerdotalis sacrificando.

Quinta causa est immisericordia in pauperes. De qua re terribile exemplum narrat Delrio, quod anno 1560. tempore famis Richbergero contigit in Suevia. Cum enim postulanti pauperi frumentum, & sex thaleros offerenti, reliquum autem solutionis se brevi persoluturum spondenti, dare frumentum recusaret, nisi totum persolveret; illo cum diris imprecationibus recedente frumenta a nigris bovibus & equis in horreo visis, absumpta sunt; qua re Richbergerus ille in furorem & insaniam conversus est, ita ut catenis adstringi debuerit. Plures causas & exempla l. c. l. 3. part. 1. q. 7. recenset Delrio. Addo.

Causam sextam frequentissimam, quæ consistit in applicatione superstitiosorum remediorum contra infestationes dœmonum, sagarum, & maleficarum. Experientia enim monstrat; nullas personas aut domos ita subjectas esse maleficiis, quam eorum, qui adhibent media superstitiosa contra maleficia v. g. varia amuleta, in quibus continentur res superstitiosæ, puta laciniæ rubræ, virides, tri-

trigonæ, quadrigonæ &c. granula, semina herbarum, herbæ, massæ fœtidæ, corallia, characteres græcæ, & hebraicæ, & multa alia hujusmodi superstitiosa, quasi istis rebus vel signis deberent terreri veneficæ, sagæ, & dœmones. Alii vocant Excoriatores, Carnifices, vel alias ejusmodi personas, ut in stabulis, præsepibus, domibus, lectis, cunis, &c. infodiant varias ligaturas lepidas, tanquam potentissima remedia contra maleficia. Experientia monstrat, quod dœmon interdum a nocendo ad tempus desistat adhibitis his remediis, & quod post tempus denuo ad priores operationes redeat, ut adhibitis novis superstitiosis remediis stupidos homines semper in sua devotione contineat.

Quæritur 11. Utrum in rebus naturalibus detur qualitas naturalis contraria sagis, vel dœmoni?

Respondeo. Non datur in rebus naturalibus qualitas naturalis contra infestationes Sagarum vel dœmonum; adeoque talia adhibere contra infestationes Sagarum & dœmonum superstitiósum est.

Id *Probatur* 1. Si tales res posent naturaliter molestare dœmones, etiam ignis infernalis poset naturaliter torquere dœmones & animas.

2. Deberent etiam agere in nostras animas, & sensus, cum potentiæ dœmonum & Sagarum in anima & sensibus per peccatum non mutentur.

3. Deberent agere vel cogendo vel molestando. Illud nemo dixerit; si autem agunt tantum molestando aut vexando dœmones & sagas, eoipso dœmon & sagæ tales molestatores aut vexatores fortius premerent.

4. Si in his rebus lateret vis contra sagas & dœmones, ea debuiset Ecclesiæ revelari per Sanctos, Apostolos, Episcopos, & Doctores, ut fideles habeant munimen contra dœmones, & ejusmodi remedia debuisent aliquando etiam practicari, consuli, ac distribui a viris sanctis & Doctis Ecclesiæ, quod nunquam contigit.

5. Eadem remedia deberent applicari cum extrema Unctione moribundis ad arcendos remotius dœmones.

6. Eadem etiam deberent applicari ab Exorcistis ad expellendos dœmones.

7. Deus non habuit motivum, rebus naturalibus conferendi talem vim, quia daret ansam hominibus ponendi potius in his rebus fiduciam, quam recurrendi ad Deum.

8. Certum est, quod dœmones, licet semper sint paratissimi ad nocendum, nulli tamen possint nocere sine speciali permissione divina, prout patet ex historia Job, & ex historia Regum l. 3. c. 22. & ex Evangelio Matth. 9. Si ergo non habeat a Deo potestatem, non poterit nocere, etsi mille sagæ id petant. Si autem habet potestatem nocendi, nil eum deterret, nec præsentia SS. Sacramenti, nec Sacræ Reliquiæ; cum etiam Ministros altaris in ipso altari tentet; multo ergo minus contra eum valebunt herbæ, & laciniæ, & ejusmodi nugæ.

9. Credunt patroni hujus superstitionis, quod dæmon posit homines reddere invulnerabiles & in sensibiles; cur ergo sagas suas amicissimas non redderet insensibiles ad ejusmodi antidota?

10. Si hæ res posunt agere in dæmones & sagas, posunt etiam agere in spectra.

11. Virtus ejusmodi herbarum solum probatur ex confessione sagarum & patre mendaciorum. Ergo turpe est his nugis credere.

12. Si dicatur; res ipsas quidem non habere vim arcendi sagas & dœmones; dœmonem tamen cum sagis iniise pactum quod nolit inferre aut continuare nocumentum, ubi reperiuntur ejusmodi amuleta, antidota &c. manifestum est; ejusmodi antidota vel amuleta ese formalissime *Salvaquardias* dœmonis. Has autem Salvaquardias ad hoste recipere non licet quamdiu imperator aut Rex proprius novit & potest & vult salvare confitentes in se.

Probatur 2. responsio authoritate. Sancti Patres non approbant talia amuleta; ergo debent rejici tanquam superstitiosa, sicut omnia ista, quæ naturalem vim habere creduntur in dœmones. Sic 1. S. *Augustinus* Epist. ad Possidium 73. pag.

pag. 129. 2. c. d. prohibet inaures virorum, quæ suo tempore putabantur agere in dęmones, sicut nunc amuleta. Verba ipsius sunt hæc: „ *Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ dependebant, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dœmonibus, adhibetur. Quis autem posset speciales nefariarum superstitionum prohibitiones in scripturis invenire, cum generaliter Apostolus dicat: nolo vos socios fieri dœmoniorum.* 1. *Corinth.* 10. *& iterum, quæ enim consonantia Christi ad Belial, nisi forte, quia Belial nominavit, & generalem societatem dœmoniorum prohibuit, licet Christianis sacrificare Neptuno, quia nihil proprie vetitum legimus.* Ita Augustinus. Sicut ergo non licet Christianis sacrificare Neptuno; licet hoc non sit expresse vetitum de Neptuno in sacra Scriptura, ita etiam non licet uti amuletis contra dęmonem, etiamsi in sacra Scriptura non expresse prohibeantur, cum generaliter sit prohibitum ab Ecclesia, mediis hisce naturalibus uti, v. g. amuletis contra dœmones. 2. S. *Chrysostomus*. hom. „ 39. contra Judæos orat. 4. sic habet: „ *Quod si quis prætereat curationes aliquas, dicatque tibi; pollicentur* (*amuletorum venditores*) *remedium, & ideo ad illos curro: patefacito illorum imposturas, incantationes, amuleta, veneficia, neque enim alio modo videntur mederi; neque enim vere medentur, absit. Quin ego illud quidem longe mirabilius dicam, etiamsi vere sanarent, satius tamen esse emori, quam ad Christi hostes accurrere, & hoc modo sanari; quid enim prodest curare corpus, anima pereunte?* Et paulo inferius ait, quod etiamsi perpetuo patiamur a maleficiis, non tamen debeamus confugere ad amuleta, *sicuti Paralyticus* (verba sunt S. Patris) *qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate sua, & singulis annis currens ad piscinam, singulisque annis repulsus non assequebatur sanitatem, non tamen confugit ad vates, non adiit incantatores, non alligavit amuleta, sed exspectavit divinam opem, & ideo sanitatem sane admirandam quandam, & inauditam assecutus est.*

Eodem modo laudat constantiam Lazari in malis, quod nihil vetitarum artium, & amuletorum contra ea usurpaverit, & potius sanitatem animæ retinere, quam corporis recipere maluerit. Sic ait l. c. S. Pater: *Quæ enim hæc est sanitas, si intus tam multas habeamus cogitationes accusatrices? quodsi perduraveris paulisper, eosque, qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel aliquas applicationes* (*ut amuleta*) *applicare corpori; multa cum contumelia tuis ex ædibus ejeceris, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem accipies, etiamsi millies exurat febris, anima tua quovis liquore, quavis oratione meliorem, utilioremque mitigationem adducet.* Ita S. Chrysost.

Idem S. *Pater* in Epist. 1. ad Corinth. c. 4. hom. 12. increpat matres, quod amuleta, aliasque superstitiosas res infantibus applicent contra maleficia: sic habet: " Dum natus fuerit infans, hic rursus videbis amentiam, & cum infantem vocari oportuerit, omittentes eum vocari a Sanctis, ut veteres primo faciebant, accensis lucernis, & eis nomina imponentes, efficiunt, ut ea, quæ diutissime duraverit, eodem appelletur modo, quo infans; hinc conjicientes, futurum, ut diu vivat. Deinde cum sæpius contigerit, eum mortem subire immaturam [sæpe autem contigit] sequetur multus diaboli risus, quod eos tanquam stultos pueros sit ludificatus. Quid dixeris de amuletis, & de manu appensis crepitaculis, & de stamine coccineo, & de aliis magna repletis stultitia, cum infanti nihil aliud sit adhibendum, quam crux ad custodiam: nunc autem is quidem despectui est habitus, qui convertit totum orbem terrarum, & certum vulnus inflixit diabolo, & ejus evertit omnem potentiam, subtegimini autem & stamini, & aliis amuletis creditur pueri tutela, & custodia. An dicam aliquid hoc magis ridiculum? quidnam vero est hoc ridiculum? lutum mu-

„ lieres in balneo accipientes, nutrices „ & ancillæ, cum digito unxerint, imprimunt in fronte pueri, & si quis „ roget, quid sibi vult lutum, quid cœnum? malum, inquit, avertit oculum, fascinationem, & invidiam. Papæ! quanta vis luti, & quanta virtus „ cœni! Tanta quidem, ut totam diaboli aciem fuget! Non præ pudore „ vultus tegitis? non tandem diabolicos „ laqueos aspicietis? quomodo ab ineunte ætate paulatim suas machinas adhibet diabolus? nam si hoc efficit lutum, cur in tua quoque fronte hoc „ non facis; cum sis vir, & plena, ac „ perfecta habitudine, & plures habes, „ qui tibi invident, quam infans? cur „ non totum quoque corpus luto illinis? nam si tantam vim habet in fronte, cur non te quoque totum luto „ inungis? Hæc sunt risus, & comœdia satanica, quæ non solum ad irrisionem, sed etiam ad gehennam evertit eos, qui decipiantur. Miror, hoc „ etiam fieri posse apud eos, qui crucem adorant, & sunt mysteriorum arcanorum participes.

Idem S. Doctor in Epist. Coloss. 3. hom. 8. &c. postquam probavit, animam pro adversis Deo gratias agentem assimilari SS. Martyribus, sic pergit laudans eas matres, quæ ex morbo, aut morte suorum infantium adeo non contristantur, aut ad alia media medendi infantibus v. g. amuleta confugiunt, his verbis: " Rursus ægrotavit infans: non fecit amuleta, reputatur ei martyrium, „ mente non sacrificavit filium. Quid „ enim si illa (amuleta) nihil prosunt, „ sed sunt imposturæ, & ludibria? sunt „ tamen, qui suadent, ea prodesse, & „ maluit infantem videre mortuum, „ quam pati idololatriam --- amuleta „ enim, etsi enim de illis millies philosophentur, qui ex iis rem faciunt, „ dicentes, Deum invocamus, & nihil „ amplius facimus, & quæ sunt ejusmodi, & Christiana est, inquit vetula, & fidelis, ea res est idololatria? „ Es fidelis? signa te. Dic, hæc arma „ habeo sola, hoc medicamentum: aliud „ autem nescio. Dic mihi, si quis accesserit medicus, & medicinæ dimissis medicamentis incantet, eumne dicamus medicum? nequaquam. Medicinæ enim non videmus medicamenta. Ita nec hic Christianismi. -- Ecce enim dico, & prædico vobis omnibus, quodsi quisquam fuerit deprehensus, non parcam iterum sive amuletum, sive incantationem, sive hujus artis aliquid aliud faciat. Dicitur „ quidam orator, & dux populi Athenis aliquando hæc (amuleta) sic applicasse, deinde cum quidam Philosophus illius Magister eum vidisset, eum „ acriter reprehendit, & illusit. Sed nos „ adeo misere affecti sumus, ut his credamus. Quid vero aliud quoque ridiculum? Cinis, & fuligo, & ales. Dein in „ medium prodit anicula. Res plane ridicula, & pudenda. Oculus, inquit, „ (Sagæ) rapuit infantem. Quo usque „ hæc satanica? Quomodo non ridebunt „ gentiles? Quomodo non subsannabunt? „ Quando eis dicemus, magnam esse virtutem crucis? Quomodo id eis persuadebitur? cum videant, nos opus habere iis, quæ ipsimet irrident. " Huc usque S. Chrysostomus in amuleta, quæ ab Ecclesia non solum nunquam approbata, sed ex mente SS. PP. rejecta, & etiam igni in pabulum adjudicata sunt. Idem docent *Epiphanius*, & *Isidorus*. Erubescant proin qui contra maleficia adhibent stercora animalium, & similia.

Quæritur 12. An liceat tollere aut impedire maleficium per actionem de se ex natura improportionatam ad inhibendam vim dœmonis?

Respondeo. Id non licet.

Probatur 1. Ex adducto textu D. Chrysostomi, ubi carpit usum ejusmodi conditionum, quibus positis dæmones se a nocumento temperaturos vel cessaturos promiserunt aut pacti sunt cum Sagis.

Idem *probatur* 2. ratione. Ponere ejusmodi actionem formalissime idem est, ac recipere Salvaquardiam a dœmone. Sed hoc non licet. Ergo. maj. patet, quia recipere conditiones ab hoste, sub quibus spondet securitatem, nisi sint tacite approbatæ a proprio principe, vel ex sua natura idoneæ ad lucrandam ju-

stam

ſtam benevolentiam aut clementiam hoſtis, eſt idem ac ſe ultro ſubjicere hoſti. Nec intereſt; utrum ſuam illam voluntatem temperandi a nocumento hoſtis declaraverit ſuis amicis, vel inimicis. Hinc in iſto puncto non eſt approbanda doctrina *Suarezii*, dum Tract. 3. de Relig. l. 2. c. 17. n. 8. & n. 16. contrarium docet: *Fingamus*, inquit, *ſignum dæmonis fuiſſe privativum tantum, ut quamdiu Petrus maleficiatus annulum in tali digito non poſuerit, vel quamdiu non percuſſerit Sagam: vel certe poſſit eſſe ſignum ſimul privativum & poſitivum, ut quamdiu ex tali loco non fuerit eruta olla v. g. ibi defoſſa, & loco illius fuerit poſita res alia: .... Re attente perſpecta, ſi illa actio, licet poſitiva videatur, præciſe ordinetur ad auferendum vel impediendum ſignum, non eſt mala, nec ſuperſtitioſa, nec magis pertinet ad ſocietatem cum dæmone, quam pura ablatio poſitivi ſigni; ut, verbi gratia, ſi ſignum datum a dæmone eſſet, ſe non ceſſaturum a maleficio talis hominis, quamdiu corpus ejus lotum non fuerit, non pertinebit ad magiam lavare corpus, ſi id fiat, non intentione poſitive ſanandi illo medio, aut opera dæmonis, ſed tantum tollendi ſignum, ut ille ceſſet malefacere; quia intentio illa bona eſt*. Ita Suarez. Verum ſalva reverentia & æſtimatione, quam ſummam Suarezio defero, mihi denuo occurrit illud ſuperius relatum ex S. Chryſoſtomo. *Quouſque hæc Satanica? quomodo non ridebunt Gentiles?* Dicam ego; quomodo non ridebunt hæretici? Plures probationes vide infra *quæſtiuncula* 13. & 15.

Quæritur 13. An liceat quærere & tollere maleficia?

Reſpondeo. Tollere ligaturas, ſi caſu fortuito reperiantur, licet tanquam ſordes & purgamenta domus, eaque concremare vel in fluentem projicere, ne in manus ſuperſtitioſorum hominum deveniant, & pro materia novæ ſuperſtitionis aſſumantur. Sic enim intelligenda ſunt verba *Ritualis Romani* Tit. 90. §. 19. ubi dicitur: *Exorciſta jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam aut malefica ſigna vel inſtrumenta, quæ ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet* (ut iis veneficus convinci poſſit) *& inventa comburantur*. In hoc textu non jubentur requiri ante ſanationem. Sed ea quærere ex metu vel credulitate, quaſi his Sacramentis diaboli vis aliqua, aut voluntas & poteſtas nocendi diabolica alligata eſſet, ita ut iis manentibus non æque facile impetretur a Deo auxilium, ſeu decretum revocatorium prioris permiſſionis ad nocendum, prorſus ſuperſtitioſum, & homine Chriſtiano indignum eſt. Quis enim ſapientia divina dignum cenſeat, ſi Deus expreſſe diceret: Ego nolo vobis maleficatis opitulari, nec decet, tam facile ad veſtras preces revocare datam meam dœmoni permiſſionem nocendi, niſi inveneritis ligaturas, quas, ubi repoſitæ ſint, non a me, ſed a Magis, ſagis, & dœmone, & confeſſionum a ſagis editarum peritis diſcere poteritis? Si ergo abſurdum eſt, ſic Deum *expreſſe* tendere; etiam abſurdum erit, ſic Deum tendere implicite, prout tamen implicite tenderet, ſi vera eſſet oppoſita ſententia. Nulla enim veroſimilis ratio excogitari poteſt, cur ejuſmodi maleficia ſeu ligaturæ tam ſollicite inquirantur, niſi quia creditur, Deum non tam facile revocare ſuam permiſſionem dœmoni factam, niſi iſtæ ligaturæ ſeu *Sacramentalia*, ut ita dicam, *diaboli* retegantur.

Idem *probatur* 2. *S. Hilarion* indignum Deo & homine Chriſtiano cenſuit, ſi, dum a Deo poſtulatur auxilium, ſollicite perquirantur ejuſmodi ligamenta ſeu *ſacramenta* diaboli. Ergo hoc revera Deo & homine Chriſtiano indignum eſt. *ant. prob.* ex hiſtoria, quam refert *D. Hieronymus* in vita S. Hilarionis his verbis c. 16. „ Gazenſis „ Emporii oppido virginem Dei vicinus juvenis deperibat. Qui cum frequenter tactu, jocis, nutibus, ſibilis „ & cæteris hujuſmodi, quæ ſolent morituræ virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet, perrexit Memphim, „ ut confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. „ Igi-

„ Igitur post annum doctus abs Æscu- „ lapii vatibus, non remediantis ani- „ mas, sed perdentis, venit præsum- „ ptum animo stuprum gestiens, & sub- „ ter limen domus puellæ tormenta „ quædam verborum, & portentosas fi- „ guras sculptas in æris Cyprii lamina „ defodit. Illico insanire virgo, & ami- „ ctu capitis abjecto, rotare crinem, „ stridere dentibus, inclamare nomen „ adolescentis. Magnitudo quippe amo- „ ris se in furorem verterat. Perducta „ ergo a parentibus ad monasterium se- „ ni traditur, ululante statim, & con- „ fitente dœmone: Vim sustinui, in- „ vitus abductus sum, quam bene Mem- „ phis somniis homines deludebam! „ o cruces, o tormenta quæ patior, „ exire me cogis, & ligatus subter li- „ men licio & lamina teneor. Non „ exeo, nisi me adolescens qui detinet, „ dimiserit. Tunc senex: Grandis ait „ fortitudo tua, qui licio, & lamina „ strictus teneris. Dic cur ausus es in- „ gredi puellam Dei? Ut servarem, „ inquit, eam virginem. Tu, inquit, „ servares, proditor castitatis? Cur non „ potius in eum, qui te mittebat, es „ ingressus? Ut quid, respondit, in- „ trarem in eum, qui habebat collegam „ meum, dœmonem? Noluit autem „ Sanctus, antequam purgaret virgi- „ nem, vel adolescentem, vel signa „ jubere perquiri, ne aut solutus incan- „ tationibus recessisse dœmon videretur, „ aut ipse sermoni ejus accommodasse „ fidem: asserens semper fallaces esse „ dœmones, & ad simulandum esse cal- „ lidos: Sed magis redditam sanitati „ increpavit virginem, cur fecisset ta- „ lia, per quæ in eam dœmon intrare „ posset." Videantur plures hujus rei probationes in qq. 15.

Quæritur 14. Qualibus remediis uti liceat & deceat contra maleficia?

Respondeo. Distinguendum esse inter maleficia. Ea enim, quæ causata fuerunt *per operationem dœmonis aut venefici transeuntem* in ordine ad effectum naturaliter permanentem, medicamentis benedictis naturalibus curanda sunt. Ea autem, quæ fiunt per operationem dœmonis continuam ac permanentem, non-nisi rimediis spiritualibus per auxilium Dei, seu Decretum revocatorium datæ diabolo permissionis curari possunt. Hinc circa ejusmodi maleficia ante omnia examinandum est; an maleficium habeat operationem dœmonis continuam, sicut fit in maleficio amoris, odii, vel alterius passionis animi vehementer inordinatæ, & solum respectivo ad certas personas nulla apparente alia causa naturali? an vero causatum fuerit per actionem dœmonis transeuntem, prout ordinarie contingit in morbis hominum vel brutorum causatis ex maleficio. Facile enim est dœmoni, si accedat permissio divina, turbare sanitatem ingestione rei nocivæ, impedire motum membrorum turbatione musculorum, reddere cæcos vel surdos obstructione potentiæ visivæ vel auditivæ; quæ omnia in unico momento per operationem dœmonis transeuntem fieri possunt.

Dixi; hujus maleficia habentia effectum permanentem ex operatione dœmonis aut venefici transeunte per medicamenta naturalia, benedicta tamen, curari oportere. Cum enim nonnunquam cum effectu maleficii permanente, qualis effectus fuerunt ulcera Jobi, & ligatio mulieris Evangelicæ, quæ decem & octo annis non poterat sursum aspicere, concurrat operatio discontinua dœmonis; &, si hæc abest, ipsa medicamentorum talium applicatio circa genus morbi præternaturale prudenti egeat medicorum & ministrorum consilio, haud dubie benedictio facilius superna lumina, bona consilia, & ministeria Angelorum conciliat.

Quæritur 15. Qualia commendentur ab Ecclesia remedia contra maleficia?

Respondeo. Ecclesia nunquam commendavit contra maleficia aliud genus remedii, nisi spirituale. *Ratio* est, quia solus Deus potest dæmoni præcipere, ut a nocumento desistat, aut ordinem in corporibus hominum, brutorum, ac victualium &c. turbatum restituat. Hinc Ecclesia contra maleficia ejusmodi solum præscribit pœnitentiæ actus, confessionem peccatorum, frequentem sumptio-

nem

nem Euchariſtiæ, orationem fervidam & conſtantem, eleemoſynas & alia opera miſericordiæ. Ea mens Eccleſiæ deſumitur ex variis actis Eccleſiaſticis.

Sic 1. In *Rituali Romano* Tit. 90. §. 7. dicitur: *Dæmones aliqui* (ex Energumenis) *oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum. Sed caveant, ne ob hoc ad magos, vel ad Sagas, vel ad alios* (excoriatores videlicet, carnifices, vel alios ſuperſtitioſos homines) *quam ad Eccleſiæ Miniſtros* (hoc nomine dignos) *confugiat, aut alia ſuperſtitione* (v. g. repercuſſione, formatione ficus &c.) *aut alio modo illicito utatur.*

2. In C. *ſi per ſortiarias* 33. q. 1. ex Hincmaro dicitur: *ſi per ſortiarias atque maleficas occulto Dei judicio permittente, & diabolo præparante* (in conjugatis) *concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta eveniunt, ut corde contrito & ſpiritu humiliato Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis & largioribus eleemoſynis & orationibus atque jejuniis Domino ſatisfaciant, & per Exorciſmos, ac cætera Eccleſiaſticæ medicinæ munia Miniſtri Eccleſiæ tales, quantum Dominus annuerit, ſanare procurent.*

3. *S. Leo* ſerm. 19. de paſſione c. 5. rejicit omne genus pacis, ſive poſtulatæ ſive ultro ſub conditione actionum vel ſignorum indifferentium oblatæ a diabolo. Hoc enim eſt acceptare oblatam ab illo pacem, acceptare & implere conditiones ab eo poſitas. *Malignorum*, inquit, *ſpirituum adverſus Sanctos inſidiæ non quieſcunt, & ſive occulto dolo, ſive aperto prælio, in omnibus fidelibus propoſitum bonæ voluntatis infeſtant. Et cum eis nihil in quemquam amplius liceat, quam juſtitia divina permiſerit, quæ dignatur ſuos aut corripere diſciplina, aut exercere patientia, agunt tamen verſutiſſima arte fallaciæ, ut ex arbitrio propriæ poteſtatis aut lædere videantur aut parcere: & multis, quod dolendum eſt, ita per nequitiam ſimulationis illudunt, ut quidam illos & timeant pati infenſos, & velint habere placatos, cum beneficia dæmonum omnibus ſint nocentiora vulneribus; quia tutius eſt homini inimicitiam diaboli meruiſſe, quam pacem.* Huic doctrinæ S. Leonis directe adverſatur ſententia Suarezii & aliorum, qui exiſtimant Dæmonem cum Sagis vel Veneficis poſſe inire contractus conditionatos, quorum conditione impleta ceſſet a nocumento. Certe implere talem conditionem in æſtimatione nil aliud eſt, quam inire pacem cum Diabolo, & acceptare ejus *ſalvaquardiam.*

4. *Tertullianus* exprimens ſenſum fidelium primitivæ Eccleſiæ teſtatur, eos non ſe geſſiſſe erga dæmones inſtar pacem impetrantis, ſeque eorum conditionibus ſubjicientis, ſed inſtar dominantis ac leges præſcribentis. In l. de anima C. 57. ſic ſcribit: *Ratio fallaciæ magicæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritualia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia ſed inimica ſcientia novimus; nec invitatoria* (ceſſationis a nocumento) *operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ totius erroris artificem, ſalutis pariter, animæque vaſtatorem.*

5. *S. Auguſtinus* l. 10. de Civit. C. 22. conſimiliter teſtatur, Chriſtianos illorum temporum nihil egiſſe, quod haberet ſpeciem placationis, ut dæmon deſiſtat a nocumento, etſi ritus ille placationis tantum vocetur conditio, ſub qua dæmon declaravit, ſe non nociturum, ſic ſcribit: *Vera pietate homines Dei aeream poteſtatem, inimicam contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando: omnes tentationes, adverſitateſque ejus vincunt orando, non ipſam, ſed ſuum Deum adverſus ipſam.*

§. IV.

De Superſtitione, & Divinatione.

QUæritur 1. Quid ſit ſuperſtitio?

Reſpondeo. Superſtitio eſt cultus erroneus Deo aut dæmoni exhibitus. Sic ſi quis vellet honorare Deum per cæremonias veteres Legis Judaicæ, v. g. per circumciſionem, & victimas

tau-

taurorum, ille cultus foret superstitiosus. Sic si quis uteretur cooperatione dæmonis ad effectum naturalem, v. g. ad obtinendas pecunias, officium &c. invocatio dæmonis, quamvis pecunias aut officium ordinaret ad cultum veri Dei, esset superstitio.

Quæritur 2. Quotuplex sit superflitio?

Respondeo. Superstitio est quadruplex. Datur enim 1. Superstitio *cultus indebiti*. 2. Superstitio *Idololatriæ*. 3. Superstitio *divinationis*. 4. Superstitio *vanæ observantiæ*. Cum autem de Idololatria jam actum sit §. 2. restat solum agendum de tribus reliquis.

Quæritur 3. Quid est superstitio *cultus indebiti*?

Respondeo. Cultus indebiti superstitio est cultus vero Deo exhibitus, sed inordinatus *per excessum*, vel *defectum*. Hoc genus superstitionis D. Thomas eleganter explicat 2. 2. q. 92. a. 1. & 2. c. a. 3. c. & a. 4. C. ubi sic scribit: " Superstitio est vitium religioni oppositum per excessum, quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet. Diversificantur superstitionis species ex parte objecti. Potest enim divinus cultus exhiberi, cui exhibendus est, scilicet Deo vero, modo tamen indebito; & hæc est prima superstitionis species. -- Ideo si per cultum externum aliquid falsum significetur " (sive verbo, sive facto) " erit cultus pernitiosus. Et hoc modo tempore novæ legis pernitiosum est, uti cæremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura. " Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis (v. g. si laicus utatur exorcismis Ecclesiæ contra tempestates, dæmones, maleficia; vel si Clerici adhibeant sacrum Chrisma contra maleficia, cum per preces Ecclesiæ ad hunc effectum non ordinetur.) " Et hoc præcipue contingit in cultu communi, qui per Ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ. Sicut enim falsarius esset, qui aliqua proponeret " (v. g. testimoniales litteras falsas, quasi ab Episcopo aut Papa scriptas & signatas) " ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa; ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte (hoc est nomine) " Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum divina authoritate ab Ecclesia constitutum, & in Ecclesia consuetum. Unde *Ambrosius* in 1. Cor. 11. dicit: *Indignus est*, *qui aliter celebrat mysterium*, *quam Christus tradidit;* & propter hoc etiam Glossa dicit ad Coloss. 2. *Quod superstitio est*, *quando traditioni humanæ religionis nomen applicatur*. -- Potest esse aliquid superfluum in divino cultu secundum quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini proportionatum. Finis autem divini cultus est, ut homo Deo det gloriam, & ei se subjiciat mente & corpore. Et ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quod mens Deo subjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrœnationem concupiscentiarum secundum Dei & Ecclesiæ ordinationem & consuetudinem eorum, quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem aliquid sit, quod quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc, quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiæ moderate refrœnentur; aut etiam, si sit præter Dei & Ecclesiæ institutionem, vel contra consuetudinem communem, quæ secundum Augustinum Ep. 86. pro lege habenda est, totum hoc reputandum est superfluum & superstitiosum; quia in exterioribus solum consistens ad interiorem Dei cultum non pertinet. Unde Augustinus l. de vera relig. C. 3. inducit, quod dicitur Luc. 17. Regnum Dei intra vos est. Loquitur contra superstitiosos, qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt. " Hucusque textus D. Thomæ vere aureus. In hunc sensum quidam Prælatus Curiæ Romanæ, cum de aliqua suæ Nuntiaturæ provincia sermo incideret, sapienter dicebat: *In illa provincia reperitur materiale religionis*. Verissimum enim est, ibi tantum reperiri *materiale* religionis, ubi

depro-

deproperantur Missæ & Horæ Canonicæ properatione imcompossibili cum affectu gravi, humili, & devoto ad Deum, & incompossibili cum attentione interna ad ea, quæ dicuntur & aguntur; ubi sub Missa & sub divinis tantum habetur præsentia externa, & tractantur profana; ubi homines perpetuo occupantur externis devotionibus, quin urgeantur serio prima mandata charitatis fervidæ erga Deum ad præferenda emolumenta divinæ gloriæ commodis propriis, & charitatis practicæ erga proximos per commiserationem & sublevationem pauperum, afflictorum, miserabilium; ubi solennitates festorum ordinantur ad externa solum pietatis exercitia, non autem ad inculcandum verbum Dei, ac virtutes solidas, necessarias ad salutem, & placendum Deo; ubi festa Deo dicata profanantur & sinuntur profanari excessivis conviviis, ebrietatibus, dissolutis choreis, & aliis diversionibus mentem potius a Deo ad amorem inordinatum carnis vel mundi avocantibus. Judicabit suo tempore Deus severe has superstitiones cultus indebiti.

Quæritur 4. Quid sit divinatio?

Respondeo. Divinatio, prout hoc loco sumitur, est *prænotio de futuris contingentibus*, *aquisita ope dæmonis*. Futura contingentia dicuntur, quæ non *semper*, *vel ut in pluribus* contingunt ex dispositione causarum naturalium. Sic quando Astronomi prænuntiant Eclipses, quæ ex præparatione causarum naturalium semper eveniunt; aut quando Medici ex iis, quæ ordinarie in similibus circumstantiis solent contingere, prænuntiant secuturam infirmi reconvalescentiam vel mortem, aut quando Sancti ex revelatione divina res futuras prædicunt, non est divinatio.

Dixi, *semper*, vel *ut in pluribus*. Si enim effectus futuri *æque faciliter* contingunt ac non contingunt, aut si *ut in paucioribus* contingunt, prudenter a nemine prænuntiari possunt, eo quod causæ naturales æqualiter inclinentur ad utrumlibet, vel omnino magis inclinentur ad oppositum. Et hinc ejusmodi eventus ad futura contingentia pertinent, quæ determinate a viro prudente affirmari aut prænuntiari nequeunt. Ita D. Thomas 2. 2. q. 95. a. 1. C.

Quæritur 5. An divinatio sit species superstitionis?

Respondeo Affirmative. Ratio est, quia, prout D. Thomas l. c. ad 2. observat, *divinatio pertinet ad cultum dæmonum*, *in quantum aliquis utitur quodam pacto tacito vel expresso cum dæmonibus*.

Quæritur 6. Quotuplex est divinatio?

Respondeo. Divinatio dividitur 1. in eam, quæ fit per *expressam* invocationem dæmonum, & quæ fit per *tacitam* invocationem dæmonum. 2. Divinatio, quæ fit per tacitam invocationem dæmonum, subdividitur in prænotionem, quæ sumitur ex concursu contingente rerum naturalium vel actionum humanarum; & in eam, quæ fit *per sortes*, ubi actio humana ex eo primario fine ponitur, ut exinde prænoscantur futura.

Quæritur 7. Quot modis fit divinatio per expressam invocationem dæmonis?

Respondeo. Ea fit novem modis, 1. per Præstigia. 2. Per somnia. 3. Per Nigromantiam. 4. Per Pythones. 5. Per Geomantiam. 6. Per Hydromantiam. 7. Per Pyromantiam. 8. Per Aeromantiam. 9. Per Haruspicium. Hæc omnia explicat D. *Thomas* 2. 2. q. 95. a. 3. C. his verbis: " Dæmones expresse invocati solent futura prænuntiare multipliciter. „ Quandoque præstigiosis quibusdam apparitionibus. Et hæc species vocatur „ *præstigium*. Quandoque per mortuorum apparitionem vel locutionem. Et „ hæc species vocatur *Nigromantia*. „ Quandoque futura prænuntiant per homines vivos, sicut in arreptitiis patet. Et hæc est *divinatio per Pythones*. Quandoque futura prænuntiant „ per aliquas figuras vel signa, quæ in „ rebus inanimatis apparent; quæ si „ apparent in aliquo corpore terrestri, „ puta, ligno, vel ferro, vel lapide, „ vocatur *Geomantia*; si autem in aqua „ *Hydromantia*; si autem in aere, *Aeromantia*; si autem in igne *Pyromantia*; si autem in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonum, „ vocatur *Haruspicium*.

Quæritur 8. Quot modis fit divinatio per concurſum contingentem rerum naturalium vel actionum humanarum?

Reſpondeo. Hæc divinatio fit ſequentibus modis: 1. Per *Aſtrologiam judiciariam*, quando videlicet ex poſitione ac concurſu determinato ſeptem Planetarum & duodecim ſignorum Zodiaci, & aliorum ſyderum, quæ dabatur in nativitate cujuslibet hominis, Aſtrologus divinat de futuris contingentibus liberis, quæ eventura ſunt homini uſque ad ejus mortem. Qui huic ſuperſtitioni ſe dedunt, *Genethliaci* vocantur. 2. Per motus vel voces avium, ſeu quorumcunque animalium, ſive per ſternutationes hominum, vel membrorum ſaltus. Et hoc pertinet generaliter ad *Augurium*, quod dicitur a garritu avium; ſicut *Auſpicium* ab inſpectione avium; quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos. 3. Per fortuita dicta aut facta hominum, v. g. ſi eo tempore, quo Romani Exercitus Imperator deliberabat, an eſſent movenda caſtra, centurio audiretur inclamare ſignifero: *Statue ſignum*, hic caſus fortuitus jam accipiebatur ab Imperatore pro indicio, non eſſe movenda caſtra, prout *Valerius Maximus* l. 1. c. 5. teſtatur. Hoc genus divinationis dicitur fieri *per omen*. 4. Per figuras lineamentorum in manibus apparentes, per quas prænuntiatur, quæ bona vel mala homini eventura ſint. Hæc divinatio vocatur *Chiromantia*. *Mantia* enim in Græco idiomate divinationem, *Chiros* autem manum ſignificat. 5. Per ſigna in ſpathula animalis apparentia. Et hæc divinatio ab Ethnicis *Spathulamantia* vocatur. Ita quoad rem D. Thomas l. c. C.

Quæritur 9. Quot modis fiat divinatio per ſortes?

Reſpondeo. Fit ſequentibus modis. 1. Per conſiderationem figurarum, quæ formantur ex plumbo liquefacto in aquam projecto. 2. Per fortuitam tractationem aut inventionem ſchedæ, vel feſtucæ, dum conſideratur, quis majorem vel minorem, & qualem accipiat. 3. Per jactum & numeros taxillorum. 4. Per fortuitam apertionem libri, & conſiderationem, quid primo occurrat. Ita D. Thomas l. c. C.

Quæritur 10. An liceat a dæmone ſaltem per Exorciſmos interrogare occulta, abſentia, vel futura?

Reſpondeo 1. Licet per Exorciſmos ex obſeſſis dæmonem interrogare ea omnia & ſola, in quibus hæc tria concurrunt. 1. ut concernant perſonalem ſtatum obſeſſi & obſidentis. 2. ut ſint idonea ad deſtruendam poteſtatem dæmonis ad utilitatem fidelium. 3. ut ſint talia, quæ dæmon non niſi compulſus diceret.

Id *probatur* ab exemplo Chriſti, Apoſtolorum, Sanctorum, qui nec miſcuerunt unquam ſermones curioſos & inutiles impertinentes ad præfatos tres fines, nec aliud docuerunt, aut commendarunt unquam. *Ratio* autem ſic agendi eſt; quia inprimis dæmones non habent ſcientiam rerum contingentium in mundo, quæ dependent proxime vel remote ab interveniente aliqua actione libera Dei, Angelorum, vel hominum; prout in Tractatu de Angelis oſtenſum eſt in *Theol. Eclect.* Itaque de hujuſmodi rebus, quæ non concernunt ipſum individuum dœmonis inſidentis, interrogare dæmonem nihil aliud eſt, quam poſtulare figmenta vel mendacia. Interrogare autem alia, quæ dœmon poſſet ſcire, ſi non concernunt ſtatum obſeſſi in ordine ad deſtruendam facilius poteſtatem dœmonis & faciliorem inſtructionem fidelium, ita ut appareat, dœmonem ea non dicturum, niſi compulſum, inordinata curioſitas eſt, quam Deus frequenter punit per deceptiones & illuſiones dœmonum, juxta illud 1. Tim. 4. v. 1. *Spiritus manifeſte dicit: Quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dœmoniorum in hypocriſi* (hoc eſt, ſub pietatis ſpecie) *loquentium mendacium*. Idipſum a Deo juſto judicio permitti in curioſos, etiam pios, ſi curioſa, quæ ſcire non eſt utile ad ſalutem, aut quæ per alia media a Deo ordinata ſciri poſſunt, ex documentis Sanctorum v. g. S. Joannis a cruce, oſtendi in opere *de Revelationibus privatis p.* 1. *c.* 16. edito Auguſtæ vel Venetiis. Cæterum doctrina

hæc

hæc insinuatur a S. *Thoma* 2. 2. q. 95. a. 4. ad 1. ubi ab objectionem, quod ipsemet Christus dœmonem Marc. 5. interrogaverit; *Quod est tibi nomen?* (id est, quo nomine proprietatem tuam designemus?) & ille responderit: *Legio, quia multi sumus*, sic ait: *Non velut inscius Dominus inquirit, sed ut confessa peste, quam tolerabat, virtus curantis gravior emicaret. Aliud autem est, inquirere aliquid a dœmone sponte occurrente, quod quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute potest compelli ad vera dicenda; & aliud est, dœmonem invocare ad cognitionem occultorum aquirendam ab ipso. Nec obstat* quod in variis Ritualibus, v. g. *in Romano* §. 19. jubeantur fieri interrogationes dœmonis. In hoc enim Rituali l. c. dicitur: *Exorcista jubeat dœmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa vel instrumenta &c.* Hæc enim interrogatio aliquando pertinet ad convincendum veneficum de maleficio, si concurrant alia violenta indicia, sicque per ejus punitionem destruendi operationes dœmonis. Verum melius & cordatius respondet Baruffaldus in suo Comment. ad Rit. Rom. 90. n. 91. ubi sic scribit: *Quoad maleficia seu instrumenta revelanda, quibus dœmon detineatur in illo corpore, antiqui Exorcistæ in hoc constantes fuere, ut patet ex libris Exorcismorum antiquitus impressis. Sed praxis modernorum aliter sentit. Cum enim Diabolus Pater mendacii sit, unice illudere studet vanis figmentis tum Exorcistas tum Energumenos. Sæpius, fateor, Energumeni evomere clavos, cultellos, acus, soleas equinas, vittas, globulos plumbeos, Persicorum poma, plumas, ligna, candelas, & alia hujusmodi visi sunt. Sed peractis Exorcismis victoque diabolo illusiones detectæ sunt, & res evomitas nihil aliud esse, nisi salivam, phlegmata, & pituitas stomachi compertum est. Vel si vere tales erant, quales apparebant, nil facilius est celeritati dœmonis illa suppeditare, auferendo a variis officinis, ut magis adstantes illuderet.*

Quæritur 11. An licita sit divinatio per Astra?

Respondeo. Hæc divinatio de futuris contingentibus a libero arbitrio divino, angelico, vel humano dependentibus est illicita.

Id *probatur* inprimis ex Constitutione 17. *Sixti* V. *Cœli & terræ*, & 144. *Urbani* VIII. *Inscrutabilis*. Prior sic scribit: " Cœli & terræ creator sibi soli eorum, quæ eventura sunt, scientiam & futurarum rerum cognitionem reservavit, solus enim ipse, cujus oculis omnia nuda & aperta sunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & consequentes eorum actiones intuetur, solus ipse, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, omnia præsentia, & ante oculos posita habet, solus denique omnia & singula quæcumque totius temporis decursu, & sæculorum ætatibus futura sunt, ab omni æternitate novit, & admirabili providentia dispofuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, sed nec dœmones ipsi præsentire possunt. Quare idolorum in futuris annunciandis falsitatem & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant, vanitatem irridet S. Spiritus apud Isaiam illis verbis: " Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos, & in Novo Testamento Dominus discipulorum suorum de futuris eventibus paulo curiosius inquirentium, interrogationem gravi illa responsione retudit, qua etiam omnium fidelium suorum curiositatem coercuit. " Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. " Nec vero ad futuros eventus, & fortuitos casus prænoscendos " (futuris eventibus ex naturalibus causis necessario vel frequenter provenientibus, quæ ad divinationem non pertinent, dumtaxat exceptis) " ullæ sunt veræ artes aut disciplinæ, sed fallaces & vanæ improborum hominum astutiæ, & dœmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione, consilio vel auxilio omnis divinatio dimanat, sive

„ quod expreſſe, ad futura manifeſtanda „ invocentur, ſive quod ipſi pravitate „ ſua, & odio in genus humanum, oc- „ culte, etiam præter hominis intentio- „ nem ſe ingerant, & intrudant vanis „ inquiſitionibus futurorum, ut mentes „ hominum perniciosis vanitatibus & fal- „ laci contingentium prænuntiatione im- „ plicentur, & omni impietatis genere „ depraventur. Quæ quidem ipſis cogni- „ ta ſunt, non divinitate aliqua, nec „ vera rerum futurarum ſcientia, ſed na- „ turæ ſubtilioris acumine, & aliis qui- „ buſdam modis, quos hominum obtu- „ ſior intelligentia ignorat. Quamobrem „ dubitandum non eſt, in hujuſmodi fu- „ turorum contingentium, & fortuito- „ rum eventuum inquiſitione & præco- „ gnitione, diaboli operationem ſe fal- „ laciter immiſcere, ut ſua fraude ac „ dolis, miſeros homines a via ſalutis, „ & laqueo damnationis involvat. Quæ „ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter „ & religioſe, ut debent, non atten- „ dentes, ſed curioſa ſectantes, graviter „ Deum offendunt, errantes ipſi, & „ alios in errorem mittentes; tales in- „ primis ſunt Aſtrologi olim Mathema- „ tici, Genethliaci, & Planetarii voca- „ ti, qui vanam falſamque Syderum & „ aſtrorum ſcientiam profitentes, divi- „ næque diſpoſitionis ordinationem, ſuo „ tempore revelandam prævenire auda- „ ciſſime ſatagentes, hominum nativi- „ tates ſeu genituras, ex motu ſyderum, „ & aſtrorum curſu metiuntur, ac judi- „ cant futura, ſive etiam præſentia & „ præterita occulta, atque ex puerorum „ ortu, & natali die, ſive quavis alia „ temporum & momentorum vaniſſima „ obſervatione, & notatione, de uniuſ- „ cujuſque hominis ſtatu, conditione, „ vitæ curſu, honoribus, divitiis, ſo- „ bole, ſalute, morte, itineribus, cer- „ taminibus, inimicitiis, carceribus, cæ- „ dibus, variis diſcriminibus, aliiſque „ proſperis, & adverſis caſibus, & even- „ tibus præcognoſcere, judicare, & af- „ firmare temere præſumunt, non ſine „ magno periculo erroris, & infidelita- „ tis, cum S. Aug. præcipuum Eccle- „ ſiæ lumen, eum, qui hæc obſervat, „ qui attendit, qui in domum recipit, „ qui interrogat, chriſtianam fidem, „ & baptiſmum prævaricaſſe affirmet, „ ut illos merito Apoſtolus arguat at- „ que increpet illis verbis: *Dies obſer- „ vatis & menſes, & tempora, & an- „ nos, timeo vos ne forte ſine cauſa la- „ boraverim in vobis*. Hi igitur leviſſi- „ mi, & temerarii homines in miſeran- „ dam animarum ſuarum ruinam, gra- „ ve fidelium ſcandalum, & chriſtianæ „ fidei detrimentum, futuros rerum even- „ tus, & quæcumque proſpere, vel ad- „ verſe obventura ſunt, ac actus huma- „ nos, ea denique, quæ ex libera ho- „ minum voluntate proficiſcuntur, aſtris „ ſyderibuſque aſcribunt, eiſque eam „ facultatem, vim, ſeu virtutem & ef- „ ficaciam tribuunt ſignificandi futura; „ & ad præcognita ita inclinandi, ut „ ſic omnino nec aliter eventura ſint, „ atque ob eam cauſam de iis rebus om- „ nibus judicia facere, prognoſtica, præ- „ dictiones, & præcognitiones ſibi aſſu- „ mere, & palam venditare non dubi- „ tant; quibus pauci rudes & imperi- „ ti, aliique nimis creduli & impruden- „ tes tantam fidem præſtant, ut ex hu- „ juſmodi judiciorum, & prædictionum „ præſcripto, aliquid certo eſſe credant „ aut ſperent; quorum ſane & menda- „ cium magiſtrorum temeritas, & in- „ felicium diſcipulorum credulitas ma- „ gnopere deploranda eſt, qui vel divi- „ nis litteris admoniti non intelligunt „ hominis præſtantiam, cui cœli & ſtel- „ læ, & clariſſima cœli ſydera, Sol, & „ Luna, Deo ita diſponente, non impe- „ rant, ſed inſerviunt, ſic enim Moy- „ ſes populum Dei, ut hunc errorem „ caveret, præmonebat: *Ne forte ele- „ vatis oculis ad cœlum, videas Solem „ & Lunam, & omnia aſtra cœli, & „ errore deceptus adores ea, & colas, „ quæ creavit Dominus Deus tuus in „ miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub „ cælo ſunt*. Sed quid ſydera mirandum „ eſt homini ſervire? nonne nobiliſſimæ „ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt „ adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium „ miſſi propter eos, qui hæreditatem „ capiunt ſalutis? nam rationales oves

„ ita

„ ita diligit Deus, ut non solum Episcopos, quemadmodum a S. Ambrosio scriptum est, ad tuendum gregem ordinaverit, sed etiam Angelos destinaverit. Praeclare etiam S. Hieronymus: *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Quodsi Angeli homines custodiunt, quid adversus Angelorum custodiam & tutelam astra moliri, aut efficere poterunt, quae cum ipsis Angelis nullo modo sint comparanda? Nec sane hoc loco praetereunda est eximii Ecclesiae Doctoris & Beatiss. Pont. Magni Gregorii sententia, qui Priscillianistas haereticos unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum nasci putantes, magno rerum & verborum pondere confutat: *Absit*, inquit, *a fidelium cordibus, ut aliquid esse fatum dicant, vitam quippe hominum solus hanc conditor, qui creavit administrat, neque enim propter stellas homo, sed stellae propter homines factae sunt, etsi stella fatum hominis esse dicitur, ipsis suis ministeriis subesse homo perhibetur.* Utinam insani homines haec saperent, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Levitico dicentis: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos.* Neque enim, quae christiana & vera pietas repellit ac damnat, tanto studio investigarent, iisdemque misere se decipi, atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curiosi vel impii & irreligiosi, qui futurarum & occultarum aliarum rerum notitiam adeo anxie habere student, ut ob eadem praenoscenda & investiganda in divinae legis offensionem multipliciter incurrant. Alii enim Geomantiae, Hydromantiae, Aeromantiae, Pyromantiae, Onomantiae, Chiromantiae, Necromantiae, aliisque sortilegiis, & superstitionibus non sine daemonum saltem occulta societate, aut tacita pactione, operam dare, seu illis, ac sortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum jactu uti non verentur. Alii vero aliquas pristinae & antiquatae, ac per crucis victoriam prostratae Idololatriae reliquias retinentes, quibusdam auguriis, auspiciis, similibusve signis, & vanis observationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii autem sunt, qui cum morte foedus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui similiter ad occultorum divinationem, ad inveniendos thesauros, vel ad alia facinora perpetranda etiam expressa cum diabolo pactione facta, in manifestam suarum perniciem animarum, nefarias magicae artis incantationes, instrumenta & veneficia adhibent, circulos & diabolicos characteres describunt, daemones invocant, aut consulunt, ab eis responsa petunt, aut accipiunt, eis preces & thuris, aut aliarum rerum suffimenta, seu fumigationes, aliave sacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus sacrilege abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quaevis alia impietatis obsequia praestant, cultum venerationemve tribuunt, aut annulum vel speculum, aut parvas phyalas sibi fabricant, aut fabricari curant ad daemones in eis alligandos, seu includendos, ut putant, ad responsa ab ipsis inde petenda, aut habenda. Alii praeterea etiam in corporibus obsessis, vel lympathicis, & phantasticis mulieribus daemones de futuris vel occultis rebus, aut factis exquirunt, ut merito ab eis, quos Dominus in Evangelio tacere imperavit, vanas mendacesque referant responsiones. Alii quoque praestigiatores, frequentius vero mulierculae quaedam superstitionibus deditae in phyalis seu vasculis vitreis aqua plenis, vel in speculo accensis candelis, etiam benedictis sub nomine Angeli Sancti & Albi, diabolum omnium malorum fatorem supplices adorantes, vel in unguibus aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, ut similiter futura vel occulta quaevis per spe-

„ ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacii diabolo aliis incantationibus, aut variis ſuperſtitioſis obſervationibus futurorum & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quos ſupra enumeravimus, conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod dæmonis præſtigiis ac dolis, tum qui divinat, tum qui divinationem expetunt, illuſi ac deluſi miſerrime reperiuntur. Itaque cum futuros eventus in ſe ipſis conſiderare, antequam fiant, ſit Dei proprium, illud neceſſario conſequitur, ut Aſtrologi, & alii prædicti, qui hujuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocumque modo, niſi Deo revelante audent, injuſte atque imprudenter, quod Dei eſt, ſibi aſſumant, & uſurpent, ſic fit, ut dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, divina majeſtas graviter lædatur, fidei integritas violetur, & animalibus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis peſtis atque exitium importetur.

„ §. 2. Et licet jam pridem regulis Indicis librorum prohibitorum ex decreto Sacri generalis Trid. Conc. confecti, illud inter cetera conſtitutum fuerit, ut Epiſcopi diligenter providerent, ne hujuſmodi Aſtrologiæ Judiciariæ libri, tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſve caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent, permiſſis tamen judiciis, & naturalibus obſervationibus, quæ navigationis, agriculturæ, ſive medicæ artis juvandæ gratia conſcripta fuiſſent. Libros vero omnes & ſcripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus rejici & aboleri curarent. Non tamen errorum, corruptelarum, delictorum & abuſuum prædictorum extirpatione uſque adeo proviſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cum valde frequenter, detectis Diaboli inſidiis, divinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe in dies detegantur.

„ §. 3. Nos igitur, qui pro noſtro Paſtoralis officii munere fidei integritatem inviolatam conſervare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum divina gratia adjutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus damnantes & reprobantes omne genus divinationum, quæ diabolo authore ad fidelium deceptionem a prædictis curioſis vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim ubi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & providentia, ab omni erroris labe integram atque incorruptam, ut par eſt, retineri. Volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac hujuſmodi illicitarum divinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitiis, atque impuritatibus occurrere, ut de Chriſtiano populo merito dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt. *Non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſrael*. Hac perpetuo valitura conſtitutione, Apoſt. auctoritate ſtatuimus & mandamus, ut tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ judiciariæ Aſtrologiæ artem, *præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam* impoſterum exercentes, aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmare audent, *etiamſi id ſe non certo affirmare aſſerant*, aut proteſtentur, quam contra alios utriuſque ſexus, qui ſupra dietas damnatas, vanas, fallaces, & pernitioſas divinandi artes ſive ſcientias exercent, profi-

„ ten-

" tentur, & docent aut discunt, quive " hujusmodi illicitas divinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda " scelera & delicta, ut præfertur, faciant, aut in eis se quomodolibet intromittunt, cujuscunque dignitatis, " gradus, & conditionis existant, tam " Episcopi & Prælati, Superiores ac alii " Ordinarii locorum, quam Inquisitores hæreticæ pravitatis ubique gentium deputati, etiamsi in plerisque " ex his casibus antea non procedebant, " aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque " in eos severius Canonicis pœnis, & " aliis eorum arbitrio animadvertant.

" §. 4. Prohibentes omnes & singulos libros, opera & tractatus hujusmodi judiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, " Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ. " Artis Magicæ; aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, " execrabiles incantationes ac superstitiones continentur, ac ut supra in " memorato Indice interdictos sub censuris & pœnis in eo contentis a quibuscunque Christi fidelibus legi, aut " quomodolibet retineri, sed illos Episcopis & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari & consignari debere. Et nihilominus eadem " auctoritate statuimus & mandamus, " ut contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta, in quibus " talia continentur, similiter iidem Inquisitores libere & licite procedere & " pœnis condignis punire & coercere " possint.

" §. 5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis; " ceterisque contrariis quibuscunque.

" §. 6. Ut autem præsentes nostræ " Litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in valvis basilicarum S. Joa. Lateranen. & Principis Apost. de Urbe, ac in acie Campi Floræ affigi seu " appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

" §. 7. Et insuper universis & singulis venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, " Episcopis locorum Ordinariis, & Prælatis, nec non Inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per " hæc committimus & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo " mandamus, ut per se vel alium seu " alios easdem præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint in suis & singulis " Parochialibus Ecclesiis, dum in eis " populi multitudo ad divina convenerit, deinde vero semel in anno, & " quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent, aut publicari faciant."

Urbanus VIII. in Constitutione sua *Inscrutabilis* 144. non solum confirmat constitutionem Sixti V. sed etiam in eos, qui de Statu Reipublicæ Christianæ vel Sedis Apostolicæ, sive de vita & morte Romani Pontificis pro tempore existentis &c. ex Astrologia judiciaria, & hujusmodi artibus divinant, *etiamsi* id non certo se affirmare protestentur, non solum excommunicationis sed etiam privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad omnia officia, & ultimi supplicii respective pœnas statuit.

Probatur 2. Responsio ex Scriptura, ubi præscientia futurorum contingentium inter attributa divina ponitur. Sic Isaiæ 41. v. 22. *Nuntient nobis, quæcunque ventura sunt. Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos.* Et Isajæ 44. v. 6. *Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet & annuntiet ventura, & quæ ventura sunt, annuntient eis.*

Probatur 3. ratione. Influxus cœlorum consistit in solo motu ætheris seu subtilis materiæ, prout in Philosophia ostensum est. Ex sola autem pressione ætheris non possunt diversimode inclinari liberæ voluntates hominum, nisi Deus vel homo his motionibus materiæ diversarum Idearum & appetituum excitationem alliget, prout fit in Musica, & in significatione vocum. Quod ta-

men Deum voluisse verosimile non est. Sic enim Idioma stellarum ex complicatione innumerorum motuum in æthere idem præstaret quod præstarent gratiæ divinæ & miracula seu quævis aliæ operationes divinæ extraordinariæ, & sic reduceretur antiqua hæresis Priscillianistarum, aut fatum Gentilium.

Quæritur 12. An licita sit divinatio per somnia?

Respondeo 1. Divinatio de temperamento corporali præsente, & de morbis exinde consecuturis ex somnio v. g. quod cecidit somnians in aquam, vel ignem, quod perpetuo digladietur vel rixetur, quod ex sublimi in præceps ruat, non est illicita. Hujusmodi enim somnia ostendunt vel abundantiam humorum, vel impetuositatem sanguinis & spirituum, vel abundantiam partium sulphurearum, seu salium volatilium, quæ dum in sensorium commune cerebri incurrunt, excitant easdem species, quæ excitari prius solebant per objecta, motus consimiles in sensu excitantia. Hac divinatione sæpe utuntur periti medici.

Respondeo 2. De futuris contingentibus nunquam licet divinare ex somniis, nisi ex circumstantiis verosimile sit, eas venire a Deo vel ab Angelo.

Ratio est; quia non datur naturalis connexio inter somnia & futura contingentia. Itaque aut significant futura ex monitione dœmonis, qui, ubi semel animum credulum his suis operationibus invenerit, facile perturbat, aut in peccata pertrahit ex timore ac spe futurorum inani; aut significant ex præmonitione Dei vel Angeli. Ad dignoscenda vero somnia, utrum veniant a phantasia, vel dœmone, vel angelo, ferme eædem regulæ sunt, quas posui in opere *de Revelationibus privatis*. Si enim nec ad bonum, nec ad malum ducant, & perturbata sunt sine principio, fine, & ordine partium; aut si ordinata quidem sunt, sed conformia assuetis, vel profunde expensis prius negotiis, ex phantasia illa ortum trahere, verosimile est. Si autem ad malum ducant v. g. perturbationem animi, suspiciones aliunde temerarias, solicitudinem inordinatam, diffidentiam inter amicos, tentationes ad peccata, &c. a dœmone venisse credenda sunt. Si autem habeant proprietates apparitionis angelicę vel divinæ, Angelo vel Deo tribuenda sunt. Proprietates sunt. 1. Relinquunt in memoria claram ac distinctam per plures dies memoriam. 2. Statim simul animo imprimunt sui significationem: quia angelus vel Deus simul monet, quid significent. 3. Relinquunt in animo simul consolationem aut certe corroborationem seu animationem ad tolerantiam, si quæ imminet. 4. Ea sunt ordinata intra limites Symboli, cujus naturam gerunt circa res futuras. 5. Non dantur sine necessitate magna. 6. Nec præcise ad curiositatem vel petitionem volentis aliquid scire per somnia. Talis enim præsumptio solet a Deo puniri, ut persona relinquatur illusionibus dœmonum. 7. Semper tendunt ad bonum, & dirigunt ad virtutes. Hæc concurrunt etiam in somniis propriis vel alienis propheticis; quæ, licet aliquando ipsi somnianti terrifica sint, tamen ordinantur ad ejus emendationem, & simul confertur inspiratio quærendi hac vel illa via expositionem.

Quæritur 13. An divinatio per auguria vel omina semper sit illicita?

Respondeo 1. Omnis divinatio ex causa vel signo, in quibus certum est, nullam probabilem reperiri connexionem ex ordinatione naturæ vel divinæ providentiæ cum effectu vel significato, superstitiosa est ac illicita. Ita docet D. *Thomas* 2. 2. q. 95. a. 7. ubi sic scribit: *Omnis divinatio, si extendatur ultra illud, ad quod potest pertingere secundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, est superstitiosa & illicita.*

Respondeo 2. Tunc præsumendum est, dari ex divina providentia connexionem signi cum significato, quando hæc tria concurrunt, 1. ut positio signi non sit miraculosa, ea tamen excedat ordinariam dispositionem causarum naturalium vel liberarum. 2. ut ex circumstantiis pateat, eam potius habere proprietates operationis divinæ quam diabolicæ. 3. ut verosimiliter sit effectus orationis præceden-

cedentis amicorum familiarium cum Deo.

Responsio

Probatur ex eo, quia hæc omnia concurrunt in divinationibus licitis, quarum habemus exempla in Scripturis & probatis historiis. Semper enim præcesserunt orationes amicorum Dei cum illo familiarium; & cum illæ orationes non fuerint præsumptuosæ tentationes Dei, nunquam in iis petebatur pro signo aliquod *miraculum*, sed tantum *beneficium*, ad preces suorum amicorum ea ætate temporum frequenter a Deo conferri solitum per ministerium angelorum, vel directionem & immissionem cogitationum humanarum, quo genere operandi Deus non operatur *miraculose*, sed *naturaliter*, tanquam creator, ac providus gubernator creaturarum intellectualium. Hinc etiam partim ex circumstantia precum præcedentium, partim ex qualitate signi decente Deum in iis exemplis manifestum erat, positionem signi non venire a dœmone, & verosimile erat, eam nec venire a concursu ordinario causarum secundarum. Ita observare licet Gen. 24. ubi Eliezer servus Abrahæ quæsiturus bonam conjugem pro Isaac orat: *Domine Deus Domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam ut bibam; & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis potum dabo; ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac. Judicum* 7. v. 10. Gedeon ab ipsomet Deo jubetur sumere omen pro victoria ex sermone & somnio militum hostilium. Et quando petiit signum ex vellere, jam prius fuerat vocatus a Deo in Ducem, & acceptatum fuerat ejus sacrificium signo visibili, oblatum pro redemptione populi. *Surge*, inquit Deus, *in castra* (hostium) *& cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra* (expugnanda) *descendes*. Idem præsumendum est de Jonatha 1. Reg. 14. quando dixit ad Armigerum suum: *Si dixerint, Ascendite ad nos, ascendamus, quia tradidit eos Dominus*: Jonathas enim, vir sanctissimus, omnem suam spem reponebat in Deo, ut patet ex ejus verbis ibi præcedentibus. *Si quis objiciat*, Josephum Patriarcham ex professo fuisse augurem & conjectorem somniorum, quia Gen. 44. Dispensator Josephi ad fratres ejus dixit: *Scyphum quem furasti, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet*. Et ipsemet postea fratribus dixit: *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?*

Respondet D. Thomas l. c. ad 1. *Hoc, quod Joseph dixit, secundum Augustinum in Gen. c.* 145. *joco dixit, non serio, referens forte hoc ad illud, quod vulgus de eo opinabatur. Et sic etiam Dispensator ejus locutus est.*

Quæritur 14. Quando divinatio per sortes sit licita vel illicita?

Respondeo 1. Divinatio per sortes de futuris contingentibus nunquam est licita.

Ratio est, quia sortes nec habent connexionem cum futuris contingentibus ex ordinatione naturæ, prout patet; nec ex ordinatione divinæ providentiæ; quia non habetur in Scriptura & historia Sanctorum exemplum, quod Deus aliquando ministerio Angelorum usus sit circa sortes ad conferendam præscientiam de futuris contingentibus. Sancti enim de futuris contingentibus consuluerunt Dominum, ut per inspirationem internam vel somnium futura discerent, quo modo loquendi tunc temporis ordinarie Deus utebatur cum suis summis Sacerdotibus vel Prophetis.

Respondeo 2. Licitus tamen est usus sortium *ad tollendam ambiguitatem jurium vel animorum*, alioquin nullo præponderante motivo juris vel rationis sine metu litium aut anxietatum resolubilem. Sic dividuntur portiones hæreditariæ, prœmia, supplicia, per sortes.

Respondeo 3. Usus sortium ad explorandam veritatem rei præteritæ, vel ad explorandam voluntatem Dei aut hominis præsentem nunquam est licitus nisi

nisi detur specialis permissio divina signo intelligibili declarata. In dubio autem de ejusmodi permissione divina præsumendum est, illam permissionem nunquam dari. 1. ubi nulla datur operationis divinæ extraordinariæ, etiam ad preces amicorum præstari insuetæ necessitas. 2. ubi nulla præcessit humilis & fervida amicorum Dei oratio. 3. ubi solum agitur de negotiis temporalibus. 4. ubi noscitur, Deum ordinasse aliud medium ordinarium ad inquirendam voluntatem divinam idoneum, v.g. responsa sapientum, consilia senum, vota Capitularium. Si vel una harum conditionum deficiat, in dubio de permissione divina ab usu sortium abstinendum est. Hæc responsio quoad rem videtur esse D. *Thomæ*, dum 2. 2. q. 95. a. 8. C. sic scribit: *Sortialium actuum eventus exspectatur vel a fortuna* (prout fit in sorte divisoria); *vel ex aliqua causa spirituali causa dirigente. Si ex causa spirituali exspectetur sortium judicium, quandoque exspectatur ex dæmonibus, sicut legitur Ezech.* 21. *Quandoque vero exspectatur a Deo, secundum illud Proverb.* 16. *Sortes* (hoc est, vota eligentium vel consultantium, licet D. Thomas hoc loco aliter sumat) *mittuntur* (non extrahuntur, quod proprie esset sortis) *in sinum; sed a Domino temperantur. Et talis sors secundum se* (abstrahendo, an sit tentatio Dei) *non est malum, ut Augustinus dicit. Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere.*

Primo si absque ulla necessitate ad sortes recurratur. Hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere.

Secundo si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur. Unde dicit Beda *in Act. Apost. Si qui necessitate aliqua compulsi Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant, hoc ipsos Apostolos non nisi collecto Fratrum cœtu, & precibus ad Deum fusis egisse.*

Tertio, si divina oracula ad terrena negotia convertantur. Unde Augustinus Epist. 119. *c.* 20. *ad Januarium dicit: His, qui de Evangelicis paginis sortes legunt, etsi optandum sit, ut potius faciant, quam ad dæmonia consulenda concurrant, tamen ista mihi displicet consuetudo; ad negotia sæcularia & ad vitæ hujus vanitates divina oracula velle convertere.*

Quarto si in electionibus Ecclesiasticis, quæ Spiritus Sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. Unde Beda in Act. Apost. dicit: Matthias ante Pentecosten ordinandus sorte quæritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia affusa. Septem autem Diaconi postea non sorte sed electione Discipulorum sunt ordinati.

Objicies 1. D. Augustinus & D. Thomas ad usum sortium non videntur exigere specialem permissionem divinam, signo intelligibili declaratam. Ergo non requiritur. 2. Quando Scriptura nobis exempla sortium sine reprehensione proponit, non facit mentionem specialis permissionis divinæ, signo intelligibili declaratæ. Ergo hoc non requiritur, sed sufficit sola necessitas seu magna utilitas.

Respondeo. Ab iis saltem *implicite* requiri specialem permissionem divinam, signo intelligibili declaratam, dum usum sortium solum restringuunt ad casum, in quo tollenda est ambiguitas jurium vel animorum nullo alio medio divinitus ordinato resolubilis. Omnem alium usum sortium dicit D. Thomas pertinere *ad tentationem Dei*, qualis tentatio Dei non intervenit in usu sortium ad tollendam ambiguitatem jurium vel animorum. Nam in ambiguitate jurium non quæritur a Deo revelatio ad agnoscendum, cujus ex parte stet justitia; sed ex consensione partium vel ex dispositione legislatoris remanente ambiguitate juris antecedentis addicitur uni parti ad eventum quoad nos fortuitum Dominium. Similiter in usu sortium ad tollendam ambiguitatem animorum alioquin *sine metu litium vel anxietatum* irresolubilem non quæritur a Deo revelatio ad agnoscendum, quid ad gloriam divinam & salutem animarum sit conducibilius, & felicius; hoc enim esset tentatio Dei; sed dum utrumque l cet, & neutra ex parte apparet manifesta melioritas, ea

pars

pars ex eventu fortuito eligitur, quæ caret periculo anxietatum vel litium, remanente dubio ac incertitudine, quid feliciorem exitum ad gloriam divinam, & salutem animarum habiturum sit. Hanc esse mentem D. Augustini & D. Thomæ ex eorum textibus proxime referendis patebit. Quod attinet exempla Scripturæ

Respondeo 2. permissionem sortis sat intelligibili signo declaratam fuisse imprimis *Josue* 7. quando Deus per plagam magnam populi ostendit, inquirendum esse in causam & authorem punitionis divinæ, pro qua inquisitione non occurrebat aliud medium. Simile signum intelligibile voluntatis divinæ permissivæ erat 1. *Reg.* 14. recusatio oraculi divini ad interrogationem Sacerdotis, eo tempore alioquin consueti; & *Jonæ* 1. pro signo permissionis divinæ ad usum sortium serviebat tempestas evidenter a Deo excitata ad inquirendum authorem vindictæ divinæ, pro qua inquisitione non dabatur aliud expeditum medium. In *Actis* Apostolorum *Act.* 1. Apostoli edocti erant oraculo divino, substituendum esse Judæ alium Apostolum. Sic enim D. *Petrus* in illo conventu perorat: *Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda* (Psal. 40. *Apostolatum ejus accipiat alter*) cum ergo aliud convenientius medium non occurreret ad demonstrandum, electionem Apostolorum non esse electionis humanæ, sed divinæ, prout decebat, ut subrogatum referret naturam illius, cui subrogatur, ad sortem confugiendum erat. Hac enim sola ratione poterat dici; S. Matthiam electum esse non ab hominibus, sed a Deo. Itaque in omnibus his exemplis nullus reperitur usus sortium nisi ex speciali permissione divina signo intelligibili declarata. Cæterum quod D. Augustinus, D. Thomas, imo ipsa Ecclesia, usum sortium reipsa nunquam admittant, nisi ad tollendam ambiguitatem jurium, vel animorum, alioquin sine metu litium, vel anxietatum irresolubilem, remanente incertitudine circa quæsitum principale in sortiente. *D. Augustinus* in Epist. $\frac{180}{228}$. sic scribit: „ Si „ inter Dei ministros (tempore persecutionis) sit disceptatio, qui eorum „ maneant, & qui eorum fugiant, ne „ fuga aut morte omnium deseratur Ecclesia; si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte legendi „ sunt. Qui enim dixerint, se potius „ fugere debere, aut timidi videbuntur, „ aut arrogantes, quia se magis, qui „ servandi essent, Ecclesiæ necessarios „ judicarunt. Deinde fortassis ii, qui „ meliores sunt, eligent pro fratribus „ animas ponere; & hi servabuntur fugiendo, quorum est minus utilis vita, quia minor consulendi & gubernandi peritia. Ideo, sicut scriptum est, „ Proverb. 18. *contradictiones sedat sortitio, & inter potentes definit.*

D. *Thomas* autem l. c. sic scribit: „ Si necessitas immineat, licitum est „ cum debita reverentia sortibus divinum judicium implorare. Unde *Augustinus* Epist. 180. ad Honoratum. „ *Si inter Dei Ministros*, &c. Et l. 1. „ de Doct. Christ. c. 28. dicit: Si cui „ abundaret aliquid, quod oporteret dari eis qui non haberent, nec duobus „ dari potuisset, si tibi occurrant duo, „ quorum neuter alium vel indigentia, „ vel urgente aliqua necessitate superaret, nihil justius faceres, quam ut „ sorte eligeres, cui dandum esset, quod „ dari utrique non posset. „ Eadem mens D. Thomæ colligitur ex eo, quia l. c. ad 3. absolute rejicit probationem innocentiæ per probationem ferri candentis, quia sic expectatur *miraculosus effectus*, non pertinens ad ordinariam gubernationem divinam, licet absolute posset effici ministerio Angelorum; quod ipsum contingit circa sortitiones.

Nec obstat, quod D. Thomas & D. Augustinus locis cc. afferant, in tali casu necessitatis implorari *judicium divinum*, sub quo termino videtur intelligi *declaratio mentis divinæ*. Id enim sonant illa verba D. Thomæ; *licitum est, cum debita reverentia sortibus judicium divinum implorare.* Et S. Augustinus in textu superius relato addit: *Melius enim*

Deus in hujusmodi ambagibus, quam homines judicat.

Respondeo enim; hoc loco sub termino judicii divini solum intelligi *dispositionem benignam* providentiæ divinæ ex actis in sortitione; ut ea, quæ bene vel male acta fuerint, vertat in bonum, si ea impedire noluerit, non vero intelligi *determinate directionem miraculosam* sortium, independentem a gubernatione consueta humanarum cogitationum, & solito ministerio Angelorum. Quidquid autem sit de mente horum Doctorum, insistendum potius in praxi menti Ecclesiæ clarius expressæ in C. *Ecclesia* De sortilegiis, ubi *Honorius* III. ad Capitulum Lucanum sic scribit: *Ecclesia vestra Episcopo destituta vos convenientes in unum, ut de futuri tractaretis electione Pontificis, unum ex vobis eligistis per sortem, qui tres authoritate vestra elegit, per quos vice omnium Lucanæ provideretur Ecclesiæ de Pastore, quorum duo tertium elegerunt, quod expresse licebat eisdem secundum traditam a vobis potestatem. Nos tali examinato processu, licet nota non careat, quin imo multa reprehensione sit dignum, quod sors in talibus intervenit, electionem celebratam ad confirmationis gratiam* (intuitu personæ electæ) *admittimus; sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Hac Constitutione etiam correctus est *Canon* 3. Concilii Barcinonensis, ubi ex duobus vel tribus a populo & Clero electis, merito haud dubie paribus permittebatur Episcopis unum determinare per sortem; qui modus ad declinandam invidiam partium per se juxta *Respons.* 2. esset licitus.

§. V.

De vana observantia.

QUæritur 1. Quid sit vana observantia?

Respondeo. Vana observantia est species superstitionis, in qua ad obtinendum effectum applicantur media, neque ex natura, neque ex Deo, sed tantum ex cooperatione dœmonis in eum finem idonea.

Quæritur 2. Quotuplex sit superstitio vanæ observantiæ?

Respondeo. Vana observantia juxta diversitatem effectuum, qui intenduntur, dividitur 1. in artem notoriam. 2. in incantationem. 3. in praxes superstitiosas.

Quæritur 3. Quid sit ars notoria?

Respondeo. Ars notoria est modus aquirendi rerum notitiam per media ad hunc finem neque ex viribus naturæ, neque ex ordinatione Dei, sed tantum ex cooperatione dœmonis idonea. Talem artem exercent, qui pueris vel puellis promittunt infusam scientiam rerum addiscendarum per media improportionata; vel qui hominibus promittunt retectionem furis, qui illis furatus est, vel sagæ, quæ posuit maleficia.

Quæritur 4. Quid sit incantatio?

Respondeo. Incantatio est usurpatio certorum verborum ad ciendum vel sistendum motum in bruto vel homine. Huc refertur usus precationum superstitiosus ad sistendum vel ciendum cursum morborum, ventorum, nubium &c.

Quæritur 5. Quænam sit generalis regula ad dignoscendas praxes superstitiosas a non superstitiosis?

Respondeo. Regula generalis hæc est. *Illa praxis censenda est superstitiosa, in qua hæc duo concurrunt; Primo, ut quæratur effectus per medium nequidem probabiliter idoneum ex natura vel ordinatione Dei. Secundo, ut effectus speratus versetur in genere effectuum familiarium dæmoni per magos aut ministros suos.* Ratio secundi requisiti est; quia multa fiunt experimenta imperita in physica v. g. ad construendum mobile perpetuum, in medicina, coquinaria, mechanica, & quavis arte, ubi quæritur effectus per medium reipsa ne quidem probabiliter idoneum, quin tamen illa tentamenta imperita ad superstitionem referri mereantur. Ratio autem primi requisiti est, quia in medio idoneo non datur superstitio. Ex hac Regula consequitur; ad excusandum a superstitione praxim non sufficere *meram possibilitatem* effe-

ctus,

ctus, cujus tamen per analogiam causarum nullum habeatur in natura exemplum aut ratio. Multas enim Deus potuit rebus naturalibus indere proprietates & virtutes, quas actu non habent; & quarum non existentia positive demonstrari nequit. Consequenter, si ad excusationem superstitionis sufficeret mera possibilitas effectus, aut ad asserendam superstitionem requireretur positiva demonstratio impossibilitatis, vix daretur superstitio. Regula autem quoad rem est D. *Thomæ*, qui 2. 2. q. 96. a. 2. C. sic scribit: *In his, quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, utrum naturaliter videantur* (saltem probabiliter) *posse tales effectus causare. Sic enim non erit illicitum. Licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus causandos. Si autem non videantur naturaliter posse tales effectus causare consequens est quod non adhibeantur ad hos effectus causandos tamquam causæ, sed solum quasi signa. Et sic* (cum hæc signa non sint instituta a Deo, vel Ecclesia) *pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita. Unde Augustinus l. 21. de Civit. C. 6. dicit: Alliciuntur dæmones per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit; delectationibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cujusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* Et l. c. a. 1. C. *Ars notoria illicita est, quia utitur quibusdam ad scientiam aquirendam, quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarundam figurarum, & prolatione quorundam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi. Et ideo hujusmodi ars non utitur his ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Unde relinquitur, quod sint supervacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum, cum dæmonibus placita atque fœderata. Idem* l. c. a. 3. C. loquens de vana observantia quorundam eventuum, ex quibus sumitur prognosticum de futuris, ait: *Homines hujusmodi observationes attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quædam futurorum eventuum bonorum vel malorum. Non observantur autem ut signa a Deo tradita; cum non sint introducta ex authoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante dæmonum malitia, qui nituntur, animos hominum hujusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est, omnes hujusmodi observationes esse superstitiosas & illicitas.*

Quæritur 6. An etiam res benedictæ, vel benedictiones ipsæ, aut omnino res sacræ possint pertinere ad superstitionem ratione circumstantiæ superstitiosæ?

Respondeo. Quandocunque ad effectum præter benedictionem aut sacrationem requiritur aliqua circumstantia tanquam necessaria vel utilis ad effectum, ad quem tamen ne quidem probabiliter juxta prudentem æstimationem habet vim ex natura per modum causæ, vel ex institutione universalis Ecclesiæ per modum signi seu cœremoniæ Ecclesiasticæ, significativæ alicujus mysterii ad instructionem fidelium, hoc totum ad superstitionem referendum est.

Ratio est, quia, si adjecta circumstantia non pertineat ad naturam causæ naturalis, necesse est, ut pertineat ad naturam signi, quo posito vel Deus, vel Angeli, vel Ecclesia vel Sancti sua intercessione, vel dæmones intendant cooperari ad effectum. Jam vero ne quidem probabile est; Angelos vel Sanctos ante vel post mortem, determinasse aliquas cœremonias vel preces certis verbis ex sua institutione conceptas, ritus, figuras, res de se indifferentes &c. tanquam conditiones sine qua non, quibus positis *libentius* & *efficacius* vellent interponere suam intercessionem etiam post mortem, aut alia institutione stabili; id enim foret manifestæ præsumptionis, quæ in sanctis personis & angelis locum non habet. Quamvis enim de nonnullis Sanctis legatur, quod distribuerint aquam, oleum, vel panem benedictum in signum protestativum communis fidei & communis charitatis, quin ullus hominum suspicaretur, his rebus simplicissimis & ubique obviis

obviis inesse vim independenter ab intercessione dantis, cum & umbra Petri pios juvet, & semicinctia ac sudaria Pauli; nullus tamen Sanctorum institutione perpetua sancivit, hanc rem potius esse adhibendam, quam aliam; aut benedictionem suam, quæ est genus precationis, non æque feliciter successuram in alia re. Itaque relinquitur, nullam rem aut circumstantiam *per modum signi* valore perpetuo prodesse ad obtinendam auxiliationem divinam vel intercessionem Ecclesiæ, nisi in rationem signi instituta sit a Deo, vel ab Universali Ecclesia.

Dico; ab universali Ecclesia, quia ne quidem Episcopi, saltem post receptos ritus Romanæ Ecclesiæ in functionibus Ecclesiasticis, habent potestatem determinandi novos ritus, quibus alligent publica ac communia suffragia Ecclesiæ.

Responsio hæc quoad rem *est* D. *Thomæ*, qui 2. 2. q. 96. a. 4. C. sic scribit: *In omnibus scripturis ad collum suspensis* (aut verbis), *duo cavenda videntur*.

Primo, *si contineant ignota nomina*, *ne sub illis aliquid illicitum lateat*. Unde Chrysostomus Hom. 43. in Matth. *dicit*: „ quod Pharisæorum magnificantium fimbrias suas exemplo nunc multi aliqua nomina Hebraica angelorum confingunt & scribunt & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur." *Est etiam cavendum*, *ne aliquid falsitatis contineant*; *quia sic effectus non posset exspectari a Deo*, *qui non est testis falsitatis*. *Deinde cavendum est*.

Secundo; *ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana*, *puta*, *aliqui characteres inscripti præter signum crucis*; *aut si spes habeatur* (saltem partialiter) *in modo scribendi aut ligandi*, *aut in quacunque hujusmodi vanitate*, *quæ ad divinam reverentiam non pertineat*; *quia hoc judicaretur superstitiosum*; *alias autem est licitum*. *Unde* C. *non liceat*, 26. q. 5. dicitur: „ Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes licet attendere, nisi tantum cum Symbolo divino, aut Dominica oratione, ut tantum creator & Deus omnium adoretur & honoretur."

Et *Ad* 1. *Proferre divina verba aut invocare divinum nomen*, *si respectus habeatur solum ad Dei reverentiam*, *a quo exspectatur effectus*, *licitum erit*; *Si vero habeatur respectus ad aliquid aliud vane observatum*, *illicitum erit*.

Et *Ad* 3. *Eadem ratio est de portatione Reliquiarum*. *Quia si portentur ex fiducia Dei & Sanctorum*, *quorum sunt Reliquiæ*, *non erit illicitum*. *Si autem circa hoc attendatur aliquid aliud vanum*, *puta*, *quod vas esset triangulare*, *aut aliquid aliud hujusmodi*, *quod non pertineret ad Reverentiam Dei & Sanctorum*, *esset superstitiosum & illicitum*.

Quæritur 7. Quænam sunt celebriora talium superstitiosarum observantiarum exempla?

Respondeo. Ad superstitionem referendæ sunt sequentes observantiæ.

1. *Usus virgæ corylaceæ ad retegendos thesauros*.

Ratio est; quia si daretur naturalis inclinatio hujus virgæ ad ipsum genus metallorum, sive sit aurum, sive argentum, sive cuprum, deberet etiam inclinari ad frusta ejusmodi metallica in minori vicinia, & in conspectu ante oculos exposita, quod tamen non fit. Itaque ne quidem probabiliter ejusmodi virtus venit ex natura. Et cum nemo prætendat, illam venire ex Deo, necesse est, ut veniat a dœmone, qui solet artes aperte magicas ordinare ad retegendos thesauros.

2. *Exploratio horæ ex globuli inter digitos suspensi appulsu ad latera vasis*.

Ratio est, quia numerus horarum est arbitrarius ex institutione hominum, & varius pro diversitate nationum. Itali enim incipiunt horam primam a principio noctis, & numerant continua serie viginti quatuor horas. Germani & Galli numerant horam primam a medio noctis usque ad meridiem, & exinde iterum inchoant novum duodenarium horarum. Judæi numerant horam primam ab occasu solis; eamque renovant ab ortu solis. Et in nonnullis locis, ubi vigebat prior numerandi ratio,

rece-

recepta est nova alia. Cum igitur natura non possit determinare ad tam diversos effectus; necesse est, ut veniat a dœmone qui solet ordinare artes magicas ad curiosam scientiam occultorum. Licitum tamen foret instituere hoc experimentum præcise ad tentandam vim imaginationis humanæ in motus spirituum & corporum conjunctorum, si sponsione facta quis promittat se tot editurum in hoc experimento pulsus, quot præcise alter voluerit, interea manu & digitis immotis.

3. *Gestatio metalli seu compositionis metallicæ sub certa constellatione fusæ ad conciliandum amorem vel odium.*

Ratio est; quia ne quidem probabiliter constat de alio influxu syderum, nisi per motum luminis, seu auræ æthereæ, prout suppono ex sana Philosophia omnium peritorum Philosophorum & Astronomorum hoc tempore. Ergo cum motus auræ æthereæ indifferens sit ad odium vel amorem, in eum finem nil conducunt. Immo si aliquid constellatio in eum finem contribueret, deberet eum effectum operari illo tempore, quo datur, eumque uniformiter in omnibus hominibus & relative ad omnes; nec habet ullam probabilitatem, quod virtus motrix auræ athereæ ex innumeris stellis composita possit communicari metallis ad motum proprium inertibus. Nihil enim movetur ab eo, quod non est in motu. Igitur metalla, quæ nullum habent motum partium constantem receptum a dudum præterita motione stellarum specifica, illo motu in alia corpora post annum & amplius agere non possunt. Constat autem, quod dœmon per artes magicas soleat cooperari ad hos effectus.

4. *Gestatio certorum globulorum, radicum herbarum, vel lapidum &c. pro invulnerabilitate.*

Ratio est, quia si haberent naturalem vim, redderent etiam invulnerabilia animalia, & alios homines, quibus ignorantibus in vestes vel cingula innecteretur, v. g. in camum vel sellam equorum. Constat etiam, quod hoc genus effectuum amet & inspiret dœmon.

5. *Gestatio certarum imaginum; vel precatio certarum precum contra fulgura, grandinem, subitaneam mortem &c. ritu invariabili.*

Ratio est, quia si tantum collocatur fiducia in Deo, vel Sancto, vel in devotione ad aliquod mysterium, ne quidem probabile est, quod Deus ut Sanctus suam opem velit alligare certæ figuræ, & determinatæ expressioni verborum. Id enim convenit solis sacramentis & sacramentalibus, sic determinatis a Christo & Ecclesia, propter uniformitatem servandam: Sed dœmon intendit turbare ridiculas aut irrationabiles reddere cæremonias ac observantias Ecclesiæ.

6. *Defossio piarum imaginum in agro ad arcendas tempestates.*

Ratio est, quia hoc modo non potest prudenter exspectari intercessio a Sanctis, & a Deo auxilium, cum is modus habeat speciem cujusdam potius barbaræ coactionis ad impetrandam opem, quam humilis, reverentis, & indifferentis orationis. Dein prostituit Sanctos & Ecclesiam nostram irrisioni hæreticorum, Judæorum, & Gentilium, si nihilominus tempestas noceat, & grando in ipsas imagines seviat. Quod autem displicet Deo, placet dœmoni.

7. *Genera exorcismorum ex constructione verborum ac terminorum, ut existimantur, efficacia, a proprio Episcopo vel Papa in specie non approbata.*

Ratio est, quia preces & exorcismi non habent vim suam ex tenore verborum, sed ex deprecatione seu benedictione Ecclesiæ; quæ in persona Papæ vel Episcopi orat pro cujusque subditis. Ita exorcismi vel preces in aliena Diœcesi a loci illius Episcopo approbatæ non habent *specialem* effectum benedictionis in aliena Diœcesi, nisi per accidens, in quantum potius hæ quam illæ sunt magis idoneæ ad excitandam vivam fidem, devotionem, fiduciam, & fervorem charitatis in orante.

Dixi, *specialem*, hoc est, distinctum ab alia oratione privata.

8. *Genera exorcismorum ac precum, in quibus continentur maledictiones ani-*

ma-

malium nocivorum, v. g. murium, locustarum, vermium. &c.

Ratio est, quia nunquam licet maledicere creaturas, nisi quando prudens habetur ratio credendi, quod sint infessæ a dœmone, ita ut tunc maledictio referri possit prudenter in dœmonem insidentem, & non in creaturam de se innocentem. Ita sæpius Roma responsum est, prout ostendo in Tr. de Sacramento Ordinis. Si qui contrariam concessionem a SS. D. N. *Benedicto* XIV. prætendunt, falluntur. Certum enim est, quod Roma nunquam permittat alios exorcismos, nisi in Rituali Romano approbatos, ubi nullæ continentur ejusmodi maledictiones animalium. Scribit enim Apostolus 1. Tim. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona est*. Et in Cantico trium puerorum dicimus: *Benedicite omnes bestiæ Domino*. Et Psal. 148. *Laudate Dominum de terra Dracones & omnes abyssi -- bestiæ, & universa pecora, serpentes* (hoc est, omnia repentia) *& volucres pennatæ* (hoc est, omnia volatilia.) Dein valde imperitum est, intorquere excommunicationem & fulmen apostolicum contra animalia. Nam sumendo hos terminos proprie, animalia excommunicationis & fulminis apostolici capacia non sunt. Si autem sumantur improprie, debebunt pari ratione excommunicationes & fulmina apostolica vibrari contra nubes grandinibus gravidas, & contra aeris fulmina. Itaque hoc totum genus, nisi in particulari casu esset prudens ratio judicandi, quod talia animalia sint infessa a dœmone, quod rarissime aut vix unquam continget, cum ipse Deus in Scripturis sæpe protestetur, *se sibilaturum muscæ*, quæ est in Ægypto Isa. 7. & *præcepturum locustæ* 2. Reg. 7. & missurum *bruchos* &c. ad superstitiones referendum est.

9. *Deportatio Sanctissimi Sacramenti ad januam templi contra grandines invalescentes*.

Ratio est; quia hujusmodi deportatio sola per se non habet majorem vim, quam si exponatur in altari Sanctissimum pro adoratione & cultu fidelium præsentium in templo. Hinc etiam Judæi, quando habuerunt fiduciam in locali præsentia Arcæ in castris, sicut legitur 1. Reg. 4. merito ingenti clade puniuntur a Deo. Aliud dicendum, quando deportatur Sanctissimum cum conductu reverenti ad loca inundationis vel incendii, ubi est frequens concursus populi, ad accendendam magis devotionem fidelium, & excitandum spiritum pœnitentiæ.

10. *Gestatio rerum corporearum adversus maleficia.*

Ratio est, quia prout §. 2. ostensum est, veneficæ vel sagæ per semetipsas non causant maleficia, sed tantum ponunt ligaturas vel alia signa, quibus positis dœmon sua opera causat vel continuat maleficia. Dœmonis autem operatio applicatione talium rerum corporearum impediri non potest, prout ibi ostensum est, nisi ex pacto tacito per modum Salvaquardiæ.

11. *Gestatio talium Amuletorum, in quibus cum rebus sacris aut benedictis admiscentur variæ res corporales ad arcenda maleficia*.

Ratio est, quia, prout qq. 6. superius ostensum est, superstitione non caret, si rebus sacris admisceatur circumstantia vel requisitum, tanquam superaddens majorem efficaciam benedictis rebus, cum tamen nec probabile sit, ejusmodi efficaciam in iis contineri ex natura. Itaque ejusmodi Amuleta severe prohibere, atque, si una prohibitio non sufficiat, prohibitiones iterare tenentur Episcopi.

12. Recitatio *aulæ cœlestis*, ut vocatur, seu triginta trium millium Pater & Ave, cum promisso infallibiliter consequendæ salutis.

13. Recitatio certi numeri Missarum pro liberanda infallibiliter una anima ex Purgatorio.

14. Missæ Gregorianæ, seu triginta per sacerdotem virginem & triginta diebus continuis pro inveniendo thesauro, vel alia quavis gratia.

15. Usus determinatarum precum, imaginum, crucum, characterum, &c. ad infallibiliter evadendum ex prœlio vel alio periculo.

16. Ge-

16. Gestatio certorum scapularium ad infallibiliter consequendam conversionem in articulo mortis, vel liberationem celerem ex purgatorio post mortem proximo die veneris vel Sabbati.

Hæc omnia, quatenus præbent promissionem aut spem consequendorum horum effectuum ratione determinati numeri aut formæ aut ritus, superstitiosa sunt. Non enim est probabile, Deum determinato numero actuum, aut tali formæ & ritui, de se indifferenti, tantas gratias, ipsis gratiis sacramentalibus majores vel pares alligasse. Per hoc tamen non est superstitiosum, suis piis exercitiis, orationibus, eleemosinis, jejuniis, &c. præfigere certum numerum actuum, vel dierum in memoriam correspondentis mysterii, non collocando spem aut fiduciam in numero sed in devotione & *indifferentia judicii* ad quemvis alium numerum, formam & ritum.

Dico, indifferentia judicii, qua homo æstimet, effectum non fore minorem, si pari devotione servetur alius numerus, forma & ritus. Similiter non est superstitiosum, servare determinatum numerum, formam, aut ritum in devotionibus præscriptis ab Ecclesia; vel habentibus annexa privilegia Ecclesiastica, v. g. communicationem specialium intercessionum; quia sic fiducia non ponitur in numero, forma, aut ritu; sed scitur, ea solum requiri determinationis causa, ut tollatur incertitudo privilegiorum, & ambiguitas animorum.

17 Superstitiosæ etiam sunt devotiones *privatæ*, si fieri debeant certa hora, certo instrumento, v. g. flagellatio flagro serico. Aliud dicendum de horariis devotionibus quę pie eliguntur per sortem.

18 Superstitiosa est devotio, si fundetur in historia fabulosa, vel admodum incerta, v. g. quod Christus habuerit aliquando febrim aut spasmum; quod Christo lingua per sutorem subula transfixa sit; quod Christus in calvario fuerit ante crucifixionem inclusus in carcere; quod tot determinate guttas sanguinis fuderit &c. quæ vel solum fundantur in revelationibus incertis, vel in traditionibus respective recentibus a duobus vel tribus sæculis. Neque enim vero simile est, placere quoad modum Deo eas devotiones, quæ innituntur fundamento, quod facile potest esse falsum. Hinc multo magis Episcopis & Pastoribus Ecclesiæ incumbit, non introducere vel permittere devotiones publicas, nisi innitantur historiis, documentis, aut revelationibus moraliter certis. Quodsi ex suppressione talium devotionum oriatur grave scandalum, ad declinandam calumniantium oblocutionem censeo consulendam esse Sedem Apostolicam.

19 Demersio statuæ alicujus Sancti in flumen tempore siccitatis, donec pluat. Est blasphema superstitio.

20 Septenarius numerus Missarum cum septem candelis certi coloris.

21 Laicorum virorum, aut fœminarum carminatricum benedictiones *speciales* super membrum ægrotum. *Dixi*, *speciales*, quia benedictiones generales per formationem crucis, cum aspersione aquæ benedictæ & invocatione devota Dei & Sanctorum omnibus laicis permittitur. Si autem in eum finem fit selectus personarum, & verborum occultorum, signum est, vim tribui verbis aut factis, non devotioni, aut precibus Ecclesiæ.

22 Orationes determinatæ in determinato festo dicendæ in ordine ad finem profanum, v. g. ad lucrandum in ludo, vel ad agnoscendam personam, cui nubetur.

23 Observare dies Criticos in ordine ad eventus & actus dependendentes a libero arbitrio.

24 Neglectis aliis mediis certis adhibere unguentum armarium aut pulverem sympatheticum in distantia enemi, in qua ex Philosophia Neotericorum non potest inveniri probabilis communicatio causarum, potius pertinet ad tentationem Dei vel injustitiam, quam ad superstitionem. Neque enim dæmon solet supplere defectus medicinæ, aut imperitias medicorum applicantium media imperita. Jam enim certum est, nullam reperiri activitatem qualitatum sine effluviis partium, aut communicatione motus.

25 Sanatio a morsu rabidorum canum solo attactu per tales personas, quæ prætendunt donum gratis datum, cujus donationis author & initium latet, & sanctitas. Omne enim medium relativum ad cultum divinum, cujus ne quidem probabiliter reperitur causa ex Deo, circa effectus actionum humanarum ad superstitionem referendum est.

26 *Transplantatio morborum in arbores* magis ad imperitiam medici vel injustitiam, quam superstitionem pertinet. Nec enim apparet probabilis connexio inter putrefactionem unius partis rejectitiæ & alterius partis sanationem. Quodsi proferantur experientiæ, non panduntur simul debitæ circumstantiæ, ut sciatur, an non sanatio facta agnoscat aliam causam.

27 *Sanatio tumorum per ostensionem factam lunæ* sub certa formula verborum. Si enim sine verborum formula fiat, licet instituere experientias, an re vera influxus Lunæ crescentis habeat vim solvendi radices ejusmodi tumorum, cujus rei possibilitas non est positive improbabilis, saltem si expositio tumoris ad lunam diu continuetur & iteretur.

28 *Usus sacri Chrismatis ad effectus, ad quos non ordinatur per preces consecrationis.* Alium enim effectum non habet.

29 *Jejunuare in Dominicis aut festis certis ex persuasione* obtinendi exinde certas gratias. Cum enim hoc sit contra institutionem & uniformitatem Ecclesiæ, ut honorentur Dominicæ jejunio, potius exhibetur demoni quam Deo obsequium. Demon enim non solum se libenter immiscet rebus vanis, sed præcipue contrariis observantiæ & uniformitati Ecclesiasticæ.

30 *Numerus impar in sumendis medicinis liquidis vel pulvureis* potius ad imperitiam ac simplicitatem medici, quam ad superstitionem pertinet; quia demon non solet se immiscere medicinæ & supplere ignorantias crassas Medicorum.

31 Facere ligaturas ex natura sua improportionatas, ne vaccis lac effluat. Solet enim dœmon in vili plebecula hujusmodi medicamentis se immiscere, ordinando similia sacramenta diabolica per sua sagas.

32. Certo credere vel sperare, se non moriturum ex vulnere, si in festo S. Stephani in pane & aqua jejunet, riteque confessus communicet.

33 In festo Paschatis abstinere a carnibus ex credulitate, se per hoc liberandum a febre vel alio malo.

34 Nolle laborare in agris tempore pomeridiano in die Sabbati ex cultu erga B. Virginem, etiamsi sit periculum frugum corrumpendarum in æstate vel autumno. Hæc praxis est verissima superstitio; quia B. Virgini magis placet, ut diebus non festivis ex institutione Ecclesiæ magis laboretur, quam fruges aut certe ipsa festa ab Ecclesia instituta exponantur periculo violationis. Hæc superstitio videtur orta ea plebis pertinacia insistendi veteri consuetudini Ecclesiæ, qua obligatio feriandi incipiebat a primis Vesperis, & non durabat ultra secundas Vesperas.

35 Nolle dare mutuum in die lunæ ex credulitate, tam facilem non fore solutionem ob inconstantiam Syderis.

36 Nolle ingredi iter die Martis, ne in milites incurrat, ob præsidium Martis.

37 Credere, redituras certo tempore ex concavo lunæ nebulas; aut eam fore prædominantem tempestatem per integrum mensem, vel animi partem, quæ fuit in Paschate, vel in alio die fixo aut mobili, ad imperitias potius pertinet, quam superstitionem; quia dœmon non solet nec potest se immiscere regimini tempestatum ob quaslibet imperitias hominum sæpe inter se contrarias. Idem dicendum de lepidis regulis chirurgorum ac medicorum quoad missionem sanguinis.

38 Prolatione certorum verborum reddere canes mutos, sistere sanguinem, reddere felicem partum, sanare luxationes equorum, excitare caducum &c. Vis enim verborum ad ejusmodi effectus ordinarie pertinet ad sacramenta dœmonis, ad quæ instruit suas sagas & ministros.

39 Orare certas preces, ut Christus vel

vel B. Virgo vel Angelus sibi appareat in morte. Hæ promissiones & spes sunt dignæ diabolo, seducente animas, easque inducente in fiduciam inanem.

40. Certas preces orare, aut schedulas circumferre sub fiducia, se non moriturum subito, vel sine confessione. Hæc enim fiducia est opus diaboli, qui non paucos hac via trahit in perditionem, facit enim ejusmodi homines in articulo mortis omnia agere ex metu inferni, nec elicere verum amorem Dei, licet videantur elicere pulcherrimos actus amoris Dei.

41. Trifolium gestare ad lucrandum in lusu.

42. Ægrotantis lecto certas herbas supponere, ne desperet in agone.

43. Schedas profanas defodere in limine vel præsepio stabuli, ut pecora serventur a variis malis.

Hæc omnia, & ejusmodi multa alia quæ enumerantur a Gobato, & la Croix, ad superstitionem pertinent, quando hæc duo concurrunt, *primo*, ut non habeant vim naturalem causandi effectum. Secundo, ut versentur in materia aut forma, cui se libenter solent immiscere dœmones ex pacto tacito. Hoc autem intervenire solet, ubi concurrit ritus conformis ad sacramenta dœmonum, ab eo instituta pro sagis vel magis, aut ubi intervenit ritus aut conditio, displicens Deo; aut ubi fovetur fiducia saluti animarum perniciosa.

§. VI.

De tentatione Dei.

QUæritur 1. Quid sit tentatio Dei? *Respondeo*. Tentatio Dei est *temeraria provocatio omnipotentiæ divinæ ad aliquid operandum præter ordinem a Deo præstabilitum in ordine naturæ vel gratiæ*. Hanc esse adæquatam Ideam tentationis Dei, quam nobis tradit Scriptura, probatur ex sequentibus textibus. Sic 1. quando diabolus Matth. 4. statuit Christum super pinnaculum templi, dicens: *Mitte te deorsum; scriptum est enim; quia angelis suis mandavit de te, & in manibus suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, respondit Christus: *Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*. In hoc textu Christus docuit, esse veram tentationem Dei, quando *temere*, hoc est, sine speciali permissione divina, signo intelligibili externo vel interno manifestata, petitur a Deo operatio divinæ omnipotentiæ præter ordinem præstabilitum in ordine naturæ vel gratiæ. 2. Isaiæ 7. v. 11. cum propheta Isaias ad Achaz regem dixisset: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra, dixit Achaz: Non petam & non tentabo Dominum*. In hoc textu Rex Achaz ostendit; pro tentatione Dei habitum, & pro magno crimine reputatum esse, si quis a Deo audeat pro signo veracitatis divinæ, vel pro argumento & motivo fidei postulare miraculum. 3. Exodi 7. v. 12. cum populus murmuraret contra Deum ob penuriam aquæ, & ea murmuratione compelleret quasi Deum ad celerem provisionem aquæ, quæ fieri non poterat sine miraculo, dicitur: *Vocavit Moyses nomen loci illius tentatio propter jurgium filiorum Israel, & quia tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* 4. Judicum 6. v. 39. postquam Deus Gedeoni promiserat, se ejus opera usurum ad liberationem populi, eo convocato & forte de ejus vocatione dubitante dixit ad Deum: *Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area, si ros in illo vellere fuerit, sciam quod per manum meam liberabis Israel. Dixitque rursus ad Deum; Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere*. 5. Judith. 8. v. 11. postquam Ozias pro deditione urbis statuisset quinque dies, ut, si intra hoc tempus Deus non mitteret promissum per Eliacin Sacerdotem auxilium, quod sine miraculo fieri non posse videbatur, Judith dixit: *Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui*

iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei v. 6. Cum Num. 21. populus murmuraret ob defectum panis contra Manna, sicque suo murmure vellet Deum quasi compellere ad aliud genus miraculi, Apostolus 1. Cor. 10. v. 9. id vocat genus tentationis, dicens: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt*. Ex his omnibus patet, tentationem Dei sumi pro temeraria provocatione omnipotentiæ divinæ ad aliquid operandum præter ordinem a Deo præstabilitum in ordine naturæ vel gratiæ.

Quæritur 2. Quotuplex est tentatio Dei?

Respondeo. Tentatio Dei dividitur 1. in *formalem*, & *virtualem*. 2. In *directam* & *indirectam* seu *interpretativam*. 3. In *stricte dictam*, & *late dictam*, seu *similitudinariam*. *Tentatio Dei formalis* est, qua explicite importatur ejusmodi provocatio omnipotentiæ divinæ. *Virtualis* est, qua explicite quidem non importatur ejusmodi provocatio, re ipsa tamen intenditur prout reipsa intendebatur per murmurationem populi. *Directa* est, qua explicite vel implicite intenditur ejusmodi provocatio Dei ad operandum extra ordinem. *Indirecta*, seu *interpretativa* est, ubi homo quidem non intendit operationem Dei extra ordinem præstabilitum, re ipsa tamen sic agit, ut speret auxilium divinum, quin tamen servet debitum ordinem a Deo constitutum, sic dicuntur tentare Deum, qui sperant ob levissimas devotiunculas donum extraordinarium conversionis in articulo mortis; vel qui sperant illustrationes extraordinarias pro fructuosa prædicatione Verbi divini, vel administratione Sacramenti pœnitentiæ, quin tamen præmittant debitum studium vel præparationem. Hinc etiam in Ecclesiastico c. 18. v. 23. dicitur: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Tentatio *stricte dicta* est, in qua sive formaliter sive virtualiter, sive directe, sive indirecte fit ejusmodi temeraria provocatio omnipotentiæ divinæ extra ordinem. *Late dicta* est temeraria provocatio justitiæ divinæ per vitam improbam & conjunctum contemptum interpretativum. De hoc genere tentationis sermo est Malachiæ 3. v. 13. ubi Deus dicit: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus, & dixistis, quid locuti sumus contra te? Dixistis vanus est, qui servit Deo; & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes; quia ædificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt*.

Quæritur 3. Utrum malitia tentationis Dei fundetur in incredulitate seu dubitatione de attributis aut promissis divinis; vel potius in præsumptione & irreverentia erga Deum?

Respondeo. Tentatio Dei *denominatur* quidem ab actu suo præcipuo seu a malitia finis summa, ubi tentatur Deus per malitiosam incredulitatem aut dubitationem de attributis & promissis divinis, cujus exempla retuli qq. 1. Non tamen omnis tentatio fundatur in illa incredulitate aut dubitatione, sed potius in irreverentia & præsumptione erga Deum. Talis erat tentatio Gedeonis, de qua petit veniam a Deo.

Quæritur 4. An tentatio Dei ex suo genere & in suo genere sit peccatum mortale?

Respondeo. Tentatio Dei ex suo genere est quidem peccatum mortale, quia in Scriptura proponitur tanquam objectum gravis indignationis divinæ. Quia tamen in genere ejusmodi tentationis continetur tentatio Dei non per incredulitatem aut dubitationem de attributis vel promissis divinis, sed tantum per præsumptionem & irreverentiam, quæ capit parvitatem materiæ, ideo etiam in sanctis personis, habentibus quandam familiaritatem cum Deo reperiri potest quoddam genus præsumptionis & irreverentiæ erga Deum in postulando miracula, quæ considerata fiducia sit tantum peccatum veniale. Ulterior ratio hujus responsionis petitur

tur ex eo, quia aliquando postulatio extraordinarii auxilii divini omnino nullum est peccatum. Ergo multo magis potest ejus malitia ex circumstantia personæ & actus decrescere ad culpam venialem.

Quæritur 5. An nunquam liceat implorare Deum pro miraculo, v. g. pro sanatione, vel assistentia miraculosa?

Respondeo 1. Nunquam licet a Deo petere miraculum sine speciali permissione Divina sufficienter homini manifestata. Ratio est, quia præsumptionis ac temeritatis est, petere a Deo, ut operetur præter ordinem naturæ vel gratiæ sapientissime ac providissime ad salvationem generis humani constitutum.

Respondeo 2. Specialis permissio divina ad petendum miraculum censetur tunc saltem tacite concessa esse, quando certum genus miraculorum vel promisit, vel per donum miraculorum homini collatum ultro credentibus obtulit. Hinc quando Deus promisit, se Ecclesiam suam conservaturum, eo ipso promisit, se id præstiturum per miracula, ubi humanæ vires non sufficiunt. Et quando homo videt, in Prophetis, Christo, Apostolis, viris sanctis, Beatis in cœlo, Reliquiis sacris, Imaginibus Thaumaturgis reperiri donum miraculorum, præsumendum est, Deum per collationem ejusmodi donorum se ultro obtulisse ad operandum miraculose, si debitæ conditiones concurrant ex parte supplicantis, & ex parte concedentis.

Quæritur 6. Quales sint conditiones ad postulandum miraculum, etiam ubi reperitur tacita permissio miraculum postulandi?

Respondeo. Ad licite postulandum miraculum etiam concurrente tacita permissione divina requiruntur sequentes conditiones.

1. *Ut non petatur miraculum sine necessitate vel spirituali utilitate*. Si enim bonum, ad quod ordinatur miraculum, non sit homini utile ad spiritualem profectum; vel si illud bonum humanis viribus sine miraculo obtineri possit, provocatio omnipotentiæ divinæ ad operandum extra ordinem naturæ vel gratiæ præstabilitum foret magna temeritas.

2. *Ut non petatur absolute, sed tantum conditionate, si fuerit ad majorem Dei gloriam, & salutem propriam*. Potest enim aliquando contingere, quod miraculum cederet ad facilius obtinendam salutem propriam, sed non cedat ad majorem Dei gloriam, quæ non mensuratur a salute unius vel alterius hominis in particulari, sed a sapientissimo ac justissimo ordine gubernationis divinæ circa totum universum. Æquitas enim & charitas Dei postulat, ut bonum divinæ gloriæ præponatur commoditati propriæ in assequenda salute, dummodo aliis mediis securis ac certis, utut difficilioribus obtineri possit.

3. *Ut non petatur sine subordinatione ad bonum commune communitatis vel Ecclesiæ*. Hic est enim rectissimus ac justissimus ordo in mente Dei, ut ordo naturæ vel gratiæ circa invidua particularia stabilitus non mutetur, nisi interveniente causa respiciente bonum publicum, ita ut majus bonum præponderet bono minori, commune privato. Itaque hæ conditiones, etiam præsupposita tacita permissione divina ad postulandum miraculum cum summa resignatione ac indifferentia ad judicia divina homini imperscrutabilia observandæ sunt.

Ita quoad rem docet *D. Thomas* 2. 2. q. 97. a. 1. c. ubi ait: *Expresse aliquis tentat Deum, quando intendit experimentum sumere divinæ potestatis, sive pietatis atque scientiæ. Sed quasi interpretative tentat Deum, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit, quod ad nihil aliud est utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus seu factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim 2. Paralip.*20. „ *Cum* „ *ignoramus, quid agere debeamus, hoc* „ *solum habemus residui, ut oculos no-* „ *stros dirigamus ad te.* “ *Quando vero hoc agitur absque utilitate & necessitate, hoc est interpretative tentare Deum.*

Et *ad* 2. *Sancti suis precibus miracula facientes ex aliqua necessitate vel utilitate moventur ad petendum divinæ potestatis effectum.*

Et *ad* 3. *Prædicatores ex magna necessitate & utilitate subsidia temporalia prætermittunt, ut verbo Dei expeditius vacent. Et ideo, si soli Deo innitantur, non ex hoc tentant Deum. Sed si absque utilitate vel necessitate humana subsidia desererent, tentarent Deum. B. Agatha experta erat erga se divinam benevolentiam, ut vel infirmitates non pateretur, vel statim sentiret divinæ sanationis effectum.* Ex hoc textu patet, quod D. Thomas ad postulandum expresse vel interpretative miraculum requirat tacitam permissionem Dei, & aliquam utilitatem vel necessitatem.

Ibidem ad 2. C. *Si quis experimentum sumat eorum, quæ ad divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscat, sed ut aliis demonstret, hoc non est tentare Deum, cum subsit justa necessitas seu pia utilitas, & alia quæ ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petiverunt a Domino, ut in nomine Jesu fierent signa, ad hoc scilicet, quod virtus Christi infidelibus manifestaretur.*

Et *Ad* 3. *Achaz reprehenditur* (quod non petierit signum) *quasi impeditor communis boni & salutis; nec petendo tentasset Deum; tum quia ex mandato Dei petiisset, tum quia hoc pertinebat ad utilitatem communem. Abraham autem petiit signum ex instinctu divino, & ideo non peccavit.*

Quæritur 7. An sit tentatio Dei, si quis sorte eligat statum vel genus negotii v. g. proponendo, se illam ducturum in uxorem, quæ primo mane prima ingressa fuerit Ecclesiam, vel se illam religionem ingressurum, cujus religiosus sibi primo occurrerit?

Respondeo. In iis quæ pertinent ad æternam hominis salutem, tenetur homo adhibere moralem diligentiam ad explorandam divinam voluntatem. Quód si adhibita morali diligentia adhuc ambiguus sit, in quam partem se rectius aut felicius vertat, non errat, si inter æqualia sorte eligat. Itaque in prædicto casu daretur vera tentatio Dei, si quis non constringeret electionem suam sine clausula ad paucos, quorum pietas, disciplina, & idoneitas sibi moraliter perspecta vel adhuc inquirenda est. Ita quoad rem sentire videtur D. *Thomas* dum 2. 2. q. 97. a. 3. ad 2. sic discurrit in simili. *Dicendum*, inquit, *quod ille qui ante orationem suam animam non præparat, dimittendo, si quid adversus aliquem habet; vel alias ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur a Deo, & ideo quasi interpretative tentat Deum. Et quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione seu indiscretione provenire, tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, ut homo præsumptuose & sine debita diligentia habeat se in his, quæ ad Deum pertinent. Dicitur enim 2. Tim. 2. Cura solicite, teipsum probabilem exhibere Deo.*

Quæritur 8. An foret tentatio Dei, si quis hæretico sponderet miraculum, v. g. ex incombustibilitate sacræ Reliquiæ, si vicissim ad eventum miraculi sponderet receptionem fidei?

Respondeo. Id foret indubitato gravissima tentatio Dei, nisi taliter spondens præditus sit illimitato dono miraculorum. *Ratio* est; quia hoc modo temerarie provocaretur omnipotentia divina ad operandum extra ordinem suæ sapientiæ, justitiæ, & providentiæ rectissime constitutum, quod non approbat, nec vult Deus.

Quæritur 9. An sit tentatio Dei, si quis petat a Deo miraculum ad evitandum aliquod damnum bonorum vel honoris temporale?

Respondeo. Est manifesta tentatio ejusmodi postulatio miraculi in bonum temporale privatum vel publicum. Ratio est; quia Deus nec vult nec congrue vellet ad privatas cujusque preces mutare ordinem naturæ semel a se sapientissime constitutum præcise ex motivo emolumenti temporalis. Nam recta ratio, & S. Thomas l. c. a. 2. ad 3. *piam utilitatem*, hoc est, spirituale motivum requirit.

Quæ-

Quæritur 10. An liceat a Deo petere sui miraculosam sanationem ex motivo ferventius & tranquillius serviendi Deo?

Respondeo. Non licet a Deo petere miraculum ex hoc motivo sine speciali instinctu interno, nisi ubi reperitur notorium donum miraculorum. Ratio est, quia non decet, ut Deus ob hoc motivum nimis generale passim cogatur vel audire immisericors & partialis, vel perpetuo recedere ab ordine naturæ & gratiæ sapientissime constituto. Quod autem non decet, Deum passim præstare, non decet passim a Deo postulare. Quia tamen multis Beatis vel locis piis a Deo collatum est particulare donum miraculorum in certo genere miraculorum, a tali Beato vel in tali loco pio sub conditionibus prius *quæst.*: *sexta* enumeratis, petere tale determinatum genus miraculi licet. Similiter universim licet petere a Deo *beneficium*, hoc est, auxilium divinum dependens a gubernatione cogitationum humanarum, v. g. medici, ministrorum, propriarum, &c. vel a ministerio consueto angelorum, consistente in motione corporum naturalium. Ratio est, quia talia beneficia non sunt miracula; neque in talibus decretis suæ gubernationis Deus recedit ab ordine naturæ vel gratiæ a se præstabilito; cum directio cogitationum humanarum & angelorum pertineat ad gubernationem divinam hujus mundi ordinariam.

Quæritur 11. An sit tentatio Dei, quando personæ piæ motu proprio, vel ad aliorum, præsertim Superiorum instantiam, petunt revelationes non necessarias Ecclesiæ sine speciali permissione divina?

Respondeo. Est certa tentatio Dei. *Ratio* est, quia temeraria provocatio omnipotentiæ divinæ est tentatio Dei. Sed talis est ista postulatio revelationis, quod probatur. Nam illa postulatio revelationis est temeraria, & displicet, ac meretur tradi illusionibus dœmonum. Sed talis est ejusmodi petitio revelationis.

Id testatur 1. S. *Augustinus* l. 10. Confess. c. 42. ubi ait: *An eundum mihi fuit ad angelos? Multi conantes redire ad te, sicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus.*

2. *S. Theresia* in l. de Mansionibus Mans. 6. c. 9. scribit: *Hoc sedulo inculcatum volo, ut nunquam a Deo petatis instrui per visiones ac revelationes; nam quamvis bonæ sint ac utiles, non decet tamen, eas desiderare; primo hoc est contra humilitatem. Secundo, quia talis anima aut decipitur, aut est in maximo periculo deceptionis diabolicæ.*

3. *S. Joannes A cruce* l. 2. Noctis obscuræ c. 2. ait: *Dum proficientes in semetipsis experiuntur multas visiones partim imaginarias, partim intellectuales, aliasque suaves sensationes, facile decipiuntur, nisi ab iis se liberare satagant. In his enim frequentissime decipit dæmon aut phantasia. Dæmon quidem plurimas falsas ejusmodi visiones repræsentat, ut animam, dum illis credit, moveat ad superbiam & præsumptionem. Inde tales animæ fiunt audaces ac præsumptuosæ ad Deum, amittuntque timorem sanctum, qui est clavis virtutum. In nonnullis earum accrescunt & inveterascunt tot falsitates & deceptiones, ut earum reversio ad viam puram reddatur valde dubia.* Verum de hac re fuse scripsi in l. *de Revelationibus privatis*, & in l. *Controversia Agredana*.

Quæritur 12. An ad tentationem Dei pertinuerit vetus *Purgatio vulgaris*, qua explorabatur suspectorum innocentia per judicium ferri candentis vel aquæ ferventis?

Respondeo. Illa vetus probatio innocentiæ, quæ pluribus sæculis in Gallia & Germania perpetuo reclamantibus summis Pontificibus viguit, re ipsa ad tentationem Dei pertinuit, nec aliter a gravi peccato excusari potest, nisi ex præsumptione, quam illorum temporum plurimi Episcopi, & aliquæ personæ sanctæ habebant, quod intercesserit specialis tacita permissio divina, non paucis in favorem innocentium miraculis declarata.

Id *Probatur* 1. ex capitulari 12. *Ludovici Pii* anno 829. in Concilio Epis-

piſcoporum Galliæ & Germaniæ edito, ubi dicitur, *Examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a Miſſis noſtris* (hoc eſt, legatis per provincias) *interdicatur*, ne ulterius fiat.

2. *Stephanus* V. qui coronavit Ludovicum Pium, relatus in c. conſuluiſti 2. q. 5. Humberto Archiepiſcopo Moguntino, vel ut alii legunt, Lamberto, ſic reſcribit: *Conſuluiſti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente aut aqua fervente, ſeu alio quolibet examine parentes ſe purificare debeant, eos non oppreſſiſſe. Monendi ſunt namque parentes, ne tam tenellos ſecum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet præveniente ſuffocentur vel opprimantur, unde ipſi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confeſſionem extorqueri a quolibet ſacri non cenſent canones; & quod Sanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adiventione non eſt præſumendum.*

3. *Honorius* III. c. dilecti. *de purgatione vulgari* ſcribit circa annum 1220. *Noviter in Livonica baptizati gravem ad nos querimoniam deſtinarunt, quod Fratres Templariorum, & alii, qui temporalem in eos poteſtatem exercent, ſi quando de aliquo alio crimine infamantur, eos ferri candentis judicium ſubire compellunt, quibus ſi qua exinde ſequatur aduſtio, civilem pœnam infligunt. Cum igitur hujuſmodi judicium ſit penitus interdictum, utpote in quo Deus tentari videtur, mandamus, quatenus dictos Fratres & alios, ut ab hujuſmodi converſorum gravamine omnino deſiſtant, per cenſuras Eccleſiaſticas compellas.*

Nec obſtat huic reſponſioni; quod etiam in V. T. Numerorum c. 5. Moyſes ſimilem purgationem canonicam per potum lethalem circa conjuges de adulterio ſuſpectas ordinaverit; & quod Concilium Moguntinum anno 824. ſub *Rhabano* Archiepiſcopo ſimilem purgationem per duodecim vomeres candentes ordinaverit.

Reſpondetur enim in V. T. interveniſſe expreſſam permiſſionem & promiſſionem divinam de tuenda hoc modo innocentia. Immo textu bene inſpecto apparet, mulieres de adulterio ſuſpectas ſumendo amaram potionem tantum ſe purgaſſe juramento execratorio, quo ſibi precabantur, ut ea potio de ſe non nociva cedat in ſuum interitum ſi forent reæ. Ad Concilium Moguntinum, quod refertur c. *qui Presbyterum*, poteſt reſponderi, ibi ſermonem eſſe tantum *de mancipiis* de presbytericidio violentis præſumptionibus gravatis. Mancipiis autem ob violentas præſumptiones hoc genus torturæ ad extorquendam confeſſionem criminis infligi illorum opinione poterat, textus ſic habet: *Qui Presbyterum occiderit, duodecim annorum ei pœnitentia ſecundum Canones imponatur. At ſi negaverit, ſi liber eſt, cum ſeptuaginta duobus juret; ſi autem ſervus, ſuper duodecim vomeres ferventes ſe expurget. Convictus vero noxæ uſque ad ultimum vitæ tempus cingulo* (militiæ) *careat, & abſque ſpe conjugii maneat.* Ex hoc apparet, quod in eo caſu ne quidem actum fuerit ad pœnam capitis, ſed tantum ad pœnam Eccleſiaſticam.

§. VII.

De Blaſphemia.

Q*Uæritur* 1. Quid ſit blaſphemia?

Reſpondeo. Blaſphemia eſt contumelioſa tractatio excellentiæ, bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, aut providentiæ divinæ. Ita quoad rem D. Thomas 2. 2. q. 13. ubi blaſphemiam modo vocat *deteſtationem divinæ bonitatis*, modo *derogationem alicujus excellentis bonitatis*, præſertim divinæ, modo *convitium*, modo *læſionem honoris divini*. Idem colligitur ex Scriptura, ubi terminus blaſphemiæ aliquando ſumitur pro contumelioſa tractatione excellentiæ divinæ, aliquando pro contumelioſa tractatione bonitatis divinæ, aliquando pro contumelia contra juſtitiam vel providentiam divinam.

Quæritur 2. Quotuplex ſit blaſphemia?

Reſpondeo. Blaſphemia dividitur 1. in *formalem & materialem*. 2. In *hæretica-*

ticalem & non hæreticalem seu simplicem. 3. In mediatam & immediatam. 4. In explicitam & implicitam vel interpretativam. 5. In blasphemiam quæ est in Deum, quæ est in Spiritum Sanctum, & quæ est in Sanctos. Blasphemia formalis est, quæ fit cum intentione inhonorandi Deum. Materialis est, quæ fit sine intentione inhonorandi Deum. Hæreticalis est, in qua Deo aut divinis rebus tribuitur aliquid falsi, vel detrahitur aliquid veri. Sic qui per contumeliam dicit, Deum esse injustum, addit Deo aliquid falsi; & qui dicit, Deum non habere providentiam aut sui curam, detrahit Deo aliquid veri. Similiter affirmando mille Sacramenta in contumeliam Dei, addit rebus divinis aliquid falsi. Itaque omnes ejusmodi blasphemiæ sunt & dicuntur hæreticales. Blasphemia simplex est, quæ præcise contumeliose tractat aliquam perfectionem divinam, nil tamen addendo vel detrahendo saltem explicite perfectionibus divinis. Blasphemia immediata est, quæ fertur directe in Deum, seu ejus perfectiones divinas. Mediata est, quæ directe fertur in effectus divinos aut rem specialiter pertinentem ad Deum, attamen cum relatione contumeliosa redundante in Deum, v. g. contumeliose tractando Sanctos, aut miracula, aut institutiones divinas. Explicita est, quæ manifestam continet contumeliam erga Deum aut res divinas. Implicita est, quæ ex circumstantia aut solum mediante ratiocinio redundat in Deum. v. g. dum Judæi Christum ex contemptu vocabant *Fabri filium*. Interpretativa Blasphemia est, quæ sub specie honorandi Deum re ipsa inhonorat Deum, v. g. dum Judæi Deum invocant, ut mittat Messiam. Blasphemia in Deum est, quæ contumelia afficit Deum, qua unum aut trinum. Blasphemia in Spiritum sanctum est, qua operationes appropriatæ Spiritui Sancto per hominis sanctificationem tribuuntur diabolo. Blasphemia in Sanctos est, qua contumeliose tractantur *gloria, virtutes, & dona, collata sanctis a Deo.*

Quæritur 3. Quibus modis solet peccari per blasphemiam?

Respondeo. Ab authoribus inter innumeros blasphemandi modos enumerantur recte sequentes. 1. Si quis contra Deum infrendens ei maledicat. 2. Si quis vocet Deum tyrannum, injustum, non curantem pauperes homines. 3. Si quis dicat, se in negotio perrecturum, sive ita Deus velit, sive non. 4. Si quis dicat, Deum nolle aut non posse nos juvare; aut eum non curare res humanas. 5. Si quis dicat, dœmonem esse fideliorem Deo, aut illum plus posse, quam Deum. 6. Si quis dicat, non omnia in mundo esse bene ordinata; aut aliqua in creatione mundi melius fieri potuisse vel debuisse. 7. Si quis signo externo prodat blasphemam intentionem animi, v. g. si spuat in cœlum, aut dentibus fremat versus cœlum. 8. Si quis libenter in mente foveat ejusmodi cogitationes blasphemas vel eas mente approbet. 9. Si quis injuriose usurpet membra aut operationes Christi, v. g. si dicat; perdat te Dei sanguis, vulnera, mors, passio Christi, Sacramenta, Chrisma, &c. quæ non ad perditionem, sed ad salutem hominis ordinata sunt. 10. Si quis ex ira B. Virgini, vel alicui Sancto det contumeliosa agnomina. 11. Si quis ea loquatur vel agat, quæ ex modo loquendi aut ex circumstantiis, vel ex usu hominum per se significant intentionem injuriandi Deum vel Sanctos.

Quæritur 4. An omnis blasphemia sit peccatum mortale?

Respondeo 1. Omnis blasphemia, non solum contra Deum, sed etiam contra Sanctos, est peccatum mortale, si deliberate & ex intentione injuriandi Deum, vel ejus Sanctos proferatur.

Ratio est; quia animus etiam leviter injuriandi Deum vel Sanctos, deliberate susceptus, arguit quandam actualem aversionem amoris seu animi a Deo, quæ actualis aversio non stat cum habituali reciproca conversione animorum inter Deum & hominem.

Respondeo 2. Blasphemia tamen potest esse peccatum veniale per accidens ob de-

ob defectum sufficientis deliberationis vel advertentiæ ad injuriationem Dei vel Sanctorum. Id facilius contingere potest circa blasphemiam mediatam, vel interpretativam, aut implicitam.

Nec obstat, quod detur peccatum veniale in aliis materiis, imo in ipsa materia irreverentiæ & inhonorationis erga Deum. Quia in ejusmodi peccatis venialibus homo directe non intendit injuriationem Dei, sed suam commoditatem, cui accedit inhonoratio Dei. Si enim hanc directe intenderet, sicut fit in blasphemia, eoipso peccaret mortaliter.

Quæritur 5. An peccet mortaliter, qui ex ira profert verba blasphema?

Respondeo 1. Si quis in ira adhuc advertat sensum verborum continentium blasphemiam, non excusatur ob iram a peccato mortali.

Ratio est, quia ira non tollit libertatem in tali casu.

Respondeo 2. Si tamen ira ita præoccupet mentem, ut non advertat ad sensum verborum, distinguendum est; an ejusmodi blasphemiæ sint saltem liberæ in sua causa, vel non? Si non sint liberæ in sua causa, ordinarie sunt saltem peccatum veniale; quia vix continget, eam mentis præcipitantiam, ut homo ne quidem habeat semiplenam advertentiam ad suos actus & verba, carere reatu peccati venialis saltem imputabili in sua causa, puta in negligentia corrigendi inclinationem appetitus irascibilis. Si tamen ejusmodi blasphemiæ, utut prolatæ in primo impetu iræ prævertente omnem usum rationis ac deliberationis actualis, sint tamen liberæ in sua causa, v. g. in consuetudine blasphemandi necdum sufficienter cum proposito applicandi efficax remedium retractata, omnes ejusmodi blasphemiæ erunt peccatum mortale; quia sunt liberæ in sua causa, & cum libertate antecedente, a qua denominantur liberæ, constituunt unum concretum morale, quod displicet Deo, & est objectum prohibitionis ac indignationis divinæ. Vide dicta in Tract. de *Peccatis* Disp. 1. in Theol. Eclect.

Quæritur 6. Qualis requiratur deliberatio vel advertentia ad hoc ut quis in ira blasphemans censeatur peccare mortaliter?

Respondeo 1. Ad peccatum mortale blasphemiæ in ira prolatæ non requiritur major deliberatio vel advertentia, quam ut homo saltem exercite cognoscat, quid loquatur.

Respondeo 2. Ad peccatum mortale blasphemiæ in ira prolatæ non requiritur alia deliberatio vel advertentia, quam quæ requiritur ad peccatum mortale homicidii in subito motu iræ commissi.

Respondeo 3. Ad peccatum mortale blasphemiæ in ira prolatæ sufficit libertas in causa necdum sufficienter per studium eradicandi consuetudinem retractata. Hæ sunt tres Regulæ dijudicandi malitiam blasphemiarum ex sensu Doctorum; quorum textus hic afferam, ut agnoscant laxiores Theologi horum temporum, qui ejusmodi blasphemias referunt in classem peccatorum materialium, se coram Deo fore inexcusabiles.

I. *S. Thomas* in Ep. ad Coloss. c. 3. Lect. 2. sic scribit: „ Quæcunque blasphemia est peccatum mortale. Sed „ quid si sit subito? Respondeo. Dicendum est, quod si sit subito, ita „ quod non percipit, se blasphemare, „ non peccat mortaliter. Sed credo, „ quod quantumcunque subito, si tamen percipit, quod dicit verba blasphemiæ, peccat mortaliter. *Item* 2. 2. „ *q.* 13. *a.* 2. *ad.* 3. Dicendum quod blasphemia potest absque deliberatione ex „ surreptione procedere dupliciter. Uno „ modo, quod aliquis non advertat hoc, „ quod dicit, esse blasphemiam, quod „ potest contingere, cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, & tunc est „ peccatum veniale, & non habet proprie rationem blasphemiæ. Alio modo, quando advertit, hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, & tunc non excusatur a peccato mortali, sicut nec ille, qui ex „ subito motu iræ aliquem occidit juxta „ se sedentem.

II. *Joanes de Friburgo* in Summa Confeſſorum l. 3. q. 208. ſic habet: „ Quæritur, utrum blaſphemia ſemper „ ſit peccatum mortale? Reſpondetur „ ſecundum Thomam. Secundum genus ſuum eſt peccatum mortale. Poſſet tamen contingere, quod blaſphemia ex ſurreptione abſque deliberatione procederet; & hoc dupliciter: „ Uno modo, quod aliquis non advertit, hoc, quod dicit, eſſe blaſphemiam, quod poteſt contingere, cum „ aliquis ſubito ex aliqua paſſione in „ verba imaginata prorumpit, quorum „ ſignificationem non conſiderat, & tunc „ eſt peccatum veniale. Alio modo, „ quando advertit, hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum, & tunc non excuſatur a peccato mortali, ſicut ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta „ ſe ſedentem.

III. *Angelus de Clavaſio* V. *Blaſphemia* n. 5. poſtquam recitaverat & adoptaverat verba D. Thomæ ſuperius relata, ſic ſeipſum interrogat: „ Quid „ ſi calore iracundiæ vel ebrietatis quis „ blaſphemat? Ego dico; quod tam ex „ ebrietate, quam ex ira blaſphemans „ non excuſatur a mortali, ſi advertit, „ quod dicit, & ſignificationem verborum

IV. *Piſanus* in Summa. V. Blaſphemia ſic ſcribit: „ Blaſphemia ſecundum genus ſuum eſt peccatum mortale. Sed poſſet contingere, quod „ blaſphemia abſque deliberatione & „ ex ſurreptione procederet; & hoc dupliciter, primo modo, quod aliquis „ non advertit hoc, quod dicit, eſſe „ blaſphemiam; ut cum aliquis ſubito „ ex paſſione aliqua in verba contumelioſa prorumperet, quorum ſignificationem non conſideraret, tunc eſt „ peccatum veniale. At hoc puto verum, niſi hoc ei frequenter accideret „ ex lata culpa ejus non curando adhibere remedium. Secundo modo, quando advertit hoc eſſe blaſphemiam, „ conſiderans ſignificata verborum, & „ tunc non excuſatur a mortali, ſicut „ nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit.

Idem in Summa Confeſſorum eo Tit. q. 208. " Puto, a peccato mortali non „ excuſari blaſphemum, ſi non recto „ animo moveatur, licet ignoret, ſua „ verba importare blaſphemiam. Nam „ ut dicitur 1. Cor. 14. Si quis ignorat, ignorabitur; & ; ſtultus in culpa ſapiens erit in pœna.

V. *S. Antoninus* in Summa part. 2. Tit. 8. de blaſphemia C. 7. ait: „ Eſt „ autem blaſphemia peccatum mortale „ ſecundum Thomam. Verum eſt tamen ſecundum Thomam, quod cum „ quis ex ſubita paſſione prorumpit in „ verba blaſphemiæ, non advertens, „ hoc, quod dicit, eſſe blaſphemiam, „ ut quia non conſiderat ſignificationem „ verborum, non eſſet tunc peccatum „ mortale: ſed ſi advertat, hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum, ex eo, quod ex ſubito impetu iræ hoc faciat; vel ex prava „ conſuetudine, non propter hoc excuſatur a mortali, quamvis cito doleat „ de commiſſo: Sicut nec excuſatur ab „ homicidii reatu, qui ex ſubita ira „ percutit proximum; & eſt iſtud graviſſimum peccatum." Dum in hoc textu S. Antoninus loquitur de homine, *qui cito dolet* de prolata blaſphemia, oſtendit, celerem pœnitentiam non eſſe ſignum, in præcedente actu non interveniſſe deliberationem vel advertentiam ſufficientem ad conſtituendum peccatum mortale; ex quo etiam ſequitur, juxta S. Antoninum ad peccandum mortaliter non requiri talem deliberationem vel advertentiam, qua ſic clare apprehendit malitiam blaſphemiæ, ut ea cognita non blaſphemaret. Sufficit ergo advertentia tenuis in actu exercito ad malitiam blaſphemiæ.

VI. *Sylveſter* in Summa V. Blaſphemia. n. 4. „ Quæritur, utrum blaſphemia ſit peccatum mortale? Et dico, „ quod ſic, ſecundum Thomam, ex „ genere ſuo. Unde non eſt dubium de „ mortali, etſi fiat ex repentino motu „ paſſionis; niſi excuſet ſubreptio tanta „ ut homo non advertat, id, quod cogitat aut loquitur, eſſe blaſphemiam; „ quia tunc eſt veniale vel nullum. Sed

„ tamen adverte; quod homo non considerat blasphemiam esse blasphemiam; „ primo scilicet ex subita passione; & „ sic loquitur D. Thomas. Secundo ex „ consuetudine concomitante quodam „ propriæ salutis contemptu, vel lata „ negligentia, qua non curat homo cavere peccata; & hoc dubito mortale, „ saltem præsumptive; & in judicio causarum quantum ad blasphemiam proprie dictam, quia lata culpa æquiparatur dolo." In hoc textu Sylvester ostendit, se non dubitare, an blasphemiæ ex consuetudine prolatæ sint peccatum mortale coram Deo, sed utrum in foro Ecclesiastico, ubi pro blasphemis statuuntur gravissimæ pœnæ a Concilio Lateranensi sub Leone X. habendæ sint pro blasphemia stricte dicta substante illis pœnis.

VII. *Bartholomæus Fumus*, in *Armilla* V. Blasphemia ait: „ Blasphemia est peccatum mortale, quia talibus blasphemis pœna mortis infligitur Levit. 24. quod non fieret, nisi propter mortale. Et est „ gravius contra Deum, quam contra „ Sanctos. Nec quis, si sit mentis compos, blasphemando a mortali excusatur, nisi quando inadvertenter & „ lapsu linguæ verba blasphemiæ profert „ non advertendo sensum verborum, „ quod si advertisset, non protulisset. „ Est enim tunc tantum blasphemia materialiter. Ideo neque passio extranea, aut consuetudo tales a mortali „ excusat.

VIII. *Cajetanus* Cardinalis in Summa, quæ in Synodo Augustana 1610. Clericis Diœcesanis commendatur, V. blasphemia, sic habet: „ Blasphemia „ peccatum mortale gravissimum est. „ Et scias, quod, licet blasphemia habet multos gradus, dum gravior est „ contra Deum, quam contra B. Virginem; & hæc gravior, quam contra Sanctos; & rursus gravior est ex „ affectu detestativo Dei, quam quæ ex „ passione extranea, aut mala consuetudine, quasi non sit virilis animi, „ qui loquitur sine blasphemia, ut videtur apud multos inolevisse. Nec unquam excusatur quis a mortali, si sit „ mentis compos, nisi inadvertentia esset in causa; hoc est, si ex lapsu „ linguæ protulit verbum blasphemiæ „ non avertendo sensum verborum, ita „ quod si advertisset, certus est, quod „ non dixisset. Tunc enim fuit blasphemia non formaliter, sed materialiter „ tantum.

IX. *Toletus* in Summa l. 4. C. 13. „ Notandum, peccatum blasphemiæ non „ semper esse mortale. Aliquando enim „ fit sine advertentia; ut cum homo ira „ aliqua vel alia motus passione non „ advertens verba, quæ proferebat, protulit blasphemiam. Hoc modo non „ semper est peccatum mortale, nisi „ cum homo est assuetus blasphemare, „ nec vult emendationem. Talis enim „ peccaret mortaliter tunc; quia est in „ culpa præcedenti; quia non abstulit „ occasionem peccati. Qui vero non habet talem consuetudinem; vel si habet, jam emendare se curat, & desiderat, non peccat mortaliter, sed „ venialiter.

X. *Gennetus* T. 2. Tract. 2. C. 1. q. 19. „ Advertendum est, quod blasphemia „ absque deliberatione provenire potest, „ ex duabus causis; quarum prima est „ violentia passionis, quæ facit, ut proferantur verba blasphemiæ non reflectendo ad significationem hujusmodi „ verborum; & in hoc sensu ait D. „ Thomas esse peccatum veniale. Verum si blasphemia non deliberata proveniat ex prava blasphemandi consuetudine, blasphemus hic considerari „ potest dupliciter. Vel cum dolet de „ peccatis præteritis, & omnem adhibet diligentiam, ut suæ naturæ pronitatem & inclinationem in hunc habitum impediat, atque præveniat, & „ deordinatos motus puniat; & tunc videtur excusandus saltem a mortali, „ cum verbum aliquando malum ex „ consuetudine possit proferri ab homine vere pœnitente sine ulla prævia „ cogitatione. Si vero hujusmodi blasphemus nullam de commissis peccatis pœnitentiam faciat; aut si ita „ eum pœniteat, ut tamen necessariam

„ non

„ non adhibeat diligentiam, ut se corrigat, malique habitus effectum impediat, tunc blasphemiarum suarum reus est, licet secundum se consideratæ forent involuntariæ; quia voluntariæ sunt in causa, nempe in habitu; cum verum sit dicere, talem in pravo habitu velle languere, qui non adhibet omnem conatum, ut eum penitus extirpet, & ita intelligendus est D. Thonas.

Ex his textibus Doctorum duo eliciuntur. 1. Quod ille peccet mortaliter, qui in ipsa prolatione blasphemiæ advertit ad sensum verborum, etiamsi id fiat ex repentina motione iræ. 2. Quod etiam ille peccet mortaliter, qui, licet in prolatione blasphemiæ non advertat ad sensum verborum, in ejusmodi tamen blasphemias erumpit ex consuetudine, quam non curat extirpare mediis efficacibus. Sic enim omnes blasphemiæ sunt & denominantur esse voluntariæ in causa.

Objicies 1. Apostolus enumerat blasphemiam inter peccata venialia ad Ephes. 4. v. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia*; & ad Colofs. 3. v. 8. *Deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam*.

2 Blasphemia ex consuetudine prolata non est voluntaria ac libera. Ergo non est peccatum.

3 Ad peccatum mortale requiritur plena advertentia ad gravem malitiam. Sed talis plerumque non datur in blasphemantibus.

4 Consuetudo blasphemandi plerumque non est deliberate contracta. Ergo etiam blasphemiæ, quæ ex consuetudine sine nova deliberatione fiunt, non sunt deliberatæ.

5 Consuetudo blasphemandi a blasphemis jam fuit sæpius retractata partim per iteratas confessiones & renovationes propositi de non blasphemando, partim per displicentiam ac dolorem post prolatas blasphemias, partim etiam per applicationem mediorum, v. g. per recitationem orationis Dominicæ pro singulis blasphemiis. Ergo in tali homine blasphemiæ non possunt dici liberæ in causa, utpote per retractationem jam destructa in esse morali demeritorio.

6 Gloriæ divinæ conducibilius est, si Deus non obliget ad eradicandam pravam consuetudinem blasphemandi mediis arduis. Sic enim solum multiplicabuntur peccata materialia; dum econtra multiplicarentur peccata formalia.

7 Videtur repugnare lumini naturali, quod actus blasphemiæ momentaneus, & tam parum deliberatus mereatur pœnam æternam, præsertim si non præcedat advertentia ad gravitatem peccati.

8 Multi authores stant pro sententia opposita; nempe *Burgahber* Centuria 3. Cas. 49. *Escobar* Th. Mor. C. 6. *Diana* in Summa V. Blasphemia. *Stephanus de Avila* in Compend. *Navarra* V. blasphemia. *Bonacina* de blasphemia n. 3. *Layman* l. 1. Tr. 2. C. 3. n. 6. Et l. 4. Tr. 10. C. 6. n. 2. & 3. *Filiutius* Tr. 25. C. 1. n. 27. *Tamburinus* l. 2. Exped. Con. C. 3. §. 3. n. 23.

Respondeo

Ad 1. Apostolum ibi sub termino blasphemiæ intelligere contumeliam homini illatam, quæ potest esse peccatum veniale. In eo sensu hunc terminum sæpius sumit v. g. 1. Cor. 4. *Blasphemamur & obsecramus*. Et 1. Cor. 10. *Ut quid blasphemor?* Et ad Tit. 3. *Admone illos, neminem blasphemare*.

Ad 2. Non est libera ac voluntaria in se. c. in sua causa n. vel *subdist.* si consuetudo jam sit sufficienter retractata. c. secus. n.

Ad 3. D. requiritur plena advertentia saltem *antecedens* in positione vel tolerantia causæ. c. *concomitans* in positione effectus n.

Ad 4. D. non sunt deliberate contractæ, ita tamen ut sint deliberate toleratæ. c. secus n. Non ille solum reus est incendii vel homicidii, qui ponit ignem, aut venenum; sed etiam, qui non tollit ignem aut venenum. Igitur etiam reus est blasphemiæ, qui non conatur tollere consuetudinem blasphemandi.

Ad 5. D. fuit retractata speculative & inefficaciter practice & efficaciter, c. n.

Nemo

Nemo dicitur habere ſeriam voluntatem medendi vel juvandi proximum, ſi tantum habeat diſplicentiam de morbo vel indigentia proximi; ſed opus eſt, ut adhibeat efficacia media. Itaque neque dicendus eſt habere ſeriam voluntatem extirpandi conſuetudinem blaſphemandi, qui non adhibet media *efficacia*, hoc eſt, talia, quæ præbeant prudentem ſpem emendationis, qualia non ſunt illa media, quæ aſſignantur in objectione.

Ad 6. n. ant. Turpe enim & ignominioſum foret Deo coram angelis & hominibus, ſi in ſua Eccleſia impune toleraret tot materiales blaſphemias, quæ ob ſeveras pœnas civiles ne quidem reperiuntur apud Hæreticos & Turcas.

Ad 7. D. niſi ejuſmodi momentanea blaſphemia jam ſupponat diuturnum habitum libere toleratum, vel animum per continuas negligentias a timore Dei vacuum. C ſecus. n.

Ad 8. n. ant. Excepto enim uno & altero, v. g. Burghabero, reliqui ſolum docent, tunc blaſphemiam non eſſe peccatum, quando nulla habetur advertentia, nec concomitans, nec antecedens, aut quando conſuetudo jam fuit ſufficienter retractata. Ita ſeipſum explicat *Filiutius* Tr. 25. C. 10. n. 317. his verbis: *Probabilius eſt, blaſphemiam non eſſe peccatum mortale ſpeciale, quando eſt ſine advertentia actuali. --- Dixi; non eſſe peccatum mortale ſpeciale, quia an ſit peccatum, quando homo videt conſummatam eſſe conſuetudinem, & advertit periculum & gravitatem ejus, dubium eſſe poteſt; ſed etſi tunc dicatur eſſe; non tamen poſtea, quando quis non advertit, de novo peccat; ideo diximus, non eſſe peccatum ſpeciale.*

Quæritur 7. Quid præſumendum a Confeſſario in dubio, an pœnitens habuerit ſufficientem advertentiam pro peccato mortali in blaſphemia?

Reſpondeo. Cum raro contingat, blaſphemos eouſque ira extra omnem uſum rationis abripi, ut inſtar brutorum prorſus ignorent, quid dicant, præſumendum potius eſt, in iis intercesſiſſe ſufficientem advertentiam ad peccatum mortale. Ita reſpondet *P. Sporer*, alioquin nemini ſuſpectus de rigore. Nam Tr. 2. in præcepta Decal. C. 10. Sect. 3. n. 22. ſic ſcribit: *Blaſphemia admittit imperfectionem actus a mortali excuſantem, ut ſi fiat cum ſemiplena tantum advertentia & deliberatione ex ſubito vehementi impetu paſſionis iracundiæ, terroris, conſuetudinis inveteratæ, involuntarium reddente, quamvis videatur negare noſter Marchantius ob naturalem horrorem ſceleris execrandi tantum quidem, ut a Chriſtiano Deum agnoſcente & mentis compote vix unquam dici poſſit blaſphemia. Et ſane teneretur creatura rationalis ſaltem adeo attendere creatori ſuo & ultimo fini Deo in omni ſua actione, ut ſaltem hoc horribile ſcelus blaſphemiæ præcaveat. Verum ex his ſolum ſequitur;* NB. *raro admodum & difficulter excuſari a mortali, & multo rarius, quam in aliis peccatis; non vero, quod omnino nunquam; cum revera contingat, in primis motibus iracundiæ hominem ſibi non eſſe præſentem. Ita ut ſe ſemper ad regulas rectæ rationis reflectere poſſit tam cito, quin interim quandoque erumpet verbum blaſphemiæ. In foro autem externo non obſtante allegatione cujuſcunque motus vel indeliberationis ſecundum leges puniri debet. Quia ibi judicatur ſecundum externa. Unde ulterius fatendum eſt, omnem blaſphemiam, etiam joco prolatam deliberate & advertenter ad inhonorationem Dei, ordinarie eſſe peccatum mortale.* Et n. 24. *In praxi ergo, quando pœnitens abſolute dicit, ſe blaſphemaſſe, confeſſarius ſic procedet. Si pœnitens neget, ſe intendiſſe Deum inhonorare, adhuc quærendus erit, an ſaltem adverterit, ejuſmodi verba a ſe prolata eſſe inhonorativa Dei, cedere in deſpectum vel injuriam Dei, & tamen ſic ſcienter protuliſſe? Sic ſic; adhuc cenſendus eſt peccaſſe mortaliter. Tandem ſi dicat; ſe nec intendiſſe, nec advertiſſe inhonorationem Dei, neque affectum indignationis ſuæ erga Deum ullo modo extendiſſe, ſed ſolum erga hominem, vel jumentum, nihilominus attendendum erit ad verba, quibus homo uſus fuit. Si enim verba talia, vel tali modo prolata ſunt, ut enormem contumeliam Dei aut*

ſacra-

sacramentum exprimant, v. g. atroces maledictiones in ipsum Deum; gantz Donnen-voll / Calleen-voll / Blitz / Bluet / Strahl-Sacrament / *raro excusari poterit a mortali. Certe severe & acriter increpandi erunt, & non nisi firmo proposito concepto absolvendi.* Ita P. Sporer; qui tamen addere debuisset, tales non esse absolvendos sine gravi pœnitentia, & sine remedio.

Quæritur 8. Quales sint statutæ pœnæ in blasphemos a Jure Canonico?

Respondeo 1. In veteri lege Levit. 24. in blasphemos statuta fuerat pœna mortis; *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* Nulla hic fit distinctio inter blasphemantem ex repentino iræ impetu, vel ex habitu: neque inter blasphemiam materialem & formalem.

Respondeo 2. In C. *Statuimus*, de maledictis, a Gregorio IX. publico blasphemo jubetur imponi sequens pœnitentia. *Primo*, ut septem diebus Dominicis maneat in foribus Ecclesiæ, dum Missarum solennia celebrantur; & ultima Dominica absque pallio & calceamentis & cum corrigia in collo; *Secundo*; ut septem diebus Veneris in pane & aqua jejunet, & Ecclesiam non ingrediatur. *Tertio*, ut singulis illis diebus, si potest, tres, aut alioquin duos pauperes reficiat, sive unum; & si hoc non potest, in aliam pœnam commutetur. Et si hanc pœnitentiam renuit, prohibeatur ab ingressu Ecclesiæ, & in obitu Ecclesiastica careat sepultura. Disputant Doctores; an hæc pæna procedat etiam de eo, qui ex iracundia blasphemavit. Et respondent fere universim; etiam de his procedere, maxime si causa fuerit injusta, licet forte in tali casu possit fieri mitigatio pænæ; ut videre est in *Covarruvia* in dictum C. §. 7. n. 25.

Respondeo 3. *Concilium Lateranense* sub *Julio* 11. & *Leone X.* Sess. 9. hæc statuit: *Ad abolendam execrabilem blasphemiam, quæ in maximum divini nominis & Sanctorum contemptum supra modum invaluit, statuimus & ordinamus, ut quicunque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisque ac obscænis verbis D. N. Jesum Christum, & G. V. Mariam expresse blasphemaverit, si munus publicum, jurisdictionemque gessit, perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officii. Si tertio deliquerit, illo eoipso privatus existat. Si Clericus vel Sacerdos fuerit, eipso quod de delicto hujusmodi convictus fuerit etiam beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur; & hoc pro prima vice, qua blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero, si ita deliquerit, & convictus fuerit, si unicum habuerit beneficium, eo privetur. Si autem plura, quod Ordinarius maluerit dimittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur & convincatur, dignitatibus, beneficiis omnibus, quæ habuerit, privatus existat, ad eaque ulterius retinenda inhabilis reddatur. Laicus vero, blasphemus, si nobilis fuerit, pœna viginti quinque Ducatorum mulctetur; & pro secunda vice quinquaginta; pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebejus, in carcerem detrudatur. Quod si ultra duas vices publice blasphemus deprehensus fuerit, mitra infami per integrum diem ante fores Ecclesiæ principalis mitratus stare cogatur. Si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres vel ad triremes damnetur ad judicis deputati arbitrium. In foro autem conscientiæ NB. nemo blasphemiæ reus absque gravissima pœnitentia severi confessoris arbitrio injuncta possit absolvi. Statuimus etiam, ut sæculares Judices, qui contra tales blasphemiæ convictos non animadverterint, eosque justis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii eisdem quoque pœnis subjiciantur. Qui vero in inquirendis, puniendisque diligentes & severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiam consequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant.* Ex his legibus, quamvis dispositio Levitici, & Gregorii IX. non amplius vigeat, & Constitutio Concilii Lateranensis quoad pertinentia ad forum externum extra territorium Papæ non stringat, colligitur

ta-

tamen, in foro interno blasphemias indiscriminatim a Dei vicariis arctæ satisfactioni subjiciendas esse.

Quæritur 9. Qualiter in Confessionali cum blasphemis agendum sit?

Respondeo 1. Blasphemis regulariter imponendæ sunt graves pœnitentiæ.

Respondeo 2. Si fuerint consuetudinarii, præscribenda sunt iis efficacia remedia, quæ spem prudentem faciant securæ emendationis. Talia remedia sunt quotidianæ *Laudes Dei*, quales habentur in Breviario, Litaniæ de perfectionibus divinis, Psalmus Benedicite Domino, pœnitentiæ conditionatæ pro quavis blasphemia, v. g. oratio, eleemosina, abstinentia.

Respondeo 3. Si blasphemus præscripta remedia neglexerit, post alteram vel tertiam monitionem confessarii absolutio illi aliquamdiu differenda est, donec majorem emendationis spem præbuerit per actualem conatum se emendandi.

Prior responsio *probatur* ex communi sensu Ecclesiæ & Doctorum. Nam *Tridentinum* Sess. 14. C. 8. generatim ait: *Decet divinam clementiam, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta in graviora labamur. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quasi frœno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo aquisitos tollunt. Debent ergo sacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Doctores* vero de obligatione imponendi blasphemis severam pœnitentiam sic discurrunt.

1. *Pisanella* in Summa V. Maledictio, sic scribit: *Quæ est pœna proferentis maledictionem contra Deum? Respondeo; si quis contra Deum vel aliquem Sanctum talia præsumpserit, debet septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto esse, dum dicitur Missa &c. Hæc omnia secundum Geoffredum in Tribunali fiunt. Cæterum in judicio animæ discretus sacerdos leniet hunc rigorem. Immo & in foro pœnitentiali etiam hic rigor servandus est præterquam in condemnatione pœnæ pecuniariæ, quando blasphemia publica est*. In hoc textu vult Pisanella, ut pro blasphemia publica ad reparationem scandali imponantur omnes pœnæ in *C. statuimus* de maledictis expressæ, excepta sola pœna pecuniaria.

2. *Navarrus* in Manuali V. blasphemia c. 13. n. 83. *Dicimus, quod nullus blasphemus debet absolvi etiam in foro conscientiæ absque eo, quod arbitrio severo cujusdam confessarii gravissima illi pœnitentia injungatur, quod statuit Concilium Lateranense ultimum sub Leone X.*

3. *Corradus* ex Medina Respons. p. 1. q. 15. *Dicit Medina de blasphemo, quod si assuetus fuerit blasphemare, & venerit ad confessionem, neque per præmissas antea confessiones resipiscit, non est absolvendus a Confessario, etiamsi polliceatur emendam; relinquendus est per aliquot dies, ut contra se nitatur, sibique resistat. Quod si jam emendatus accesserit, alias minime, est absolvendus.*

4. *Emanuel Rodriquez* in Summa casuum conscientiæ V. blasphemia C. 34. n. 5. *Debent notare Confessarii, quod si aliquis est consuetus dicere blasphemias, si veniens ad confessionem dicit, se promisisse in confessionibus præteritis emendationem, idemque promittat in præsenti, non debet absolvi, sed debet differri illi absolutio, ut sic resipiscat & emendetur. Quod si fiat, poterit illum absolvere, & non aliter. Nam qui toties incidit in idem, & non est emendatus, debet præsumi, quod non emendabitur nec nunc, ut dicit Medina, & Ludov. Lopez; qui addit, hoc intelligendum esse, quamvis proferat prædictas blasphemias inconsiderate, quoniam talis* pec-

peccat in causa, quæ est prava consuetudo, quam habet, & sic non debet absolvi statim, ut dictum est, ut advertat in posterum, & eradicetur istud malum.

5. *Ludovicus Lopez* Instruct. Confessarii p. 1. c. 25. *Recole, quod Medina in Summula de blasphemo ait: Quod si blasphemus assuetus blasphemare venerit ad confessionem, neque per præmissas antea confessiones resipuit, non est absolvendus a confessore, etsi polliceatur emendam. Relinquendus est ergo per aliquot dies, ut contra se nitatur sibique resistat; quod si jam emendatus accessit, absolvatur, alias minime est absolvendus.*

6. *Vivaldus* in Append. Candelabri c. 5. de blasphemia n. 42. quærit; quæ blasphemis sit pœnitentia injungenda? Respondet his verbis: *Quamvis Armilla, Sylvester, & alii dicant; jam non esse in usu Concilium Lateranense quoad impositionem pœnitentiæ, Navarrus tamen absolute inquit, servandum esse. Ego autem dico; omnino servandum atque gravissimas pœnitentias esse a Confessariis excogitandas, ut tantum malum possit a fidelium linguis expellere; ne de illis negligenter agentibus dicatur illud:* Propter vos blasphematur nomen meum inter gentes. *Si enim contra homines prolatæ blasphemiæ impunitæ non transeunt, multo magis, qui ipsum Deum blasphemat, dignus est, supplicia sustinere.*

7. *Emanuel Saa V.* blasphemia n. 2. *Ne blasphemus absolvatur sine gravi pœnitentia severi confessarii arbitrio injuncta, statuit Concilium Lateranense, & consonat Tridentinum Sess.* 14. *c.* 8.

8. *Azor* Instit Moral. l. 11. c. 28. q. 18. quærit: *Quid judicandum sit de his, qui in Deum vel Sanctos convitia dicunt prava quadam & inveterata consuetudine maledicendi rapti? Et quo pacto is, qui eorum confessiones excipit, sese gerere adversus eos debeat? videlicet, an hosce maledicos absolutione criminis dignos esse censere queat, an non? Respondeo; distinguendum esse. Nam quia assueti blasphemiis maledicta in Deum vel Sanctos passim conferunt, simpliciter illi quidem non sunt ab absolutione criminis arcendi, sed ad tempus ab ea suspensi merito detinendi, ut interim pravam consuetudinem aliqua ex parte deponant & exuant. Si tamen signa certa & manifesta doloris & detestationis suæ illius sacrilegæ impietatis dederint, nec in aliud tempus absolutio commode differri queat, absolvi a peccatis queunt, imposita tamen pœnitentia salutari, ac tanto crimini debita.*

9. *Filiutius* de juramento & blasphemia loquens, tr. 25. C. 11. n. 320. *Si consuetudo sit pejerandi* (vel blasphemandi) *advertendo; tenetur confiteri integre omnia juramenta. Si talia juramenta fecit sine advertentia morali...omnino tamen in pœnitente necessarium est propositum tollendi consuetudinem, & vitandi tale periculum, præsertim si proximum esset. Remedia sunt frequens confessio, eleemosyna, oratio brevis pro singulis juramentis temere prolatis. Si hæc non prodessent, utilis esset dilatio absolutionis per aliquot dies, & similia.*

10. *Carolus Borromæus* in Regula Confessariorum. *Concubinarii, blasphemi, aliique ex consuetudine peccatores non admittantur, quidquid dicant, seque licet emendaturos polliceantur, nisi aliquibus ante mensibus emendationis signa confessori nota, juxta ordinem ab ipso præscriptum dederint.* Ex his omnibus recte elicitur; consuetudinariis in blasphemando non solum gravem pœnitentiam esse injungendam; sed etiam, si bis vel ter præscripta a Confessariis remedia prorsus neglexerint, aut nullum prorsus emendationis fructum ostenderint, absolutionem ad duas vel tres hebdomadas, donec in applicandis remediis industriam emendationis spem monstraverint, differendum esse. Hæc omnia confirmantur ex *propositione damnata* ab Innocentio XI. 60. quæ sic habet: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere & proponere emendationem.*

Quæritur 10. An sit blasphemia, si quis ad exprimendam iram irreverenter pro-

pronuntiet Sacramenta, vel alias res sacras?

Respondeo. Sola irreverens pronuntiatio rerum sacrarum non est blasphemia, nisi ex circumstantiis pateat, eas expressiones ordinari ad inhonorandas res divinas. Hinc si quis in ira non indignando contra Deum & ejus ordinationem vel permissionem, sed tantum indignando homini, præcise cum ira pronuntiet hæc nomina de se ad bonum etiam sensum indifferentia; *mors Dei*, *sacramenta*, *res sacramentalis*, *o Dei mors*, *vulnera*, *sacramenta Dei &c.* non pertinent ad blasphemiam, sed ad irreverentiam erga res divinas, quæ pro diversitate circumstantiarum ex apprehensione audientium potest esse peccatum veniale. Quia tamen etiam hæ expressiones non raro proferuntur cum aliqua indignatione contra Deum, etiam hæ remediis idoneis a Confessario per modum pœnitentiæ injungendis eradicandæ sunt. Idem dicendum de aliis loquendi formulis, in quibus continetur abusus verborum Sacræ Scripturæ ad res profanas; vel si quis S. Crispinum, S. Crispinianum ex joco vocet sutores; & S. Joannem & Paulum martyres vocet eunuchos; in quibus tamen loquendi formulis, utut ex joco prolatis, propter scandalum facile potest intervenire peccatum mortale. Valde enim repugnat majestati aut dignitati Sanctorum, velle cum iis vel de iis jocari.

Quæritur 11. An sit blasphemia, si quis dicat; stultus es, etiamsi haberes pro patre Deum patrem?

Respondeo. Hæc formula loquendi est vera blasphemia. Quod si sermo foret de dicto vel facto intrinsece malo, v. g. de odio Dei, dicendo, hoc fore malum; etiamsi poneretur a Deo, non foret quidem blasphema, sed stulta locutio, cum hypothesis destruat seipsam. Esset enim Deus, & non esset Deus, si seipsum odisset.

Quæritur 12. An peccet graviter, qui ebrium, stultum, vel infantem inducit ad blasphemandum?

Respondeo. Talis peccat mortaliter; quia sic inducens est causa moralis blasphemiæ, ita ut blasphemia in suo subjecto tantum materialis revera sit ac mereatur denominari *voluntaria*, *libera*, & *volita* comparative ad inducentem. Idem patet ex eo, quia Deus ejusmodi praxin potest & ex amore suæ Ecclesiæ tenetur graviter prohibere, tanquam repugnantem honestati suæ Religionis.

§. VIII.

De Sacrilegio.

Quæritur 1. Quid sit sacrilegium?

Respondeo. Sacrilegium est *irreverens tractatio rei sacratæ Deo ad cultum divinum*. Dicitur, *sacratæ Deo*, puta per *inunctionem sacri chrismatis*, prout sacrantur Deo altaria, calices Ecclesiæ; vel per *benedictionem*; prout sacrantur Deo paramenta Missæ & altaris; vel per actualem *appositionem manuum* Ecclesiæ, prout sacrantur Deo bona oblata in Ecclesia.

Quæritur 2. Quotuplex sit sacrilegium?

Respondeo. Sacrilegium est triplex. 1. *Personale*. 2. *Locale*. 3. *Reale*.

Quæritur 3. Quid sit sacrilegium *personale*?

Respondeo. Sacrilegium personale est irreverens tractatio personæ sacratæ Deo ab Ecclesia, prout fit per sacros ordines, vel statum Religiosum. Tale sacrilegium est percussio Clerici; luxuriosa violatio personæ Deo consecratæ per votum castitatis.

Quæritur 4. Quid sit sacrilegium *locale*?

Respondeo. Sacrilegium locale est irreverens tractatio templi vel alterius loci sacrati Deo. Tale sacrilegium est 1. si in Ecclesia fiat occisio hominis, effusio humani sanguinis, vel effusio seminis humani, graviter peccaminosa. 2. Illicita & notoria sepultura excommunicati in Ecclesia vel cœmeterio, vel illicita & notoria sepultura hominis non baptizati in loco sacro. 3. Actus profani in Ecclesia repugnantes ejus immunitati, v. g. negotiationes, illiciti concubitus, stabulationes equorum, in-

tendiatio, effractiones, spoliationes. 4. Si materia rei sacræ vel Ecclesiæ directe ad profanos usus convertatur absque intermedia execratione seu destructione in esse morali. 5. Si reus extrahatur injuste ex asylo Ecclesiæ. 6. Si furto auferantur res Ecclesiæ, vel ibi per modum depositi a præfectis Ecclesiæ in securitatem receptæ.

Quæritur 5. Quid sit sacrilegium *reale?*

Respondeo. Sacrilegium reale est irreverens tractatio rei mobilis sacratæ Deo ad cultum divinum. Tale sacrilegium est 1. indigna tractatio & administratio Sacramentorum, prout fit, si administrentur vel sumantur in statu peccati mortalis. 2. Profanatio vasorum vel instrumentorum sacrorum, v. g. si quis sacro calice utatur in convivio; si ornamenta altarium aut vestes sacerdotales Missæ applicet ad usus profanos. 3. Indigna tractatio sacrarum Reliquiarum vel sacrarum imaginum, habentium cultum publicum. 4. Raptura aut furtum bonorum Ecclesiæ.

Quæritur 6. An sit proprie sacrilegium violatio simplicis voti castitatis perpetuæ?

Respondeo. Non est proprie sacrilegium in foro Canonico; quia per simplex votum castitatis homo non sacratur Deo *ab Ecclesia*, sed tantum a seipso, adeoque non habet sacrationem solennem ac publicam. Ita *Layman* l. 4. tr. 10. c. 7. n. 4. ubi sic scribit: *Si sermo sit de violatione voti castitatis privati, seu ab Ecclesia non acceptati, amplector doctrinam Suarez, esse hoc sacrilegium tantum late & improprie. Nam proprie dictum sacrilegium est rei sacræ violatio. Persona autem sacra non efficitur, nisi ex publico jure cultui divino dicata sit, videlicet per sacri ordinis susceptionem vel statum Religionis.*

Quæritur 7. Utrum actus luxuriosus in Subdiacono, Religioso, vel alia persona sacra contineat triplicem specie malitiam?

Respondeo. Tale peccatum continet triplicem specie malitiam, nempe transgressionem legis divinæ in sexto præcepto, violationem voti, & rationem sacrilegii ob exhonorationem personæ sacratæ Deo. Ita *Layman* l. c. ubi sic scribit: *Tametsi Suarez existimet, unicam malitiam contra virtutem religionis contineri, quæ sit violatio voti, ideoque non esse sacrilegium proprie, sed lato modo, tamen sententia contraria est communis. Quare libenter fateor; si Clericus in sacris ordinibus constitutus vel religiosus utriusque sexus fornicetur, præter peccatum intemperantiæ sive luxuriæ duplicem malitiam adversus virtutem religionis admitti; unam violationis voti, & alteram sacrilegii proprie dicti. Ob hanc ipsam causam non satis erit, eum in confessione dicere, se votum castitatis violasse, sed necesse est, circumstantiam religionis vel ordinis sacri explicare, sicuti docet Medina & Rodriquez.*

Quæritur 8. An sit proprie sacrilegium tractio Clericorum ad judicium sæculare?

Respondeo. Tractio Clericorum ad forum sæculare in causis pure Ecclesiasticis est proprie sacrilegium; quia illa immunitas jure naturali & divino inhæret personis sacratis Deo. Itaque violatio illius immunitatis est proprie irreverens tractatio personæ sacratæ Deo. Sed aliud dicendum de conventione Clericorum coram Judice laico in causis civilibus, vel politicis, ubi ea immunitas, olim ab Imperatoribus indulta, jam fuit extincta in aliqua integra provincia. Si enim adhuc vigeat, attentatio privata unius vel alterius judicis proprie foret sacrilegium, utpote violatio juris personalis *ex conditione status generatim* inhærentis personæ sacratæ Deo.

Quæritur 9. An infamatio personæ sacræ sit sacrilegium?

Respondeo. Non est sacrilegium; quia bonum nomen, aut immunitas a peccato non inhæret personis sacris generatim ex conditione status, sed ex particulari probitate personæ.

Quæritur 10. An homicidium, furtum, perjurium, &c. perpetrata a Clerico vel Religioso sint simul sacrilegium?

Respondeo. Non sunt sacrilegium. Ra-

Ratio est; quia non sunt exhonoratio personæ sacræ *per se* ex ipsa ordinatione seu intentione actus, sed tantum *per accidens* ac consecutive. Neque per ista crimina committitur abusus potestatis sacræ, cum potestas sacra in hæc peccata non influat, sed tantum fit abusus voluntatis, quæ concomitatur publicam sacrationem status.

Quæritur 11. Qualia loca censeantur sacrata Deo?

Respondeo 1. Per locum sacrum, seu sacratum Deo intelligitur quivis locus *publica authoritate stabiliter deputatus* ad sacrificium Missæ, ministranda sacramenta, vel divina officia peragenda, tametsi necdum consecratus vel benedictus sit. Ita habetur c. Ecclesiæ, de immunitate. *Dixi*, *stabiliter*. Nam *privata Oratoria* vel *Eremitoria*, si non fuerint consecrata vel benedicta, inter loca sacra numerari non debent, licet ex concessione Episcopi ibi possit celebrari sacrificium Missæ. Ratio est; quia non obstante tali concessione & celebratione nihilominus ad nutum fundatoris in profanos usus converti possunt, uti habetur c. ult. *de Censibus*. Hinc etiam non gaudent jure Asyli. Quod de ejusmodi Oratoriis ac Eremitoriis dictum est, etiam dicendum est de Xenodochiis, quæ non sunt erecta authoritate Episcopi, ut ex Innocentio III. refert Abbas in c. *abolendæ*. de sepulturis, & c. ult. de censibus.

Respondeo 2. Inter loca sacra etiam numerari Monasteria & Xenodochia, si publica authoritate Episcopi erecta sint, ut patet ex c. *ad hæc*. de Religiosis domibus.

Respondeo 3. Ad loca sacra referuntur non solum Ecclesiæ, sed etiam locus erectione crucis ab Episcopo deputatus ad celebranda divina, quamvis sacra mysteria vel divina officia in eo necdum celebrari cœperint. Id patet ex c. ult. de Consecr. Eccles. Itaque ejusmodi loca gaudent immunitatibus & privilegiis Ecclesiarum.

Respondeo 4. Ad loca sacra etiam referuntur cœmeteria baptizatorum, ut patet ex c. cum Ecclesia de immunit.

Quæritur 12. An sit sacrilegium, si quis invadat aut tollat bona deputata ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, sive ea sint mobilia, sive immobilia?

Respondeo 1. Invasio vel ablatio ejusmodi bonorum, quamdiu adhuc remanent in communi massa Ecclesiæ, est proprie dictum Sacrilegium. Id patet ex S. Gregorio l. 8. Epist. *6.* ad Sabinum, relatum causa 17. q. 4. cap. 4. ubi dicitur: *Sacrilegium & contra leges est, si quis, quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studio suis tentaverit compendiis retinere*.

Respondeo 2. Sacrilegii etiam reos esse, qui defraudant, occupant, vel detinent legata pia, aliaque jura, & bona Ecclesiastica. Et hinc ea qualificatio delicti specialiter in confessione exprimenda est. Ratio est, quia talia bona ante divisionem censentur vere sacrata Deo, & æquiparantur aliis bonis Ecclesiasticis, adhuc detentis in Massa bonorum Ecclesiæ.

Respondeo 3. Etiam ablatio bonorum provenientium ex officio Ecclesiastico post eorum divisionem est proprie dictum sacrilegium. Ratio est; quia juxta me Clerici non habent dominium bonorum Ecclesiasticorum rigorose dictum relate ad Deum. *Layman* lib. 10. num. 15. dat aliam rationem; *quia bona ista ex prima sui institutione atque offerentium voluntate eam conditionem habent, ut quia ad Dei & Christi honorem oblata ac destinata sunt, non in alium usum, nisi pium, convertantur*.

Quæritur 13. An sit sacrilegium, si quis alteri crumenam in Ecclesia abscindat? vel aliam rem tollat, ibi quidem existentem, sed non sub speciali custodia depositam?

Respondeo. Etiam hoc furtum est sacrilegium. Ita colligitur ex C. quisquis 21. causa 17. q. 4. ubi sacrilegio annumerantur etiam furta in vicinia Ecclesiæ commissa; ergo multo magis annumerari merentur furta in Ecclesia commissa &c. Textus ex Epistola *Joannis* VIII. ad omnes Episcopos sic habet: *Quisquis inventus fuerit reus sacrilegii,*

Epi-

Episcopis, vel Abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii juste pertinuerit, triginta libras argenti componat. Sacrilegium committitur, si quis infregerit Ecclesiam, vel domos, quæ in circuitu Ecclesiæ ad triginta passus fuerint, vel aliquid inde diripiendo, vel auferendo; seu qui injuriam vel ablationem rerum intulerit Clericis arma non ferentibus, vel monachis, sive Deo devotis, omnibusque Ecclesiasticis personis. Capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum, non ponuntur in hac triginta passuum observatione. Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro. Si quis domum Dei violaverit, & aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, vel Ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime satisfaciat, sciat se communione privatum. Si vero post secundam & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii peccato ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur. Si qui monasteria, & loca Deo dedicata & Ecclesias infringunt, & deposita, vel alia quælibet exinde abstrahunt, damnum novies componant, & immunitatem tripliciter, & velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur. Ex hoc textu colligitur, *jus securitatis* in Ecclesia non solum personis sed etiam rebus sponderi, & ob violationem hujus juris fures ejusmodi sacrilegii reos declarari.

§. IX.

De Simonia.

Q*Uæritur* 1. Quid sit Simonia?

Respondeo. Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali.

Dicitur 1. *studiosa voluntas*, hoc est, *deliberata*, & *eo fine* suscepta, ut ematur aut vendatur res spiritualis pro temporali.

Dicitur 2. *rem spiritualem*, quo termino comprehenditur etiam quævis res *spirituali annexa*.

Quæritur 2. Quotuplex sit Simonia?

Respondeo. Simonia dividitur 1. in eam, quæ est *juris naturalis ac divini*, & in eam, quæ est *juris Ecclesiastici*. 2. In *mentalem*, *conventionalem*, *realem*, & *confidentialem*.

Quæritur 3. Quid sit Simonia juris naturalis ac divini?

Respondeo. Simonia juris naturalis ac divini est studiosa voluntas emendi aut vendendi rem *intrinsece spiritualem* pro temporali. Talis Simonia foret, quando venderetur *absolutio* pro pretio temporali, vel quando venderentur *Indulgentiæ*, *Reliquiæ*, administratio Sacramentorum, &c. Hæc enim omnia sunt res intrinsece spirituales, nec habent ullum valorem intrinsecum pretio æstimabilem. Talis etiam erat Simonia *Simonis Magi*, quando ab Apostolis volebat emere *gratiam gratis datam*, seu potestatem infundendi Spiritum Sanctum & donum miraculorum. De hoc enim *Actorum* 8. scriptum est: *Cum vidisset Simon* (manus,) *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus; obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua; & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ita Simon Petrus ad Simonem magum & omnes Simoniacos.

Quæritur 4. Quid sit Simonia Juris Ecclesiastici?

Respondeo. Simonia juris Ecclesiastici est studiosa voluntas emendi aut vendendi rem temporalem spirituali anexam pro re temporali. Talis Simonia est, si quis solum intendat emere *redditus* beneficii, aut *dignitatem* Electoris vel Principis Ecclesiastici; vel *commoditatem* annexam bene-

neficio. Talis Simonia etiam est, si quis velit emere officium Ecclesiasticum æconomi, Sacristæ, Thesaurarii, Cancellarii, &c. Huc refertur etiam permutatio beneficiorum facta absque authoritate Superioris legitimi, quia posset contingere, eam principaliter fieri intuitu commoditatis seu emolumenti temporalis. Malitia autem hujus Simoniæ consistit in duobus. Primo, quod temporale, quod circa beneficia ex ipsa eorum institutione solum accessorium est ad rem intrinsece spiritualem, respiciatur & tractetur plerumque tanquam principale. Secundo, quod exinde periclitetur *periculo generali* honor divinus & salus animarum. Intentio enim emolumenti temporalis, licet existimetur vel prætendatur esse solum secundaria, facile inflectit animum ad recipiendum vel præsentandum Ecclesiæ ministrum notabiliter minus idoneum ad promovendam gloriam divinam, vel salutem animarum.

Quæritur 5. Quid sit Simonia *mentalis*?

Respondeo. Simonia mentalis est studiosa voluntas pacto externo tacito expressa, obligandi alium ad dandum rem spiritualem pro temporali. Talis Simonia mentalis committitur, quando quis Patrono alicujus beneficii per plures annos gratis servit, vel successive facit magna honoraria, ut ab eo præsentetur ad beneficium, quamvis eam obligationem non deducat in pactum. Cum enim in tali casu interveniat pactum tacitum, *facio*, *ut des*; vel *do*, *ut facias*, & Patronus ipsa acceptatione talium obsequiorum vel munerum revera jure naturali ex justitia vel gratitudine obligetur ad compensationem, quam scitur nullam aliam posse aut velle præstare, quam præsentationem ad beneficium, interpretative ac in æstimatione morali datur temporale pro spirituali. Itaque hæc simonia non eam ob causam vocatur *mentalis*, quod *sola mente* concipiatur; sed quod prava intentio non deducatur in *pactum nominatum expressum* emptionis vel venditionis explicitum, sed sistat tantum in *pacto tacito innominato*, *facio*, *ut des*; *do*, *ut facias*.

Quæritur 6. Quid sit Simonia *conventionalis*?

Respondeo. Simonia conventionalis est studiosa voluntas, pacto externo explicito expressa, emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali, licet ipsum pactum vel ex neutra vel ex una saltem parte necdum opere completum sit. Talis Simonia conventionalis committitur, si quis alteri promittat centum aureos pro beneficio, & alter vicissim repromittat sub ea conditione beneficium, quamvis centum aurei necdum sint dati, & beneficium necdum collatum sit.

Quæritur 7. Quid sit Simonia *realis*?

Respondeo. Simonia realis est studiosa voluntas, pacto externo expressa, emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali, ita tamen, ut pactum ex utraque parte sit completum. Talis Simonia committitur, quando pretium pro obtinendo beneficio, v. g. obsequium, vel centum aureorum munus jam actu persolutum, & beneficium jam actu collatum est. Doctores Simoniam realem vocant etiam illam, in qua *saltem pars* pretii persoluta & præsentatio digni a Patrono, saltem laico, facta est.

Quæritur 8. Quid sit Simonia *confidentialis*?

Respondeo Simonia *confidentialis* est studiosa voluntas, pacto externo saltem tacito expressa, obligandi beneficiarium ad pensionem, accessum, regressum, ingressum, vel aliud onus beneficio extraneum. Ita quoad rem *Lessius*, *Suarez*, *Navarrus*; idem desumitur ex constitutione Pii IV. *Romanum Pontificem*; & ex constitutione S. Pii V. *Intolerabilis multorum perversitas*.

Dicitur 1. *voluntas obligandi ad pensionem*, hoc est, ad partem reddituum, solvendam v. g. resignanti, collatori, electoribus, Patrono, &c.

Dicitur 2. *voluntas obligandi ad accessum*. Intelligitur autem per accessum jus adeundi beneficium interea alteri collatum, quamprimum impedimentum ætatis, vel alterius inhabilitatis cessaverit in persona, cui cedendum est beneficium, v. g. si Patronns laicus Petro sacerdoti dicat: Ego te præsentabo ad pinguem Paro-

Parochiam in Campania, si tamen mihi promittas, te eam cessurum meo filio adhuc septenni, quamprimum ad Sacerdotium ascenderit.

Dicitur 3. *voluntas obligandi ad regressum*. Intelligitur autem per regressum jus de novo adeundi beneficium actu quidem jam possessum, sed alteri cessum, si cessionarius aliquando religionem ingressus, vel ad pinguius beneficium promotus fuerit, aut si præmoriatur ante se, v. g. si Petrus Beneficiatus Paulo dicat; Ego tibi cedo meum beneficium, eo tamen pacto, ut si pingius beneficium obtinueris, ad beneficium regressum habeam.

Dicitur 4. *voluntas obligandi ad ingressum*. Per ingressum intelligitur jus de novo obtinendi beneficium, actu quidem jam sibi collatum, necdum possessum, atque ante possessionem alteri cessum, quamprimum cessionarius religionem ingressus, vel ad pinguius beneficium promotus, vel ante se mortuus fuerit.

Quæritur 9. Quotuplex sit pretium Simoniacum?

Respondeo. Pretium Simoniacum est triplex. 1. *Munus a manu*. 2. *Munus a lingua*. 3. *Munus ab obsequio*. Ita habetur in C. *Salvator* 1. q. 3. *Munus a manu* vocatur pecunia, vel quodvis aliud honorarium, aut emolumentum temporale, v. g. fruges, animalia, prædia, quæ dantur pro re spirituali. *Munus a lingua* vocantur laudes, favores, intercessiones &c. quas aspirans ad beneficium Patrono, si sibi conferat beneficium, promittit pro obtinendo beneficio, ordine, vel alia re spirituali. *Munus ab obsequio* vocatur quodvis servitium pretio æstimabile, ac gratis alteri exhibitum cum intentione alterum tacite obligandi ad conferendum sibi beneficium vel aliam rem spiritualem.

Quæritur 10. Quibus modis committitur Simonia *per munus a manu*?

Respondeo. Simonia per munus a manu committitur sequentibus modis. 1. Si quis beneficium alteri confert ob pecuniam, vel aliam rem pretio æstimabilem. 2. Si quis alteri beneficium confert ob remissionem debiti, vel ob promissionem remittendi debitum. 3. Si quis collatori vel Patrono beneficii promittit, se illi remissurum debita activa aliena sui pupilli, vel suæ Ecclesiæ; vel si promittit, se illi condonaturum rapinas suæ Ecclesiæ illatas. C. talia. 8. q. 4. 4. Si quis collatori, Patrono beneficii, vel procuranti beneficium promittat pensionem annuam vel pecuniam. 5. Si Episcopus de beneficio, super quo non erat constituta pensio, extorqueat a collatario pensionem pro se vel consanguineo. C. un. *de benefic. Eccles.* 6. Si quis promittat pensionem alicui, ut se statim certiorem reddat de beneficiis vacantibus. 7. Si quis Aulico promittat pensionem, ut ferat auxilium pro obtinendo beneficio. Navarrus, Suarez, Filiutius. 8. Si quis Patrono beneficii promittat, se ab eo non exacturum decimas. 9. Si quis Canonicis electoribus promittat, se illis remissurum partem præbendæ. 10. Si volens ordinari ad titulum bonorum sibi ab alio assignatorum promittat, se nihil ab eo postulaturum. 11. Si quis sua bona Ecclesiæ tradit cum pacto, ut eligatur in Canonicum, & pro præbenda eadem sibi bona retineat. Secus vero, si illud libere & absque ullo pacto fiat. Navarrus, Suarez, Bonacina. 12. Si Patronus præsentet, vel collator conferat beneficium sub conditione commodandi sibi mutuum. Navarrus, Lessius, Suarez.

Quæritur 11. Quibus modis committatur Simonia *per munus a lingua*?

Respondeo. Simonia per munus a lingua committitur, si quis v. g. Patrono beneficii dicat: *Laudabo seu commendabo te apud Principem* pro obtinenda promotione, quam pro te, vel filio tuo desideras, *si mihi conferas beneficium Ecclesiasticum*. Hanc explicationem ex Panormitano tradit Layman.

Quæritur 12. Quibus modis committatur Simonia *per munus ab obsequio*?

Respondeo. Simonia *per munus ab obsequio* committitur 1. Si quis alicui conferat beneficium alioquin nullo gravatum onere cum obligatione docendi Grammaticam, Musicam, Theologiam,

vel præſtandi aliud ſervitium pretio æſtimabile. c. ult. de pactis & c. cum eſſent, de Simonia. Hoc tamen non obſtante poteſt Epiſcopus beneficio vacanti annectere nova perpetua onera in caſibus a jure vel conſuetudine conceſſis, dummodo ea onera non tendant in privatum domus aut familiæ Epiſcopalis obſequium. 2. Si collator beneficii vel elector intendat per promotionem ad beneficium ſolvere contracta debita ratione exhibiti ſervitii, ſolvenda aliunde per competens ſalarium ex juſtitia. Hinc Simoniæ rei non ſunt, qui Epiſcopis vel Cardinalibus minore ſalario ſerviunt ea intentione, ut illis ex quotidiana converſatione magis innoteſcant ſua merita; vel qui gratis ſerviunt ſolum ea intentione, ut ea occaſione reddantur in praxi aptiores ad ſerviendum ſuo tempore utilius Eccleſiæ.

Quæritur 13. Unde agnoſci poſſit, utrum temporale pro ſpirituali tradatur tanquam pretium, vel tanquam donatio gratuita, vel in partem ſalarii aliunde debiti?

Reſpondeo. Id agnoſcitur ex ſequentibus regulis. 1. Si valor rei temporalis, quæ datur, ſit reſpective exiguus, ita ut accipiens non cenſeatur propterea obligatus ad præſtandam rem ſpiritualem. Id contingit, ſi magna ſit accipientis dignitas vel opulentia; & res temporalis conſiſtat in paucis eſculentis vel poculentis, magis idoneis ad excitandam animi benevoli erga ſe memoriam, quam inducendam tacitam obligationem juſtitiæ vel gratitudinis, & res ſpiritualis ſit magni momenti v. g. pingue beneficium. 2. Si aliunde notum ſit; rem temporalem ſolum dari per modum eleemoſynæ vel ſtipendii in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, & non per modum ceſſionis, permutationis, aut abdicationis reciprocæ duarum proprietatum, ita ut unus alteri cedat proprietatem pecuniæ ſeu rei pretio æſtimabilis, alter viciſſim cedat proprietatem juris in re vel ad rem ſpiritualem, v. g. ad fructum ſpecialem Sacramenti, ſacrificii, meriti. Suppoſita enim ea ſententia, quod fructus ſpecialis ſacrificii per ſe ex opere operato cederet ſacerdoti celebranti, ſi pro ſe applicaret, & quod per applicationem pro alio ſe privet aliquo fructu alioquin ad ſe pertinente, ea fructus ſpecialis ceſſio non careret vitio ſimoniæ. Itaque, prout dicetur de ordine presbyteratus, ea applicatio pro alio non habet rationem ceſſionis, ſeu abdicationis juris ad fructum ſpecialem, nec ſacerdotem privat ullo emolumento ſpirituali, ſi ea applicatio pro aliis non fiat ex avaritia, ſed ex charitate juxta obligationem muneris & præſcriptum Eccleſiæ. 3. Si taxatio rei temporalis non fundetur in pactione privata, ſed in determinatione vel conſuetudine rationabili notoria Eccleſiæ. Exinde enim colligi poterit, rem temporalem non exigi in pretium rei ſpiritualis, aut functionis clericalis, quæ univerſim ex ſua natura petit eſſe gratuita, ſed in partem ſuſtentationis clericalis, quæ habetur ex vagis eleemoſynis fidelium. Hinc Clerico licet in adminiſtratione ſacramentorum recipere aut exigere ad ſuam ſuſtentationem conſueta ſeu taxata per conſtitutiones Eccleſiæ. Moliri autem novas inconſuetas pactiones ad exigendum pretium laboris Clericalis ſine vitio Simoniæ non licet. Id colligitur ex *Concilio Tridentino* Seſſ. 22. de celebratione Miſſæ, ubi dicitur: *In primis, quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur; nec importunas ac illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, Epiſcopi omnino prohibeant*. Similiter non licet novas conſtituere taxas circa adminiſtrationes ſacramentorum a communi more alienas.

Quæritur 14. An detur Simonia *pure mentalis*, non expreſſa ullo ſigno externo?

Reſpondeo. Sicut non datur emptio & venditio pure mentalis, ita proprie loquendo nec datur Simonia pure mentalis. Ea enim continetur in genere contractus ſeu pactionis. Sicut tamen voluntas interna ſeu propoſitum celebrandi emptionem vel venditionem in-

juſtam

justam in se continet totam malitiam objecti voliti, ita etiam interna voluntas seu propositum ineundi contractum simoniacum continet totam malitiam simoniæ coram Deo. Si quis aliter loqui velit, & per simoniam pure mentalem intelligere solum actionem internam; illud tamen concedendum est, leges Ecclesiasticas pœnales contra Simoniacos latas non afficere ejusmodi simoniam pure mentalem.

Quæritur 15. Utrum ad rationem Simoniæ realis requiratur, ut sit utrinque completa?

Respondeo. Ad rationem *Simoniæ realis perfectæ*, prout sumitur in legibus pœnalibus Ecclesiasticis, requiritur, ut traditio pretii & mercis spiritualis sit utrinque completa. Ad rationem autem *Simoniæ realis imperfectæ*, prout in legibus pœnalibus Ecclesiasticis venit sub termino generico Simoniæ, ea traditio utrinque non requiritur.

Quæritur 16. An incurrat pœnas aut crimen Simoniæ, qui ficte promittit rem temporalem pro spirituali, attamen sine animo servandi promissum?

Respondeo. Talis nec crimen, nec pœnas Simoniæ conventionalis incurrit; peccat tamen gravissime per talem fictionem, utpote inducendo alium ad intentionem simoniacam. Pro hac sententia citantur *Cajetanus*, *Sotus*, *Toletus*, *Navarra*, *Lessius*, *Suarez*, *Aragonius*, *Rodriguez*, *Valentia*, *Palaus*.

Quæritur 17. An possit dari parvitas materiæ in Simonia, v. g. vendendo pulvisculum Reliquiarium, aut guttulam aquæ benedictæ pro obolo?

Respondeo. In Simonia Juris divini & naturalis non datur parvitas materiæ. Ratio est; quia ingentis irreverentiæ est, minimum gradum rei intrinsece spiritualis aut æquiparare rei temporali, aut eum subjicere humano commercio, quod genus commercii cederet in gravem inhonestatem Ecclesiæ.

Respondeo 2. In Simonia solum Ecclesiastica datur parvitas materiæ. Ratio est; quia, cum in Simonia Ecclesiastica actus malitia non dependeat ex intrinseca natura objecti, sed ex voluntate legislatoris humani Ecclesiastici; verosimile est, hunc legislatorem nolle universim obligare sub gravi circa transgressionem respective levem legis Ecclesiasticæ.

Confirmatur ex eo; quia leges Ecclesiasticæ, sicut aliquando non erant, ita etiam possunt abrogari per consuetudinem contrariam rationalem. Itaque eadem ratione poterit etiam obligatio de se gravis temperari in levem pro exigentia materiæ levis. Hinc si quis in permutatione, resignatione, aut obtentione beneficiorum, quatenus solo jure Ecclesiastico rationem Simoniæ contrahit, solum *respective* leviter transgreditur limites & conditiones ab Ecclesia requisitas, non peccat mortaliter. Sic ad Simoniam quidem juris Ecclesiastici pertinet, si quis vendat pium Numisma, vel Rosarium benedictum pretio non excedente ipsam materiam & laborem & artem & portorium, non tamen videtur transgressio hujus legis in quovis casu particulari esse peccatum mortale, nisi interveniat contemptus interpretativus legis, & instituatur negotiatio circa ejusmodi res benedictas. Sic etiam si datio rei temporalis pro suscitanda benevolentia & attentione Patroni ad merita dantis aliquantulum excedat modum gratuitæ donationis cum exiguo ac remoto periculo irretiendi animum Patroni, non potest ejusmodi levis excessus liberalitatis condemnari peccati mortalis. Ejusmodi enim conditiones ad incurrendum grave peccatum Simoniæ ab Ecclesia requisitæ habent suam latitudinem.

Quæritur 18. Quænam sit materia Simoniæ juris Ecclesiastici?

Respondeo. Simonia juris Ecclesiastici pro sua materia seu objecto habet 1. Permutationem unius beneficii cum alio absque facultate legitimi Superioris. 2. Resignationem beneficii propria authoritate factam cum reservatione pensionis. 3. Venditionem beneficii quoad fructus & emolumenta temporalia. 4. Acceptionem alicujus rei causa examinis, juxta Trid. Sess. 24. C. 25. 5. Venditionem Officiorum extrinsece otdinatorum ad

ad res sacras, v.g. Sacristæ, Oeconomi, Procuratoris, Præpositi, Advocati, Cantoris &c. 6. Oblationem pecuniæ alicui factam, ut alteri suadeat collationem beneficii. 7. Exactionem pecuniæ pro admissione ad religionem quoad sustentationem, nisi ordo, ad quem candidatus admittitur, sit Clericalis, ubi omnes clerici professi applicantur ad munia Clericalia in cathedris, confessionali, vel parochiis. Cum enim in talibus Ordinibus status professorum se habeat instar beneficii curati, jure divino datur stricta obligatio recipiendi digniores, non ditiores. Hinc ejusmodi Simonia non foret tantum juris Ecclesiastici, sed etiam divini. Ita habetur in variis legibus Ecclesiasticis, de quibus infra. Cæterum nolim in particulari examinare, quis in ordine ad procurandam salutem animarum sit inter duos *simpliciter dignior*, an eximie litteratus ac probus, an vero eximie probus, optime educatus, ac notabili dote præditus, idonea ad necessitates Ecclesiæ sublevandas atque augendum cultum Dei.

Quæritur 19. Utrum nihil liceat exigere titulo laboris vel favoris pro administratione Sacramentorum?

Respondeo 1. *Pro administratione* sacramentorum nec exigere nec accipere quidquam licet titulo specialis laboris aut particularis favoris. Ratio est; quia prout in Tract. *de Justitia* ostensum est, juri divino repugnat, Officium Clericorum esse mercenarium, aut partiale.

Respondeo 2. Licet tamen *occasione administrationis* Sacramentorum exigere & accipere, quæ universim in integra diœcesi vel communitate pro honesta sustentatione Clericorum respectu omnium sine discrimine taxata vel consueta sunt. Ita colligitur ex *Concilio Lateranensi* sub *Alexandro* III. relato C. *cum in Ecclesia*, De Simonia, ubi sic habetur: „ „ Horribile nimis est (adeoque jure divino illicitum) quod in quibusdam „ Ecclesiis locum venalitas perhibetur „ habere, ita ut pro Episcopis vel Abbatibus, vel quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in Sedem, sive „ introducendis presbyteris in Ecclesiam, „ necnon & pro sepulturis & exequiis „ mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures, ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine „ arbitrantur, non attendentes, quod „ tanto graviora sint crimina, quanto „ diutius infelicem animam tenuerunt „ alligatam. Ne igitur hæc de cætero „ fiant vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus „ instituendis, aut sepeliendis mortuis, „ seu benedicendis nubentibus, seu aliis „ sacramentis conferendis seu collatis „ aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hæc præsumpserit, portionem cum Giezi se „ noverit habiturum.

Idem Pontifex ad Episcopum Cisterniensem, relatus in C. *Nemo* de Simonia, scribit: „ Nemo presbyterorum Xenium, vel emolumentum quodlibet „ temporale, imo spirituale detrimentum, a quocunque *publice peccante* „ accipiat, ut Episcopo vel Ministris „ ejus peccatum illius celet; nec pro „ respectu cujuscunque personæ consanguinitatis aut familiaritatis alienis communicans peccatis hoc Episcopo innotescere detrectet. Nec quenquam „ pœnitentem vel minus digne pœnitentem gratia vel favore ad reconciliationem adducat, & testimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque livore digne pœnitentem a reconciliatione removeat. Quia Simoniacum est utrumque.

Responsio 2. probatur ex C. ad Apostolicam, de Simonia, ubi Innocentius III. scribit: *Ad Apostolicam audientiam pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium & similibus pecuniam exigunt, & extorquent; & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. Econtra vero quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere*

gere sub prætextu Canonicæ pietatis. *Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Quod hoc loco de Sepultura dicitur, pari ratione de administratione Sacramentorum dicendum est.

Quæritur 2. Unde possit colligi, utrum Sacerdos aliquid exigat *pro administratione* Sacramentorum titulo laboris; vel *occasione Sacramentorum* titulo sustentationis?

Respondeo. Id colligitur ex duobus indiciis. 1. Si nolit administrare Sacramenta, nisi prius alter solverit taxam consuetam. Ita enim fit in venditionibus, ubi datur æquale pro æquali. 2. Si Sacerdos privatim paciscatur de quantitate taxæ præter morem consuetum loci, eam augendo vel minuendo. Taxa enim pro sustentatione congrua non dependet a privato Sacerdotis arbitrio, sed a judicio Episcopi & populi.

Quæritur 21. Quomodo possit committi Simonia circa Sacramentalia?

Respondeo. Per Sacramentalia intelliguntur variæ benedictiones Ecclesiæ. Authores dividunt Sacramentalia in *transeuntia* & *permanentia*. *Transeuntia* sunt, quæ consistunt tantum in actione transeunte, quin relinquant stabilem moralem effectum. Talia sunt benedictio Abbatum in Missa, vel benedictio Sacerdotis super populum. *Permanentia* sunt, quæ post se relinquunt stabilem moralem effectum. Talia sunt consecratio calicis vel Ecclesiæ, consecratio Chrismatis, benedictio olei, panis, agni. Manet enim *consecratus calix*, Ecclesia, Chrisma, & oleum, panis &c. manent *benedicta*.

His prænotatis *Dico* 1. circa Sacramentalia committi Simoniam, si carius vendantur ratione benedictionis, quam alioquin venderentur sine benectione. Censentur autem carius vendi, si alioquin passim venderentur & emerentur *pretio medio*, ratione tamen benedictionis venduntur & emuntur passim summo pretio.

Dico 2. Simoniacum est instituere negotiationem vel mercationem publicam circa res benedictas. Id probatur ex eo; quia *Gregorius* XIII. prohibuit; exponere in plateis venales Agnos Dei benedictos lucri causa ob intrinsecam hujus rei inconvenientiam. Ergo, cum eadem ratio sit in negotiatione circa alias res benedictas, etiam datur eadem inhonestas & malitia.

Dico 3. Non est illicitum, in casu particulari nulla interveniente negotiatione vendere rem consecratam seu benedictam ad usus pios computato solo pretio materiæ & artificii. Ita Bonacina, Palaus, Paludanus, Richardus, Navarrus, S. Antoninus, Sylvester, Cajetanus, Suarez, & alii. Idem probat consuetudo; quia etiam a Sanctis personis aliquando venduntur calices consecrati ad alias Ecclesias. Nec obstat Epistola Paschalis I. relata C. *si quis objecerit* 1. q. 3. Ea enim Epistola loquitur de venditione Ecclesiarum, Præbendarum, Castellorum &c. quorum venditio publica in apprehensione populi incapacis ad separandum temporale a spirituali non caret scandalo, vel certe periculo practico Simoniæ.

Dico 4. Simoniacum est, vendere res consacratas, aut benedictas ad usus profanos, patet ex l.3. Decr. tit. 17. de emptione.

Quæritur 22. Quomodo committatur Simonia in venditione Sepulturæ?

Respondeo 1. Locus sacer deputatus ad communem fidelium sepulturam vendi non potest absque Simonia patet ex C. *abolendæ de sepult.* ubi Innocentius III. sic scribit Episcopo Magalon. *Abolendæ consuetudinis perversitas apud montem Pessulanum inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur. Mandamus, quatenus inhibeas Clericis, ne quidquam omnino præsumant exigere hac de causa.*

Respondeo 2. Neque etiam licet vendere jus sepulturæ.

Ratio est; quia jus sepulturæ in loco sacro non respicit pro suo objecto ipsum materiale loci, sed potius sacrationem loci & dignitatem seu respectum ad venerationem publicam terræ, vel Ecclesiæ. Itaque non est materia contractus emptio-

ptionis, nec aliquid pretio æstimabili.

Respondeo 3. Licet tamen benefactori Ecclesiæ etiam sub promissione assignare ex titulo gratitudinis locum sepulturæ honoratiorem seu distinctiorem in cœmeterio, Capella, vel Ecclesia. Id enim nec jus nec ratio prohibet, & consuetudo Ecclesiæ confirmat.

Quæritur 23. An committatur Simonia ab iis, qui vendunt obligationes ad exequias pro defunctis, Anniversaria, officium defunctorum, vel alias prces publicas?

Respondeo 1. Simoniacum est, pro ejusmodi precibus, aut obligationibus recipere pecuniam, aut rem pretio æstimabilem per modum pretii. Id probatur in primis ex C. *ad nostram* de Simonia, ubi *Alexander* III. dicit: *Mandamus, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro vicariis assignandis, seu pro chrismate nullatenus pecuniam exigatis*. Idem probatur ex textu D. Thomæ proxime referendo.

Respondeo 2. Hinc nec licet in casu particulari pacisci de certa quantitate pecuniæ pro Exequiis, Anniversariis, aut processione seu conductu Clericorum. Ratio est; quia ejusmodi pactio habet speciem venditionis, ubi datur æquale pro æquali. Idem probatur ex ratiocinio D. Thomæ proxime referendo.

Respondeo 3. Licet tamen Ecclesiæ occasione ejusmodi officiorum Clericalium statuere taxam fidelibus in sustentationem Clericorum & incrementum causarum piarum. Ita docet D. *Thomas* 2. 2. q. 100. a. 3.

Respondeo 4. Licet etiam donatione gratuita provocare pauperes, vel Clericos ad preces privatas vel publicas: & iis vicissim licet se obligare titulo gratitudinis sub promisso ad ejusmodi actus virtuosos seu preces in bonum benefactorum. Ita docet D. *Thomas* loco citato his verbis: „ Dicendum, quod sicut „ Sacramenta dicuntur spiritualia, quia „ spiritualem conferunt gratiam, ita etiam quædam alia dicuntur spiritualia „ quia ex spirituali gratia procedunt, „ & ad eam disponunt: quæ tamen per „ hominum ministerium exhibentur, „ quos oportet a populo sustentari, cui „ spiritualia administrant, secundum illud 1. ad Corinth. 9. quis militat „ suis stipendiis unquam? quis pascit „ gregem, & de lacte gregis non manducat? & ideo vendere, quod spirituale est, in hujusmodi actibus, aut „ emere simoniacum est. Sed accipere, „ aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ, & consuetudinem approbatam, licitum est: ita tamen quod desit intentio emptionis, „ vel venditionis: & quod ab invitis „ non exigatur per Spiritualium subtractionem, quæ sunt exhibenda. Hoc „ enim haberet quandam venditionis „ speciem. Gratis autem Spiritualibus „ prius exhibitis, licite possunt statutæ, „ & consuetæ oblationes, & quicunque „ alii proventus exigi a nolentibus, & „ valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente.

„ Et *ad* 1. Ergo dicendum, quod sicut Hieronym. dicit super Michæam. „ Munera quædam sponte exhibeantur „ bonis prophetis ad sustentationem ipsorum, non quasi ad emendum prophetiæ usum: quem tamen pseudo-prophetæ retorquebant ad quæstum.

„ Et *ad* 2. dicendum, quod illi, qui „ dant eleemosinas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, „ non eo tenore dant quasi intendentes orationes emere. Sed per gratuitam beneficentiam, pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis „ gratis, & ex charitate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur „ ad sustentationem prædicantium: non „ autem ad emendum prædicationis verbum. Unde super illud 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri &c. dicit Gloss. Necessitatis est accipere, unde vivitur, charitatis est „ præbere: non tamen venale est Evangelium, ut pro his prædicetur: Si „ enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio. Similiter etiam „ aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Eucharistici „ Officii, sive pro vivis, sive pro mortuis, non quasi pretium, sed quasi

„ su-

„ sustentationis stipendium . Et eo etiam tenore pro processionibus faciendis in aliquo funere, aliquæ eleemosinæ recipiuntur . Si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, simonia esset. Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem. Quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosinam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi. Et præterea prima ordinatio habet speciem exactionis. Secunda autem habet speciem gratuitæ compensationis.

„ *Ad* 3. dicendum, quod ille, cui committitur spiritualis potestas, ex officio obligatur ad usum potestatis sibi commissæ in spiritualium dispensatione: & etiam pro sua sustentione statuta stipendia habet ex redditibus Ecclesiæ. Et ideo si aliquid acciperet pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare operas suas, quas ex debito suscepti officii debet impendere, sed intelligeretur vendere ipsum spiritualis gratiæ usum. Et propter hoc non licet pro quacunque dispensatione aliquid accipere; nec etiam pro hoc, quod vices suas committant, nec etiam pro hoc, quod subditos suos corrigant, vel a corrigendo desistant. Licet tamen eis accipere procurationes, quando subditos visitant: non quasi pretium correctionis, sed quasi debitum stipendium. Ille autem, qui habet scientiam, & non suscipit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem, aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex offiicio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, unde graviter peccaret. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesiis ad docendum Clericos Ecclesiæ, & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt: a quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc, quod doceant, nec ad hoc, quod aliqua festa faciant, vel prætermittant.

In hoc notabili textu D. Thomas expresse advertit, a Clericis in nullo exercitio ordinis Clericalis posse exigi aliquid per modum pretii *pro labore*. Itaque non datur alius titulus hæc exigendi, nisi taxatio Ecclesiæ in congruam sustentationem Clericorum, vel, si in casu particulari habeant honestam sustentationem aliorum Clericorum pauperum, & emolumentum causarum piarum, in quorum provisionem Clerici ditiores recipiendo ejusmodi fundationes constituuntur a Christo & Ecclesia tanquam dispensatores seu œconomi.

Quæritur 24. An liceat aliquid exigere pro ingressu in Religionem?

Respondeo 1. Non licet pro ingressu pacisci de certa summa per modum conditionis vel pretii. Quia hoc modo in æstimatione morali censeretur status religiosus vænalis, quod est Simoniacum.

Respondeo 2. Si tamen Monasterium habeat redditus insufficientes pro persona supernumeraria alioquin minus idonea præ aliis candidatis, licet pro tali persona supernumeraria pacisci de sufficiente vitalitio.

Respondeo 3. In concursu plurium candidatorum ad munia Clericalia vel religiosa æque habilium licet præferre benefactorem ultroneum Ordinis vel Monasterii.

Respondeo 4. Si Superiores Ordinum recipiant personam minus idoneam tanquam supernumerariam sub pacto vitalitii, seu pretii pro substentatione, nec tamen propterea augeant numerum consuetum, patebit fictio, & intentio Simoniaca, ubi Innocentius III. sic scribit: *Nuntius tuus proposuit, quod cum in monasteriis pullulasse repereris Simoniacam pravitatem, ita quod in eis multi pretio sunt recepti, qui potius gratis debu-*

buissent recipi; imo etiam ad religionis observantiam invitari. Respondemus, ut tam in dantes, quam in recipientes Canonicæ severitatis exerceas ultionem. Eos, qui per Simoniacam pravitatem in locis talibus sunt recepti, ab illis amotos ad agendam pœnitentiam ad monasteria dirigas arctiora. Abbatibus autem & Abbatissis, Prioribus, Prælatis quibuslibet & Officialibus eorundem injungas pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint, eos a Sacrorum Ordinum executione suspendas, injungens Episcopis tuis, ut hanc formam per suas Diœceses studeant observare. Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum. Exactius hæc explicat D. *Thomas* Innocentio III. coævus 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. sic scribit: *Dicendum, quod pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium. Licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes: Similiter etiam licitum est, si propter devotionem, quam aliquis ad monasterium ostendit, largas eleemosinas faciendo, facilius in monasterio recipiatur: Sicut etiam licitum est aliquem e converso provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum. Licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii, ut habetur 1. qu. 2. cap. Quam pio.*

Quæritur 25. An universim sit Simonia, aliquid exigere pro labore, qui reperitur in munere Clericali?

Respondeo. Authores distinguunt inter laborem actui Clericali *intrinsecum* & *extrinsecum*. *Labor intrinsecus* est, sine quo actus Clericalis fieri nequit. *Labor extrinsecus* est, qui ab actu Clericali est separabilis; talis labor extrinsecus est; agere iter unius Leucæ ad Missam celebrandam. Hoc prænotato

Respondeo 1. Est simoniacum, accipere pretium pro labore actui Clericali intrinseco. Ita Paludanus, Durandus, D. Thomas supra relatus, Sotus, Sylvester, Abbas, Innocentius, Ostiensis, Suarez, Valentia, Toletus, Guttierez, Palaus. Idem probatur argumento C. *Si quis objecerit.* 1. q. 3. ubi dicitur: *Si quis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt* (nempe redditus) *penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas sine rebus corporalibus* (redditibus) *ad nihil proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.* Hæc Paschalis I. ratiocinatio applicata ad laborem actui Clericali intrinsecum in æstimatione morali bona est.

Respondeo 2. Si agatur de labore extrinseco, iterum distinguendum est. Si enim labor sit tantum extrinsecus actui Clericali, non tamen sit extrinsecus muneri Clericali, v. g. Parochiali, beneficiali, Capellaniæ, Vicariæ &c. non licet pro tali labore excursionis extraordinariæ exigere pretium, aut pacisci de pretio.

Ratio est, quia ejusmodi excursiones, licet interdum extraordinariæ, per modum proprietatis inseparabiles sunt a re intrinsece spirituali, nempe a munere parochiali vel beneficio. Itaque solum permittitur exigere *consueta* vel *taxata* per Superiorem pro tali circumstantia.

Respondeo 3. Si labor sit prorsus extrinsecus non tantum actui, sed etiam muneri vel officio Clericali particulari, ita ut omnino sit vi status & conditionis indebitus, & pretio notabili æstimabilis, sic licet pacisci de tali labore. Talis labor foret, si sacerdos nec ex munere parochiali, nec ex beneficio obligatus ad excurrendum conduceretur pro legenda Missa in Ecclesia distante duabus horis. Ita sentiunt Guttierez, Toletus, Valentia, Suarez, & Catalanus cum aliis.

Quæritur 26. An sit Simoniacum vendere scientias Theologicas?

Respondeo. Cum D. *Thoma* 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3. 1. Scientias vendere, præsertim Theologicas, est Simoniacum; ope-

operam tamen in genere locare indiscriminatim omnibus pro pretio dividendo in clientes vel discipulos juxta proportionem laborum & conatuum non est Simoniacum. *Ille*, inquit, *qui habet scientiam, & non suscipit cum hoc officium, ex quo obligetur aliis usum scientiæ impendere, licite potest pretium suæ doctrinæ vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Si autem ex Officio ad hoc teneretur, intelligeretur ipsam vendere veritatem, unde graviter peccaret. Sicut patet in illis, qui instituuntur in aliquibus Ecclesiis ad docendum Clericos Ecclesiæ & alios pauperes, pro quo ab Ecclesia beneficium recipiunt; a quibus non licet eis aliquid recipere, nec ad hoc, quod aliqua festa faciant, vel prætermittant.* In his ultimis verbis S. Thomas tangit laborem extraordinarium in docendo diebus recreationum, quem negat pretio vendi posse ab iis, qui ad locandam suam omnibus operam pro salario sufficiente conducti sunt. Itaque verum non est, quod Catalanus cum nonnullis docet, Theologum sua consilia tam in Theologia Morali, quam scientiam in speculativa vendere posse.

Ratio autem, cur nulla scientia vendi possit, est; quia ex suo genere non solum in ordine gratiæ sed etiam in ordine naturæ est speciale & inæstimabile donum Dei. *Salomon* in l. Sap. c. 7. ait: *Venit in me spiritus sapientiæ & præposui illam regnis, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam in comparatione illius omne aurum arena est exigua --- quam sine fictione didici & sine invidia communico; infinitus enim est thesaurus hominibus.* Hinc etiam Christus Matth. 10. ait: *Euntes prædicate dicentes; quia appropinquavit regnum cœlorum. Gratis accepistis; gratis date.*

Quæritur 27. An committat Simoniam, qui concionatur pro pretio?

Respondeo. Simoniacum est, concionari pro pretio. Ratio est, quia concionari est officium Clericale. Cum ergo officium Clericale sit ex sua natura gratuitum ac ministeriale respectu Dei, cujus Clerici sunt Ministri, & quem solum in susceptione Clericatus suam mercedem esse profitentur, repugnat, actus ministerii Clericalis esse mercenarios. Non est tamen Simoniacum, si Concionator exigat congruam sustentationem, vel aliquid exigat ab Ecclesia vel consuetudine taxatum in partem congruæ sustentationis. Ita docet *D. Thomas*, *Cajetanus*, *Suares*, & alii. *D. Thomas* 2. 2. q. 100. a. 3. ad 2. sic scribit: *Prædicantibus temporalia debentur ad sustentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde Glossa dicit: Necessitatis est, accipere unde vivitur; charitatis est præbere. Non tamen vænale est Evangelium, ut pro his prædicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt.*

Quæritur 28. An sine Simonia emi & vendi possint annexa rei spirituali?

Respondeo. Annexa rei spirituali dicuntur ab authoribus tripliciter, 1. *antecedenter*. 2. *concomitanter*. 3. *consequenter*. *Annexa antecedenter* rei spirituali vocantur, quorum materia præcedit sacrationem, sicut sunt vestes sacræ, vasa sacra, quorum materia utique præcessit sacrationem. *Annexa concomitanter* rei spirituali dicuntur, quorum materia comproducitur simul cum ipsa sacratione, sicut est labor, locutio, actio, motio concomitans ministerium sacrum. *Annexa consequenter* vocantur, quorum materia primum consequitur per modum effectus ad ministerium sacrum, sicut sunt redditus beneficii. Hoc prænotato *dicendum*; nec emi nec vendi posse annexa rei spirituali stante annexione, sive sint annexa antecedenter, sive concomitanter, sive consequenter. Ratio est; quia nec Ecclesia, nec authores in ordine ad excusationem Simoniæ inter hos modos annexionis distinguunt. Ita Bonacina, Catalanus.

Quæritur 29. An beneficia simplicia sint invendibilia jure divino, vel tantum Ecclesiastico?

Respondeo. Beneficium definitur jus perpetuum percipiendi redditus ex ministerio Clericali. Theologi communiter docent, ejusmodi jus percipiendi annuos fructus esse invendibile jure divino.

no. Econtra Canonistæ communiter docent, ejusmodi jus esse invendibile solo jure Ecclesiastico. Multi cum Lessio distinguunt. Docent enim; hoc jus percipiendi annuos fructus esse jure divino invendibile, quamdiu manet annexum ministerio Clericali; illud autem esse vendibile, quando authoritate Ecclesiastica in majus bonum Ecclesiæ separatur a ministerio Clericali. Horum posteriorum Doctorum sententiam approbat praxis Ecclesiæ; quia in Germania & Gallia jus decimandi passim reperitur translatum in laicos, qua de causa vocantur *decimæ laicales* seu *sæcularizatæ*. Censeo tamen, esse juris divini; ut jus percipiendi ejusmodi redditus sit inseparabile a ministerio sacro; nisi eam separationem exigat *evidenter majus* bonum Ecclesiæ, & Beneficiato, v. g. Parocho, Abbati, Episcopo relinquantur sufficientes redditus pro decenter obeundo suo munere, v. g. ornanda Ecclesia, honeste alendis Clericis, Ministris, famulis, decenti sustentatione &c. Tales separationes factæ sunt tempore *Caroli M.* & Imperatorum, quando instabant bella contra Gentiles, & Nobilibus non poterant ex aliis bonis pro suo conductu militari aliter præstari stipendia. Eo enim tempore reperiuntur tales decimæ, vel redditus collati fuisse *Militibus*, hoc est, Nobilibus, quorum quisque *suis impensis* educebat catervam militum. Cæterum, an causæ ejusmodi sæcularizationum semper in casu particulari subsistant, vel utrum re vera in majus bonum Ecclesiæ aliis remediis provideri nequeat, exacte & severe dijudicabit Deus. Illud observo; justo Dei judicio tales sæcularizationes redditUum nonnunquam permitti, quia jam prius videbantur esse sæcularizatæ ab ipsis parochis, Abbatibus, Episcopis; redditus in vanam pompam, luxum, sæculares usus, more aliorum sæcularium civium, nobilium, vel principum abusu sacrilego convertentibus, qua ratione non solum bona Ecclesiastica tractantur tanquam sæcularia, sed etiam ministerium Parochiale, Abbatiale, & Episcopale suo vigore, hoc est, anima, vix non penitus destituitur, & in languorem insanabilem conjicitur, languentibus languente capite membris cæteris.

Quæritur 30. Quomodo Simonia locum habeat in *Pensionibus*?

Respondeo. Duplicis generis dantur pensiones, nempe *Laicalis*, & *Clericalis*. *Pensio laicalis* vocatur, quæ tribuitur ex bonis authoritate Ecclesiastica jam sæcularizatis. *Pensio Clericalis* dicitur, quæ tribuitur ex bonis Ecclesiasticis adhuc annexis ministerio clericali. Tales pensiones clericales sunt in quadruplici differentia. Nam 1. aliquæ dantur clerico pauperi in ejus sustentationem. 2. Aliquæ dantur Parocho seni ad sua munia inhabili pro ejus sustentatione. 3. Aliquæ dantur resignanti beneficium pacifice possessum. 4. Aliquæ dantur ad litem de beneficio componendam. His prænotatis.

Dico: De pensione laicali licet absque Simonia disponere per contractum venditionis; Pensionem autem clericalem vendere est simoniacum. Ita *communis*, ac *certa*.

Ratio est, quia clericalis pensio non solum fuit *extracta* ex bonis Ecclesiasticis annexis ministerio clericali, quod est intrinsece Spirituale, sed etiam adhuc manet annexa ministerio clericali; Econtra Pensio laicalis, licet sit *extracta* ex bonis Ecclesiasticis, jam est sæcularizata, seu separata a titulo Spirituali; nec amplius manet annexa ministerio Clericali.

Quæritur 31. An absque Simonia vendi possint fructus Pensionis Clericalis etiam ad totam vitam pensionarii?

Respondeo. Non possunt absque Simonia vendi ad totam vitam pensionarii. Ratio est; quia ea venditio non est tantum venditio fructuum, sed etiam juris vitalitii, ex intentione Superioris Ecclesiastici concedentis pensionem manifeste adhuc annexi ministerio Clericali. Jure enim Canonico prohibitum est beneficiato, alienare fructus sui beneficii ad longius tempus triennio. Ergo etiam ex intentione Ecclesiæ prohibita erit ea alienatio quoad pensionem, ne pensionarius vendendo simul ac semel

mel omnes futuras annuas pensiones fiat oneri Ecclesiæ, sicque frustret benignitatem Ecclesiæ. Itaque jus vitalitium remanet annexum functioni Clericali.

Quæritur 32. Quomodo Simonia locum habere possit circa Præstimonia, Commendas, Coadjutorias, Præfecturas Hospitalium?

Respondeo 1. Simoniacum est, vendere *Præstimonia*. Ratio est, quia re ipsa nil aliud sunt, quam pensiones Clericales, concessæ studiosis se obligantibus ad statum Clericalem suscipiendum. 2. Simoniacum est, vendere *commendas Ecclesiasticas*. Ratio est, quia, cum consistant in delegatione jurisdictionis spiritualis erga Ecclesiam alicui curæ concreditam, eoipso pertinent in classem rerum spiritualium. 3. Simoniacum est, vendere *coadjutorias*, etiam sine jure successionis. Ratio est, quia coadjutoria, licet non habeat naturam beneficii, habet tamen naturam Commendæ, seu Vicariæ temporaneæ cum delegatione jurisdictionis spiritualis. Itaque ex sua natura pertinent in classem rerum spiritualium. 4. Non tamen est Simoniacum, vendere *præfecturas hospitalium*, si nondum sint erecta authoritate Episcopi vel recepta in tutelam Ecclesiæ. Ita Suarez & Gonzalez. Ratio est, quia, si non substant speciali jurisdictioni Episcoporum, ejusmodi præfecturæ directe ac immediate solum ordinantur ad salutem corporum; ac proin non pertinent in classem officiorum spiritualium. Aliud vero dicendum est, quando Hospitalia sunt erecta authoritate Episcopi, ita ut præfecturæ dependeant a directione aut visitatione Episcopi. Tunc enim ordinantur non tantum in salutem corporum, sed etiam animarum, & sic veniunt in classem rerum spiritualium. 5. Simoniacum est, emere aut vendere Capellanias, etiamsi non sint erectæ authoritate Episcopi, nec sint perpetuæ nec curatæ. Ratio est, quia ex sua natura sunt aliquid intrinsece spirituale, utpote ordinatæ ad sacrificium Missæ devote & exemplariter peragendum. Licebit tamen honorariis sufficientibus permovere Patronos ad conferendam digno ejusmodi Capellaniam, aut procurandam; dummodo non interveniat expressa vel tacita pactio. Ratio est, quia id nec jure naturali, nec divino, nec Ecclesiastico prohibitum reperitur, prout tamen jure Ecclesiastico prohibitum reperitur circa beneficia. Ita quoad secundum sentiunt Gonzalez, Palaus, Catalanus.

Quæritur 33. An & quomodo possit alienari vel usurpari Jus patronatus sine Simonia?

Respondeo 1. Jus patronatus *reale*, seu annexum bonis immobilibus, licite alienatur sine Simonia alienatione bonorum immobilium, quibus est annexum. Ita omnes.

Respondeo 2. In ejusmodi tamen alienatione bonorum immobilium nequit sine Simonia exigi auctius pretium ratione annexi juris Patronatus. Multo minus potest sine Simonia Jus patronatus separatim taxari pretio. Ratio est; quia Jus patronatus est intrinsece aliquid spirituale, adeoque jure naturali & divino exemptum a commercio humano & incapax ullius pretii temporalis.

Respondeo 3. Simoniacum est, si Patronus præsentato imponat onus temporale, per se non intrinsecum ipsi beneficio titulo primævæ reservationis, vel authoritate Ecclesiæ. Ratio est, quia ejusmodi impositio oneris temporalis re ipsa est quædam venditio rei spiritualis pro temporali.

Respondeo 4. Jus patronatus *personale* aut *familiare*, etiamsi transeat ad hæredes, non potest sine Simonia alienari in alios laicos extraneos per donationem, venditionem, aut permutationem sine authoritate Ecclesiæ. *Ratio* est, quia Jus patronatus, cum intrinsece per modum dispositionis proximæ ordinetur ad collationem jurisdictionis spiritualis ab Episcopo necessario respectu Patronorum laicorum, si simpliciter idoneum præsentaverint, conferendæ, est intrinsece aliquid spirituale; adeoque inconferibile laicis ab Ecclesia, nisi personis & familiis dignis, quales primitus erant fundatores Ecclesiarum, & primates parochiarum saluti suorum con civium invigilantes. Ita-

Itaque intereſt Eccleſiæ, eique jure divino competit, ne ſinat ſibi imponi neceſſitatem acceptandi a quibuſvis laicis miniſtros Eccleſiæ; ſed tantum ea neceſſitate ſtringi ſe permittere poteſt reſpectu perſonarum & familiarum, ſaluti animarum præſumptive invigilantium.

Reſpondeo. 5. Jus patronatus perſonale aut familiare non tranſit tranſeunte ad alios dominio vel adminiſtratione bonorum mobilium vel immobilium. *Ratio* eſt, quia Jus patronatus ex primæva ſua origine ab Eccleſia non fuit annexum bonis privatorum facile tranſeuntibus ad indignos, ſed tantum perſonis, communitatibus, aut familiis illuſtribus, eo jure titulo primævæ fundationis aut reſervationis apprime dignis, in quibus non eſt facilis tranſitus bonorum ad extraneos indignos. Itaque contra naturam hujus juris & contra intentionem primævam Eccleſiæ eſt, Jus patronatus *per ſe potius* alligari bonis, quam perſonis & familiis. Igitur in caſu dubio in favorem potius perſonarum & familiarum ſemel ab Eccleſia in Patronos receptarum, quam bonorum ſuos Dominos mutantium pronuntiandum, vel id ſpeciatim *judicio* Eccleſiæ vel *arbitrio* in caſu particulari relinquendum eſt.

Quæritur 34. An & quomodo Simonia locum habere poſſit in permutatione beneficiorum?

Reſpondeo 1. Permutatio beneficiorum privata authoritate facta eſt Simoniaca Simonia juris Eccleſiaſtici, quando fit ſine detrimento notabili ſpirituali alicujus perſonæ vel communitatis. Id patet ex C. *cum capit.* de Permut. & C. *majoribus.* de præbendis. & *c. ult.* de pactis.

Reſpondeo 2. Permutatio Beneficiorum privata authoritate facta eſt Simoniaca Simonia juris etiam divini, quando fit cum probabili detrimento ſpirituali perſonæ alicujus tertiæ vel communitatis. Ratio eſt, quia in tali caſu mutatur re ipſa pro commodo temporali adminiſtratio curæ animarum cum præjudicio tertii, cujus ſaluti decenter ac congrue proſpicere pertinet ad providentiam Epiſcopi.

Reſpondeo 3. Simoniaca eſt permutatio Beneficiorum cum penſione aut commenda laica. Ratio eſt; quia hoc modo fit vera permutatio ſeu alienatio rei ſpiritualis pro re temporali.

Reſpondeo 4. Simoniacum eſt Simonia juris Eccleſiaſtici facere coram Epiſcopo permutationem Beneficiorum ſub onere extraneo temporali non permiſſo de jure, vel particulari locorum rationabili conſuetudine. Ita *Navarus*, *Suarez*, *Azor*, *Palaus*. *Ratio* eſt, quia ſolum licita eſt in jure permutatio nuda ſeu pura coram Epiſcopo; qualis non eſt gravata onere temporali extrinſeco. Cum tamen in ejuſmodi rebus valeat rationabilis Diœceſium vel Provinciarum conſuetudo, eam tuto ſequi licet.

Reſpondeo 5. Simoniaca non eſt permutatio Beneficiorum pura facta coram Epiſcopo vel alio habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Patet ex variis Capitulis Tit. *de Præbendis*, & *rerum permutatione*.

Reſpondeo 6. Licita eſt permutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali, v. g. Imaginis benedictæ pro calice conſecrato, coronæ argenteæ benedictæ pro corona lignea habente magnas Indulgentias, niſi exceſſus pretii quoad materiam in una re alienetur intuitu majoris valoris ſpiritualis in altera non per modum *liberalis donationis*, ſed tacitæ venditionis, quod exinde agnoſci poterit, ſi non donaretur amico alia ex cauſa exceſſus ille pretii, & alter non foret paratus ad compenſandum exceſſum pretii.

Reſpondeo 7. Permutatio decimarum laicalium pro jure Patronatus eſt ſimoniaca, niſi fiat translatio juris patronatus in perſonas Eccleſiaſticas accedente authoritate Papæ, vel Epiſcopi, ac inſuper concurrente cauſa concernente univerſale bonum Eccleſiæ, ſi decimæ veniant in manus laicas.

Quæritur 35. An & quomodo Simonia locum habeat in Reſignatione Beneficiorum?

Reſpondeo 1. Reſignatio pura & abſoluta in manus Superioris legitimi licita eſt. Reſignatio *pura* vocatur, quæ fit ſine onere penſionis. *Abſoluta* dicitur

tur, cui non apponitur conditio. Per Superiorem legitimum non intelligitur Patronus, sed Episcopus, qui in beneficio instituit, vel alius gaudens potestate instituendi & destituendi.

Respondeo 2. Resignatio Beneficii conditionata per Bullam S. Pii V. *Quanta Ecclesiæ*, quamvis authoritate Ordinarii fiat, invalida est, nisi in particulari provincia rationabilis consuetudo aliud obtineat. Hinc etiam invalida est resignatio, quamvis coram Ordinario fiat, in favotem tertii.

Respondeo 3. Non est simoniaca resignatio pura & absoluta additis tamen precibus in favorem tertii, dummodo non interveniat pactio expressa vel tacita, qua collator tacite obligetur ad conferendum beneficium illi, pro quo oratur. Ita communis.

Respondeo 4. Resignatio cum reservatione pensionis per Jus & Bullam præfatam simoniaca est Simonia juris Ecclesiastici. Patet ex *c. fin.* de pactis, & Bulla prædicta.

Respondeo 5. Non datur ulla rationabilis consuetudo resignandi passim in favorem tertii. Ratio est, quia ea consuetudo faceret successiones in beneficiis passim hæreditarias, vel ex affectu partiales, vel venales, quæ pestis foret maxima in Ecclesia Dei. Omne autem, quod fovet periculum proximum ad ejusmodi pestem, est irrationabile.

Respondeo 6. Permutationes *triangulares* beneficiorum, ut vocantur, quando tres inter se permutant simul sua beneficia, non sunt illicitæ, nec comprehenduntur sub resignatione *in favorem*, ac proin non sunt illicitæ, dummodo fiant coram Episcopo.

Respondeo 7. Simonia confidentialis comprehenditur sub prohib tione ac irritatione *resignationis conditionatæ*, *vel in favorem* tamquam genus in specie. Patet ex definitione superius data qq. 8.

Respondeo 8. S. *Pius V.* in præfata Bulla etiam requirit causam rationabilem ad resignationem licitam. Causæ in Bulla expressæ sunt; si resignans sit senio confectus, aut valetudinarius, aut corpore impeditus, seu vitiatus, aut crimini obnoxius, aut censura irretitus, aut si nequeat vel debeat beneficio inservire; vel si ob capitales inimicitias non audeat in loco beneficii residere, securus &c. &c.

Quæritur 36. Quomodo locum habeat Simonia in componenda lite, vel impedienda vexatione super beneficio?

Respondeo 1. Omnis pactio seu conventio collitiganti onerosa, si authoritate propria fiat, est simoniaca. Talis pactio foret, si quis collitiganti cedat beneficium litigiosum ob pecuniam ab eo acceptam, vel ob pensionem, vel ob aliud beneficium a collitigante sibi cessum. Id patet ex *C.præterea* de Transact. & *C. cum pridem*de pactis & *C.* 2. de arbit. & *C. ult.* de permutat.

Respondeo 2. Eadem tamen pactio ad litem componendam non est simoniaca, si fiat authoritate Episcopi, & in onus nil aliud imponatur, nisi pensio, quæ ab Episcopo probabilius imponi potest non solum ad vitam beneficiati, sed etiam ad vitam pensionarii, ita ut transeat ad successores beneficiati.

Dixi: Si in onus nil aliud imponatur, nisi pensio. Si enim collitiganti in compensationem cessionis promittatur a collitigante aliud beneficium, vicaria, coadjutoria, quia haberet speciem resignationis in favorem, *Catalanus* vult, admissionem hujnsmodi pactionis pertinere ad summum Pontificem.

Respondeo 3. Beneficiatus habens *jus aquisitum* in beneficio potest sine Simonia redimere vexationem injustam impedientium se a jure aquisito, vel a capienda possessione. Immo, si redimatur vexatio ab iis, ad quos non spectat beneficii collatio, quamvis jus necdum fuerit aquisitum, ea redemptio non erit simoniaca, ut Palaus, & Catalanus observat.

Respondeo 4. Simoniaca tamen foret jure necdum aquisito redemptio vexationis ab eo, ad quem spectat collatio beneficii. Ita docet *Soto*, *Suarez*, *Lessius*, *Catalanus*; idque colligunt ex *C. sic tuis.* de Simonia. *Rationem* dant; quia redimere vexationem collatoris *a ju-*

jure aquirendo esset nil aliud, quam directe per pecuniam quærere beneficium.

Quæritur 37. Quales incurrantur pœnæ a Simoniacis?

Respondeo. Pœnæ in Simoniacos latæ sunt *triplicis generis*. Aliquæ enim feruntur in *simoniace ingredientes Religionem*; aliquæ in *simoniace ordinatos*; tertiæ in *simoniace recipientes beneficium*.

Circa primum per Extrav. 1. de Simonia statuuntur hæ pœnæ ipso facto quoad 1. & 3. genus incurrendæ. 1. Excommunicantur personæ aliquid exigentes ab ingressuro pro receptione in Religionem. 2. Suspenditur capitulum, quod in eam receptionem consensit ab officio capitulari & Jurisdictione Ecclesiastica. 3. Simoniace admissi traduntur in aliud arctius monasterium. Ut tamen hæ pœnæ incurrantur, requiritur Simonia completa secuto effectu, seu professione.

Circa secundum per Extrav. 2. de Simonia, statuuntur hæ pœnæ ipso etiam facto incurrendæ. 1. Simoniace ordinantes, præsentantes, vel mediatores excommunicantur excommunicatione reservata Pontifici. 2. Ordinantes simoniace suspenduntur ipso facto a collatione quorumcunque ordinum per Bullam *Sixti V. Sanctum*. 3. Simoniace ordinantes ponuntur sub Interdicto ab ingressu Ecclesiæ per eandem Bullam Sixti V. 3. Simoniace ordinati incurrunt excommunicationem & suspensionem ab executione ordinum sic receptorum reservatam Papæ. Non tamen incurritur hæc pœna, si Simonia commissa fuerit ab alio id ignorante ordinato, aut non cooperante. Quia non decet, innocentem puniri per censuram.

Circa Tertium per Extrav. 2. de Simonia incurruntur ipso facto hæ pœnæ. 1. Conferentes vel procurantes simoniace Beneficium incurrunt excommunicationem. 2. Irrita est collatio, ita ut Beneficiarius nullum aquirat jus, sed teneatur ad eorumdem restitutionem. Hæc inhabilitas ad beneficium per C. penult. de elect. incurritur, si simonia ab alio commissa fuerit, & hujus conscius nihilominus beneficium acceptaverit. Imo si simonia ab alio, non inimico, sed amico, in favorem instituendi commissa fuerit, institutus tenetur beneficium dimittere, quamprimum sibi constiterit de commissa tali Simonia. *C. nobis fuit*. & *C. sicut tuis*. de Simonia. 3. Incurritur inhabilitas etiam ad obtinenda alia beneficia, ut habetur in præfata Bulla Sixti V. 4. Incurritur etiam privatio beneficiorum antea acceptorum; eo tamen discrimine, ut priores pœnæ incurrantur ipso facto, quin opus sit sententia condemnatoria vel declaratoria criminis, ut patet ex Bulla *Pii IV. Romanum*, & ex Bulla *S. Pii V. Intolerabilis*. Privatio autem beneficiorum prius habitorum requirat sententiam non solum declaratoriam sed etiam condemnatoriam de crimine. Ita Suarez & Catalanus. Cæterum, an ad incurrendas has pœnas requiratur, ut Simonia sit utrinque completa, aut num debeat esse completa perfecte per solutionem adæquatam pretii condicti, disputant authores. Intentio Summorum Pontificum statuentium has pœnas esse videtur, quod sufficiat completio reciproca inadæquata seu inchoata.

Quæritur 38. Qualis oriatur obligatio restituendi ex Simonia?

Respondeo 1. Non datur obligatio restituendi *pure spiritualia* aquisita per Simoniam. *Dixi*, *pure spiritualia*; hoc est, in quibus non reperitur materia vel ars *notabili pretio* æstimabilis. Talia enim restituenda sunt. Pure spiritualia sunt v. g. Reliquiæ, grana benedicta, jus Patronatus, licentia eligendi Confessarium, &c. Hæc proin, si aquisita fuerint simoniace, non necessario restituenda sunt; quia, cum non habeant pretium, non sunt materia contractus; adeoque transeunt sine onere restitutionis ab uno ad alterum per modum objecti neglecti & abdicati.

Respondeo 2. Temporalia simoniace aquisita pro præsentatione, collatione, aut confirmatione beneficii seu alterius juris spiritualis restituenda snnt non secuta conditione. Ita communis. Notat tamen *Covarruvias*, ea saltem in foro externo, non posse repeti a dante ob turpitudinem commissam.

Res-

Respondeo 2. Temporalia simoniace aquisita pro præsentatione, collatione, aut confirmatione beneficii seu alterius juris spiritualis restituenda sunt non secuta conditione. Ita communis. Notat tamen *Covarruvias*, ea, saltem in foro externo, non posse repeti a dante ob turpitudinem commissam.

Respondeo. 3. Pretium simoniace acceptum pro præsentatione, collatione, aut confirmatione beneficii restituendum est ante sententiam Judicis. Id authores deducunt ex *C. de hoc. de Simonia*.

Respondeo 4. Restitutio hæc impleta conditione de jure communi facienda est Ecclesiæ, in qua est beneficium. Ita authores desumunt ex *C. de hoc.* de Simonia. *Catalanus* tamen, cum hæc lex pœnalis sit, probabile, hoc est ex ejus mente, licitum esse censet, si ante sententiam judicis restituatur ipsi danti. Id per Epikiam admitti posset, si simoniacus facti pœnitens cesserit beneficio, & egeat.

Respondeo 5. Pretium ex quavis Simonia alia juris naturalis vel divini, non versante in materia beneficiorum restituendum est ante sententiam Judicis ipsi danti. Ratio est, quia contractus turpes sunt jure naturæ invalidi.

Quæritur 39. Quis possit dispensare cum simoniacis?

Respondeo 1. Ab incursa suspensione solum triennali, inflicta per sententiam Judicis, juxta Palaum absolvere potest Episcopus, qui suspendit; a suspensione vero perpetua absolvere potest solus Papa, qui eam pœnam statuit.

Respondeo 2. Ab excommunicatione lata in simoniace ordinantes, absolvere potest solus Papa, quia est reservata Papæ. Si tamen fuerit occulta, ac necdum deducta aut proxime deducenda ad forum contentiosum, ab ea absolvere possunt Episcopi per Tridentinum, & plerique Religiosi per privilegium ordinis.

Respondeo 3. Absolutio a suspensione, quam incurrunt ordinati & ordinantes simoniace, reservata est Papæ per c. penult. de Simonia.

Respondeo 4. Idem dicendum de Interdicto ab ingressu Ecclesiæ quoad simoniace ordinantes, aut recipientes beneficium in confidentiam, nisi tale crimen occultum sit. Hoc enim casu per Tridentinum Sess.2. 4. c. 6. potest absolvere Episcopus.

Respondeo 5. Circa inhabilitatem ad beneficium, si beneficium sit simplex, & simonia ignorante beneficiario commissa sit, ille, qui beneficium bona fide accepit, post liberam beneficii resignationem, potest illud denuo accipere ab Episcopo. Si autem beneficium non sit simplex, prima vice conferendum est alteri; prout patet ex c. penult. de electione. Sed si secunda vice vacet, & beneficiarius prima vice exclusus ignoravit simoniam commissam, illi in nova vacatura secunda potest conferri; non vero, si fuit conscius simoniæ. Et quamvis ea simonia & inhabilitas fuerit occulta, non tamen ab ea poterit per se spectato jure dispensare Episcopus; quia est novum genus pœnæ primum introductum post Tridentinum, prout teste Farinacio circa nova ejusmodi pœnarum genera declaravit Gregorius XIII,

SECTIO TERTIA.

De secundo Præcepto Decalogi.

SEcundum *Præceptum* Decalogi diversis quidem verbis, sensu tamen eodem exprimitur in Exodo & Deuteronomio. In *Exodo C.* 20. v. 7. sic habetur: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. In Deuteronomio* C. 5. v. 11. sic scribitur: *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.* In *Levitico* etiam C. 19. v. 12. post præceptum non furandi dicitur: *Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.* Quamvis autem verba hujus secundi præcepti sic exponi pos-

possint, ut prohibeatur Judæis, ne more gentilium nomen Dei imponant inani Idolo, nullam habenti divinitatem, rectius tamen juxta interpretes explicatur de solicite custodienda erga Deum religione in *Juramento*, *Adjuratione*, & *Voto*. Agitur proin in hac Disputatione 1. *de Juramento* 2. *de Voto*.

§. I.

De Juramento.

QUæritur 1. Quid sit juramentum?

Respondeo. Juramentum est invocatio Dei in testem afferti, aut in fidejussorem promissi. *Dixi*, *in fidejussorem promissi*. Quamvis enim etiam per juramentum promissorium dicatur Deus sumi *in testem*, ex dicendis tamen patebit, per juramentum promissorium Deum non solum invocari *in testem præsentis animi* de solvendo promisso', sed etiam *in fidejussorem implendi* promissi.

Quæritur 2. Quotuplex sit juramentum?

Respondeo. Juramentum dividitur 1. in *assertorium*, & *promissorium*. 2. In *simplex*, & *execratorium*. 3. In *assertorium*, & *comminatorium*.

Juramentum assertorium est *invocatio Dei in testem propositionis affirmativæ vel negativæ de præsenti aut præterito*.

Juramentum promissorium est *invocatio Dei in testem præsentis animi de servando promisso*, & *simul in fidejussorem pro illo adimplendo*. Nam in Juramento promissorio simul invocari Deum in fidejussorem, observant *Cajetanus*, *Covarruvias*, *Suarez*, *Valentia*, *Catalanus*. Ex hoc patet, quod juramentum promissorium contineat simul rationem juramenti assertorii. Invocatio Dei in testem animi præsentis continetur in juramento promissorio *directe* ac quodammodo *explicite*. Invocatio autem Dei in fidejussorem de adimplendo promisso continetur in juramento promissorio solum *indirecte* ac quodammodo *tacite*, in quantum personæ illustres, v. g. principes, quæ assumuntur specialiter in testes promissionis eoipso etiam tacite assumuntur in tutores, conservatores, ac fidejussores promissi, ne facile infringatur, prout patet ex antiquis Litteris donationum ad Ecclesias, in quibus reperiuntur multi adscripti testes illustres.

Juramentum execratorium est invocatio Dei in testem & vindicem, nisi subsistant asserta; aut serventur promissa, v. g. dicendo, *Diabolus me rapiat*, *nisi vera sint*, *quæ dico*.

Juramentum comminatorium est invocatio Dei in testem præsentis animi de infligendo alteri malo, & in fidejussorem de adimplendo promisso. Hinc si malum, cujus fit comminatio, fuerit injustum, in ejusmodi juramento reperitur triplex malitia specie diversa, nempe propositum infligendi malum injustum, secundo vocatio Dei in testem hujus mali propositi; tertio vocatio Dei in fidejussorem exequendi mali propositi. Quod si accedat etiam execratio, seu optatio vindictæ divinæ, nisi sequatur promissum, accedit in eodem juramento etiam quarti generis malitia.

Quæritur 3. Quænam requirantur ad licitum Juramentum?

Respondeo. Ad licitum juramentum requiruntur tria, nempe 1. *Veritas*. 2. *Justitia*. 3. *Judicium*. Ita habetur Jeremiæ 4. *Jurabis*, *vivit Dominus*, *in justitia*, *in iudicio*, *in veitate*. *Verritas* exigit, ne assertio aut promissio falsa sit. *Justitia* requirit, ut res juramento asserta non sit prohibita manifestari, quales sunt res, quæ cadunt sub sigillo naturali vel sacramentali; vel ut res juramento promissa non sit prohibita præstari, v. g. occisio inimici. *Judicium* postulat causam gravis momenti, & deliberationem maturam. Hoc ipsum enim cedit in vilipensionem Dei, si passim sumatur in testem de quavis re levis momenti, præsertim sine matura deliberatione, ac eoipso cum periculo pejerandi.

Quæritur 4. Quænam sit materia juramenti?

Respondeo. Materia juramenti assertorii liciti est omnis *veritas per experien-*

rientiam propriam comperta, *ac manifestari non prohibita*. Materia autem juramenti promissorii liciti est omnis res *præstari non prohita, ac* melior vel æque bona opposito.

Dixi. *Per experientiam propriam* comperta. Quæ enim per scientiam novimus ex proprio ratiocinio, ob fallibilitatem proprii judicii non sunt materia juramenti.

Dixi 2. *comperta*. Quæ enim solum dubie novimus, non sunt materia juramenti.

Dixi 3. *Melior vel æque bona opposito*. Si quis enim juret, se præstiturum *respective* minus bonum opposito, v. g. se daturum obolum loco centum aureorum, aut se initurum conjugium loco status virginitatis, hoc juramentum non est licitum.

Quæritur 5. Quales in plebe phrases loquendi sint habendæ pro juramento?

Respondeo. 1. Formulæ juramenti aliæ sunt ex ipso tenore verborum; aliæ ex usu loquentium & acceptione communi audientium etiam in negotiis seriis alicujus momenti. Formulæ jurandi ex *ipsa proprietate seu tenore verborum* sunt; si quis v. g. dicat; *testor Deum*; *Deus sit mihi testis*; *sumo Deum in testem*. Formulæ jurandi in *sensu adscititio* ex communi usu & acceptatione hominum etiam in negotiis gravibus sunt istæ: *Per juramentum*. auf meinen Eid; bey meinem Eid. *Juro*, *hoc esse verum*. Ich schwöre dir hoch und theuer. Per meam dignitatem regiam. Per fidem & honorem meum nobilem. bey Unsern Fürstlichen Ehren und Treuen. Bey meinen adelichen Ehren / Treuen und Glauben.

Respondeo 2. Formulæ hæ; *Deus novit*; *Deus testabitur suo tempore; coram Deo loquor*, *Deus novit omnia*, *Deus videt meam conscientiam*, a D. *Augustino* habentur constanter pro vero juramento. Epistola 157. n. 40. scribit: *Putant*; *se non jurare*, *quando in ore habent: Scit Deus: & testis est Deus*; --- *quia talia reperiuntur in Apostolo Paulo*. *Sed etiam illa ibi* (in Apostolo phrasis) *reperitur*, *quam confitentur esse jurationem*. Et in Expos. Epist. ad Gal. C. 9. *Qui dicit: Ecce coram Deo*, *quia non mentior*, *jurat utique*. *Non enim audiendi sunt*, *qui has jurationes esse non putant*. Et in Serm. Domini in Monte l. 1. c. 17. n. 51. *Apostolus hoc modo juravit; cum dicit ad Gal.* 1. *Quæ scribo vobis*, *ecce coram Deo*, *quia non mentior*. *Tale est etiam illud ad Rom.* 1. *Testis mihi est Deus*. *Nisi forte quis dicat*; *tunc esse jurationem*, *cum per aliquid dicitur*, *per quod juratur*; *ut non putaverit*, (Paulum jurasse) *quia non dixit*: *Per Deum*. *Ridiculum est hoc putare*. *Tamen propter contentiosos & multum tardos*, *ne aliquid interesse putet* (sive hoc modo sive illo juretur) *sciat etiam hoc modo jurasse Apostolum*. Et Serm. 180. c. 5. *Ut noveritis*; *verum jurare non esse peccatum*, *invenimus & Apostolum Paulum jurasse*. *Quotidie morior per vestram gloriam*. 1. Cor. 15. *Per vestram gloriam* (in Græco νη, subintelligendo δία.) *juratio est*. *Est alio loco juratio prorsus certa & expressa*. *Quæ scribo vobis*, *ecce coram Deo*, *quia non mentior*. 2. 2. Cor. 1. Et ibidem C. 6. *Ecce iuravit Apostolus*. *Non vos fallant*, *qui nescio quomodo volentes ipsas jurationes discernere*, *vel potius non intelligere*, *dicunt*, *non esse jurationem*, *quando dicit homo; scit Deus*, *testis est Deus*. *Invoco Deum super animam meam*, *verum me dicere*. *Invocavit*, *inquiunt*, *Deum*; *testem fecit* (asseruit) *Deum*; *nunquid juravit? Qui hæc dicunt*, *nil aliud volunt*, *nisi invocato Deo teste* (hoc est, rogato in testem) *mentiri*. *Itane vero quisquis es pravi cordis*, *si dicas? Per Deum*, *juras*, *si dicas*: *Testis est Deus*, *non juras? Quid est enim*, *Per Deum*, nisi *testis est Deus? Aut quid est*, *Testis est Deus*, *nisi*, *per Deum?* Ita S. Augustinus. In æstimatione proin morali hæ formulæ loquendi in classem juramentorum referendæ sunt. Speculative tamen loquendo, juxta stylum tribunalium in foro externo Civili & Canonico, ubi nemo habetur pro legali teste v. g. testamenti, matrimonii, contractus, &c. nisi fuerit *rogatus specialiter*

in testem, defendi posset; eas formulas loquendi, non continere rationem juramenti. Imo videtur etiam hodiedum esse multorum persuasio, quod non contineant naturam juramenti, *saltem certam*, ita ut propterea, si reperiatur mentitus, posset in foro externo condemnari, tamquam perjurus. Vix enim ejusmodi formula utens, etiamsi convinceretur de mendacio, in foro externo haberetur pro perjuro, manifesto indicio, ex communi acceptatione hominum eas phrases loquendi non ingenerare sensum juratorium, nec præseferre animum jurantis *saltem certo*; sed eas solum proferri *narrative*, non *invocative*, in quantum significant specialem reflexionem ad oculum Dei intima cordis inspicientis, & mendacia qualificata in re magni momenti, præsertim in præjudicium tertii vergentia, graviter vindicantis. Sicut autem *per se* non transit peccatum veniale in mortale ex eo, quod v.g. mendacium fiat cum distincta reflexione ad præsentiam & scientiam divinam; ita per se ejusmodi mendacium, si fuerit de se veniale, non transit propterea in mortale, quod committatur cum protestatione externa reflexionis internæ ad præsentiam & scientiam Dei. Licet autem *speculative loquendo* hæc etiam pro foro interno dici possent; in praxi tamen prior sententia S. Augustini tenenda est. Quia *Fatendum*; impudentiam illam mentiendi coram aliis hominibus in re magni momenti cum protestatione externa specialis reflexionis internæ ad præsentiam Dei omnia inspicientis & suo tempore judicantis, constituere distinctam *malitiam diversæ rationis* a simplici mendacio, in genere irreverentiæ gravis erga Deum, & scandali gravis erga audientes, quæ proin gravis malitia in confessione specialiter exprimenda est sub *lato termino* perjurii. Ad hoc tamen in praxi servit prior sententia, ut si in hoc genere juramenti minus stricte dicti solum desit conditio *judicii*, abesse possit etiam malitia peccati venialis, quia etiam in re levis momenti licet & decet reflectere ad Deum, dummodo vera & certa dicantur, ac comperta.

Respondeo. 3. Nec continere formam juramenti illas phrases loquendi per modum sponsionis relate ad audientes prolatæ, v.g. caput mihi amputes, nisi verum dicam; amputentur mihi aures (ab audiente, vel judice) nisi ita sit. *Expono caput meum*, &c. Sensus enim horum verborum ex communi usu & acceptatione hominum etiam in rebus gravis momenti non est *execrationis relate ad Deum* per ejus invocationem ut vindicis, sed tantum *exaggeratorius* certitudinis, quam quis habet de re, ita ut paratus foret ad patiendam a iudice amputationem capitis, vel præcisionem aurium, si fallatur.

Respondeo 4. Nec pertinere ad formulas juramenti, si quis utatur his terminis asseverativis seu confirmativis dictorum v. g. *certe*, *vere*, *revera*, *in veritate*; *fide boni viri*, *per fidem meam*, *per meam conscientiam*, *in conscientia*, wahrhafft / auffrichtig x. Ratio est, quia in negotiis feriis ac gravibus nemo utitur his terminis pro juramento; neque in foro externo censeretur perjurus, qui sub his terminis mentiretur. Cum ergo tam sensus verborum proprius, quam adscititius dependeat ex beneplacito & acceptione hominum, non est dicendum, his terminis exprimi sensum vel animum juratorium.

Respondeo 5. Nec contineri rationem juramenti in modis asseverandi comparativis, v.g. si quis dicat: *Tam verum est, ac sol lucet; quam hic sto, sedeo, ambulo*. Si quis autem dicat: *Tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in SS. Sacramento*; *quod loquor, est verum, ac omnia Amen*; *Quod loquor, est purum Evangelium*; *est sicut articulus fidei*; *Sum tam innocens in hac re ac B. Virgo vel S. Franciscus*; si mentiatur, erit quidem tale mendacium blasphemia mortaliter peccaminosa; non tamen erit perjurium. Et hinc, cum major, vel certe æqualis sit malitia blasphemiæ, ac perjurii, non minori rigore a Confessariis procedendum est contra ejusmodi blasphemias, ac contra perjuria. Et quamvis videatur, etim inter-

venire blasphemiam in his loquendi formulis, etiamsi loquens verum dicat, cum non possit veritas naturalis æquiparari cum veritate supernaturali; ex communi tamen usu & acceptione hominum per has phrases non significatur *æqualitas* inter duos comparationis terminos, sed tantum similitudo aliqua, saltem secundum quid, nempe quoad rationem indivisibilem veritatis & *assensionis*, licet non sit paritas *quoad modum adhæsionis*.

Quæritur 6. An, & in quo sensu, habeatur ratio juramenti, si quis juret per creaturas Dei? v. g. *per cœlum*; *per terram*; *per omnes dæmones?*

Respondeo. In his loquendi formulis continetur ratio juramenti, in quantum jurans ex communi usu & acceptione hominum, tribuit quandam potestatem divinam vel *rei in seipsum*, vel *sibi ipsi in rem*. Hinc in Concilio Carthag. IV. c. 61. & 62. dicitur: *Clericum per creaturam jurantem acerrime objurgandum*; *& si perstiterit in vitio*, *excommunicandum*. In hoc enim sensu jurando per creaturas interponit quandam authoritatem divinam vel ex errore Ethnico fictitiam, vel ex superbia prætensam. Sic jurant, qui jurant per suum gladium, per cœlum, per stellas, per dœmonem &c. Hinc nihil interest: sive creatura, per quam juratur, sit nobilis vel ignobilis; quia malitia hujus generis juramentorum non consistit in eo, quod creatura nobilis aliquo modo referat seu repræsentet latentem veram divinitatem Numinis; sed quod *in illa* vel *in illam* agnoscatur potestas divina, distincta & independens a vero Deo. Hic sensus colligitur ex verbis Christi Matth. 5. v. 84. *Dico vobis non jurare omnino; neque per cœlum* (quasi haberet in se quandam vim in homines. Id enim falsum est) *quia thronus Dei est*. *Neque per terram* (quasi & ipsa haberet quandam vim occultam propriam in homines. Id enim falsum est) *quia scabellum est pedum ejus*. *Neque per Jerosolimam* (quasi haberet in se sanctitatem quandam propriam divinam, hominibus reverendam ac metuendam. Id enim falsum est) *quia civitas est magni Regis* [Messiæ]. *Neque per caput tuum juraveris* (quasi haberus tu Dominium artocratiæ, & authoritatem quasi divinam in illud. Id enim falsum est), *quia non potes unum capillum album facere*, *aut nigrum*. Hunc textum in sua Epistola repetit *S. Jacobus* C. 5. his verbis: *Ante omnia fratres mei nolite jurare neque per cœlum*, *neque per teerram*, *neque aliud quodcunque juramentum*. *Sit autem sermo vester: Est*, *est*. *Non*, *non*, *ut non sub judicio decidatis*. Itaque malitia jurandi per creaturas eadem est, ac malitia jurandi per falsos Deos. *S. Augustinus* tamen existimat, in hoc juramentorum genere latere sensum execratorium. Nam Serm. 180. c. 7. scribit: *Si tangeres filio tuo caput*, *& diceres*: *Per hujus salutem*, *quia non feci; exclamaret forte filius tuus sub paterna manu tremens*, *non tamen paternam manum sed divinam tremens*. *Noli pater*, *non sit tibi vilis salus mea*. *Deum super me invocavi*. *Ego te vidi*. *Fecisti*. *Noli pejerare*. In hoc sensu habetur apud *Virgilium* l. 9. *Per caput hoc juro*, *per quod pater ante solebat*.

Quæritur 7. An omne juramentum sit illicitum.

Respondeo Negative. Ipse enim Deus non solum jurat, sed etiam aliquando jurare præcipit. Hinc & ipse Apostolus interdum adhibet juramentum. Sic Psal. 109 dicitur: *Juravit Dominus*, *& non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum*. Et Deuteronomii 6. v. 13. *Per nomen illius jurabis*. Et 2. Cor. 1. D. Paulus scribit: *Testem invoco Deum in animam meam*. *Neque obstat*, quod Christus Matth. 5. dicat: *Ego autem dico vobis; non jurare omnino*. . . . *Sit autem sermo vester: Est*, *est*. *Non*, *non*. *Quod autem his abundantius est*, *a malo est*. Christus enim solum prohibet jurare per creaturas, cœlum, terram, caput &c. & in communi conversatione; ubi nulla datur gravis causa jurandi. Id enim licitum existimabant Judæi, prout colligitur ex Martiali, qui inducit Judæos perpetuo jurantes; quod etiam colligitur ex præfato textu S. Iacobi.

Quæritur 8. An omne perjurium sit grave peccatum?

Respondeo. Omne perjurium tam assertorium quam promissorium est peccatum mortale. De juramento assertorio id concedunt omnes authores. Sed quia Scriptura generatim indignationem divinam comminatur, Responsio etiam universaliter probatur ex Scriptura. Sic Zachariæ 5. dicitur: *Vide, & ecce volumen volans. Et dixi: Ego video volumen volans; longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ. Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur; & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter;* & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & ligna, & lapides ejus. In hoc textu manifeste significatur summa ira Dei erga perjuros quoscunque sine discrimine. *Sapientiæ* 14. v. 25. inter maxima gentilium scelera ponitur sine distinctione perjurium. Malachiæ 3. v. 5. dicitur: *Accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & perjuris*. Et 1. Tim. 1. *parricidis, matricidis, homicidis, fornicariis* etiam *perjuri* inter sceleratos sociantur.

Quæritur 9. An non detur parvitas materiæ in juramento, saltem promissorio?

Respondeo Negative. Si quis enim alteri sub juramento promittat obolum, idque non servet, ignominiosum erit Deo, vilipendi aut non impleri suam authoritatem fidejussoriam, non minus, ac si fuissent promissi centum aurei. Sic enim, si Rex constitueretur in fidejussorem pro obolo, turpe esset, si non modis omnibus urgeret impletionem promissi.

Responsio autem circa juramentum assertorium *probatur* ex propositione 24. ab Innocentio XI. damnata. *Vocare Deũ in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Quæritur 10. An peccet mortaliter, qui jurat de re, quam dubitat esse veram?

Respondeo. Talis peccat mortaliter.

Ratio est, quia jurans invocat Deum testem suæ conscientiæ. Si ergo conscientia rei est dubia, & exterius per juramentum ex communi acceptione hominum adstruitur tanquam certa, reipsa Deus sumeretur in testem falsitatis. Ita *Sayrus, Navarrus, Suarez, Lessius, Sanchez* & alii.

Quæritur 11. An peccet mortaliter, qui absolute jurat, se audivisse, vel vidisse si tantum sit moraliter certus, quod hoc audiverit aut viderit?

Respondeo. Etiam talis peccat mortaliter.

Ratio est, quia ex communi acceptione hominum intelligitur physice certus de re, de qua jurat. Si ergo Deum invocat in testem hujus certitudinis, quam in mente non habet, revera invocat Deum in testem falsitatis. Ex hoc ergo sequitur; modum juramenti debere conformari cum mente jurantis in omnibus, ita ut certa affirmet pro certis, fallibilia pro fallibilibus, dubia pro dubiis. Hinc Judices, qui a testibus exigunt juramentum de re involuta variis circumstantiis, de quibus testes non amplius recordantur æquali certitudine, illos præmoneant, ut de singulis circumstantiis solum testentur ea certitudine, quam de singulis distincte habent; nec sinant, plures testes simul jurare super ejusmodi implexas circumstantias, quia non facile plures de singulis circumstantiis habent eandem memoriam vel certitudinem.

Quæritur 12. An licitum sit, deferre universim testibus juramentum execratorium, prout in tribunalibus passim fieri solet.

Respondeo. Non decet partibus deferre juramentum execratorium, nisi in causis gravissimis, & quidem solum super articulo plano non implexo variis circumstantiis inæqualis certitudinis.

Ratio est, quia circa materias non adeo gravis momenti facilius solent pejerare homines; adeoque, si forte committant perjurium, exponuntur sine sufficiente necessitate gravissimæ maledictioni divinæ. Certe *S. Augustinus* in Psalmum 7. ad illa verba: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis

micis meis inanis, scribit: *Jurare per execrationem est gravissimum jurisjurandi genus*. Itaque solum in causis gravissimi momenti adhibendum est.

Quæritur 13. An omne juramentum sit peccatum mortale, si desit in juramento justitia, v. g. si quis juret, se alteri inflicturum alapam?

Respondeo. Tale juramentum, quo quis jurat, se commissurum peccatum veniale, est peccatum mortale.

Ratio est; quia gravis irreverentia infertur Deo, si trahitur in fidejussorem promissionis illicitæ. Hinc gravis pœnitentia imponenda est illis, qui sub juramento execratorio, v. g. Me dœmon rapiat, comminantur alteri malum injustum, quantumvis leve, prout facere solent parentes irati suis liberis, vel contentiosi in ira. Ratio ulterior Responsionis dari potest, quia si absque peccato mortali talia juramenta fieri possent, nimium multiplicarentur, eo quod a plerisque parum curentur peccata venialia, & sic tolleretur summa juramentorum religio, & honestas veræ Ecclesiæ. Hinc *S. Augustinus* in Epist. 126. ad hanc rationem respiciens circa juramenta promissoria in materia levi dicit: *Fiat ergo, quod promissum est, & infirmorum corda sanentur, ne tanto exemplo* (boni) *ad imitandum perjurium ædificentur*, (mali autem dicant) *nulli nostrum credendum esse non solum promittenti, sed etiam juranti. Hinc enim potius cavendæ sunt linguæ inimicorum, de quibus tanquam jaculis ad interficiendos infirmos major utitur ille inimicus*. Pari ergo ratione de juramentis promissoriis vel comminatoriis rei injustæ, utut leviter illicitæ, discurrendum est.

Quæritur 14. An omne juramentum sit peccatum mortale, si in eo desit judicium?

Respondeo. Negative. Juramentum enim verum, si tantum absque necessitate vel justa causa fiat, non est peccatum mortale, sed tantum veniale. In hoc consentiunt omnes Doctores Catholici.

Quæritur 15. Quanta requiratur necessitas vel gravitas causæ ad licite jurandum? vel quanta deliberationis maturitas?

Respondeo 1. Ad licite jurandum requiritur tanta deliberationis maturitas ac circumspectio, ut absit omne periculum facile prolabendi in perjurium. Ita explicat præceptum Christi de non jurando *S. Augustinus* l. 19. contra Faustum c. 23. his verbis: *Quia pejerare grave peccatum est, sed longius est, a falsum jurando, qui nec jurare consuevit, quam qui verum jurare proclivis est, maluit Dominus* (nos non jurare), *quam verum jurantes propinquare perjurio. Itaque & Apostolus in sermonibus* (colloquiis privatis) *quos habuisse narratur, nunquam juravit, ne jurandi consuetudine aliquando vel nescius in perjurium laberetur; in scriptis autem, ubi est consideratio major, atque propensior* (protensior) *pluribus locis jurasse invenitur*. Et Serm. 307. n. 4. *Cum Dominus juraverit, quare suos jurare prohibuit? Dico, quare. Non est peccatum verum jurare; sed quia grande peccatum est, falsum jurare, longe est a peccando falsum jurandi, qui omnino non jurat. Propinquat falsæ jurationi, qui vel verum jurat. Dominus ergo, qui prohibuit jurare, supra ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto labatur & cadat. Sed & Dominus juravit, inquis? Securus jurat, qui mentiri nescit*. Et Serm. 180. C. 3. *Juret ergo Deus, qui jurat securus, quem nihil fallit, quem nihil latet. Tu, ne mendacium jures, noli jurare. Perjurium præcipitium est. Qui jurat, juxta est. Qui non jurat, longe est. Fac*, (pone), *te ambulare in aliquo loco, ubi a parte dextera spatiosa sit terra; a sinistra præceps locus est. Ubi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipiti, an inde longe? Puto, quia inde longe. Sic & qui jurat, in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorsum is. Si lapsus fueris, deorsum is. Et quid te excipit? Perjurii pœna*. Et in l. de mendacio. C. 15. n. 28. *Scriptum est Matth. 5. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Juravit autem Apostolus in Epistolis suis; & sic ostendit, quomodo ac-*

cipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis, non jurare omnino; ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur; ex facilitate ad consuetudinem; atque ita ex consuetudine in perjurium decidatur; & ideo non invenitur jurasse, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Ex his patet; prohibitionem non jurandi sine gravi causa, non solum fundari in irreverentia erga Deum, si pro quavis levi re vocetur in testem, sed etiam in periculo contrahendi facilitatem jurandi, si liceret sine ullo levi peccato passim verum jurare.

Respondeo 2. Ad jurandum licite requiritur, ut juramentum appareat esse medium necessarium ad procurandum magnum bonum, vel impediendum magnum malum proprium vel alienum, spirituale vel temporale. Medium autem *necessarium* dicitur, sine quó prudenter non speratur effectus.

Respondeo probatur ratione & authoritate S. *Augustini*, qui Epist. 180. c. 9. & 10. sic scribit: *Juravimus & nos passim. Habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam. Ex quo Deo servio, quantum malum sit in perjurio, vidimus, & veternosissimam consuetudinem timore frœnavimus. Non dicimus; nos non jurare; juro; sed quantum mihi videtur magna necessitate compulsus. Cum videro, non mihi credi, nisi faciam* (jurem); *& ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit, hac perpensa ratione & consideratione librata cum magno timore dico coram Deo; aut, testis est mihi Deus; aut, scit Christus sic in animo meo esse. Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo. Et cum tibi creditur; juras; & cum nemo exigit, juras; & horrentibus hominibus juras. An putatis, quia si sciret Apostolus Paulus, credere sibi Galatas, adderet jurationem & diceret: Quæ autem scribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior? Videbat ibi eos, qui credebant; videbat & alios, qui non credebant. Ergo noli dicere; non juro, si exigitur. Non tu, quomodo te purges, non habes; quomodo satisfacias negotio, quod instat,* (alio modo, nisi juramento) *non invenis. Sed aliud est, cum exigitur juratio, aliud, cum offertur. Et hoc ipsum, quod offertur, aliud, cum offertur non credenti; aliud cum ventilatur & credenti.*

Idem de mendacio C. 15. *Paulus non invenitur jurasse, nisi scribens. Et hoc utique a malo est; non tamen suo; sed eorum infirmitatis, quibus etiam sic fidem facere conabatur.* Et l. 1. de Serm. Dom. in monte C. 17. *Si jurare cogeris, scias, de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Tu malum non facis, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria, ut alteri persuadeas, quod utiliter suades. Sed a malo est illius, cujus infirmitate jurare cogeris. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quam sit difficile & consuetudinem jurandi extinguere, & nunquam temere facere, quod nonnunquam facere necessitas cogit.*

Quæritur 16. An detur obligatio sub peccato mortali, efficacibus remediis eradicandi pravam consuetudinem temere jurandi? vel pejerandi?

Respondeo. 1. Si quis habet pravam consuetudinem pejerandi, tenetur sub peccato mortali adhibere efficacia remedia extirpandi eam pravam consuetudinem. Ita ferme omnes Doctores, inter quos etiam *Suarez*, *Valentia*, *Ledesma*, *Sanchez*, *Reginaldus*, *Bonacina*, *Palaus*. Imo teste *Catalano* h. l. C. 14. *Doctores advertunt, quod consuetudinarius, quoties recordatur illius pravæ consuetudinis, & illam extirpare non procurat, toties graviter peccet; sicuti toties graviter peccat habens domi concubinam, quoties advertens ad peccandi periculum illud non removet.* Ita Catalanus. Ratio autem est, quia non removenti causam, v. g. incendii, homicidii, &c. censetur effectus esse voluntarius. Ergo idem dicendum de non removente consuetudinem pejerandi.

Respondeo 2. Etiam ille sub peccato mortali tenetur efficacibus remediis extirpare pravam consuetudinem, qui habet consuetudinem temere jurandi, quamvis ordinarie soleat verum jurare, & vix unquam aut nonnisi rarissime falsum juret. *Ratio* est; quia ejusmodi con-

sue-

suetudo temere jurandi continet gravem inhonestatem Religionis Christianæ, quam inhonestatem proin censetur contemnere, qui nullam adhibet curam ejus emendandæ; sicut etiam in statu religioso, & in quovis alio statu, qui habitualiter negligit emendare leves obligationes sui status, censetur peccare graviter per contemptum interpretativum obligationum sui status. Alia ratio est; quia licet speculative loquendo talis consuetudo in particulari persona reperiri possit sine probabili periculo pejerandi; annexum tamen est tali consuetudini ex suo genere periculum generale respectu plerorumque. Itaque sicut eam consuetudinem SS. Patres generatim sine exceptione tanquam periculosam condemnant, ac sine discrimine evellendam prædicant, v.g. *Chrysostomus* in Homiliis ab *Populum Antiochenum*, & S. *Augustinus* in pluribus locis, ita etiam sine discrimine asserenda est gravis obligatio extirpandi eam consuetudinem. Imo illud generale periculum expresse reperitur definitum in Scriptura Eccles. 23. v. 9. his verbis: *Jurationi non assuescat os tuum: Multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidue in ore tuo, & nominibus Sanctorum* (jurando per Abraham, Isaac, &c.) *non admiscearis; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur, sic omnis jurans & nominans in toto a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo ejus plaga; & si frustraverit juramentum, delictum ipsius super ipsum erit; & si dissimulaverit*: (non solvendo juratum promissum vel ne quidem habendo animum solvendi) *delinquit dupliciter. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur; replebitur enim retributione domus ejus.*

Quæritur 17. An peccet mortaliter, qui in juramento utitur æquivocatione aut restrictione mentali absolute quidem sensibili, sed quam jurans certo scit non advertendam?

Respondeo. Talis peccat mortaliter. Id *probatur* 1. ex propositionibus quatuor ab Innocentio XI. damnatis. 1. *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* 2. *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* 3. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* 4. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus sole exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Probatur 2. Ex communi sensu gentium, qui non foret tam uniformis, nisi esset a natura inditus. D. *Augustinus* de hoc sensu testatur Epist. 125. & l. 1. de Civit. C. 15. *Quidam Regulus* (Romanus Carthaginensibus in obsidem datus) *Carthaginensibus juraverat se, & ne perjeraret, horrendi exempli mortem excepit. Et Romana tunc censura noluit in numero Senatorum eos, qui apertissime pejerare maluerunt* (non servando juratum promissum redeundi ad Carthaginenses.) *Sed etiam illum, qui reatu perjurii se putaverat absolutum, quia post jurationem, ficta nescio qua necessitate redierat. Ita non attenderunt, qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab illo ii, quibus juraverant, expectarent. Nec legerant, quod nos usquequaque cantamus Psal. 14. Qui jurat proximo suo, & non decipit. Solemus hæc in hominibus a Christi gratia alienis laudare, & adhuc in divinis libris inquirendum putamus, utrum aliquando licite pejeremus, ubi nobis, ne jurandi facilitate in perjurium prolabamur, etiam præceptum est, ne juremus. — Illud sane rectissime dici non* am-

ambigo, non secundum verba jurantis, sed secundum exspectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba difficillime comprehendunt, maxime breviter, sententiam, cujus, (sententiæ seu sensus) *a jurante fides exigitur. Unde perjuri sunt, qui servatis verbis exspectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt; & perjuri non sunt, qui etiam verbis non servatis illud, quod ab eis, cum jurarent, expectatum est, impleverunt. Nam, ut omittam, quam sit tremendum de perjurio divinum judicium, illud certe scio, nulli nos deinceps succensere debere, qui nobis jurantibus non crediderit, si talis viri perjurium non modo æquo animo ferendum, verum etiam deferendum putabimus.* Et Epist. 126. n. 13. *Exspectationem eorum, quibus juratur, quisquis decipit, non potest non esse perjurus.*

Quæritur 18. An validum & servandum sit juramentum metu injusto extortum?

Respondeo. Si injustitia metus incussi ex parte incutientis est certa, evidens, ac notoria notorietate juris certi, ab ipsomet incutiente sufficienter agniti, tale juramentum non est validum nec jure naturali, nec divino, nec positivo.

Probatur 1. Deus non sapienter obligaret genus humanum ad servanda ejusmodi juramenta sub prætextu religionis ac reverentiæ suo nomini debitæ; subjiceret enim hoc modo amicos suos omnes fidelissimos, quos habet in mundo, infinitis oppressionibus impiorum. Nam, etiamsi in uno vel altero casu posset sumi refugium ad Superiorem, hoc ipsum tamen refugium posset præscindi per aliud juramentum de non sumendo recursu ad Superiorem. Dein si teneatur Superior irritare talia juramenta, eadem ratione Deus per leges immutabiles suæ sapientiæ & sanctitatis tenetur ejusmodi juramenta non acceptare.

Probatur 2. Judex humanus non potest prudenter obligare hominem ad servanda talia juramenta. Ergo nec anticipato obligat ad ea servanda Deus.

Probatur 3. Promissio metu injusto extorta, si non fuerit jurata, est invalida; nec ad eam servandam Deus obligat; Ergo nec Deus obligat ad servandum juramentum; quia non debet Deus via obliqua id impiis concedere, quod via directa negat; nec decet, ut confirmet *accessorium*, dum ipsemet deobligando ab observatione non jurata *fundamentum principale* finit & jubet corruere. *ant.* patet ex C. *debitores.* de Jurejurando, ubi *Alexander* III. scribit: *Debitores ad solvendas usuras, ad quas se obligaverant, cogi non debent.* Si hoc procedit circa obligationem ultro initam & postulatam a debitore, quanto magis id procedet circa obligationem ab invito per metum injustum extortam? Idem patet ex Tract. *de Justitia*, ubi ostendi, omnes contractus turpes esse jure naturæ invalidos.

Probatur 4. Jus Canonicum semper agnovit, ejusmodi juramenta esse invalida. Nam inprimis *Innocentius* III. in C. *cum contingat*, solum dicit, ejusmodi servanda esse, si fuerint *sine vi & dolo sponte præstita*. Ergo si fuerint præstita vi, cui æquivalet metus injuste incussus, non sunt obligatoria. *Cum contingat interdum*, inquit, *quod constante matrimonio mulieres donationibus super rebus dotalibus & donationibus propter nuptias consentiant, ne ulterius contraveniant, proprio sacramento firmando, ac soluto processu temporis matrimonio contravenire nitantur, utrum hoc eis liceat, a nobis tua fraternitas requisivit. Nos respondemus, quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones* (Juris Civilis); *ne tamen tali prætextu viam contingat perjuriis aperire, mulieres ipsæ servare debent huiusmodi juramenta sine vi & dolo sponte præstita, cum in alterius præiudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.* In hoc textu ad inducendam obligationem juramenti tria requirit; 1. ut sine vi & dolo sint sponte præstita. 2. ut nec cedant in alterius præjudicium. 3. nec in dispendium salutis propriæ. Eadem mens Juris Canonici col-

colligitur ex eo; quia arctati eiusmodi juramentis *non dispensantur*, sed tanquam ab obligatione liberi *absolvuntur*. Sic *Alexander* III. C. *Perlatum*, *de his quæ vi metusque*, jubet absolvi ab excommunicatione mulierem, quæ timore mortis monasticam vitam amplexa, ac dein coniugio juncta erat. *Idem* C. *si vero* de Jureiurando dicit: *A pluribus Prædecessoribus nostris factum recolitur, quod Clerici, qui coacti ministerium Ecclesiæ abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt, & ad coercendam iniquitatem eorum, qui Ecclesiasticos viros ad præstandum illud compulerant, permissi sunt in eadem Ecclesia ministrare*. Et *Cœlestinus* III. C. *verum.* de Jureiurando ait: *In ea quæstione, an a sacramenti vinculo absolvantur, qui istud inviti pro vita & rebus servandis fecerunt, nihil aliud arbitramur, quam quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales a juramenti nexibus absolverunt. Cæterum, ut agatur consultius, & auferatur materia peierandi, non eis ita expresse dicatur, ut juramenta non servent; sed si non ea attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi*. In hoc Pontifex satis clare insinuat, non peccare mortaliter eos, qui talia juramenta non servant.

Objicies 1. Si metu injusto coacti ad jurandum non ligantur iuramento, sequitur, quod iurando, præsertim per iuramenta execratoria, ad quæ coguntur, aut mentiantur, aut licite utantur restrictione mentali, quod tamen superius fuit negatum. 2. Alexander III. C. *si vero*, dicit: „ Si aliquis quemquam gravissimo metu sub religione iuramenti „ suum ius refutare coegerit, ipsumque sibi „ retinuerit, quia nos consulere voluisti, an alter eorum, vel neuter id „ habere debeat? Duximus tibi respondendum, quod non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ; nec „ nos alicui dare materiam volumus „ veniendi contra iuramentum proprium, „ ne authores periurii videamur. „ Ergo non debent intrepide deobligari sic iurantes. 3. *D. Thomas*, *Caietanus*, *Navarrus*, *Covarruvias*, *Molina*, *Suarez*, *Lessius*, *Guttierez*, & communis aliorum Theologorum obligat sic iurantes ad servandum iuramentum, quamdiu hoc ab Ecclesia non relaxatur. Ergo consentiendum est.

Respondeo ad 1. In tali casu nec opus esse mendacio, nec restrictione mentali. Sensus enim iurantis est tacite conditionatus conditione imbibita; *si me Deus obliget*; aut *si Confessarius*, *Superior*, *&c. me obligatum agnoverit*. Obiectio retorqueri potest in eo, qui ex metu mortis iurat, se non repetiturum in iudicio iurato promissa; vel non denuntiaturum violentiam hanc Prælato, vel non postulaturum relaxationem huius iuramenti per metum extorti. Cum enim iuxta D. Thomam 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. tale iuramentum invalidum sit, an mentitur, qui sic iurat animo repetendi, vel denuntiandi? aut si non mentitur, quis est sensus verborum? Ad summum proin sequitur, sic iurantem debere habere propositum, data opportunitate circumstantias facti exacte perpendendi, vel cum alio viro prudente conferendi, an ex parte metum incutientis reperiatur iniustitia *certa*, *evidens*, & *notoria notorietate iuris certi*, *ab ipsomet inferente sufficienter agniti*. Cum enim in hoc homo possit sibi nimis blandiri & falli, Pontifex recte dicit, in hoc genere *quemvis deobligare* tutum non esse. Et hinc patet etiam *Responsio* ad 2. Ibi enim agebatur de re litigiosa, in qua non est facile scire, quod ex parte cogentis ad abdicationem iuratam iurium sit iniustitia certa, & evidens. Et hinc ea iniustitia declaranda est a Superiore Ecclesiastico, vel Confessario. *Ad tertium* respondeo, quod *Alensis*, D. Thomæ Magister, in hac quæstione part. 3. membro 4. art. ult. his verbis respondet: „ *Sunt duæ* „ *sententiæ ad hoc*, *elige quam mavis*. „ Quidam distinguunt, dicentes; quod „ in promissorio iuramento excusat metus, in assertorio non. Alii dicunt,

„ quod

„ quod omne iuramentum sive coactum sive non, si est licitum, & peiorem non vergit in exitum, est observandum. „ Quod attinet authoritatem D. *Thomæ*, fatendum quidem, eum 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. q. 98. a. 3. esse contrarium; cum tamen textus summorum Pontificum obstet, quos ille in sensu minus obvio explicat, l.c. ad 3. & ad 1. insistendum potius est Alensi, in Jure expertissimo, & textibus Summorum Pontificum, in sensu magis proprio, & magis naturali explicatis. v.g. explicans textum *Cœlestini* III. superius allegatum q. 98. a. 3. ad 1. scribit: *Quod dicitur, quod tales non sunt puniendi tanquam pro mortali crimine, non hoc ideo dicitur, quia non peccent mortaliter, sed quia pœna eis minor infligitur*. Hæc explicatio non videtur in sensu naturali & obvio satis conformis textui Pontificis. Aliud enim est, *non esse puniendum tanquam pro peccato mortali*, & aliud, *esse puniendum tanquam pro peccato* mortali sed mitiori pœna.

Quæritur 19. An validum & servandum sit iuramentum dolo extortum?

Respondeo. Si dolus sit *antecedens*, seu talis, ut det causam iuramento stante virtuali repugnantia in oppositum, non est validum iuramentum. Si autem dolus seu fraus sit tantum *concomitans*, seu talis, ut eo non posito nihilominus poneretur, vel saltem sine absoluta repugnantia virtuali esset ponibile iuramentum, sic validum est iuramentum.

Ratio prioris est; quia in tali casu dolus non tantum fundat errorem *accidentalem*, sed *substantialem*, hoc est, tali actualiter, vel saltem virtualiter est tacite alligata intentio iurantis. Error autem substantialis irritat contractus & vota, consequenter etiam iuramenta. Tale erat iuramentum a Josue Gabaonitis factum, qui ne involverentur generali internecioni incolarum Palæstinæ iussu divino exequendæ, simularunt, se esse populum longe extra Palæstinam situm. Hoc iuramentum ex mente D. Augustini & aliorum erat invalidum; quia Josue habebat actualem aut virtualem intentionem repugnantem huic consensui, in quantum actualiter vel saltem virtualiter ratione præcedentis propositi volebat interficere omnes incolas Palæstinæ.

Ratio secundi est quia sicut in contractibus v. g. emptionis, non attenditur *voluntas futura*, quam emens probabilius habuisset, si defectum mercis agnovisset, sed tantum *voluntas præsens*, actualiter aut virtualiter contractui apposita, in quantum sic actualiter aut virtualiter vult aliquid repugnans contractui seu consensui, ita multo magis id in iuramentis observandum est. Ita quoad rem communis.

Objicies, Josue illud suum iuramentum datum Gabaonitis, quamvis esset dolo extortum, servavit. Ergo agnovit illud esse validum.

Respondeo, Josue non servasse suum iuramentum ex obligatione particulari huius secundi præcepti servandi *quævis juramenta*, etiam metu iniusto aut dolo extorta, sed ex altiori ac generaliori lege charitatis quæ iubet servari pacta integris populis data ex opinione conpaciscentis non evidenter iniusta, & vitari scandala vergentia in detrimentum boni publici & in turbationem bona fide operantium. Ita respondet S. *Augustinus* in Heptat. l. 6. q. 13. his verbis: *Quæri potest, quomodo jurationem servandam esse crediderunt Hebræi Gabaonitis, mentientibus, quod de longinqua terra ad eos venissent, cum possent dicere, se tantum illis jurasse, quos eos esse crediderant, idest, de longinquo venientes. Cum vero aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut sicut cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parcentibus succensuit. Unde utique credendi sunt, etsi fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus*. Sic etiam, quando S. Augustinus in Epist. 126. urget obligationem implendi iurationem metu extortam, solum dat exemplum de observatione juramenti a duobus exercitibus sibi invicem dati ex metu maiorum malorum. In hoc enim casu concurrit lex superior boni publici, quæ præcipit ser-

servari promissum, sive sit juratum, sive non juratum.

Quæritur 20. An peccet mortaliter, qui alterum provocat ad jurandum, quem certo scit pejeraturum?

Respondeo. Talis peccat mortaliter. Ita respondet S. *Augustinus* Serm. 104. C. 4. his verbis: *Scribite in cordibus vestris, quod dico. Ille, qui provocavit hominem ad jurationem, & scit eum falsum juraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam. Scis esse verum, quod dicis, & falsum, quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat; Ecce pejerat; Ecce perit. Tu quid invenisti? Imo & tu periisti, qui de illius morte te satiare voluisti.*

Quæritur 21. An validum vel obligatorium sit juramentum de objecto secundum se quidem licito, si oppositum sit vel evadat de meliori bono?

Respondeo. Tale juramentum, si ab initio sit de bono evidenter minori, non est validum, & si ab initio fuerit de bono meliori; quod tamen evadat de minori bono, non est amplius obligatorium nisi sit in præjudicium tertii, qui jam habuerit jus quæsitum in re, vel ad rem. Ratio est, quia Deus neminem obligat ad procurandam sibi minorem gloriam. In tali autem casu, ne variatio obligationis pariat scandalum, aut ne amor proprius facile confingat majus bonum, commutatio juramenti facienda & postulanda est ab habente facultatem commutandi juramenta & vota. Responsio colligitur ex D. *Thoma*, qui 2. 2. qu. 98. a. 2. ad 2. sic scribit: *Ille, qui jurat se non intraturum religionem, vel non daturum eleemosynam, vel aliquid hujusmodi, jurando perjurium committit propter defectum judicii. Et ideo quando facit id, quod melius est, non est perjurium, sed perjurio contrarium. Contrarium enim ejus, quod facit, sub juramento cadere non poterat.*

Quæritur 22. An obligatorium sit juramentum, si quis alteri sub juramento promittit obedientiam, vel obsequium, & hæc ipsi evadant nimis gravia?

Respondeo. Si juramentum non fuerit solenne, non obligat ad nimis gravia, objecto promisso regulariter non annexa, ad quæ, si de iis cogitatum fuisset, vi præsentis tunc dispositionis non consensisset. Si autem juramentum fuerit solenne, solennitate civili vel Ecclesiastica, v. g. militare, religiosum, editum coram magistratu, obligat ad omnia moraliter possibilia officio etiam extraordinarie annexa, etiamsi jurans non consensisset, si de ejusmodi casu extraordinario cogitasset. Ratio est, quia in juramento non solenni principalis obligans est ipse jurans; adeoque etiam interpretatio juramenti stat penes ipsum. Econtra in juramento solenni principalis obligans est ille, qui exigit & acceptat juramentum, utpote superior jurantis. Ergo penes ipsum est interpretatio juramenti, quæ se extendere potest ad quævis moraliter possibilia. Ita quoad priorem partem Responsionis videtur docere D. *Thomas* 2. 2. q. 98. a. 2. ad 3. ubi sic scribit: *Cum aliquis jurat vel promittit se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio, si scilicet id, quod ei mandatur, licitum sit & honestum & portabile sive moderatum.*

Quæritur 23. An Civis vel Canonicus qui juravit antiqua suæ communitatis Statuta, teneatur ad nova recenter ex consensu communitatis edita?

Respondeo. Talis Civis vel Canonicus non tenetur ad nova Statuta vi juramenti, sed tantum vi novæ legis, saltem pœnalis. Ita quoad rem respondet S *Thomas* 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4. ubi sic scribit: *Quia juramentum est actio personalis, ille qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur quasi juramento ad observanda illa, quæ civitas se servaturam* (denovo) *juravit. Tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius honorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus vero, qui jurat, se servaturum Statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servanda futura, nisi intenderit se obligare ad omnia Statuta præterita & futura. Tenetur*

tur tamen ea servare ex ipsa vi Statutorum, quæ habent coactivam virtutem.

Quæritur 24. An Canonicus vel Civis, qui in sua receptione jurat, se servaturum Statuta Communitatis, teneatur etiam ad illa, quæ non sunt amplius in observantia?

Respondeo. Distinguendum esse. Si enim Statuta illa ab observantia recesserint per consuetudinem rationabilem, eodem modo se habent ac si non amplius extarent, etiamsi necdum fuerint deleta ex libro. Si autem consuetudo non sit rationabilis, iterum distinguendum, utrum obligatio Statutorum fundetur præcise in consensu membrorum communitatis, vel in voluntate ac confirmatione Superioris? In priori casu noviter receptus non obligatur ad Statutum jam abrogatum, quia respectu ipsius non datur obligans. In posteriori autem casu obligatur ad Statutum, quia perseverat intentio obligantis primarii, utpote nulla rationabili consuetudine contraria extincta.

Quæritur 25. An peccet mortaliter, qui petit vel recipit ab Ethnico juramentum per falsos Deos? vel a Turca per Mahometen? vel a Judæo per Abraham Isaac, & Jacob?

Respondeo. Si probabile sit, ejusmodi Ethnicum, Turcam, vel Judeum laborare ignorantia invincibili mysteriorum nostræ fidei, eumque credere unum Deum remuneratorem bonorum, & vindicem malorum, per quem intentione primaria se obligare intendit, poterit ab eo recipi & exigi juramentum. Ratio est, quia nemo judicandus & condemnandus est in individuo, nisi constet esse malum. Igitur in gubernatione & conversatione civili, ubi fuerit toleratus, poterit obligari in contractibus juxta suam conscientiam, si non possit haberi alia securitas. Ita quoad rem S. *Augustinus* Epist. 47. n. 2. ubi observat, eum revera peccaturum peccato perjurii, qui jurando per Deos falsos fidem juratam non servat, ex quo infert, eum per suum juramentum obstringi tacite Deo vero. Sic scribit: *Movet te, utrum ejus fide utendum sit, qui, ut eam servet, per dæmonia juravit? Ubi te volo prius considerare, utrum, si quispiam per falsos Deos juraverit se fidem servaturum, & eam non servaverit, non tibi videatur bis peccasse? Si enim tali juratione promissam custodiret fidem, ideo tantum peccasse judicaretur, quia per tales Deos juravit. Illud autem nemo recte reprehenderet, quia fidem servavit. Ac per hoc qui utitur fide illius, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit.* Hucusque S. Augustinus de recipiente ejusmodi juramentum. Nunc autem in sequenti textu agit de exigente tale juramentum. *Alia ergo quæstio est*, inquit l. c. *utrum non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari fecit, quia ille, qui iurat, Deos falsos colit? Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ commemorasti de Laban & Abimelech* (Gen. 26. v. 3. & 31. v. 53.) *Si tamen Abimelech per Deos suos iuravit, sicut Laban per Deum Nachor. Quæstio alia est, utrum ea pace debeamus uti, quæ inter alios invicem iurantes* (nempe per antecessores nostros) *facta est: Quod si nolumus, ubi vivamus in terris nescio utrum invenire possimus; neque enim tantummodo limiti, sed universis provinciis pax conciliatur iuratione barbarica* (per falsos Deos). *Unde & illud sequeretur, ut non fruges tantum, quæ ab eis custodiuntur, qui per falsos Deos iuraverunt, sed ubique inquinata sint omnia, quæ ipsa pace muniuntur, quam iuratio illa confirmat. Quod si absurdissimum est dicere, nec illa te moveant, quæ movebant.* Et Serm. 180. loquens de eo, qui per Deos jurat Ethnicos, licet ipse jurans non credat Deos. *Dico, & qui per lapidem falsum iurat, periurus est. Sanctum putat, cui iuras. Non enim, quando iuras, tibi iuras, aut lapidi iuras, sed proximo iuras. Homini iuras ante lapidem. Sed nunquid non ante Deum? Non te audit lapis loquentem, sed punit Deus fallentem.* Itaque applicando hunc textum ad Ethnicum iurantem pari modo dicendum est, quod intentione primaria juret per Deum verum, seu Summum Deorum, ut ille-

la-

loquitur, licet errore concomitante coram Deo, qui inspicit corda, dum nos exterius neminem in individuo condemnamus, ignorantia, quamvis *quoad nos* forte probabiliter invincibili, attamen simul probabiliter *graviter culpabili*, juret simul per Deos aut prophetas falsos. Ne hæc videantur incredibilia, affero hic juramenti formulam apud Romanos Ethnicos in Tribunali consuetam. Reperitur in Jure Gloffato & est ista: *Juro per Jovem Olimpium, Jovem Vestalem, Curialem. Jovem coniugalem, Junonem coniugalem. Minervam cognomento Prudentiam, Victoriam, Concordiam, Jus, Fas, bonam Fortunam, cæterosque Deos, & Deas omnes: Quod velim consulere iuxta leges, & Decreta Civitatis propria, atque recepta, & secundum statuta Romanorum, Legesque eas, iuxta quas Rempublicam administramus in communem utilitatem Patriæ, quod ipse potero, & ut quilibet alius consuleret, qui Patriæ optime consultum vellet, Romanus sive Græcus: Et quod neque in gratiam, neque in odium cuiusque, neque etiam acceptis donis iudicabo, aut sententiam feram, neque hominis causa consilium dabo, neque Patri, aut personæ privatim favebo, sed communi utilitati Patriæ studebo, augens & promovens hanc semper quoad potero, & ut Diis pariter, & bonis viris probabitur. Atque hoc juranti mihi bene sit, Deosque, ac dæmones habeam propitios, & mihi, & amicis, & generi, & toti domui. Pejerans autem non inveniar.*

Quæritur. 26. An iuramentum non ludendi sit licitum? & num universim inducat obligationem?

Respondeo 1. Si quis tantum iuret, se evitaturum omnem ludum immoderatum immoderatione temporis, vel quantitatis summæ, quæ exponitur, vel scandali, &c. ea iuramenti species sine dubio est licita & obligatoria.

Respondeo 2. Si quis iuret, se non amplius lusurum ullo ludo, alias etiam licito, ex motivo vitandi quævis peccandi in hoc genere pericula, vel melius collocandi tempus, vel dandi aliis moderationis Christianæ aut Clericalis exemplum, tale iuramentum est licitum & obligatorium, quia est de meliori bono. Quia tamen omnia bona proposita imbibitam habent conditionem, nisi circumstantiæ aliquid evidenter melius ac perfectius exegerint, ita etiam hoc iuramentum tacite ex sua natura conditionatum est, nisi charitas proximi evidenter aliud exegerit.

Respondeo 3. Si dubium fuerit, utrum sola immoderatio lusus, vel ipsum genus lusuum fuerit obiectum iuramenti, inspiciendæ sunt causæ occasionantes iuramentum, si enim occasionem dederit perditio nimiæ pecuniæ, rixæ, blasphemiæ, dubitari merito potest, an non soli lusus occasionantes eiusmodi effectus fuerint obiectum iuramenti, & ideo a confessario habente potestatem relaxandi iuramenta moderationem facilius recipiunt. Si vero lusor non ex præcipitantia iræ, sed maturo consilio in detestationem abusuum & pravorum effectuum ipsum genus ludorum sub iuramento fuerit execratus, non est a confessario relaxandum iuramentum, nisi ratio melioris, & horror maiorum malorum id poscat.

Respondeo 4. Si finis eiusmodi iuramenti fuerit superstitiosus aut vanus, v. g. si quis in vindictam iuravit se non lusurum cum tali persona, vel se non lusurum tali tempore, quod credit infaustum, iuramentum est invalidum, quia ea obligatio ad talem finem non acceptatur a Deo.

Quæritur 27. An validum sit iuramentum non mutuandi, non commodandi, vel fideiubendi?

Respondeo. Si tale iuramentum solum pro fine habeat præcavere damnum tertii, v. g. uxoris, liberorum, &c. vel refrœnandi propriam levitatem animi cedendi cuiusvis postulatis, cum observatio regularum prudentiæ ad virtutes morales pertineat, etiam præbet materiam iuramenti liciti & obligatorii. Si vero motivum eiusmodi iuramenti solum fuerit inordinata tenacitas, eo ipso illicitum & invalidum est, cum Deus non acceptet obligationem vergentem ad iniqua. Si autem de principali motivo iurantis dubium fuerit, in meliorem so-

lum

lum partem intra limites honestatis & charitatis a Confessario, quem iurans tenetur consulere, explicandum est.

Quæritur 28. An valeat iuramentum non vendendi minori pretio, vel non emendi cariori pretio?

Respondeo. Hoc genus iuramenti est invalidum. Ratio est, quia cum non habeat pro motivo honorem Dei, nec utilitatem proximi, nec regulam prudentiæ, v. g. cautelam evitandi periculum damnificationis propriæ, utpote alias etiam sine iuramento facile evitabile, non acceptatur a Deo ea iurantis obligatio.

Quæritur 29. An valeat iuramentum non accusandi vel denuntiandi reum.

Respondeo 1. Si hoc iuramentum sit generale, non accusandi vel denunciandi quoscunque delinquentes, est de obiecto illicito, adeoque est invalidum. Datur enim aliquando obligatio denuntiandi reos ex lege positiva, vel ex iustitia, vel ex charitate.

Respondeo 2. Si hoc iuramentum respiciat delinquentem particularem, distinguendum est, an tale iuramentum fiat ante delictum, vel post delictum? Si fit ante peccatum sponte ac ultro sine metu mali gravis, est illicitum & invalidnm, quia ex suo genere invitat ad liberius peccandum. Si autem fit post peccatum, iterum distinguendum est, an conjungatur cum periculo seductionis plurium, perturbationis Reipublicæ, damnificationis aliorum, vel non? Si conjungatur cum tali periculo, est illicitum & invalidum; quia securitas publica est majus bonum, quam privatum. Si autem delinquens sibi soli & complici noceat, videndum est, utrum ex denuntiatione sequatur plus bonorum vel malorum. Si timeatur plus malorum, juramentum, quousque perseverant hæ circumstantiæ, licitum est & validum. Si autem ex denuntiatione speretur fructus sine metu gravium vel æqualium malorum, juramentum erit illicitum & invalidum, utpote impeditivum majoris boni.

Respondeo 3. Si delictum jam sit emendatum, ac sit ejus generis, ut soleat relinquere emendationem constantem, nec obstet lex positiva præcipiens denuntiationem non in ordine ad emendationem privatam, sed vindictam publicam, licitum & validum est juramentum, quia est de objecto licito, imo præcepto ex charitate.

Quæritur 30. An licitum & validum sit juramentum accusandi vel denuntiandi delinquentem?

Respondeo 1. Si fiat de accusatione vel denuntiatione aliunde præcepta ex lege positiva, vel ex lege charitatis erga Deum vel proximum, juramentum est validum & obligatorium, etiamsi fiat ex ira, odio, vel gravi vindicta. Ratio est, quia motivum vindictæ se tantum habet per modum causæ efficientis, quæ est distincta a suo effectu. Malitia autem causæ efficientis ne quidem in moralibus inficit effectum intrinsece bonum, neque ex sua natura natum aptum aut indifferentem ad procedendum a tali causa. Sic contractus matrimonialis non inficitur nec invalidatur, etiamsi fiat ex primario fine libidinis.

Respondeo 2. Si tamen accusatio vel denuntiatio non sit aliunde præcepta, nec de meliori bono, ejusmodi juramentum nec est licitum nec validum. Ratio est, quia non acceptatur a Deo obligatio fidejussoria, nisi sit de meliori bono, aut saltem de æquali bono sine cujusquam offensione aut contristatione, quod non fit in casu accusationis vel denuntiationis, ubi delinquens gravatur sine compensatione huius gravaminis per maius bonum.

Quæritur 31. An & quomodo Medici obligentur iuramento, monendi & adstringendi infirmum de præmittenda confessione?

Respondeo 1. *Per se*, ubi hoc mandatum viget, tenetur Medicus observare mandatum Apostolicum, quod per extensum reperitur in Appendice *Theol. Eccleſt.* ad Tract. de pœnit. part. 3. *Ratio* est, quia præsumendum est, eam esse intentionem Summi Pontificis, quod pro hoc casu velit obligare Medicum.

Respondeo 2. Si tamen Medico probabilius sit, infirmum ex obstinatione potius moriturum sine confessione, si de-

deferatur a Medico, tenetur Medicus per Epikiam de præsumpta mente Pontificis infirmum saltem liberare a morte, aut morbo perpetuo. *Ratio* est, quia ad hoc indulgendum Pontifex tenetur ex lege charitatis.

Quæritur 32. An valeat prior promissio vel votum, si posteriori contrariæ promissioni aut voto adjiciatur juramentum?

Respondeo. Si prior promissio aut votum adhuc ligant ante iuramentum, eorum obligatio non tollitur per subsequens promissum aut votum etiamsi iuratum, nisi hoc iuramentum sit ex dispositione legis positivæ sublativum prioris obligationis. Id patet ex sponsalibus a Titio v. g. cum Bertha contractis. Si enim postmodum contrahat nova sponsalia etiam jurata cum Caja, valebunt prima sponsalia, non secunda, quia Deus non censetur acceptare iuramentum, aut in se recipere munus fideiussoris in præiudicium alterius. Econtra si desponsatus cum Bertha emittat professionem iuratam in ordine religioso, non valent amplius sponsalia inita cum Eerha, sed valet iuramentum religionis, quia in tali casu per leges positivas irritatur valor priorum sponsalium.

Quæritur 33. An validi sint contractus vel actus consequentes iuramentum & repugnantes iuramento?

Respondeo. Si prius iuramentum fuerit validum, nec irritatum a iure in casu, omnes subsequentes actus iuramento repugnantes sunt iure naturæ invalidi. Ratio est, quia fortior est anterior obligatio sub fideiussione divina, quam posterior præcise se obligante homine homini. *Neque obstat*, quod l. *traditionibus*. Cod. de pactis, & l. *quoties* Cod. de rei vendit. confirmetur posterior venditio cum traditione rei facta contra promissionem iuratam alteri factam. Id enim leges civiles disponunt vel ob ambiguitatem juramenti & difficultatem probandi, vel contra æquitatem Juris naturalis. *Nec etiam obstat*, quod valeat posterius testamentum in favorem Titii contra promissionem juratam Cajo factam ipsum instituendi in hæredem, aut quod valeat professio religiosa post sponsalia jurata inita cum Bertha. In priori enim casu per legem positivam anticipato prohibetur & irritatur omne juramentum absolutum & irrevocabile de instituendo hærede, quod proin Deus contra dispositionem juris positivi non acceptat. In posteriori autem casu Ecclesia priori juramento apponit conditionem; *nisi statum perfectiorem elegero*, ut proin Deus non acceptet prius juramentum nisi in illo sensu conditionato, cum velit homines non aliter obligare & obligari nisi juxta leges justas Ecclesiæ.

Quæritur 34. An juramentum factum contra dispositionem legis civilis vel Ecclesiasticæ sit universim invalidum?

Respondeo. Si lex pro fine suo *principaliter* ac *immediate* respiciat bonum publicum, omne juramentum legi contrarium est illicitum & invalidum. *Ratio* est; quia juramentum non est vinculum iniquitatis, nec acceptatur a Deo in præjudicium tertii, vel integræ communitatis, cujus violaretur bonum publicum. Hinc Clericus ne quidem sub juramento potest renuntiare privilegio fori introducto in favorem generalem status Clericalis; nec valet juramentum excedendi in venditionem rerum venalium taxam lege positam, aut extrahendi merces & arma extra provinciam contra legem, si posita fuerit in bonum publicum. Econtra si lex principaliter ac immediate respiciat *bonum privatum*, huic renuntiare licebit per juramentum, alioquin lex potius cederet in odium & gravamen privati. Hinc primogenitus poterit per juramentum cedere jure primogenituræ, vel Majoratus introducto per legem.

Quæritur 35. Quomodo in dubio explicanda sint juramenta?

Respondeo. In hac re traduntur sequentes quatuor Regulæ.

1. *In dubio obligationis, quod servata proprietate verborum ac intentione obligantis minus stringit, tenendum est*. Excipitur juramentum solenne, v. g. militare vel religiosum, quia ibi principalis obligans est ille, qui defert & acceptat juramentum, in cujus proin fa-

vorem interpretatio juramenti facienda est. Hinc si filius patri abeunti in regionem longinquam ad ejus instantiam juret, se non amplius lusurum, donec redeat domum, si pater moriatur in itinere, solvitur a juramento filius.

2. *Juramentum sequitur naturam actus, cui adjicitur*. Hinc si contractus vel promissio habeat tacite imbibitas conditiones, easdem conditiones assumit juramentum. Hinc si sub juramento Petro promittas equum, & is vicissim repromittat vestes, Petro non servante suam promissionem non obligaris ad tradendum equum. Sic promittens sub juramento Berthæ diviti ac sanæ nuptias non tenetur juramento, si illa postmodum in paupertatem vel defectum notabilem incidat. Sic etiam jurans se pariturum mandato judicis, stante eius sententia potest licite appellare, si se gravatum sentiat. Sic etiam iurans, se inimico nullum amplius allaturum nocumentum, non agit contra iuramentum, si ex nova occasione vel causa superveniente noceat. Sic iurans se servaturum omnia Statuta alicuius communitatis, non agit contra iuramentum, si quædam minima non servet, quia non censetur se obligasse sub peccato ad leges quasvis solum pœnales. Sic etiam iurans, se Judici, Inquisitori, vel Visitatori revelaturum omnia, non tenetur ex iuramento ad revelanda delicta prorsus occulta iam emendata, aut in nullius vergentia pernitiem, seu periculum, nisi ita opus fuerit ex lege correctionis fraternæ. Sic etiam iurans ex urbanitate, se præcessurum non fore in domum, non agit contra iuramentum, si coactus præcedat. Ratio horum omnium est, quia omnes eiusmodi actus, contractus, & obligationes sunt tacite conditionatæ ex intentione contrahentium seu spondentium per ius vel consuetudinem explicata.

3. *Juramenti obligatio perseverat perseverante objecto in eodem statu. Non autem perseverat objecto notabiliter recedente ab intentione jurantis*. Ita colligitur ex C. *brevi.* de Jureiurando. Et ex C. *petitio.* & C. *veniens*, eod. tit. Et ex C. cum inter. *de renunt.* Hinc sequitur, iurantem, quod velit residere in Ecclesia, posse se absentare pro utilitate & necessitate Ecclesiæ, ut habetur in C. *ex parte* de Cler. non resid. Hinc etiam iurans, se non alienaturum bona Ecclesiæ sine authoritate Pontificis vel Superioris, posset ea alienare, si Pontifex vel Superior adiri non possit. Hinc etiam iurans, se non petiturum beneficium a se renuntiatum, potest illud acceptare, si ipsi denuo conferatur.

4. *Juramentum factum in præjudicium tertii semper restringendum est*. Sic iurans, se servaturum aliquod secretum, non tenetur ad illud servandum, quando illud alteri nocivum est, ut colligitur ex C. hoc videtur 22. q. 5.

Quæritur 34. Quid agendum, si dubia sit existentia, vel licentia Juramenti?

Respondeo 1. Si dubitatur dubio stricte dicto, ita ut in neutram partem potius inclinet Judicium, an fuerit emissum Juramentum, nulla datur obligatio servandi Juramentum. Ratio est, quia præsumitur non dari factum extraordinarium, nisi reddatur verosimilius seu credibilius.

Respondeo 2. Si constet de emisso oretenus Juramento, sed dubitetur de interna intentione jurandi, datur obligatio servandi Juramentum. *Ratio* est, quia præsumuntur ea inesse vel coniungi actui, quæ regulariter insunt vel coniunguntur. Intentio autem interna regulariter coniungitur & conformatur actui externo, nisi formula iurandi fuisset talis, cum qua non solet coniungi intentio interna.

Respondeo 3. Si dubia sit ipsa licentia Juramenti, tenetur iurans consulere confessarium vel alium virum doctum indifferentem. Ratio est, quia, cum causa agatur particularis inter se & Deum, qui acceptavit Juramentum, non potest agere Judicem in causa propria stante dubio stricte tali, nisi pro se habeat rationem probabiliorem, prout ostensum est de *Probabilismo*.

Quæritur 35. Quænam personæ possint iurare?

Respondeo. Jure naturali quivis pollens

lens usu rationis, & consideratis circumstantiis fide dignus, potest admitti ad Juramentum. Jure tamen positivo aliqua genera personarum, quarum fides vel ob debilitatem Judicii, vel ob pravitatem morum suspecta est frequenter, ad majorem securitatem Juramentorum generaliter extra casum necessitatis repelluntur a depositione Juramentorum. Sic 1. in causis civilibus non admittebantur olim in quibusdam locis jurare pueri & puellæ ante annos pubertatis, teste Gratiano C. parvuli 22. q. 5. Imo l. *inviti* ff. de testibus, antiquitus ne minor viginti quinque annis admittebatur jurare in causis criminalibus: 2. In causis criminalibus etiam repelluntur mulieres a ferendo juramento Jure Canonico, nisi in casibus, in quibus permittuntur etiam infames. C. *forus* de Verb. significat. & C. *meminimus* de accusat. 3. Excluduntur etiam perjuri, qui in Judicio jam semel de perjurio convicti & condemnati sunt. Ita in tribunalibus, & in legibus locorum particularibus merito receptum est. 4. Prohibentur etiam in Judicio laico jurare Sacerdotes, nisi in causa propria & suæ Ecclesiæ. C. *cum munitus* de testibus, *Alexander* III. scribit: *Clerici non sunt a ferendo testimonio super negotio Ecclesiæ suæ, nisi alia rationabilis causa impediat, repellendi*. 5. Repelluntur etiam a ferendo ultro testimonio non solum infames *infamia juris*, qui in Judicio de gravi aliquo crimine convicti sunt, sed etiam infames *infamia facti*, etiamsi in Judicio necdum sint condemnati. Ita colligitur ex C. *super eo*, de testibus, ubi *Alexander* III. scribit: *Quæsivisti, utrum testes sint reprobandi in causa criminali vel civili, quibus ab adversa parte crimina opponuntur? Respondeo, quod si etiam ante non sunt convicti vel confessi de criminibus illis, dummodo inde convincantur, in testimonium non debent admitti*. 6. Excluduntur etiam *capitales* inimici. *Dixi, capitales*. Si enim inimicitia non sit capitalis, a lege non excluduntur, quamvis a Judice aliquando rectius excludantur ex officio. 7. Item excluduntur socii criminum ex C. *veniens* de testibus, ubi *Alexander* III. scribit: *Nos tuam sententiam commendamus; eo quod ille, qui eodem erat infectus crimine, inde contra eum testificari non posset, nullique de se confesso adversus alium in eodem crimine sit credendum, nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus*. 8. A Jure Civili etiam excluduntur personæ viles & inopes. 9. C. *Judæi* & C. *licet*, de testibus excluduntur etiam Judæi & Saraceni a testificando contra Christianos. 10. Per C. *de cætero*, de testibus, excluduntur etiam laici a testificando contra Clericos in causis criminalibus, ubi *Alexander* III. Archiepiscopo Salernitano sic scribit: *Laicos in accusationem vel testimonium contra Clericum in criminali causa non esse aliquatenus admittendos, censura sacrorum Canonum manifestius edocet. Nisi forte suam vel suorum injuriam, prosequantur. Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti*. Sub hoc termino, *suorum*, spectata æquitate naturali intelligendi sunt omnes homines ex eadem communitate, de quorum agitur seductione vel periculo animæ. Vide dicenda de obligatione *diversorum statuum* §. 6. q. 5. 11. Per legem civilem etiam consanguinei usque ad quartum gradum non possunt cogi ad testificandum contra consanguineos. Ultro autem se offerentes ad juramentum possunt recipi. Verum hæc omnia, quæ a jure positivo dependent, posse & debere variari a Judice pro congruentia circumstantiarum, ratio & praxis demonstrant.

Quæritur 36. An juramentum possit deponi per procuratorem?

Respondeo. Affirmative. Ita colligitur ex C. 1. de statu monachorum in 6. §. verum, ubi Bonifacius VIII. sic scribit: *Quando Abbatissa debebit pro feudo fidelitatis Sacramentum præstare, nisi, quod per procuratorem illud præstet, possit efficere apud principem, de monasterio exire poterit*. Ut tamen Procurator licite juret, debet habere speciale mandatum, & super articulis exacte determinatis; alioquin esset periculum perjurii. Juraret enim ad mentem

 sui

sui principalis, quæ tamen forte diversa esset. Hinc si quis suo procuratori solum daret generale mandatum ad recte instruendam causam sine mandato speciali ad jurandum, jurante procuratore sine speciali mandato principalis teneretur quidem vi contractus ad observandas conditiones a procuratore initas, sed non teneretur vi juramenti, prout authores observant.

Quæritur 37. An Lex Civilis possit irritare juramenta contractibus apposita?

Respondeo. Potest illa irritare *indirecte* irritando contractus quovis modo initos, non autem directe. Corruente enim principali etiam corruit juramentum accessorium, quando ipsum principale opponitur bono publico.

Quæritur 38. Qualia juramenta possint irritari a Superioribus?

Respondeo 1. Ila sola juramenta possunt irritari a Superioribus, quæ versantur circa materiam subjectam Superiori. *Ratio* est, quia plus potestatis in Superiore non potest probari ex Scriptura vel traditione. Quando enim *Numerorum* 30. parentibus & maritis conceditur potestas irritandi vota & juramenta liberorum & uxorum, ibi agitur de bonis temporalibus vel actionibus, quæ possunt præjudicare parenti vel marito, si præstentur. Textus sic habet: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & juramentum, quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit, quidquid pollicita est & juravit, opere complebit, sin autem statim, ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento, quo die audierit vir & non contradixerit, voti rea erit, reddetque, quodcunque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque, quibus obstrinxerat animam suam, propitius ei erit Dominus. Vidua & repudiata, quidquid voverint, reddent. Uxor in domo viri, cum se voto constrinxerit & juramento, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet, quodcunque promiserat. Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si voverit & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, ut faciat, sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat, atque promiserat, reddet, quia statim, ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus*. Hucusque lex Mosaica, haud dubie conformis juri naturali, cum nemo possit per votum aut juramentum disponere de bonis alienis, vel obligatis alteri in ejus præjudicium.

Respondeo 2. Ad hoc, ut Superiores, parentes, mariti, &c. possint irritare juramenta aut vota subditorum, requiritur, ut sint *evidenter* in eorum præjudicium. Id colligitur ex ipso textu Moysaico, dum deliberanti in diem alteram, an velit contradicere vel non; hoc est, *hæsitanti* ac *dubitanti*, an votum uxoris sibi inferat notabile præjudicium, a Deo negatur altero die facultas irritandi. Idem colligitur ex eo, quia in textu maritus asseritur *portare iniquitatem uxoris*, puta, si *temere* sine *evidenti & notabili* suo præjudicio contradixerit.

Quæritur 39. A quibus Superioribus possint irritari juramenta? & qualia in particulari?

Respondeo, Pontifex potest irritare juramenta facta de alienandis vel non alienandis bonis semel Jure perpetuo dicatis Deo, in quantum prima donatione fuerunt exempta a Jurisdictione & Jure activo principum. *Dixi*, *in quantum*.

tum. Qualia enim Jura tacite vel expresſe fuerint in ejuſmodi donationibus reſervata hæredibus donantis, vel Domino territoriali, dependet ex legibus primitivis cujuſque nationis per praxin continuam declaratis. Idem Pontifex poteſt irritare juramenta facta de beneficio renuntiando, de gradu Theologico vel Canonico non acceptando in alia Academia, quia hæ materiæ ſunt ſubjectæ Pontifici. Similiter poteſt irritare juramenta Capitulorum Cathedralium ac Collegialium, facta in præjudicium boni communis, aut Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, cum hæc materia ipſi ſubjecta ſit. Similiter poteſt irritare juramenta hominum, principatuum, aut regnorum feudatariorum Romanæ Eccleſiæ, in quantum evidenter præiudicant Juri feudali Eccleſiaſtico. Ad uſum autem eius poteſtatis, ſicut q. 38. monui, requiritur, ut & Jus feudale, vel aliud in bona, & ſimul etiam notabile præjudicium illius Juris certum ſit.

Reſpondeo 2. Epiſcopus in ſua Diœceſi non ſolum poteſt irritare juramenta præjudicantia Diſciplinæ Eccleſiaſticæ facta a Capitulis Collegialibus aut Cathedralibus quoad regimen ſpirituale ſibi ſubjectis, ſed etiam facta a Clericis privatis circa obligationem non reſidendi, vel non petendi præbendam beneficii, non reſervatam Pontifici.

Reſpondeo 3. Prælatus poteſt irritare juramenta ſuorum religioſorum, in quantum præjudicant voto paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, emiſſo conformiter ad obligationem contractam in Statutis vel Regula. *Dixi*: *In quantum*, quia votum in aliquibus religionibus non eſt illimitatum ad omnem Superioris nutum, ita ut voluntas ſubditi illimitate in omnibus ſit ſubjecta Superiori, ſed eſt limitata ad ea, quæ ſunt conformia Regulæ & Statutis, & intrinſeca bono ſtatui religionis.

Reſpondeo 4. Maritus poteſt irritare vota & juramenta uxoris non ſolum circa perſonalia, quatenus præjudicant bonis communibus, ſed & dotalibus, cum marito debeatur etiam bonorum dotalium adminiſtratio.

Reſpondeo 5. Dominus poteſt irritare iuramenta & vota ſervi vergentia in præjudicium ipſius Domini.

Reſpondeo 6. Parentes & tutores poſſunt irritare juramenta & vota ſuorum liberorum aut pupillorum, quæ cedere poſſunt in notabile illorum præjudicium quoad ſuſtentationem corporalem, vel adminiſtrationem bonorum temporalem ſibi concreditam a natura aut lege. Hinc ſi puer, aut pupillus voveret *immoderata* jeiunia, illudque votum juramento confirmaret, non ſolum parentes, ſed etiam tutores poſſent irritare tale juramentum, quando timeretur oriturum ex jeiuniis vel mortificationibus extraordinariis grave nocumentum ſanitati, unde notabiliter difficilior redderetur ſuſtentatio. Idem proportionaliter dicendum eſt de Curatoribus reſpectu Minorennium quoad adminiſtrationem bonorum Curatori concreditam.

Quæritur 40. An Superior poſſit irritare poſtmodum juramenta aut vota, quæ primitus approbavit?

Reſpondeo. Si emergat nova cauſa; poterit ea irritare, non emergente nova cauſa non poteſt ea irritare. Poſterior Reſponſionis pars patet ex textu Scripturæ ſuperius q. 38. adducto. Prior pars probatur, quia emergente nova cauſa mutatur materia juramenti ac voti, ita ut fieri incipiat præjudicioſa Superiori. Ergo poterit irritari.

Quæritur 41. An juramenta & vota ſemel irritata reviviſcant morte irritantis?

Reſpondeo. Negative. Ita colligitur ex Cod. *de remiſſione pignorum*; quia pignus ſemel remiſſum non poteſt revocari a ſucceſſore eapientis & remittentis pignus. Ratio autem eſt, quia irritatio non eſt actus perſonæ, ſed officii, quod eſt perpetuum.

Quæritur 42. An ad valorem irritationis juramentorum aut votorum requiratur cauſa juſta?

Reſpondeo. Cauſa juſta requiritur ad valorem irritationis. Deus enim non cedit jure ſuo per juramentum aut votum aquiſito ſine cauſa gravi, ſufficiente ad movendum Deum pro ceſſione ſui juris.

Quæritur 43. Quomodo differant inter se irritatio juramenti, & dispensatio seu relaxatio juramenti?

Respondeo. Irritatio & dispensatio seu relaxatio juramenti (idem est de voto) differunt per hoc, quod irritatio sit actus Superioris humani recognoscentis materiam subjectam non potuisse promitti Deo sine suo consensu; econtra dispensatio est actus Dei per sui vicarium remittentis obligationem juratam pro circumstantiis, in quibus majus bonum divinæ gloriæ exigit remissionem obligatonis juratæ.

Quæritur 44. An ad valorem dispensationis a juramento requiratur causa legitima?

Respondeo. Affirmative. Ratio est, quia, prout ex q. 43. patet, dispensatio fit nomine Dei. Deus autem non censeri potest ratam habere remissionem hujus obligationis suo nomine factam, si non allegatur & appareat sine dolo & fraude causa legitima. Nec enim daretur prudenter vicario ejusmodi potestas illimitata dispensandi valide nulla apparente, aut per fraudem suggesta causa.

Quæritur 45. Quænam sit causa legitima relaxandi juramenta?

Respondeo. Causa est duplex. 1. exigentia boni communis. 2. dubietas de obligatione juramenti. Prior causa locum habet, quando juramenti observatio obstat bono communi. v. g. si quis jurasset, se non denuntiaturum personam ream pernitiosam aut valde periculosam communitati, vel se non testificaturum veritati, vel si jurasset, se observaturum pacta inita in contractu notorie turpi vel, si juramentum violentia, fraude, vel iniquitate comperta utrique parti extortum est, supposito, quod non essent ipso jure invalida talia juramenta. Secunda causa locum habet, si dubium est, an obligatio juramenti sit de meliori vel æquali bono, vel utrum lateant hæ vel illæ conditiones tacitæ, vel utrum materia juramenti sit sufficiens ad irritationem? In ejusmodi enim dubiis pertinet ad Papam vel Episcopum, determinare dubium per dispensationem. Tale dubium foret, si dubitaretur, an in contractu jurato læsio sit enormis vel ultra dimidium? vel utrum reciprocæ capitulationes principis juratæ statibus provinciæ sint violatæ quoad substantiam, ita ut pergat obligare juramentum fidelitatis reciprocum. In ejusmodi autem gravissimis dubiis declaratio authentica a summo Sacerdote, nempe a Papa inter Catholicos, petenda est.

Quæritur 46. An omnis dispensatio circa juramenta aut vota solum habeat naturam declarationis?

Respondeo. Omnis dispensatio simul habet naturam declarationis & jurisdictionis. Pro priori enim signo rationis declarat, obligationem juramenti esse dubiam, aut ejus materiam non esse de majori bono, sed æquali vel minori cum opposito. Pro posteriori autem signo rationis authentice determinat, in æquali dubio, vel in æquali bonitate duorum oppositorum eligendam potius esse hanc, quam illam partem oppositi, nisi sit in præjudicium tertii anticipatum, prævium ad juramentum. Huic enim juri anticipato non potest præjudicare dispensans. Hinc frustranea est quæstio, quam aliqui authores faciunt, an in talibus juramentis præjudiciosis tertio dispensatio petenda sit a Superiore jurantis, vel eius in cuius favorem juratum est.

Quæritur 47. An in omni dispensatione juramentorum aut votorum debeat simul concurrere commutatio?

Respondeo. Quando dispensatio fit ab habente plenitudinem potestatis, non necessario concurrit dispensatio cum commutatione. Non enim Papa tenetur obligationi per dispensationem sublatæ substituere aliam æqualis aut magni valoris, cum immediate agat nomine Dei. In Episcopis autem rectius cum dispensatione jungitur commutatio, quia sive habeant suam potestatem immediate a Christo, sive a Papa, neuter censetur committere universaliter tot Episcopis potestatem dispensandi semper sine commutatione, saltem in causis gravis momenti, ubi materia juramenti importat notabilem cultum divinum aut profectum animarum.

Quæritur 48. An habentes potestatem com-

commutandi vota habeant etiam potestatem commutandi juramenta?

Respondeo. Qui habent potestatem commutandi vota, non eoipso habent potestatem commutandi juramenta, sive ea potestas sit ordinaria sive delegata.

Ratio est, quia, cum juramenta non fiant soli Deo, sed etiam homini, & quæ fiunt Deo, habeant obligationem primario fundatam in voluntate seu intentione divina, magis homini incognita, dum econtra votum habeat obligationem primario fundatam in voluntate seu intentione humana, magis homini perspecta, decet, ut ad potestatem commutandi juramenta requiratur major discretio, ac consequenter expressior concessio. Hinc Summi Pontifices, quando concedunt facultatem relaxandi juramenta, eam facultatem specialiter exprimunt.

Quæritur 49. An jurans possit propria authoritate commutare juramentum?

Respondeo. Jurans non potest propria authoritate commutare suum juramentum, nisi id fiat in aliquid evidenter melius eiusdem rationis.

Ratio est, quia ista facultas commutandi iuramenta in aliquid æqualis bonitatis, aut etiam in aliquid melius diversæ rationis, tolleret vim obligatoriam, & religionem iuramentorum omnibus gentibus sacram & sanctam ac inviolabilem, ut patet consideranti, nimis enim facile esset humanæ propensioni, invenire æquales bonitates, aut etiam melioritates diversæ rationis. Hinc, cum neque in Scriptura Sacra, neque etiam in ulla Historia Ethnica reperiatur ullum laudatum exemplum ejusmodi commutationis, authoritate propria factæ, censendum est, eam commutandi libertatem pugnare contra sensum universalem generis humani. Certe Rex Saul reprehenditur severissime in Scriptura l.1. Reg. quod rem voluntate divina præceptam, nempe demolitionem omnium rerum, etiam pecorum, commutaverit in rem sua opinione meliorem, nempe in solemnes victimas ad maiorem, ut prætendebat, Dei gloriam.

Quæritur 50. Quid sit, *dispensare commutando*, aut *commutare dispensando*?

Respondeo. Hi termini in concessionibus Summorum Pontificum usitati significant, quod habens potestatem a Summo Pontifice delegatam debeat simul coniungere dispensationem & commutationem, ita ut commutatio non necessario debeat esse adeo rigorosa pro diversa congruentia motivorum & circumstantiarum.

§. II.

De Adjuratione.

QUæritur 1. Quid sit adiuratio?

Respondeo. Adiuratio est postulatio alicuius rei a creatura rationali, ut eam præstet in contestationem publicam suæ reverentiæ aut obedientiæ rebus divinis debitæ. Talis adiuratio erat, quando Cayphas Matth. 26. Christo dixit: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei*. Talis etiam erat adiuratio, quando Pharisæi cœco sanato Jo: 9. dicebant: *Da gloriam Deo*, & fatere omnia.

Quæritur 2. Quotuplex sit adjuratio?

Respondeo. Adiuratio dividitur 1. in solennem & privatam. 2. in deprecativam & imperativam. *Solennis* est, quæ habet præscriptam ab Ecclesia formulam; *Privata* est, quæ non habet talem formulam. *Deprecativa*, qua rogatur per aliquid Sacrum. v.g. Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei*. *Imperativa* est, qua subdito aliquid præcipitur cum adiuratione. Sic Gen. 24. Abraham adiuravit servum.

Quæritur 3. An licitum sit, adiurare aliquem hominem? & quando?

Respondeo. Illis solis licet adiurare hominem, quibus licet, ab eo exigere publicam contestationem suæ reverentiæ aut obedientiæ rebus divinis debitæ. Hinc, cum homo non teneatur contestari p oximo suam reverentiam aut obedientiam erga Deum in quovis negotio, raro poterit licite fieri adiuratio hominis saltem *imperativa*. Ea de causa Origenes, quia præviderat generale in

adiurationibus periculum peccandi, Hom. ult. in Matth. scripsit : *Æstimo, quia non oportet, ut vir qui vult secundum Evangelium vivere, adjuret alterum.*

Respondeo 2. Tunc solum licet adiurare proximum, præsertim in spiritualibus subditum, quando non datur aliud expeditius medium obtinendi rem sibi ex iustitia aut charitate debitam, nec timetur a proximo peccaminosa recusatio postulati. Sic enim sine fructu daretur proximo scandalum, seu occasio peccati, quod committeretur per recusationem contestationis publicæ de reverentia seu obedientia erga Deum.

Quæritur 4. An liceat adiurare dæmones?

Respondeo 1. Non licet aliquid a dæmone per adiurationem postulare modo deprecativo, rogando videlicet, ut aliquid faciat ob reverentiam divini nominis, quia modus deprecativus exigeret beneficium a dæmone, quod est effectus & signum benevolentiæ.

Respondeo 2. Licet dœmonem adiurare postulando aliquid per se debitum, nempe ut cesset a nocendo ob metum divinæ gravioris in eum vindictæ. Non vero licet dœmonem adiurare postulando aliquid alias indebitum, v.g. postulando pecunias, vel notitiam rei absentis. Omnes enim eiusmodi adiurationes nil aliud sunt, quam postulationes beneficii, & *conjurationes magicæ*. Ita D.*Thomas* 2. 2. q. 90. a. 2. C. ubi sic scribit : *Duplex est adjurandi modus. Unus per modum deprecationis vel inductionis ob reverentiam alicujus sacri. Alius autem per modum compulsionis. Primo modo non licet dœmones adjurare, quia ille modus adjurandi videtur ad quandam benevolentiam vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dœmones uti. Secundo autem adjurationis modo, qui est per compulsionem, licet nobis ad aliquid uti, & ad aliquid non licet. Dœmones enim in cursu hujus vitæ adversarii nobis constituuntur. Non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed divinæ & sanctorum Angelorum. Possumus ego dœmones adjurando per virtutem divini nominis tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant spiritualiter vel corporaliter, secundum potestatem divinam datam a Christo. Non tamen licitum est, eos adjurare ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertineret ad aliquam societatem cum ipsis habendam.*

Quæritur 5. An liceat adiurare creaturas irrationales?

Respondeo 1. Non licet adiurare creaturas irrationales dirigendo adiurationem in ipsam creaturam secundum se, licet tamen eas adiurare dirigendo adiurationem ad dœmonem, qui movet aliquando eiusmodi creaturas irrationales. Ita D. Thomas l. c.

Respondeo 2. Eiusmodi adiurationibus non esse utendum, nisi sit prudens dubium, utrum dœmon non actu utatur his creaturis ad nocendum. Ratio est quia alioquin posset introduci consuetudo adiurandi omnes creaturas, quibus *posset* dœmon uti, quæ consuetudo foret absurda.

Respondeo 3. Cum omnes adiurationes creaturarum irrationabilium habeant speciem, quasi dirigantur in ipsam creaturam, melius abolerentur omnes eiusmodi adiurationes ab omnibus Ritualibus, & libris, sicut actu exclusæ reperiuntur a *Rituali Romano*, in quo nullæ reperiuntur adiurationes creaturarum irrationalium. Neque enim *Exorcizatio* salis est adiuratio quædam: Sensus enim huius verbi : *Exorcizo*, non est iste : *Adjuro te*, sed hic : *facio & volo te liberum manere ab infestatione dœmonum*, in quo sensu nihil continetur absurdi. Dabunt rationem Deo, qui agnoscunt vel agnoscere possunt absurditatem talium adiurationum, non nisi in sensu impropriissimo dirigibilium ad dœmones, & tamen iis utuntur ex vano respectu humano. Nam quis in sensu verborum proprio credat, præcipi dœmonibus, dum adjurans præcipit nubibus, locustis, vel muribus? Quid permiserint aliqui Episcopi, non servit pro regula, dum constat, Romanos Pontifices nunquam permittere eiusmodi maledictiones aut adiurationes, nisi iuxta *formam Ritualis Romani*, in qua nulla reperitur maledictio vel adiu-

ratio directe respiciens creaturam irrationalem.

Quæritur 6. Quænam requirantur universim, ut adjuratio sit licita absque peccato?

Respondeo. Requiruntur tria. 1. veritas. 2. justitia. 3. judicium. *Veritas* primo requiritur ex parte rei sacræ, per quam fit adjuratio. Qui enim adjuraret per Jovem, aut Mercurium, peccaret. *Secundo* requiritur veritas ex parte adjurantis, ne animo ficto postulet, quod petit, non serio. *Tertio* requiritur veritas ex parte causæ, seu motivi, ex quibus adjurat. Si enim quis simularet, se esse pauperem, *per amorem Dei*, vel *sanguinem* Christi peteret eleemosinam, peccaret non solum peccato mendacii, sed etiam speciali peccato irreligionis. *Justitia* in adjuratione exigitur; quia ad vitandum speciale peccatum irreligionis requiritur, ut res postulata justa, & honesta sit. *Judicium* requiritur, quia adjuratio debet fieri cum magna consideratione, ne videlicet præbeatur proximo occasio peccati; si forte non exaudiat adjurantem, & sic peccet contra reverentiam rei divinæ debitam.

Quæritur 7. An liceat etiam adjurare Deum & Sanctos?

Respondeo. Si postulentur justa, cum debita reverentia ac submissione ad majus beneplacitum divinum, modo deprecatorio id licet Id ostendit praxis Ecclesiæ. Sic enim rogamus Deum per ejus Incarnationem, Passionem &c.

Quæritur 8. Quænam requirantur ad licitam adjurationem dœmonis?

Respondeo. Ad licitam adjurationem dœmonis solennem requiritur 1. legitima imperandi *potestas in Ministro*. Ea autem potestas consistit ordinarie in Exorcistatu & speciali deputatione. Extraordinarie vero in gratia gratis data, sine alterutro enim requisito absque speciali instinctu interno claris indiciis noto ne quidem privatim tentanda est ab ullo hominum adjuratio imperativa dœmonum. 2. requiritur *modus imperativus*. Uti enim modo deprecativo erga dœmonem non licet, prout superius ostensum est. 3. requiritur *finis a Christo præordinatus*, nempe contrarius operationibus dœmonum saltem mediate. Sic enim Christus exaudiendo supplicationem dœmonum, ut eos mitteret in porcos Matth. 8. tacite redarguit Gerasenos, quod Judæis præberent ansam transgrediendi legem per comestionem carnis suillæ. Itaque Christus vult, ut nec alii utantur potestate herili, a se in dœmones concessa, nisi ad destruendas machinationes dœmonum.

Quæritur 9. Quænam in adjurationibus liceat interrogare dœmones?

Respondeo 1. In adjuratione dœmonum non licet interrogare curiosa, hoc est, talia, quæ non serviunt ad finem præordinatum a Christo, videlicet ad destruendas operationes seu machinationes dœmonum. Hinc

Respondeo 2. licitum esse, interrogare *nomen seu proprietatem* dœmonis per nomen expressam, ut moris est circa substantias separatas; numerum insidentium dœmonum; ansam seu causam, ex qua fuerit ingressus; indicium aliquod certum de insessione vera dœmonis nulli tamen homini præjudiciosum, v. g. quid ante mensem factum sit vel fiat in tali vel tali loco remoto; vel quid significet hæc vel illa propositio in lingua peregrina, vel quomodo solvendum hoc vel illud Problema Geometricum aut Physicum, jam aliunde peritis in arte notum ac solutum. Velle a dœmone discere aliquid novi ex motivo curiositatis aut utilitatis propriæ foret peccatum mortale; quia non fieret usus potestatis a Christo concessæ ad finem præordinatum a Christo.

Respondeo 3. Non licet a dœmone exquirere secreta peccata hominum adstantium; quia non licet cooperari ad infamationem hominum.

Respondeo 4. Non licet dœmoni imperare, ut opem ferat ad repellendas tempestates, grandines, & alias res ex cursu naturæ nocivas. Ad hunc enim finem dœmones non ordinantur, aut adhibentur a Christo.

Respondeo 5. Non licet dœmoni in assertionibus illius adhibere plenam fidem: quia, cum sit mendax, semper du-

dubium est utrum justa permissione divina ob curiositatem vel indignitatem adjurantis non permittatur mentiri etiam adjuratus?

Quæritur 10. An peccent adjurantes graviter, si omittant unam ex his cautelis?

Repondeo. Peccant graviter, si omittant vel unicam ex his cautelis in Responsione 1. 3. 4. & 5. enumeratis.

Ratio est, quia gravis infertur Deo injuria per abusum potestatis tam magnæ a Christo concessæ, etiamsi fiat abusus ad finem solum venialiter peccaminosum. Sic enim, qui abuteretur directe Eucharistia, Baptismo, vel alio Sacramento ad finem venialiter peccaminosum, eoipso peccaret mortaliter.

Quæritur 11. An peccent adjurantes, si pro feliciori successu adjurationis in contemptum dœmonis simul adhibeant rutam, stercus caprinum, & similia? vel si obsessum flagellis, contumeliis, alapis, vel sputis afficiant?

Respondeo. Omnes peccant mortaliter, qui in ejusmodi adjurationibus dœmonum miscent tales ineptias, neque a Rituali Romano, neque a Rituali Diœcesano approbatas.

Ratio est, quia hæ ineptiæ pugnantes contra gravitatem, majestatem, & simplicitatem Cœremoniarum Ecclesiasticarum prostituunt Ecclesiam risui hæreticorum, Judæorum, & Gentilium. Licet tamen adhibere res naturales ex sua natura confortativas obsessorum, v. g. rutam, vel alia aromatica, quæ suo odore recreent vires obsessi. Alias autem præbere medicinas obsesso prohibetur in Rituali Romano, ubi §. 17. dicitur: *Caveat Exorcista, ne ullam medicinam infirmo vel obsesso suadeat, sed hanc curam medicis relinquat*. Vide superius dicta de Superstitione in Præcepto 1. §. 8. qq. 11.

Quæritur 12. An adjurans absque peccato possit connivere pactioni cum dœmone, si ob egressum petat rem non malam? v. g. si petat, non cruciari novis suppliciis? non relegari in infernum, vel in desertum locum?

Respondeo. Ad potestatem Exorcistatus non pertinet, disponere de dæmone jam egresso, sed liberare hominem obsessum. Nam disponere de dæmone pro statu subsequente ad liberationem hominis pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ est in Christo, vel ad specialem delegationem, vel ad gratiam gratis datam. Neque etiam legitur in Scriptura, aut in historiis Sanctorum, nisi in casu rarissimo, quod ejiciendo dæmones illis præscripserint locum, in quem debeant commigrare. Itaque censeo, ejusmodi pactiones esse illicitas; quia speciem præseferunt cujusdam cessionis spontaneæ; cum tamen imperium a Christo in dœmones Exorcistæ concessum importet compulsionem, non spontaneitatem. Hinc Christus, & Sancti, quando præscripserunt locum dœmoni post egressum, non fuerunt usi forma pactionis, ad quam requiritur ultro citroque consensus mutuus juxta conditiones reciprocas; sed auditis dœmonum precibus egerunt authoritative, quod illis ad majorem Dei gloriam & animarum salutem rectius visum fuerat.

Quæritur 13. An adjurans possit absque peccato petere a dœmone signum egressionis v. g. fractionem fenestrarum?

Respondeo. Non licet petere tale signum. Ratio est, quia potestas Exorcistæ a Christo concessa finita est per liberationem obsessi. Itaque vi hujus potestatis non potest *imperative* ponere legem dœmoni pro statu subsequente egressionem. *Deprecative* autem quidpiam agendum postulare a dœmone non licet, prout constat ex dictis. Nec obstat, quod *Sacerdotale Romanum* approbet talem postulationem. Istud enim *Sacerdotale*, ut vocatur, non fuit editum jussu & authoritate Summi Pontificis, sed tantum privata authoritate alicujus privati, qui Romæ observaverat quasdam praxes particularium quorundam Clericorum. Hinc etiam non fuit editum Romæ, sed Venetiis. Accedit, quod illud *Sacerdotale* etiam in hoc puncto, uti in plurimis aliis, fuerit correctum a Paulo V. in *Rituali Romano*, ubi omissa est ea postulatio Signi. Hinc Exorcista poterit quidem rogare Deum, ut dœmo-

mo-

moni egredienti permittat vel imperet editionem alicujus signi innocui ad ædificationem populi, & incrementum divinæ gloriæ: ut tamen hoc a dœmone deprecando petat, non licet; & si imperando præcipiat, egreditur limites suæ potestatis, sicque meretur tradi illusioni aut deceptioni dœmonum.

§. III.

De Voto.

QUæritur 1. Quid sit votum?

Respondo. Votum est promissio animo se specialiter obligandi facta Deo de meliori bono. Ita quoad rem omnes.

Dicitur promissio, cui in quantum est actus humanus, intrinsecum ac essentiale est, ut sit *libera* ac *voluntaria*.

Dicitur 2. *De meliori bono*, ita ut res Deo sit acceptior, quam ejus omissio.

Dicitur 3. *Animo se specialiter obligandi*; quia pœnitentes multa Deo promittunt sine animo se specialiter obligandi.

Quæritur 2. Quotuplex sit votum?

Respondeo. Votum dividitur 1. in Personale, reale, & mixtum. 2. in temporale & perpetuum. 3. in Commune & particulare. 4. in Solenne & simplex. 5. in Reservatum & non reservatum. 6. in Expressum & tacitum. 7. in Absolutum & conditionatum. 8. in Pœnale & non pœnale.

Personale est, quo Deo promittitur positio vel omissio alicujus actionis propriæ, v. g. peregrinatio ad loca sancta, jejunium, oratio &c.

Reale est, quo Deo promittitur positio vel destructio alicujus rei, v. g. fabrica Ecclesiæ, calix, eleemosina &c.

Mixtum est, quo simul vovetur actio vel omissio propria, & res v. g. si quis voveat, visitare Ecclesiam S. Petri, ibique offerre calicem argenteum. Hoc enim posterius etiam per alterum præstari potest.

Temporale est, quo homo se specialiter obligat solum ad certum tempus. v. g. Si quis voveat castitatem ad mensem, proximum festum B. Virginis, vel ad annum.

Perpetuum est, quod durat ad totam vitam voventis, v. g. si quis voveat, toto vitæ tempore observare castitatem.

Commune est, quod ab integra communitate, v. g. civitate, emittitur.

Solenne est, quod acceptatur ab Ecclesia cum irritatione omnis actus contrarii. Sic votum castitatis in susceptione sacrorum Ordinum, & in emissione professionis religiosæ emissum ita approbatur & acceptatur ab Ecclesia, ut matrimonium contra obligationem voti emissum sit irritum & invalidum.

Simplex est, cui Ecclesia nullam specialem irritationem actuum contrariorum apponit. Et talia sunt omnia vota, præter solennia vota religiosa, & votum castitatis in susceptione Sacrorum Ordinum.

Expressum est, quo vovens explicitis verbis suam obligationem exprimit, qua se Deo obstringit. v. g. si quis determinate explicito verbo aut sensu castitatem, jejunium &c. Deo promittat.

Tacitum est, quo Deo aliquid suo statui, quem suscipit, annexum promittitur facto, non verbo. Sic qui recipit Sacros Ordines, tacite censetur vovere castitatem perpetuam, quia illa sacratio sui per castitatem facienda Deo Sacris Ordinibus annexa fuit per Constitutiones Ecclesiæ. Sic etiam, quando in nonnullis Ordinibus explicite vovetur sola obedientia, vel sola abdicatio proprii, simul tacite voventur reliqua duo vel tria vota, quæ per constitutiones Ecclesiæ annexa fuerunt statui religioso.

Absolutum est, quod sine ulla conditione emittitur.

Conditionatum est, quo Deo actio vel res sub conditione promittitur v. g. Si quis Deo voveat peregrinationem, si recuperaverit sanitatem.

Pœnale est, pro cujus transgressione ipse vovens sibi statuit pœnam, hoc est, quo Deo actio vel res promittitur eo modo, ut si vovens votum non servaverit, se obliget ad pœnam v. g. Si quis voveat, se non frequentaturum choreas, & si hoc votum fregerit, se daturum pauperibus decem aureos.

Non Pœnale est, pro cujus transgressione nulla statuitur a vovente sibimetisi pœna.

Quæ-

Quæritur 3. Quale sit discrimen inter propositum & votum ?

Respondeo. Discrimen consistit in eo, quod in solo proposito homo se non obliget specialiter sub peccato ad præstandum id, quod proponit vel promittit. Sic pœnitentes in actu contritionis promittunt Deo emendationem de blasphemia, etiamsi per hoc nolint contrahere specialem novam obligationem distinctam a lege prohibente blasphemiam. Sic etiam multi proponunt, si reconvaluerint, exhibere Deo varios actus bonorum operum; licet nolint se obligare sub peccato.

Quæritur 4. Ex quibus indiciis colligatur, an quis potius fecerit propositum quam votum ?

Respondeo. Id colligitur ex his indiciis. 1. Si alioquin non soleat emittere vota, nisi post præviam maturam deliberationem, quæ in casu non præcessit. 2. Si consideratis circumstantiis non egisset prudenter emittendo votum. 3. Si dubium sit, an habuerit statim per subsequentes dies remorsum conscientiæ vel persuasionem de obligatione voti.

Quæritur 5. An quis in dubio facti teneatur servare votum, si dubitat, an potius emiserit votum vel conceperit præcise propositum.

Respondeo. Sub distinctione. Si dubium fuerit stricte dictum, ita ut in neutram partem notabiliter præponderet judicium, non obligatur voto; quia, cum principium obligationis non sit ab extrinseco, sed ab intrinseco, præsumendum est, non extitisse animum se specialiter obligandi, nisi reliquerit in memoria sui manifestiora vestigia; consequenter etiam in hac materia, dum homo est in possessione suæ libertatis præcise turbata, locum habet regula: *Melior est conditio possidentis*. Si autem dubium sit tantum late dictum, ita ut homo consideratis omnibus probabilius credat, se emisisse potius votum, tenetur ad observantiam voti, quousque non obtinuerit commutationem vel dispensationem voti.

Quæritur 6. Qualis requiratur libertas ad votum ?

Respondeo 1. Requiritur talis libertas, qualis requiritur non solum ad constituendum peccatum mortale, sed etiam ad celebrandum contractum civilem, v. g. promissionis, donationis, emptionis &c. Ratio est, quia votum continetur in genere promissionis.

Respondeo 2. Hinc ad votum non sufficit libertas a necessitate, sed etiam requiritur libertas a coactione, errore, & metu injuste incusso.

Ratio est; quia etiam promissiones civiles pure liberales sine onere reciproco jure naturali sunt invalidæ, si vi, errore, aut metu injuste incusso fuerint extortæ, prout ex Tract. de Contractibus suppono.

Respondeo 3. Hinc etiam ad votum non sufficit libertas habitualis in causa nondum sufficienter retractata, qualis sufficit ad constituendum peccatum mortale, sed requiritur libertas vel actualis vel saltem virtualis, qualis requiritur in contractibus. Ratio est, quia nemo censetur velle inire novam obligationem ex consideratione circumstantiarum dudum præterita v. g. ante decem aut viginti annos, si ante decem annos habuit animum suscipiendi Sacros Ordines, sed dependenter a consideratione præsente actu aut virtualiter, ita ut omnes circumstantiæ moraliter præsentes tam ex parte objecti, quam ex parte voventis possint exacte expendi. Nemo enim censetur se obligare ultro ex voluntate primum futura, sed ex voluntate præsente.

Quæritur 7. An quis teneatur voto, si dubium sit, an præcesserit sufficiens libertas, seu deliberatio ?

Respondeo 1. In dubio, an ad votum, de cujus emissione certo constat, præcesserit sufficiens deliberatio, distinguendum esse quoad personas. Si enim vovens sit ætatis adeo maturæ, ut regulariter in ejusmodi hominibus soleat intervenire exacta consideratio circumstantiarum, etiam in casu particulari circa voti emissionem in dubio illa matura aut certe sufficiens deliberatio præsumenda, & obligatio ad observantiam voti asserenda est. Si autem vovens sit ætatis necdum satis maturæ ad debite expenden-

das circumſtantias objecti & obligationis, etiam in caſu illa imperfectio deliberationis præſumenda, & obligatio juxta modum indeliberationis moderanda, commutanda, aut omnino diſſolvenda eſt.

Reſpondeo 2. Quandocunque reperitur dubium de ſufficiente deliberatione ad emiſſionem voti, ſive fuerit dubium late dictum, ſive ſtricte dictum, ſemper eſt locus moderationi, aut commutationi juxta naturam dubii, & juxta æquitatem juris circa jura dubia. In tractatu enim de Conſcientia oſtendi; jura dubia, ſive fuerit dubium *late dictum* cum majori probabilitate in unam contradictionis partem, ſive *ſtricte dictum* ſtante æquali probabilitate & ſuſpenſione judicii pro utraque parte, ex æquitate naturali per judicem dividi poſſe, & debere juxta majoritatem vel minoritatem, aut æqualitatem probabilitatis in favorem partium.

Quæritur 8. An vota metu extorta valeant?

Reſpondeo 1. Vota extorta metu ab intrinſeco vel a naturali cauſa incuſſo valida ſunt tam jure naturali ac divino, quam Eccleſiaſtico. Ita omnes. Dicitur autem metus ab intrinſeco incuſſus, ſi quis emittat votum ad effugiendum malum corporis vel animæ proveniens a cauſa interna, v. g. a morbo corporis vel animi; ut ſi quis voveat peregrinationem ex metu mortis, quam ſecuturam timet ex gravi infirmitate. A cauſa autem naturali dicitur metus incuti, ſi v. g. ob tempeſtatem maris imminet periculum naufragii, ad quod evadendum emittitur votum. Hæc reſponſio ſumitur ex C. *Sicut nobis*, de Regularibus, ubi Innocentius III. dicit: *Quidam Clericus, cum ægritudine nimia laboraret, de recuperanda ſanitate deſperans habitum Canonicorum Regularium petiit & accepit, ſed nec ad Eccleſiam tranſiit, nec bonis ſuis uti ceſſavit. Reſpondemus, ſi regularem habitum ſe poſtulante ſuſcepit, ad reſumendum habitum eſt cogendus.*

Reſpondeo 2. Vota extorta metu a cauſa extrinſeca libera, non tamen ad extorquendum votum, ſed in alium finem incuſſo, ſunt jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico valida. Sic ſi latro itineranti minetur mortem, niſi fideliter tradat omnes pecunias, is autem emittat votum, ut effugiat, hoc votum eſt validum. Ita communis. Ratio eſt, quia Deus prudenter ac decenter acceptat ejuſmodi vota, non in gratiam metum incutientis, quem Deus odit, ſed in gratiam metum patientis, quem Deus per ſe amat, emiſſa, idque *non ex fine* idoneo ad fovendam malitiam hominum, ſed ſolum *occaſione* alienæ malitiæ ex motivo ac fine idoneo ad eandem malitiam deſtruendam.

Reſpondeo 3. Vota emiſſa ex metu juſte incuſſo valida ſunt, ſi metus non fuerit incuſſus ad directe extorquendum votum, ſed ex alio fine, v. g. ſi damnatio ad triremes flagitioſo fuerit intentata ad ejus emendationem, & aliorum ſecuritatem; ille autem ad declinandam hanc pœnam emittat votum recipiendi Ordinem Carthuſianorum. Ita communis. Ratio eſt, quia Deus libenter acceptat ejuſmodi vota illæſa ſua Sapientia & Juſtitia. Econtra ſi metus, utut juſtus, directe fuerit incuſſus ad extorquendum votum, votum tali metu juſto extortum jure naturali ac divino eſt invalidum. Pro hac ſententia citatur Rodriquez, Lopez, & Vega contra Sanchez, Leſſium, Bonacinam, Palaum. Ratio eſt; quia ejuſmodi vota non acceptantur decenter a Deo; neque enim decet Deum, ſacrificia ejuſmodi ex ſua natura ultronea ſubjicere ſervituti hominum.

Reſpondeo 4. Vota extorta metu injuſte incuſſo, atque ad extorquendum votum ordinato, ſunt jure naturali invalida.

Dixi. Extorta metu ad extorquendum votum ordinato. Si enim metum incutiens non intendat votum, ſed tantum pecuniam, aut liberationem a moleſtia, metum paſſus valide emittit votum Ordinis ſacri, aut religionis ad majorem ſui miſeriam evitandam. *Reſponſio probatur* ex eo, quia Summi Pontifices ejuſmodi vota habentes pro irritis non con-

conſtituerunt Jus novum Eccleſiaſticum, ſed tantum eorundem nullitatem, quam ex jure naturali habent, declararunt. Ratio autem ex jure naturali eſt; quia lumen naturale dictat, non decere bonitatem & ſapientiam divinam, ut acceptet talia vota obligando metum paſſos ob injuriam alienam. Textus Summorum Pontificum ſunt ſequentes. 1. *Alexander* in C. perlatum, *De his, quæ vi metuſque* cauſa fiunt, ſcribit: *Cum quidam nobilis uxorem ſuſpectam haberet, milites ſui ejus præcepto eam ad ſylvam ducentes evaginato gladio occidere voluerunt, ſed tandem pietate ducti ſub tali conditione eidem pepercerunt, quod in monaſterio de colobris habitum ſuſciperet monachalem. Epiſcopi vero miſſi a viro, ut ei velum imponerent, mutationem vitæ ſuſpectam habentes ſeorſim convenerunt eam. Quæ rem patefaciens quod timore mortis monaſterium intrabat, propoſuit, & quod inde, quandocunque poſſet, exiret. Sed alter Epiſcoporum, ut viri tyrannidi ſatisfacere videretur, mulieri velum imponere ſimulabat. Tandem viro è medio ſublato, mulier è monaſterio exiens alium maritum accepit, quos Gallagoritenſis Epiſcopus ad inſtantiam ſororum excommunicationis vinculo adſtrinxit. Ideoque mandamus, quatenus prædictam mulierem ab excommunicationis vinculo abſolvatis.* In hoc textu nec Epiſcopi cœteri nec Papa crediderunt, mulierem teneri ſuo promiſſo metu extorto, alioquin increpaſſent mulierem, eamque adſtrinxiſſent ad ſerio ac vere emittendam profeſſionem, aut illi impoſuiſſent pœnitentiam, & non niſi ſub conditione gravis pœnitentiæ diſpenſaſſent, prout tunc moris erat. Si autem promiſſum homini factum, vi extortum, eſt irritum, etiam irritum erit votum, ſeu promiſſum Deo factum, ſi fuerit metu extortum. 2. *Innocentius* III. in C. *cum dilectus*, eodem Tit. ſcribit: *Quia conſtitit nobis de voto emiſſo non obſtante violentia, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, ſilentium* (actoribus) *duximus imponendum*. In hoc textu Pontifex inſinuat, Actores ab obſervatione voti potuiſſe abſolvi, ſi ex metu mortis, vel alterius mali, per Judicem non facile reparabilis, fuiſſet emiſſum.

Quæritur 9. An validum ſit votum ex errore vel ignorantia emiſſum?

Reſpondeo 1. Si ignorantia aut error verſentur circa ſubſtantiam voti, votum ex tali ignorantia aut errore emiſſum eſt invalidum. Hinc ſi quis ignorat, voto eſſe annexam perpetuitatem, aut obligationem recipiendi clauſuram, vel putat, ſe profiteri in religione approbata, quæ reipſa non eſt approbata, votum eſt invalidum, quia nihil poteſt eſſe volitum, quod non eſt præcognitum, nec in genere, nec in ſpecie.

Reſpondeo 2. Si tamen id, quod ignoratur in ſpecie, fuiſſet cognitum & volitum in genere, votum eſſe validum. Hinc ſi vovens ſciret, ſuo voto v. g. religioſo, varias eſſe annexas difficultates, quas hic & nunc in ſpecie advertit ignorari a ſe, & tamen ſe reſolveret, ſe per emiſſionem voti velle in ſe recipere quaſcunque difficultates voto annexas, & ſe illo modo velle vovere, quo alii vovent, eoipſo ſe obligaret ſaltem in genere ad omnes difficultates voto annexas, quamvis hic & nunc ignoratas. Ita obſervant Suarez & Sanchez.

Reſpondeo 3. Votum emiſſum ex ignorantia aut errore poſitivo circa qualitatem objecti accidentalem, cui tamen alligatur tacite intentio voventis, eſt invalidum. Ratio eſt, quia ejuſmodi qualitas objecti, licet in conſideratione phyſica ſit accidentalis, in æſtimatione tamen morali eſt ſubſtantialis, cum ſit pars objecti voliti aut noliti. Hinc ſi quis voveret peregrinationem Jeroſolymitanam, exiſtimans, peregrinationem facile compleri poſſe ſine navigatione, aut ſi voveret peregrinationem ad limina Apoſtolorum, putans duplo minorem eſſe loci diſtantiam ac re vera eſt, aut ſi vovens ſuſceptionem Ordinis Carthuſianorum ignorat eſſe annexam abſtinentiam perpetuam a carnibus, reſpectu perſonæ alligantis tacite ſuam intentionem ejuſmodi qualitati itineris, ordinis, vel alterius objecti voliti, votum eſt invalidum.

Respondeo 4. Votum emissum ex ignorantia aut errore positivo circa finem, aut causam motivam, aut circa circumstantiam obiecti, cui tacite alligatur intentio voventis, est invalidum. Ratio est, quia omnis qualitas, conditio, modus, circumstantia finis, aut causa, cui tacite alligatur intentio voventis, in æstimatione morali pertinet ad substantiam obiecti voliti. Illæ enim partes in toto morali sunt substantiales, quæ coadunantur per intentionem humanam in ordine ad determinatum finem volitum aut nolitum. Id patet etiam a pari ex contractu matrimoniali, & aliis contractibus v. g. emptionis. Illæ enim qualitates, conditiones, aut circumstantiæ referuntur ad individuum personæ vel substantiam obiecti, quibus alligatur intentio contrahentis. Hinc si quis voveret dare eleemosinam personæ, quam existimat esse pauperem, votum est invalidum, si persona re vera non esset pauper. Huic enim conditioni merito censetur tacite alligata intentio voventis, cum illa non posita nullum detur aliud motivum aut ratio sufficiens ita vovendi. Sic etiam si quis vovet calicem ad Ecclesiam ad recuperandam sanitatem filio, quem existimat adhuc esse infirmum, qui re vera est sanus, votum erit invalidum, quia infirmitas filii est circumstantia, quam unice respicit intentio voventis.

Quæritur 10. Ex quibus indiciis possit agnosci, utrum intentio voventis fuerit alligata qualitati aut circumstantiæ ignoratæ?

Respondeo. Id poterit desumi ex sequentibus indiciis.

1. Quando obiectum voti absente illa qualitate aut circumstantia non servit amplius ad finem voventis, præsumendum est, qualitati aut circumstantiæ illi fuisse alligatam intentionem voventis. Cum enim votum sit quidam contractus bonæ fidei inter hominem & Deum, contractus autem bonæ fidei interpretationem accipiant secundum id, quod in pactum fuisset verosimiliter deductum, si de illo explicite fuisset cogitatum, manifestum est, etiam votum & mentem voventis implicitam, explicandam esse secundum id, quod vovisset, si de ejusmodi qualitatis aut circumstantiæ positione vel defectu cogitasset.

2. Quando consuetudo vel lex qualitatem aut circumstantiam objecti habet pro conditione ad valorem actus accidentali, non præsumitur intentio voventis ejusmodi qualitati aut circumstantiæ specialiter fuisse alligata.

Ratio est, quia intentio contrahentium in iis, quæ specialiter ac explicite in pactum deducta non sunt, censetur tacite subordinata ad dispositionem legum, ad quas refertur consuetudo; quod igitur a lege vel consuetudine respicitur tanquam aliquid accidentale ad valorem actus, etiam ab intentione voventis sic respectum & respiciendum est.

3. Quando circumstantia vel qualitas ignorata superaddit objecto arduitatem respective moraliter insuperabilem, censenda est intentio voventis esse alligata illi qualitati aut circumstantiæ, nisi eam pro accidentali expresse determinet consuetudo aut lex. Ratio est, quia ita jus naturale exigit in reliquis contractibus bonæ fidei.

4. Quando in vovente concurrit error positivus practicus, disponens ad habitum è diametro obligationibus voti contrarium difficillime insuperabilem, censetur intentio voventis esse alligata illi circumstantiæ aut qualitati existimatæ. Ratio est, quia perpetuus effectus erroris est interpretative actualis voluntas implicite exclusiva omnis obligationis oppositæ. Hinc si juvenis quindecim annorum voveret perpetuam castitatem cum errore positivo, quod pollutio cui assuescit nullum aut solum veniale peccatum sit, ejusmodi votum esset invalidum.

Quæritur 11. Utrum in votis regula illa vera sit, ex errore vel ignorantia circumstantiæ aut qualitatis invalidari votum, de qua, si vovens explicite cogitasset, votum non emisisset?

Respondeo 1. Hæc regula non est universalis; quia lex aut consuetudo multas circumstantias aut qualitates objecti observari jubet propter bonum commune,

ne, ne nimis frequenter irritentur contractus, juramenta, & vota, quas si vovens agnovisset, votum non emisisset. Et hinc ubi lex aut consuetudo sic disponit, in ejusmodi contractibus, quamvis sint bonæ fidei, non est inspicienda voluntas, quam contrahens seu vovens esset *habiturus*, si de tali circumstantia aut qualitate cogitasset, sed quam *actu habet* cum subordinatione ad consuetudinem vel legem.

Respondeo 2. Hæc regula vera est universim in omnibus casibus, in quibus lex aut consuetudo nil aliud disponit. Id enim omnibus contractibus bonæ fidei est intrinsecum, ut non judicentur vel explicentur juxta strictum verborum tenorem aut sensum actualem, sed juxta ea, quæ verosimiliter fuissent referenda in pactum, si de iis explicite fuisset cogitatum.

Quæritur 12. Quid agendum in dubio, quando dubitatur, utrum intentio voventis fuerit alligata alicui circumstantiæ, conditioni, vel qualitati?

Respondeo. In tali dubio locus est commutationi. Ratio est, quia in hoc casu non solum intervenit dubium facti, utrum homo emiserit votum, aut præbuerit consensum; sed etiam intervenit dubium juris, utrum jus in tali casu præsumere convenienter possit aut debeat alligationem intentionis ad circumstantias ignoratas, vel existimatas. Cum autem in dubio juris non stet libertas possessionis pro vovente, dividendum est jus dubium inter Deum & voventem per commutationem voti.

Quæritur 13. An vota dubia sint reservata Sedi Apostolicæ?

Respondeo. Vota dubia non sunt reservata Sedi Apostolicæ, sive sit dubium facti, sive juris, sive mixtum ex dubio facti ac juris. Ita in hac summi momenti Quæstione respondet *Suarez*, *Sanchez*, *La Croix*, & plures alii.

Dixi, hanc quæstionem esse *summi momenti* quia ex ejus resolutione sequitur, Episcopum posse dispensare non solum circa vota reservata simplicia, sed etiam circa vota solennia, quando dubitatur prudenter de eorum valore, & res non sit deducta ad forum contentiosum. *Suarez* Tom. 2. de Religione l. 6. C. 26. n. 6. sic scribit: *Possumus generalem regulam constituere, quoties de valore voti castitatis, aut simili fuerit morale dubium, sive illud sit dubium facti, sive juris, & sive sit negativum propter conjecturas, quæ non sufficiunt ad determinatum judicium ferendum, sive sit positivum ex opinionibus probabilius contrariis, tale votum non esse reservatum, sed posse per Episcopum tolli. Hoc patet tum ex alia regula supra posita, quod hæc reservatio est valde stricti juris, & ideo restringenda. Ergo debet intelligi de votis certis & indubitatis, tum etiam, quia de peccatis & censuris reservatis similis regula ab omnibus admittitur. Circa hanc vero regulam oportet advertere supra dicta de voto dubio. Nam potest dubium esse tale, ut votum non obliget, ut si dubito, an consenserim &c. Et tunc non erit necessaria dispensatio. Tamen si ad cautelam, vel ad tollendum aliquod scandalum Episcopi dispensatio petatur, non erit malum nec inutile, & ipse dare illam poterit, ut constat. Regula autem proprie traditur propter casus dubios, in quibus dubium per se non sufficit ad excusandum voventem ad obligatione voti, & in eis credimus esse restringendam reservationem, ut solum vota omnino certa ibi comprehendantur*. Ita Suarez, cuius sententiæ prorsus subscribo. Multa enim mala sequuntur in regionibus Roma dissitis extra Italiam ex defectu remedii prompti circa vota reservata solennia, quorum valor dubius cum omninum circumstantiarum complexum non possit sufficienter scripto exprimi, ne quidem discuti potest Romæ sine maximis sumptibus. Quod si discutiatur, raro obtinetur relaxatio voti. Inde non pauca in Ordinibus sacris & religiosis Zizania, & scandala. Vide etiam *Sanchez* in Summa l. 4. C. 40. n. 26. & C. 44. n. 3. La Croix l. 3. part. 1. n. 544.

Dices: Hæc doctrina repugnat sensui & praxi Romanæ Ecclesiæ. In Tribunali enim S. Congregationis Concilii sæpissime agitantur causæ de valore aut nul-

aut nullitate professionis religiosæ, licet in omnibus ferme iis causis valor votorum sit dubius.

Respondeo n. ant. Omnes illæ causæ sunt litigiosæ una parte nullitatem adstruente, altera eam negante; Si autem causa non sit litigiosa, sed ambæ partes, Ordo, & professus inclinent in annullationem votorum vere dubiorum, poterit Episcopus ea commutare. Quod si in casu aliquo raro votorum solennium vere dubiorum causa Romam delata est utraque parte in annullationem votorum propendente, id actum esse crediderim vel ad cautelam, vel ad vitandum scandalum, prout Suarez loquitur. Accedit quod etiam renitentia ordinariorum nimis timidorum nonnunquam possit dare ansam ejusmodi recursui non necessario.

Quæritur 14. An teneatur voto castitatis, qui suscipiendo Sacros Ordines habet expressam intentionem non vovendi castitatem?

Respondeo. Talis impostor tenetur quovis momento, quo illi occurrit cogitatio practica circa observantiam castitatis, emittere votum castitatis sub peccato mortali.

Ratio est, quia cum Ecclesia Ordini Subdiaconatus annexuerit votum castitatis, & ille se Ecclesiæ tacito contractu ad emissionem hujus voti per ipsam susceptionem se obligaverit, tenetur stare contractu, seque sacrare Deo per castitatem primo tempore non impedito. Hinc quovis ejusmodi momento, quo recurrit cogitatio prædicta de præcedente neglectu voti, peccat mortaliter, nisi suppleat defectum, & impleat promissum vovendi, per susceptionem Ordinis factum Ecclesiæ.

Quæritur 15. An votum fieri possit soli Deo? an vero etiam Sanctis?

Respondeo. Votum potest emitti soli Deo.

Ratio est, quia in Sanctis nec potest reperiri nec agnosci fundamentum contrahendi specialem obligationem religionis, distinctam ab obligatione justitiæ orta ex promisso acceptato a promissario. Neque enim Sancti acceptando promissa hominum sibi facta volunt aut possunt imponere aliam obligationem, nisi quam homo imponit homini acceptando ejus promissum. Econtra Deus vult observantiam exactam promissionis sibi factæ ab hominibus respici tanquam partem specialis cultus supremi latriæ sibi debitæ. Id enim colligitur ex sensu omnium gentium, præsertim fidelium in veteri ac novo testamento, utpote existimantium, se per fractionem voti non solum violare justitiam Deo debitam, sed etiam gravissime inhonorare Deum & violare cultum illi debitum, & ex testimonio Scripturæ Isajæ 19. ubi dicitur: *Cognoscent Dominum in die illa, & colent eum in hostiis & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent*. In hoc textu solutio voti numeratur inter actus cultus supremi Deo debiti.

Quæritur 16. An promissio facta Sanctis inducat obligationem specie diversam ab ea, quam inducit promissio Deo facta, aut homini?

Respondeo. Promissio facta Sanctis inducit obligationem specie diversam a voto, seu promissione facta Deo, & a promissione facta homini.

Ratio est quia cum Sanctis fiat promissio, ut supplicent Deo, & opitulentur per Deum, redundat quodammodo specialis ignominia in Deum, si eo opitulante ad intercessionem Sanctorum negligatur executio voti.

De materia voti.

Quæritur 17. An validum sit votum non ingrediendi Religionem, non mutuandi, non fidejubendi, non erogandi eleemosynam &c.

Respondeo. Ejusmodi vota nec sunt valida, nec licita. Ratio est, quia non sunt de meliori bono præ suo contradictorio, adeoque non acceptantur a Deo. Quod si dicatur, hæc vota in particulari circumstantia posse esse de meliori bono, non deberet votum esse generale & absolutum, sed restrictum ac conditionatum, nempe si Pontifex vel Confessarius relate ad tales circumstantias id fore Deo gratius judicaverit.

Quæritur 18. An licitum & validum sit votum non vovendi?

Respondeo. Hoc votum est illicitum & invalidum, quia positive excludit optionem melioris, adeoque non acceptatur a Deo. Si quis tamen hoc votum emisisset ad præcavendam nimiam suam levitatem in vovendo, ita ut in tali casu particulari videretur de meliori bono, ob ipsam dubietatem valoris commutandum aut sic explicandum esset, ut nil voveatur sine prævio consilio viri prudentis aut Confessarii.

Quæritur 19. An licitum & validum sit votum non petendi dispensationem aut relaxationem voti?

Respondeo. Hoc votum est licitum & validum.

Ratio est, quia si emergant novæ circumstantiæ, in quibus materia voti evidenter incipit esse de minori bono, non opus est dispensatione aut relaxatione Superioris, sed solum declaratione authentica de cessatione obligationis. Si autem emergant solum tales circumstantiæ, in quibus materia voti fiat æqualis boni relate ad suum contradictorium, licet reddatur notabiliter incommodior voventi, gratius tamen Deo est, si insistatur exactæ observantiæ voti semel emissi, adeoque votum non petendi relaxationem adhuc reperit objectum melioris boni.

Dixi, *si materia voti evidenter incipit esse de minori bono*, prout fieret, si materia voti fieret nociva proximo, vel bono communi vel saluti propriæ.

Quæritur 20. An licitum & validum sit votum non acceptandi Episcopatum? vel aliam dignitatem?

Respondeo. Si hoc votum sit limitatum ac conditionatum, nisi judicio virorum indifferentium urgeat manifesta Ecclesiæ utilitas, ita ut judicent, alios esse evidenter minus idoneos, aut urgeat Superioris præceptum, licitum est & validum; si autem sit prorsus illimitatum, opponitur suavi ordinationi divinæ, quæ provida præparatione causarum media disponit ad suum finem sine coactione, aut extraordinaria suæ voluntatis demonstratione. Itaque talis generalis ac illimitata promissio facta Deo non est de meliori bono, nec acceptatur a Deo. Aliud est votum non ambiendi dignitates, aut non acceptandi dignitates præcise honorificas, vel alias, ad quas facile inveniuntur æque digni, sine jussu Superioris, hæc enim vota Deo grata sunt. Idem dicendum foret, si dignitas, ad quam se vocandum advertit, sit evidenter impeditiva majoris boni, v. g. Missionum Apostolicarum, relate enim ad talem circumstantiam sicut dignitas bene recusaretur, ita ea recusatio ad circumstantiam restricta bene voveretur.

Quæritur 21. An licitum & validum sit votum contrahendi matrimonium?

Respondo. Non est licitum nec validum nisi relate ad circumstantiam præsentem, in qua status matrimonii ad bella vitanda aut præcavendas offensas divinas judicio prudentum esset evidenter de meliori bono. Hinc si status matrimonii sit alicui medium moraliter necessarium ad pravam consuetudinem mollitiei, vel luxuriæ exscindendam, sicut iste status potest præ statu Clericali vel Religioso consuli, imo etiam sub recusatione absolutionis cessante alio impedimento rationabili injungi, ita etiam relate ad talem circumstantiam est materia juramenti & voti. Pro hac sententia, quod sit materia voti, citantur *Cajetanus*, *Navarrus*, *Bellarminus*, *Valentia*, *Azor*, *Toletus*, *Sanchez*, *&* *Guttierez*. *Nec obstat*, quod cum tali facilitate peccandi stet votum castitatis in Professione Religiosa & Sacris Ordinibus. Dico enim, quod sic voventes aut peccent mortaliter, aut eoipso se obligent ad media extraordinaria difficillima, quæ ordinariæ ex suo genere raro sortiuntur effectum. Hinc comparative ad ejusmodi personas status matrimonialis in specie est de meliori bono. Vide Tract. de Sacramento Ordinis.

Quæritur 22. An consuetudinarius in mollitie vel aliis peccatis luxuriæ peccet mortaliter, si emittat votum castitatis per religiosam professionem, vel receptionem Sacrorum Ordinum?

Respondeo. Si ita vovens simul serio spondeat, se recepturum omnia media etiam difficillima, ad eradicandam pra-

vam

vam consuetudinem idonea; nec habeat libertatem amplectendi statum conjugalem sine æquali aut majori periculo gravium peccatorum, & amittendæ salutis æternæ, non peccat, emittendo ejusmodi votum, quia in tali casu exoptabilior est Deus status cum voto, quam sine voto. Si autem alterutra ex his tribus conditionibus deficiat, peccat mortaliter sic emittens votum moraliter inobservabile. *Moraliter inobservabile* voco, de cujus observantia etiam sera prudens spes concipi nequit. Quod autem huic vitio deditì vix unquam se constanter emendent, si circumstantiæ similes maneant vel redeant, testantur experti, prout in Tract. de Sacris Ordinibus ostendo. *Responsio probatur* ex eo, quia talis promissio de re, quam vovens prudenter sperare nequit se impleturum, stulta est. Stulta autem promissio displicet Deo, imo tendit ad majorem inhonorationem Dei. Ergo cum agatur de materia gravi, seu tendente ad gravem inhonorationem Dei, etiam erit objectum gravis displicentiæ divinæ. In Ecclesiastico C. 5. v. 3. dicitur: *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.*

Quæritur 23. An licitum & validum sit votum nullum committendi peccatum veniale?

Respondeo. Votum non committendi ullum peccatum veniale plene deliberatum, hoc est, manifeste agnitum, licitum ac validum est in hominibus, qui per experientiam norunt, se facile id observaturos. Tales homines sunt, qui per plures annos nullum commiserunt peccatum veniale deliberatum. Sed respectu aliorum hominum, qui non possunt prudenter sperare hujus voti observantiam continuam, eo quod sæpius per annum commiserint peccatum veniale plene deliberatum, nec licitum nec validum est. *Ratio* est, quia votum est lex privata, lex autem de objecto moraliter inobservabili, quale est continua evitatio ejusmodi peccati in tali homine, est irrationabilis, adeoque illicita & invalida. Cæterum etiam personæ alioquin alienæ a peccatis venialibus plene deliberatis vix aliquando habebunt prudens motivum emittendi hoc votum, nisi latens motivum superbiæ. Ergo hoc nulli etiam perfecto consulerem, nisi ad tempus breve, v. g. unius hebdomadæ, & nec istud quidem nisi relate ad unum vel alterum peccatum determinatum, si adeo remissæ fuerit charitatis, ut in eo plus valeat ad cavendam offensam divinam motivum religionis, quam charitatis.

Quæritur 24. An licitum & validum sit votum semper eligendi vel agendi quod est perfectius?

Respondeo. Si quæ fuerit persona tantæ perspicaciæ & sanctitatis, ut jam a pluribus annis experta sit, se facile perfectiora ab imperfectioribus distinxisse, seque ea, quæ perfectiora agnoverat, prompte observasse, licite & valide emittet hoc votum. Si autem alterutrum harum duarum conditionum deficiat, ita ut vel nequeat perfectiora ab imperfectioribus clare sine ambiguitate distinguere, vel si perfectiora agnoverit, ea non semper observaverit, nec licite nec valide emittet hoc votum. *Ratio* est, quia non potest prudenter sperare observantiam huius voti, quam tamen vovet. Votum autem, quod est lex privata, de re moraliter inobservabili est irrationabile, adeoque stultum ac displicens Deo, ac consequenter illicitum, nec acceptatum a Deo, nec validum.

Quæritur 25. An licitum & validum sit votum quotidie in virtutibus proficiendi? seu in via christianæ perfectionis semper ulterius progrediendi? aut suæ voluntati jugiter obsistendi?

Respondeo. Si quæ persona fuerit tantæ ac perpetuæ perspicaciæ, ut, cum profectus virtutum latens incrementum sit, &, sicut incrementum herbarum, capillorum, & staturæ humanæ, a nullo humano ingenio sine speciali supernaturali lumine habitualiter manente adverti possit, per lumen supernaturale extraordinarium habitualiter permanens incrementa quotidiana virtutum advertere possit, ac præterea sibi spondere moraliter possit perpetuam observantiam veritatis agnitæ, talis persona poterit emittere eiusmodi votum. Verum an ullus

Sanctorum unquam tale lumen habuerit, aut sibi perpetuam talis luminis constantiam, cùm sit donum gratis datum, promittere potuerit, vehementer dubito, eo quod magis servat ad fovendam superbiam, quam sanctificationem propriam vel alienam. Hinc arbitror, S. Andream Avellinum, qui in Breviario die 11. Novembris hoc votum emisisse legitur, solum habuisse pro objecto voti determinata quædam perfectionis media, quæ sibi ipsi præscripserat, & quæ facile a se observari posse per exercitationem diuturnam aliquot annorum didicerat.

Quæritur 26. An licitum & validum sit votum, si quis motivo pietatis ductus dicat: Promitto Deo, me ducturum puellam pauperem, vel meretricem?

Respondeo. Si persona vovens sit talis conditionis, ut illi status conjugalis sit evidenter de meliori bono, votum est absolute licitum & validum. Si autem illud non fuerit evidens, votum censendum est in dubio habere sensum conditionatum, ita ut sensus sit: si contraxero matrimonium, ducam puellam pauperem vel meretricem. In hoc pro- in sensu erit licitum & validum. Ita Suarez. *Dixi*, *in dubio*. Si enim vovens simul certus esset, se simul vovisse statum conjugalem, nec certo constaret, an ipsi status conjugalis in individuo sit evidenter de meliori bono, votum esset illicitum & invalidum, utpote impeditivum majoris boni.

Quæritur 27. An licitum & validum sit votum non ingrediendi religionem, nisi determinate hanc? vel non recitandi Rosarium, nisi flexis genibus? vel non dandi eleemosynam minorem decem aureis?

Respondeo. Hæc duo priora vota sunt licita & valida, quia in primo voto præsupponitur matura deliberatio de statu vitæ eligendo, per quam vovens agnoverit, hanc potius religionem quam aliam respectu sui esse de meliori bono. In secundo autem voto videtur solum pro objecto voti constitutum fuisse modum orationis aliunde præstabilitæ per consuetudinem, propositum, aut votum. Adjicere autem rei bonæ aliunde præstabilitæ modum meliorem, licitum & validum est. Tertium autem votum illicitum & invalidum est, quia obstat bono meliori, nempe obligationi aut congruentiæ proximo subveniendi per minores eleemosynas, passim singulis ferme diebus obviæ. Has enim eleemosynas Deus recusari prohibet, & cuivis quotidie largiri decem aureos non solum prudentia sed etiam marsupium ditissimo vetat. Stulta ergo est hæc promissio.

De votis conditionatis.

Quæritur 28. Quotuplex sit votum conditionatum?

Respondeo. Votum conditionatum dividitur in quatuor species juxta varias conditiones. Nam 1. alia conditio est *contra substantiam voti*, v. g. si quis vovet statum religiosum, si Prælatus indulserit liberum dominium vel usum indeterminatum alicuius pecuniæ. 2. Alia est *possibilis vel impossibilis*, v. g. voveo Titio dare eleemosynam, si digito cœlum tetigerit. 3. Alia est *turpis*, *alia honesta*, v. g. voveo eleemosynam, si Deus secundet assasinium. 4. Alia est *necessaria*, *alia contingens*, v. g. si cras sol oriatur, dabo eleemosynam.

Quæritur 29. An licitum & validum sit votum sub conditione repugnante quoad substantiam voti?

Respondeo, esse distinguendum. Si enim conditio substantiæ voti opponatur jure naturali, votum est invalidum. Ratio est, quia in tali voto per appositionem conditionis tollitur adæquata substantia obiecti voliti, adeoque non remanet obiectum, quod possit impleri. Hinc qui vovet sic obedientiam suo Confessario, ut tamen nil possit sibi injungi sine suo consensu, tollit substantiam adæquatam obedientiæ. Econtra qui vovet paupertatem religiosam sub conditione, si sibi relinquatur dominium alicuius partis bonorum ad suam congruam sustentationem necessariæ, licite & valide sic vovet abdicationem reliquorum bonorum, si Ecclesia mediante dis-

dispensatione ad rationem status religiosi nolit requirere abdicationem omnium bonorum.

Quæritur 30. An licitum & validum sit votum sub conditione turpi?

Respondeo, esse distinguendum. Si enim conditio apposita contineat malitiam jure naturali vel divino prohibitam, adeoque indispensabilem, tale votum est illicitum & invalidum. Ratio est, quia Deus non acceptat tale votum. Econtra si conditio apposita suam malitiam solum habeat a jure positivo, tenetur ad votum, si Ecclesia per dispensationem tollat malitiam objecti. Ratio est, quia vovens non censetur velle ludere cum Deo aut perire suum votum, sed illud valere modo meliori, quo potest. Sic si Minorennis voveret fundationem Hospitalis sine consensu curatoris, validum erit votum, si Ecclesia vel Respublica in casu particulari dispensaverit quoad requisitum consensus curatorialis.

Quæritur 31. An licitum & validum sit votum sub conditione impossibili?

Respondeo, esse distinguendum. Nam si conditio apposita est *metaphysice impossibilis*, votum est invalidum. *Ratio* est, quia ex parte voventis deest consensus tam absolutus, quam conditionatus, etiamsi per errorem existimaret, conditionem esse possibilem. Conditio enim, quæ ne quidem per Dei potentiam purificari potest, nil potest operari, adeoque nec suspendere consensum. Si autem conditio apposita solum sit *impossibilis physice*, votum erit validum, si Deus per miraculum voluerit purificare conditionem. Hinc validum esset votum, si quis viro sancto voveret donare aream montis, si eum loco moverit, in casu enim, quo Sanctus per miraculum transferret montem, area ipsi cedenda foret. Si denique conditio apposita solum fuerit *moraliter impossibilis*, v. g. si æger a medicis jam relictus diceret: voveo, donare centum aureos pauperi, si reconvaluero, validum erit votum, etiamsi recuperatio sanitatis videatur, & sit moraliter impossibilis. Ratio est, quia Deus sapienter potest acceptare hoc votum.

Quæritur 32. An votum sub conditione necessaria obliget statim necdum impleta conditione?

Respondeo. Non obligat statim, si conditio solum fuerit physice necessaria. Ratio est, quia vovens prudenter non se obligaret modo conditionato sub conditione de futuro ad actum implendum de præsenti. Si enim dicat, voveo, me pauperi daturum centum aureos, si cras vel post annum sol oriatur, non vult prudenter obligationem incipere ad exequendum de præsenti, sed vel diem præfigere inchoandæ obligationi, vel exspectare, an non fiat oppositum per miraculum.

Quæritur 33. An obliget votum, si conditio non fuerit perfecte vel adæquate impleta?

Respondeo. Si intentio voventis fuerit alligata conditioni in suo esse perfecto vel adæquato spectatæ, non obligat votum ante impletionem conditionis perfectam & adæquatam. Si autem non fuerit alligata conditioni in suo esse perfecto & adæquato spectatæ, obligatur vovens, dummodo conditio fuerit impleta quoad substantiam, seu majorem vel potiorem, in consideratione morali spectatam. Si vero dubium fuerit, utrum intentio voventis fuerit alligata conditioni solum quoad substantiam seu potiorem partem spectatæ, an vero in suo esse perfecto & adæquato spectatæ, juxta meum generale principium jus dubium inter hominem & Deum a Vicario Dei dividendum est. Sic si quis voveat peregrinationem ad limina Apostolorum, si recuperaverit sanitatem, si evicerit causam, si uxor & filius in peste mortem evaserit, &c. recuperata ad officia necessaria sanitate sed languida, evicta causa sed sub compositione præjudiciosa, defuncto filio, sed uxore liberata, &c. æquitas petit, ut commutetur aut dividatur, si divisibile fuerit objectum voti.

Quæritur 34. An obliget votum, si conditio apposita solum impleta fuerit in equivalenti?

Respondeo. Si purificatio conditionis in æquivalenti facta tollat motivum primarium vel adæquatum suspendendi votum, obligat votum. Si autem motivum primarium suspendendi seu in esse conditionato ponendi votum non fuerit sublatum per æquivalentem purificationem conditionis, non obligat votum. Si denique dubium fuerit, an motivum primarium, suspendendi obligationem voti per conditionem, fuerit sublatum; juxta meum principium generale juxta qualitatem dubii parianda sunt jura mediante compositione inter Deum & hominem, prout æquitati conformius judicaverit in foro externo vel interno Vicarius Dei. Res explicatur in exemplo. Si quis vovit Religionem, si parentes pauperes, vel sorores, quorum sustentationi providere tenetur, objerint. Emergente casu, quod aliunde sustentationem congruam acceperint, obligatur voto, quia cessat motivum saltem primarium suspendendi suam obligationem. Quando autem vovet ingressum religionis, si soror matrimonio collocata fuerit, partim amore salutis propriæ, partim amore posteritatis ductus, non obligatur voto, si soror interea ingressa fuerit aliquam religionem, vel saltem locus est commutationi seu compositioni in dubio, utrum illud motivum salutis propriæ, vel istud servandæ posteritatis fuerit motivum primarium voti.

Quæritur 35. An vovens sub conditione possit licite se reddere ineptum ad impletionem voti ante eventum conditionis?

Respondeo, esse distinguendum. Si se reddat ineptum in fraudem voti, studiose præveniendo eventum conditionis, ne si evenerit, adstringatur ad impletionem voti, peccat præveniendo eventum conditionis. Si autem non agit in fraudem voti, sed libenter expectaret eventum conditionis, eaque impleta libenter impleret votum, quia tamen offertur opportuna occasio, fortunam suam & salutem collocandi in tuto, amplectitur statum incompatibilem cum objecto voti, talis non peccat. Res clarescet in exemplo. Quando aliquis emittit votum pœnale, si per annum chartis vel aleis luserit, ingrediendi religionem, vel ingrediendi ordinem Carthusianorum, si statum religiosum elegerit. Item quando aliquis vovet suscipere Clericatum, si ab infirmitate reconvaluerit, vel si certam a Deo gratiam obtinuerit. In his casibus, si pendente adhuc conditione offeratur occasio opportuna contrahendi matrimonium, licite illud contrahet, etiamsi sit incompatibile cum statu religioso, quem vovet conditionate. Aliud dicendum foret, si ex metu status religiosi studiose præveniret eventum conditionis & ultro quæreret matrimonium, ut subterfugiat obligationem conditionatam. Ex hoc autem patet, nihil interesse, sive conditio pendeat a voluntate ipsius voventis, prout fit in primo & secundo casu, sive pendeat ab aliena voluntate, prout fit in tertio & quarto casu.

Quæritur 36. An cesset obligatio voti, ita ut assumi possit status incompossibilis cum voto, si conditio apposita aut res promissa fiat moraliter impossibilis?

Respondeo. Obligatio voti non extinguitur, sed suspenditur, quando moralis impossibilitas conditionis vel rei promissæ solum perseverat ad breve tempus. Si autem moralis impossibilitas conditionis vel rei promissæ credatur perseveratura ad *respective* longum tempus, obligatio non tantum suspenditur, sed etiam extinguitur. *Dixi*, *tempus respective longum*. Per hoc intelligo tale tempus, ad quod vovens verosimiliter obligationem voti non extendisset seu suspendisset, si de illo cogitasset. Si vero dubium fuerit, utrum intentio voventis ad tantum temporis obligationem voti suspendisset, si de illo ab initio explicitet cogitasset, jus dubium inter Deum & hominem denuo per æquam compositionem a Vicario Dei faciendam dividendum est. Res explicatur in exemplo. Sic si quis vovit ingressum in religionem, si benevolum receptorem invenerit, & jam tribus annis in duobus ordi-

di-

dinibus susceptionem irrito conatu quæsierit, ob dubietatem intentionis, & juris poterit voventi permitti status conjugalis incompossibilis cum ulteriore impletione voti, si forte præter exspectationem aperiretur occasio ingrediendi religionem, ita tamen, ut pro compensatione juris dubii, se tenentis ex parte Dei injungatur quoddam bonum opus perpetuum. Idem dicendum de vovente statum clericalem, si ob defectum animi vel corporis disspareat moraliter spes obtinendæ ordinationis.

Quæritur 37. An vovens licite impediat conditionem, sub qua emisit votum.

Respondeo. Qui impedit conditionem sine causa sufficiente approbanda per Deum, peccat mortaliter, & nihilominus tenetur voto. Ita *Angelus de Clavasio* & *Tabiena*, *Sylvester*, *Rodriquez*. *Ratio* est, quia insolens, petulans, ac improbus esset modus vovendi, si quis expresse Deo promitteret sub conditione jejunium reservato tamen sibi liberrimo jure ponendi vel non ponendi illam conditionem. Ergo cum nec tacite liceat, quod explicite non licet, nec licita nec valida in voto erit tacita reservatio juris liberrimi, impediendi vel non impediendi conditionem. *Dixi*, *sine causa sufficiente approbanda per Deum*. Si enim vovens conditionem impediat præcise ex motivo difficultatis in voto reperibilis, eam causam pro sufficiente non approbare præsumitur Deus. Si autem nova ingens difficultas emergat, prius non prævisa, aut alia nova circumstantia cessura in notabile augmentum divinæ gloriæ, ex causa accedente Judicio Confessarii poterit aliquando haberi pro sufficiente. Res patet in exemplo, quando aliquis vovet peregrinationem Romanam, vel jejunium hebdomadarium vel religionem sub conditione, si maritus, pater, Superior, Episcopus, &c. consenserit, non potest suadere marito, patri, Superiori, &c. ne consentiat, nisi accedat *novum* motivum approbandum a Deo vel ejus Vicario in foro externo vel interno.

De voto profano.

Quæritur 38. An validum & licitum sit votum de re indifferenti v. g. non ludendi cum Titio, non recidendi ungues die Sabbati? vel non laborandi in Sabbato?

Respondeo. Distinguendum esse inter rem materialiter & formaliter indifferentem. *Materialiter* indifferens est, quæ de se ex natura potest ordinari ad finem bonum, & malum, & neutrum. *Formaliter* autem indifferens est, quæ non procedit ex fine seu motivo virtutis, sed ex motivo seu fine profano. *Dico*, votum esse illicitum & invalidum, si fiat de re tam materialiter quam formaliter indifferenti. *Ratio* est, quia non est acceptum Deo; Deo enim nihil placet, nisi in ordine ad finem virtutis saltem moralis, vel in ordine ad suam gloriam. Si autem votum sit de re materialiter quidem indifferenti, formaliter vero ex communi æstimatione prudenti hominum ordinata ad contestationem fidei, religionis, reverentiæ, vel alterius virtutis internæ erga Deum, votum est licitum & validum. Itaque vovens accensionem candelarum coram Imagine Christi vel B. Virginis, ut protestetur suam fidem internam, vel abstinendi a labore die Sabbati, ut plus temporis impendatur cultui divino, bene vovet. Si autem illam abstinentiam a labore non ordinet ad exercitium virtutum, votum erit potius superstitiosum, cum utique sola abstinentia a labore non sit Deo acceptior ipso labore. Imo si illa abstinentia a labore ordinetur quidem ad virtutem, sed sine debito ordine rationis, eo quod præbeat ansam plurium peccatorum emolumento virtutis respective exiguo, nec sic quidem erit accepta Deo ac de meliori bono. Itaque cum abstinentia a recisione unguium, vel a nendo in die Sabbati ne quidem formaliter pertineat ex æstimatione hominum ad exercitium aut contestationem virtutis, tale votum erit superstitiosum. Idem dicendum de voto non ludendi cum Titio, nisi forte emit-

tatur ex fine præcavendi plura peccata, alioquin in lusu cum isto homine committi solita.

Quæritur 39. An validum sit votum de re quidem honesta, sed ob finem malum, v. g. si pro recuperanda sanitate emittat votum, ut liberius vagetur?

Respondeo. Tale votum est illicitum & invalidum. *Ratio* est, quia simpliciter non potest esse acceptum Deo. Hinc pariter esset invalidum votum, si quis voveat eleemosynam pro obtinendo Canonicatu ut laute vivat. *Nec obstat*, quod *finis ipsius rei*, quam petit, in se bonus sit, requiritur enim ad bonitatem hujus actus, ut etiam finis ipsius voventis bonus sit. Pro hac sententia Catalanus citat Navarrum, Sotum, Suarezium, Lessium, Toletum. Aliud tamen dicendum observat, si finis principalis ipsius voventis bonus sit, attamen conjunctim cum alio fine secundario malo aut profano. Id concesserim, si finis secundarius sit tantum venialiter malus, non autem, si fuerit mortaliter peccaminosus. Fieri enim nequit, ut finis principalis in consideratione divina respiciatur & acceptetur tanquam bonus, si finis concomitans fuerit mortaliter peccaminosus.

Quæritur 40. An licitum & validum sit votum peccatoris pro re temporali, v. g. pro recuperanda sanitate, obtinenda prole, evincenda causa, &c. nisi hæc ordinet ad finem saltem moraliter bonum?

Respondeo. Nisi peccator suum votum positive ordinet ad finem malum, eo ipso censetur illud saltem virtualiter ordinare ad cultum Dei, contestandum per impletionem voti, & per intentionem saltem implicitam, se & sua, ac dona Dei ordinandi ad Deum, seu recognoscendi beneficium Dei grato animo.

Quæritur 41. An licitum & validum sit votum puellæ imprægnatæ, ne infametur, aut furis, ne deprehendatur?

Respondeo. Si puella aut fur post commissum delictum hæc beneficia petant, quatenus a Deo præstari possunt sine ullius præjudicio, puta fœtus animati, aut Reipublicæ, licite & valide emittunt tale votum. Si autem intentio prædominans fuerit nimis generalis, ut Deus hoc præstet quocunque demum modo, etiamsi cessuro in præjudicium fœtus animati, aut boni communis, eoipso votum esset illicitum & invalidum. Si autem dubia fuerit intentio voventis, ea in meliorem partem dirigenda, vel interpretanda, & pro valore voti standum est, saltem si fuerit conditionatum sub conditione non involvente periculum optandi vel causandi malum. Si autem fuerit absolutum, sed *modale*, ut Deus præcaveat infamiam, etiam ista subsecuta nihilominus obligat votum, attamen si res promissa extendatur in longius tempus, pro qualitate dubii, utrum non habeat sensum conditionatum, locus erit moderationi, commutationi, seu compositioni.

Quæritur 42. An sit peccatum mortale, vovere Deo rem profanam? aut venialiter solùm peccaminosam? aut ex fine venialiter peccaminoso, v. g. non amplius se transiturum per plateam hominis, a quo habet aversionem levem?

Respondeo. Tale votum de se est peccatum mortale. *Ratio* est, quia est grandis irreverentia erga Deum, velle honorare Deum per peccatum etiam leve aut per rem profanam, quæ non est accepta Deo, aut velle acceptari a Deo intentionem maculatam ex fine suo primario. Deus enim graviter indignatur offerenti vitulum seu agnum cœcum vel claudum. *Malach.* 1.

Quæritur 43. An vovens rem, si impletio totius reperiatur impossibilis, teneatur ad partem?

Respondeo Affirmative. *Ratio* est, quia ea est mens obligantium in aliis promissis ac debitis. Itaque præsumendum est, eam esse mentem etiam obligantium se Deo. Pro hac sententia referuntur Suarez, Valentia, Navarrus, Layman, Reginaldus, Bonacina, Palao. Hinc sequitur 1. uxorem, quæ vivente marito vovet castitatem, licet teneatur reddere debitum, teneri tamen

ad non petendum. 2. Eum, qui vovet jejunare per triduum in quavis hebdomada, si non possit per totum annum, teneri tamen ad partem anni, in qua potest jejunare. 3. Eum, qui vovet graves corporis afflictationes, si non possit recipere omnes, teneri tamen ad partem. 4. Eum, qui vovit eleemosynam vel donarium ad Ecclesiam centum aureorum, si solum possit commode dare viginti, teneri ad viginti. Quæ omnia rectius determinanda relinquuntur Confessario, tanquam Vicario Dei. Idem dicendum de eo, qui servare potest suum votum quoad substantiam, sed non quoad modum, v. g. si vovens peregrinationem Romanam nudis pedibus & detecto capite eam solum implere possit modo itinerandi ordinario, vel si vovens jejunare in vigilia alicujus festi in pane & aqua possit solum jejunare modo jejunandi ordinario. Tenetur enim saltem ad substantiam sui voti.

Quæritur 44. An detur obligatio servandi accessorium voto, si non possit observari ipsum principale, seu substantia voti?

Respondeo. Negative, saltem in iis materiis, ubi accessorium non solet voveri seorsim ratione sui. Ratio est, quia vix ullus se obligaret ad tale accessorium, si de hoc explicite cogitasset. Itaque qui vovet peregrinationem per duos menses instituendam in sacco, non tenetur per duos menses gestare saccum, si a peregrinatione impediatur. Aliud dicendum in casu, ubi accessorium solet voveri seorsum. Sic enim vovens peregrinationem Lauretanam & oblationem unius aurei, tenetur saltem eo mittere aureum, si peregrinari ipsus non possit.

Quæritur 45. An vovens disjunctive unam rem ex duabus, v. g. vel bovem, vel equum, pereunte uno teneatur ad alterum?

Respondeo 1. Si tempore voti emissi non amplius extat utrumque, sed jam unum periit, v. g. bos, non datur obligatio ad offerendum alterum, v. g. equum. *Ratio* est, quia pro objecto voti erat optio seu libertas eligendi alterutrum, quæ in æstimatione morali jam censetur periisse quoad substantiam destructo alterutro eligibilium.

Respondeo 2. Si tempore emissi voti utraque pars extitit, & alterutra pars ante electionem sine culpa voventis periit, nec sic dabitur obligatio offerendi alterum, sed juxta Molinam sufficiet prioris pretium. At vero censerem, eum nec teneri ad equum, nec ad pretium bovis, nisi aliunde constet ex materia voti, v.g. ob impetratum ingens beneficium, quod pro illo impetrando voluerit se obligare ad alterutrum saltem in æquivalenti.

Respondeo 3. Si alterutra pars, v. g. bos post jam factam illius electionem sine culpa voventis periit, non datur obligatio præstandi alterum, nempe equum. Ratio est, quia per electionem res jam transiit in dominium illius, cui designata est, prout suppono ex Tract. de Contractibus circa donationes ad Ecclesias.

De votorum indeterminatione.

Quæritur 46. Quales regulæ sint observandæ circa vota indeterminata quoad gravitatem, qualitatem, modum, vel tempus obligationis?

Respondeo 1. Quando vovens non determinavit, utrum se obligaverit sub peccato veniali vel mortali ad observationem voti, præsumendum est, eum se obligasse conformiter ad gravitatem vel levitatem objecti. Hinc si materia voti in communi æstimatione hominum censetur esse magni momenti relate ad cultum divinum, utilitatem proximi, vel legem graviter obligantem, censetur vovens se obligasse sub mortali ad observantiam talis voti. Ex hoc sequitur, quod vovens aureum ad Ecclesiam vel in pauperes, aut jejunium, teneatur ad observantiam voti sub peccato mortali, quia ista quantitas censetur esse sufficiens objectum legis graviter obligantis.

Respondeo 2. Quando dubium est, an vovens consideratis omnibus circumstantiis respexerit hanc vel illam materiam vo-

voti pro materia gravi, præsumendum est, eum hanc materiam respexisse *exponibiliter*, hoc est, eo modo, quo ordinarie solet respici ex praxi fidelium & sensu Doctorum. Ratio est, quia homines suam intentionem solent conformare intentioni & sensui communiori fidelium & Doctorum.

Respondeo 3. Quando vovens non determinavit qualitatem, modum vel tempus rei ex voto præstandæ, tenetur ea determinare aut *juxta consueta*, aut juxta rationabiliter præsumptam intentionem sui & Dei obligantis. *Ratio* est, quia, ubi vovens suam intentionem non explicavit circa modum, & tempus, ac qualitatem rei promissæ, Deus jam est Dominus rei promissæ quoad substantiam, adeoque etiam ejus intentio respicienda est, an velit esse contentus hoc modo, hac qualitate, aut hoc tempore, ne in æstimatione morali videatur irrogari præjudicium ejus juri, aut diminui valor quoad substantiam promissi.

Respondeo 4. Hinc circa ejusmodi indeterminationes votorum determinatio Confessario relinquenda, & compositio inter Deum & voventem juxta rationabiliter præsumptam utriusque intentionem ad utriusque satisfactionem facienda est.

Corollaria. Hinc 1. vovens audire quotidie Sacrum non tenetur diebus festis audire duplex Sacrum. Eam enim esse mentem fidelium *consuetum* est. 2. Vovens recitare Rosarium vel audire Sacrum, tenetur illud recitare vel audire devote cum saltem aliqua attentione ac relatione ad Deum. Deus enim aut non acceptaret votum in alio sensu sibi factum, aut certe sentiret se notabiliter læsum quoad substantiam voti. 3. Vovens recirare Rosarium absque expressa intentione recitandi integrum, aut totum Psalterium, non satisfacit recitando solum dimidium Rosarii, satisfacit tamen non recitando totum Psalterium. *Ratio* est, quia ita *consuetum* est, ut per Rosarium intelligatur Rosarium integrum, non tamen Psalterium. 4. Vovens susceptionem sacrorum ordinum vel professionem Religiosam non tenetur ad servandam castitatem a die emissi hujusmodi voti, sed a die susceptionis ordinum vel professionis, quia eam esse mentem sic voventium *consuetum* est. 5. Vovens virginitatem, etiamsi eam per fornicationem amiserit, tenetur nihilominus abstinere ab omni delectatione venerea, quia consuetum est, eam esse intentionem voventium virginitatem, ut simul voveant puritatem internam. *6.* Vovens peregrinationem ad locum valde remotum, si in personis ejusdem conditionis fieri soleat modo equestri, potest peregrinationem instituere equestris, econtra alter vovens tenetur eandem peregrinationem instituere pedestris, si homines similis conditionis talem peregrinationem non soleant instituere equestres. 7. Vovens peregrinationem Romam, si superveniente postmodum motivo illuc iturus fuisset causa negotii, aut præstandi servitii, non tenetur instituere ex voto distinctum iter, quia ita consuetum est, ut voventes ejusmodi iter soleant admittere aliud motivum socium. Aliud dicendum foret, si jam ante emissionem voti fuisset necessitatus ad arripiendum illud iter. Non enim consuetum est, nec decet, ut illud promittatur Deo sub voto, ad quod per se independenter a voto cogit necessitas. Itaque in tali casu præsumendum, quod vovens promiserit distinctam peregrinationem ab ea itineratione, ad quam jam prævia compellit necessitas. Si autem vovens prævie proposuisset talem peregrinationem solum causa curiositatis, vel alterius negotii non necessarii, potuisset recte peregrinatio promitti ex voto & ex motivo primario devotionis, quia proposita sola sunt variationi obnoxia. Sed, si dubium fuerit, an in superveniente voto motivum primarium fuerit devotio vel curiositas, facienda est compositio & divisio juris dubii inter Deum & hominem a Vicario Dei, nempe a Confessario. 8. Vovens jejunium tenetur jejunare modo Ecclesiastico, quo tempore emissi voti in loco voventis consuetum est. Itaque tenetur abstinere a carnibus & a secunda refectione, & tenetur observare tempus solitum refectio-

ctionis. Econtra vovens jejunium per integrum mensem non tenetur jejunare diebus Dominicis, & vovens jejunium in vigilia alicujus festi tenetur potius jejunare die Sabbati quam in Dominica, si vigilia incidat in diem Dominicam. Ratio est, quia vovens censetur objectum velle ac promittere, prout consuetum est in Ecclesia, vel apud alios voventes, ac promittere, prout consuetum est in Ecclesia, vel apud alios voventes rationabiliter. 9. Vovens jejunium vel abstinentiam vi voti tenetur ad easdem jejunii leges, ad quas adstringit Ecclesia, quia intentio voventium consueta est subeundi per votum easdem leges, quas ponit in jejunio præcepto Ecclesia. Hinc vovens abstinentiam a carnibus tenetur abstinere a jusculo, & vovens jejunium toties in die peccat, quoties in die comedit, aut insuper vescitur carnibus, quia ita peccatur sæpius in jejunio Ecclesiastico per diem, prout dicetur in Tract. de Præceptis Ecclesiæ. 10. Vovens jejunium singulis feriis sextis non tenetur jejunare in Nativitate Dominica, si incidat in feria sexta. Ratio est, quia in eo die Ecclesia non obligat ad abstinentiam a carnibus. Ergo etiam præsumendum est, voventem se non fuisse obligaturum ad eam singularitatem abstinentiæ irrationalem, si de illa circumstantia cogitasset. 11. Vovens jejunium in locis, ubi abstinetur in diebus jeiunii a lacticiniis, tenetur ad hanc abstinentiam, quia præsumitur vovere jeiunium juxta consueta. 12. Vovens virginitatem aut castitatem abstrahendo a perpetuitate aut temporanea obligatione tenetur ad virginitatem aut castitatem perpetuam, quia ita consuetum est fieri nisi expresse restringatur. Idem dicendum de eo, qui vovet jeiunium diebus Sabbati, aut feriis sextis absque præfixione temporis. Aliud dicendum, si voveat jeiunium, aut eleemosynam. Hic enim modus vovendi solet respicere unum solum actum singularem, determinandum tempore proxime opportuno. 13. Vovens triticum aut vinum non explicata quantitate aut qualitate non satisfacit præstando in eo genere vilissimum, aut minimum. Ratio est, quia rationabiliter voventes non solent vovere vilissimum aut minimum, sed in eo genere donorum votivorum mensuram & qualitatem consuetam, vel considerata conditione voventis & intentione Dei acceptantis rationabiliter præsumptam, si vovens de quantitate vel qualitate expressa cogitasset. In dubio facienda est determinatio seu divisio juris dubii inter Deum & hominem a Vicario Dei, seu a Confessario. 14. Vovens religionem tenetur ad eam, in qua viget disciplina. Alia enim intentio vovendi non potest esse rationabiliter præsumpta. 15. Vovens calicem ad Sacrificium Missæ tenetur saltem offerre argenteum, quia calicem alterius vilioris metalli non admittit consuetudo ac lex Ecclesiæ. 16. Executores voti realis alieni, ab ipso vovente & ejus successoribus jam persolvi consueti in mensura varia, etiam minima, continuare possunt persolutionem voti in mensura minima. *Ratio* est, quia in hoc casu præsumi potest, eos, qui in majori mensura solverant præter aliorum morem, id egisse ex devotionis abundantia, aut certe, quia præsumitur, eam esse intentionem Dei, ut suos ministros nolit esse exactores rigidos circa vota realia, quæ solventi non sunt personaliter libera. Ita habetur in C. ex parte, De Censibus, ubi Innocentius III. sic scribit: *Cum non constet, ad quam mensuram antecessores vota persolverint, an ad varias & diversas? In hoc casu volentes solvere ad minorem mensuram non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant. Quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris Ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare*. 17. Idem dicendum de vovente unum ex equis vel bobus, si pereuntibus cæteris casu aut furto abductis solus remaneat optimus. Non enim obligatur ad præstandum optimum, sed sufficit, si solvat pretium correspondens equo aut bovi valoris medii. Ratio est, quia certum est, quod non voverit optimum, nec præsumendum est, Deum obligare vel-

velle ad id, quod non eſt perfecte gratuitum & voluntarium. Imo in tali caſu commiſeratione digno locus eſt commutationi, aut compoſitioni ex præſumpta intentione Dei, ſicut locus eſſet in tali donatione disjunctiva facta homini.

Quæritur 47. An votum obligans ad determinatum diem, v. g. diebus Dominicis audiendi ſpeciale ſacrum, vel jejunandi in Sabbato, poſſit anticipari?

Reſpondeo. Non ſatisfit anticipando votum, ſi dies fuerit præfixus ſpecialis ſacrationis gratia. Satisfit autem, ſi dies fuerit præfixus ſolum exemplificationis cauſa. In dubio præſumendum eſt, fuiſſe præfixum cauſa ſacrationis. Ratio eſt; quia ita conſuetum eſt, ſacrare Deo vel Sanctis potius dies determinatos, quam indeterminatos, ita ut cenſeatur reſtricta libertas optionis.

Quæritur 48. An detur obligatio anticipandi votum, ſi prævideatur impedimentum ad diem obligationi præfixum?

Reſpondeo. Negative. Ratio eſt, quia nec lex obligat ad anticipationem Miſſæ vel Breviarii affixi diei Dominicæ, nec communionis vel confeſſionis annuæ, ſi prævideatur impedimentum in annum ſequentem. *Nec obſtat*, quod teneatur quis anticipare communionem, ſi quis prævideat impedimentum tempore paſchali ex toto reſiduo anni tempore, vel anticipare recitationem Breviarii ante horam noctis venturum. Nam communio ſemel per annum eſt juris divini, & recitatio quotidiana Breviarii eſt juris Eccleſiaſtici, ita ut illud obliget ad unam ſaltem partem anni ab impedimento liberam, & iſtud obliget ſaltem ad partem diei, quod etiam contingit in auditione Sacri. Tenetur enim quis anticipare horis matutinis auditionem Sacri, qui prævidet ſe impediendum horis reſiduis.

Quæritur 49. Quo tempore incipiat obligatio actu implendi votum?

Reſpondeo. Vovens tenetur implere ſuum votum primo tempore non impedito. Id *probatur* ex Scriptura Deuteronomii 23. ubi dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardaveris reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Et Eccleſiaſt. 5. *Si quid voviſti Deo, ne tardaveris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio*. Ex hoc ergo patet, quod dilatio voti ultra tempus primo non impeditum referatur ad peccatum infidelitatis, eo quod omnis ſerio vovens ſubſtantiam rei promiſſæ ſimul tacite concomitanter voveat modum, quo Deus requirit impletionem, nempe celeritatem in implendo. Cenſetur autem *tempus non impeditum*, quo votum commode ſine gravi damno aut gravi incommodo impleri poteſt.

Quæritur 50. Qualis cauſa ſufficiat ad licitam dilationem voti?

Reſpondeo. Ad licitam dilationem voti requiritur & ſufficit rationabilis cauſa præſumptive acceptanda a Deo. Præſumitur autem approbanda & acceptanda a Deo, ſi dilatio voti cedit in æquale vel majus augmentum divinæ gloriæ, aut quando velocior impletio voti cedit in tale gravamen impræviſum voventis, ut ſe ad talem difficultatem veroſimiliter non obligaſſet, ſi de ea explicite cogitaſſet. Hinc 1. Vovens ingreſſum in religionem poteſt illum differre, donec reddatur ad labores & ferendas aſperitates ordinis aptus. 2. Idem poterit differre ingreſſum ob ſtudia litterarum, quas in religione nequit addiſcere. 3. Idem poterit differre ingreſſum, ſi parentes eum nimis moleſte ferant cum ſecuturo præjudicio religionis, & ea difficultas ſperetur brevi tollenda cum majori emolumento ordinis. 4. Vovens poterit differre votum, ſi credat, ſe illud brevi impleturum cum majori devotione, & cum majori profectu divinæ gloriæ.

Quæritur 51. Qualis dilatio voti ſufficiat ad conſtituendum peccatum mortale?

Reſpondeo eſſe diſtinguendum. Nam 1. in votis, quorum valor dilatione minuitur, ad conſtituendum peccatum mortale requiritur & ſufficit tanta dilatio, ut valor *notabiliter* in communi æſtimatione prudentum minuatur, ſic vovens ingredi religionem, vel ſervire per-

pe-

petuo hoſpitali longe minoris pretii votum emitteret, ſi expreſſe voveret, ſe hoc primum impleturum poſt decem annos. Itaque etiam differens hoc votum per decem annos peccat mortaliter, quia ſolvit Deo in æſtimatione morali longe aliquid vilius, quam quod promiſiſſe præſumitur.

Reſpondeo 2. In votis, quorum valor in æſtimatione morali non notabiliter per dilationem minuitur, ſed tantum periculo fruſtrationis ex morte imprævifa, quæ ſequi poſſet, exponitur, cum *Sanchez* & *Palao* cenſeo, ſufficere triennium ad conſtituendum peccatum mortale. Ratio mea eſt, quia vovens ſaltem in confeſſione annua tenetur renovare ſuum propoſitum, primo tempore non impedito implendi ſuum votum. Ergo ſi jam tertia vice datam Deo fidem frangat, jam eſt infidelis, & fidem prout fit in humanis, perdidit.

De voto per alios implendo.

Quæritur 52. An votum peeſonale poſſit impleri per alios?

Reſpondeo Negative. Votum enim perſonale eſt, in quo promittitur Deo actio propria, v. g. oratio vel peregrinatio. Sed cum voto perſonali non eſt confundendum votum, quo quis vovet peregrinationem, jejunium, orationem, &c. per alios adimplenda. In tali enim voto non vovetur alia actio perſonalis, niſi procuratio ſeria mediis idoneis, ut alii vel prece, vel beneficio, vel eleemoſina, vel conditione contractus gratuiti inducti loco ſui adimpleant peregrinationem, orationem, &c.

Quæritur 53. An vovens teneatur ſuum votum perſonale implere per alios, ſi ipſe ad illud implendum factus ſit impotens?

Reſpondeo Negative. Ratio eſt, qnia non vovit actionem alienam, ſed propriam. Aliud tamen dicendum foret, ſi ſcienter ac advertenter ſine cauſa rationabili poſuiſſet cauſam ſuæ impotentæ. Sicut enim ipſi impotentia eſt interpretative ac indirecte voluntaria, ita ad obtinendam veniam ratio æquitatis & juſtitiæ in ſatisfactionem poſtulat, ut votum adimpleat in æquivalenti modo meliori quo poteſt. Quod ſi impotentia jam extiterit eo tempore, quo votum emiſſum eſt, vovens cenſetur tantum promiſiſſe Deo procurationem impletionis per alios; niſi certo ſciat, ſe habuiſſe animum vovendi ſolum conditionatum implendi votum, quamprimum ceſſaverit impotentia?

Quæritur 54. An votum emiſſum ab integra communitate, v. g. celebrandi diem feſtum, communicandi, peregrinandi, dandi eleemoſinam &c. obliget ſucceſſores?

Reſpondeo. Si ejuſmodi votum, a majore parte populi emiſſum, fuerit confirmatum ab Epiſcopo in forma probante, ſucceſſores obligantur quidem ad rem voto promiſſam, ſed non obligatione religionis per votum, verum tantum obligatione legis Epiſcopalis, per acceptationem conditæ & promulgatæ. Ita *Suarez*, *Sylveſter*, *Sotus*, *Layman*, *Sanchez*, & *Palaus*.

Quæritur 55. An filii teneantur votis perſonalibus ſuorum parentum?

Reſpondeo. Filii, niſi ſponte ſine gravi metu injuſte incuſſo majoris mali conſenſerint, non obligantur votis perſonalibus ſuorum parentum. Ita communis. Si autem ultro conſenſerint ex metu juſte incuſſo, aut ſine metu, tenentur non ex obligatione religionis per votum, ſed ex contractu vel promiſſo, ita ut neglecta impletione non eſſent violatores voti, ſed promiſſi vel contractus. Ita deſumitur ex C. *licet*, de voto, ubi *Innocentius III*. Regi Hungariæ ſcribit: *Cum Rex Hungariæ pater tuus agens in extremis votum, quo voverat Jeroſolimitanam provinciam in manu forti viſitare*, *ſub interminatione maledictionis æternæ commiſerit tuæ fidei exequendum*, *& tute id impleturum ſine dilatione qualibet promiſiſti*, *mandamus*, *quatenus propoſitum iter arripias*.

Quæritur 56. An votum emiſſum per Procuratorem obliget mandatarium vel principalem?

Reſpondeo. Obligat ſolum principalem.

Ra-

Ratio est, quia ejusmodi emissio voti per Procuratorem solum habet rationem declarationis, quod principalis ab eo die, hora, & momento, quo mandatarius nomine principalis votum recitat, velit inchoare suam obligationem. Procurator autem non habet intentionem, se suo nomine obligandi.

Quæritur 57. An votum reale possit impleri per alium, etiam vovente invito?

Respondeo 1. Votum reale potest impleri per alium. Sic enim vovens eleemosinam potest eam erogare per alium.

Respondeo 2. Votum reale potest impleri per alium vovente etiam invito, si res a vovente promissa sumatur ex bonis voventis, & vovens postmodum ultro ratum habeat erogatum vel solutum. Si enim non haberet ratum, aut exterius ob respectum humanum tantum simularet ratihabitionem, non satisfieret voto saltem quoad modum. Vovens enim non solum tenetur dare promissum, sed etiam conformare animum internum solutioni externæ, quæ animi conformatio pertinet ad modum solutionis.

Quæritur 58. An vovens, ad implendum suum votum impotens, teneatur pro impletione voti realis rogare alios pro eleemosina, vel laborare, aut discere artem lucrosam?

Respondeo. Vovens impotens ad implendum votum reale non tenetur arripere media ardua, ad quæ verosimiliter se non obligasset, de in emissione voti expresse cogitasset; vel ad quæ similis conditionis homines se in emissione votorum talium se non solent obligare. Hinc vovens ad impletionem voti realis non tenetur assumere media notabiliter dedecentia suum statum.

Quæritur 59. An vovens teneatur implere votum reale, si mandatarius ad ejus impletionem conductus non satisfecit obligationi?

Respondeo. Si votum reale cedit in commodum divinæ gloriæ vel Ecclesiæ, & in mandatarium electa est persona alioquin nota, proba, ac fidelis, vovens non tenetur reiterare suum votum.

Ratio est, quia per traditionem rei promissæ in manus mandatarii ea res jam transiit in dominium Dei vel Ecclesiæ. Itaque, si perit, perit Deo, non voventi. Econtra si votum reale cedit in utilitatem tertii, v. g. pauperis, vovens tenetur reiterare suum votum; quia res promissa homini non transit in ejus dominium ante traditionem. Itaque adhuc perseverat obligatio ex parte voventis; cum res promissa perierit, dum adhuc erat in ejus dominio. Hinc vi prioris responsionis sequitur; quod vovens aliquot Missas soluto stipendio in manus talis mandatarii deobligetur ab ulteriori solutione, quamvis mandatarius pecunias consumpserit, aut sacerdos accepto stipendio Missas non legerit. Econtra vovens eleemosinam trium aureorum in pauperes suæ urbis tenetur eos de novo solvere; si mandatarius illos consumpsit.

Quæritur 60. Ad quid obligetur vovens in voto mixto ex reali & personali si alterutram ejus partem implere non possit?

Respondeo 1. Si vovens non possit implere votum quoad obligationem personalem tenetur nihilominus implere votum quoad obligationem realem. Si autem eam obligationem realem non possit implere per semetipsum, saltem tenetur implere per alium. Econtra si possit implere obligationem realem, non autem personalem, non tenetur hanc obligationem personalem implere per alium. Ratio est, quia hæ duæ obligationes, realis & personalis, ex intentione consueta voventium manent formaliter in mixto, hoc est, ejusdem naturæ, quam haberent seorsim spectatæ, saltem si a vovente fuerint principaliter & per modum objecti totalis spectatæ ac intentæ, ita ut eligerentur ratione sui etiam sine altera, si hæc impossibilitaretur. Hinc si quis voveat peregrinationem Lauretanam, ac promittat, ibi offerre cor aureum, impossibilitata peregrinatione vovens nihilominus tenetur illuc mittere cor aureum, quia juxta consuetum morem vovendi ejusmodi donaria solent seorsim ratione sui intendi.

Econ-

Econtra si onus reale fuerit tantum accessorie intentum, ita ut ratione sui non soleat voveri, extincta vel impossibilitata obligatione personali etiam extinguitur obligatio accessoria realis. Sic vovens peregrinationem Lauretanam, si non possit implere hoc suum votum personale, non tenetur sumptus itineris, quos impendisset, mittere Lauretum; quia hoc onus reale non solet seorsim voveri.

De obligatione hæredum.

Quæritur 61. An & quomodo obligentur hæredes ex voto testatoris?

Respondeo 1. Hæredes non obligantur ad vota personalia defuncti per se. Id patet ex dictis.

Respondeo 2. Obligantur tamen *per accidens*, si sponte sua morienti promittant, se impleturos ejus vota personalia; vel si defunctus eam posuerit conditionem hæredibus voluntariis, aut quoad excessum supra legitimam hæredibus necessariis.

Dixi, *quoad excessum supra legitimam*. Quoad hanc enim portionem hæreditatis æquiparantur hæredibus voluntariis. Ita discurrunt Sanchez, Layman, Palaus, Catalanus.

Respondeo 3. Si testator in suo testamento impletionem suorum votorum personalium non exigit per modum conditionis *sine qua non*, sed per modum solum petitionis, vel præcepti, non obligantur, nisi ex quadam *æquitate* & *gratitudine*, cujus transgressio si magna fuerit, potest ascendere etiam ad peccatum mortale, licet hæc obligatio non tam facile ascendat ad peccatum mortale, sicut obligatio justitiæ. Aliud dicendum foret, si ex intentione testantis, vel ex aliis circumstantiis morali certitudine constaret, quod modo *petitionis* vel *præcepti* uti voluerit in sensu *conditionis*. Tunc enim, si materia sub conditione posita dependeat a potestate obligantis, hæredes obligarentur ad implendum, quod petit vel præcipit hæres.

Respondeo 4. Hæredes tenentur implere vota realia defuncti, salva tamen portione legitima. Hinc etiam ad ea implenda sub excommunicatione compelli possunt. Immo ad hoc etiam compelli possunt sub amissione hæreditatis in foro Canonico, prout colligitur ex supra citato *C. licet*, de Voto. Ratio est; quia in voto reali obligantur Deo ipsæ res voventis, si non per modum *hypothecæ*, saltem per modum gravaminis in ratione debiti jure naturali privilegiati. Ergo cum res ad successores cum suo onere transeant; etiam transit cum rebus onus reale ex promisso. Hinc sicut testator non potest seipsum eximere a suis debitis erga homines, vel erga Deum; ita nec potest hæredes eximere ab hoc onere reali. Aliud dicendum foret, si vel testator aliis modis suum debitum Deo solveret, vel si obligatio realis, v. g. pendendi eleemonsiam fuisset restricta ad tempus, quod jam interea exspirasset.

Respondeo 5. Hæredes non tenentur in foro interno implere vota defuncti realia vires hæreditatis excedentia, etiamsi ad hoc obligentur per sententiam Judicis. Ratio est, quia Judex nec habet titulum, nec potestatem obligandi in conscientia ad rem dependentem præcise a voluntate defuncti, jure naturali evidenter contraria sententiæ. Defunctus enim jure naturali prohibebatur imponere hæredibus onus ultra vires hæreditatis. Hanc doctrinam cum Sanchezio, Bonacina, & Palao censeo extendendam etiam ad hæredes, qui neglexerunt conficere Inventarium. Jure enim naturali defunctus tenebatur nec istos gravare ultra vires hæreditatis.

Quæritur 62. An testator per vota realia possit etiam præjudicare legitimæ ascendentium in linea recta?

Respondeo. Abstrahendo a jure positivo per jus naturale id licet; quia jure naturali nulla est taxata legitima, nisi per eam intelligantur necessaria ad honestam elocationem & sustentationem liberorum. Quia tamen Deus non acceptat vota contraria legi positivæ, ideo testator non potest per vota realia præjudicare legibus assignantibus taxam legitimæ.

Quæ-

Quæritur 63. An monaſterium, ordo, vel alius hæres religioſi profeſſi teneatur ad vota illius realia, quæ emiſit ante profeſſionem?

Reſpondeo 1. Novitius peccat mortaliter, ſi habeat Dominium bonorum, & ante profeſſionem non procuret impletionem ſuorum votorum realium. Deus enim non tenetur jure ſuo ad impletionem votorum præcedentium, ſi vovens non animo commutandi priores obligationes votivas in meliorem, ſed abſque reſpectu ad prævias ex mera abundantia pietatis intendat addere novam obligationem altioris ordinis.

Reſpondeo 2. Peccant etiam mortaliter Novitiorum Magiſtri vel alii illorum curam gerentes, ſi ſcienter & ſtudioſe negligant Novitium monere de hac obligatione, quia ſilentio cooperantur ad tranſgreſſionem voti.

Reſpondeo 3. Si Novitius ex oblivione vel dictamine erroneo neglexerit diſponere res ſuas pro impletione votorum realium, tenetur monaſterium vel alius hæres ex bonis ſibi obvenientibus adimplere vota realia ſui profeſſi.

Ratio eſt, quia tenetur ſolvere anteriora debita ſui profeſſi ante profeſſionem contracta. Ergo cum votum reale non minus habeat rationem debiti apud Deum, tenetur etiam hoc exolvere.

Nec obſtat, Quod votum religionis tanquam eminentius dicatur ſolvere omnia alia priora vota. Hoc enim intelligendum eſt de ſolis votis perſonalibus incompatibilibus vel non congruentibus cum ſtatu religioſo particulari. Solvi enim etiam alia vota perſonalia, quæ facillime ſtantibus functionibus religioſis perſolvi poſſunt, gratis aſſeritur.

Reſpondeo 4. A fortiori hoc, quod vota realia profeſſi ex bonis monaſterio illatis ſolvenda ſint dicendum eſt, quando votum reale neo-profeſſi antea fuit emiſſum in favorem tertii, v. g. pauperis, a quo jam fuerat acceptatum, ut recte advertit *Palaus*.

Quæritur 64. Quis ſit ab hæredibus obſervandus ordo quoad impletionem votorum realium Teſtatoris? ſeu alias defuncti?

Reſpondeo. Ab ejuſmodi hæredibus ſunt obſervandæ ſequentes Regulæ. 1. Vota realia defuncti non ſunt præferenda debitis anterioribus ex juſtitia obligatoriis. Ratio eſt, quia Deus non acceptaret vota in præjudicium creditorum vel habentium jus anticipatum titulo particulari. Neque enim vult via ordinaria uti ritulo ſupremo dominii circa quotidiana negotia cum hominibus communia. 2. Vota realia defuncti anteriora debitis ſub obligatione juſtitiæ contractis præferenda ſunt his debitis, ſaltem ſi fuerint ſine titulo oneroſo per pactum gratuitum, aut cum ſcientia creditoris de obligatione priorum votorum contracta.

Ratio eſt, quia Deus per vota anteriora aquiſivit jus anticipatum; nec tenetur aut præſumendus eſt cedere jure ſuo præciſe in concurſu alterius debiti fundati in pacto gratuito, v. g. in donatione, aut contracti cum præſcientia creditoris de anteriori obligatione. Hinc Confeſſarii, ne fiat poſt mortem obligationum confuſio, moribundos moneant, ut petant ſibi commutari ejuſmodi vota realia, quibus exſolvendis non ſufficit hæreditas, in vota perſonalia, ad quæ per clauſulam teſtamenti ac per modum conditionis poſſunt obligari hæredes. 3. Si defunctus ſit oneratus pluribus votis realibus, quibus omnibus exſolvendis non par eſt hæreditas, ea, quæ de meliori bono aut arctioris vinculi v. g. ex gratitudinis aut promiſſionis oneroſæ titulo ſunt, præferenda ſunt: & ſi melioritas unius præ altero notabilis non reperitur, præferendum eſt in executione illud votum, quod prius tempore emiſſum eſt; aut ſi nec de prioritate vel de arctiori vinculo conſtat, pro rata cuivis voto ſatisfaciendum eſt. Ratio eſt, quia ita exigit æquitas & intentio præſumpta Dei. Hinc non relinquendum eſt arbitrio hæredis, cuinam voto velit ſatisfacere.

Nec obſtat; quod defunctus potuiſſet eligere, cuinam voto vellet prius ſatiſfacere; & quod hæres ſubintret in omnia jura defuncti, ac conſequenter etiam in jus præoptionis. Nam in vivente jus præoptionis ſimul involvebat ſpem vivam

vam satisfaciendi obligationibus cæteris, qualis spes non amplius superest in hærede. Et hinc ab eo exæquanda sunt jura. 4. Si defunctus duabus Ecclesiis vel personis pauperibus vovit dare duos calices, vel duas vestes inæqualis valoris, non designando in individuo, cui designet pretiosiorem, pretiosior dandus est Ecclesiæ, cui prius debebatur, aut si de hoc non constat, pretiosior dandus est Ecclesiæ, ad quam defunctus præsumitur habuisse affectionem majorem, vel justiorem; aut si excessus pretii non sit valde notabilis, præsumendum est ex intentione defuncti & Dei cumulativa, præoptionem relinqui hæredibus.

Quæritur 65. Ad quid obligatur hæres, certus de voto defuncti, sed dubius, utrum votum jam sit impletum a defuncto?

Respondeo. Tenetur ad votum implendum, si dubium sit *stricte* dictum, hoc est, cum suspensione judicii, seu æqualitate rationum in utramque partem. Si autem dubium sit tantum *late* dictum, ita ut hæres probabilius judicet, jam fuisse satisfactum voto, non tenetur implere votum.

Ratio est, quia etiam defunctus stante dubio stricte dicto obligatus fuerat, & stante dubio late dicto non fuerat obligatus ad impletionem voti. Ergo hæres subintrando in jura defuncti ad idem tenetur vel non tenetur.

Quæritur 66. An plures hæredes teneantur in solidum ad persolvenda vota defuncti?

Respondeo. Non tenentur in solidum, sed eorum quilibet tantum tenetur in parte, & pro rata hæreditatis, ita ut si defunctus suo voto promiserit Hospitali trecentos aureos, hæres ille, qui accepit duo aureorum millia, teneatur ad ducentos aureos solvendos, alter vero qui accepit solum mille aureos, teneatur conferre centum aureos.

Ratio est, quia ad hoc censetur obligare præsumpta intentio cumulativa Dei & defuncti, utpote conformis æquitati naturali, quæ dictat, ut, qui sentit commodum, etiam sentiat incommodum. Aliud dicendum foret, prout Palaus ex Sanchezio observat, si res in individuo Deo promissa, v. g. calix, cessisset uni hæredum. Is enim teneretur calicem restituere Ecclesiæ, cui voto promissus est; nec aliud haberet remedium, nisi actionem erga alios hæredes, ut compensetur sibi ex communi massa damnum.

Quæritur 67. An donatarius obligetur ad vota realia donantis, si donans factus fuerit impotens ad vota implenda: vel ejus hæredes sint impotentes?

Respondeo 1. Si donatarius scivit, aut probabilius judicavit, donantem ea donatione reddendum impotentem ad exolvenda sua vota, peccavit mortaliter triplici peccato. Nam in primis peccavit contra charitatem proximi cooperando ad ejus peccatum, dum ejusmodi donatione se reddit impotentem ad implenda sua vota. Secundo peccavit contra charitatem Dei, cujus commoda in pari causa tenetur præferre commodis propriis. Certe graviter indignaretur Petro ejus alioquin amicus Paulus; si Petrus dono acciperet rem pretiosam jam sibi promissam solenniter sine data causa variationis, & sine ulteriori spe obtinendæ in æquivalenti compensationis. Tertio peccavit contra justitiam, quia accipiendo donum privat priorem donatarium jure personali adversus promittentem, quod est pretio æstimabile & maetria contractus. Sic peccat contra justitetiam, qui scienter contrahit sponsalia cum sponsa jam desponsata seu promissa alteri. Hinc etiam tenetur ad aliquam restitutionem juxta intentionem Dei præsumptam, & juxta valorem actionis personalis, quam habuit Deus erga voventem.

Respondeo 2. Si donatarius non scivit, aut non judicavit, donantem probabilius reddendum ex dono impotentem, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia impotentia implendi votum præsumenda est supervenisse primum post donationem per casum insperatum; in qua circumstantia donatarius ex donatione antecedente impotentiam, nulla lege aut titulo obligatur ad restitutionem.

Quæritur 68. An idem dicendum sit de legatario, quod dictum est de donatario?

Respondeo 1. Si legatarius accepit rem determinate in individuo Deo promissam, tenetur eandem restituere Deo, sive sciverit, ex illo legato impossibilitandam fore impletionem voti, sive non sciverit.

Ratio est, quia acceptio hujus legati est contra justitiam commutativam Deo debitam, prout superius qq. 67. ostensum est.

Respondeo 2. Si legatarius non accepit rem ex individuo Deo promissam, non tenetur solvere vota realia, sed ea ex communi massa hæreditatis ab hærede instituto solvenda sunt. Ratio est, quia ex voto debita Deo habent naturam debiti. Debita autem ex massa hæreditatis, non ex legatis solvenda sunt.

Respondeo 3. Si tamen massa hæreditaria non sufficeret ad explenda vota, etiam ex legatis deberetur eorundem solutio, nisi in casu particulari ex præsumpta intentione defuncti & Dei posset colligi per Epikiam alia observantia.

De voto castitatis.

Quæritur 69. Ad quid obliget votum castitatis?

Respondeo. Obligatus ad votum castitatis perpetuæ obligatur. 1. ad non contrahendum matrimonium. Hinc contrahendo matrimonium peccat mortaliter, ex quacunque causa contrahat, nisi illa causa sit sufficiens ad eximendum a voto, qualis tamen vix practice reperitur, quamdiu est occasio petendi dispensationem. 2. tenetur abstinere a secundo matrimonio, si primum ex dispensatione vel ex malitia initum jam fuerit solutum morte alterius conjugis. 3. Hinc etiam tenetur abstinere a sponsalibus, nisi sub conditione impetrandæ dispensationis initis, quamvis etiam hic contractus conditionatus vix careat affectu absoluto ad dissolutionem voti, qui affectus non caret aliqua deordinatione ad minimum veniali. 4. tenetur abstinere a petendo debito conjugali ante dispensationem. 5. Potest tamen reddere debitum, si exigatur ab altera parte, sive illud exigatur explicite vel tacite, signis, aut verbis. 6. Sola verecundia alterius partis ad petendum debitum, vel periculum incontinentiæ ex parte alterius partis non est sufficiens causa petendi debitum. Datur enim duplex aliud remedium consulendi comparti contra hoc periculum, & onus matrimonii. Nam primo poterit pars voto obligata monere alteram, ut confidenter quovis signo petat, quando voluerit. Secundo, si notabilis verecundia vel difficultas petendi ex parte alterius compartis diutius animadversa fuerit, poterit pars voto ligata petere dispensationem. 7. Tenetur abstinere non solum ab actibus externis castitatis contrariis, sed etiam internis.

Ratio horum omnium est, quia est ordinarie mens sic voventium, regulata a prædominante sensu doctorum, quæ proin, nisi aliud exprimatur, in dubio præsumenda est.

Quæritur 70. An ligatus voto perpetuæ castitatis, si matrimonium contrahat, teneatur ante ejus consummationem ingredi religionem, habita occasione.

Respondeo. Non tenetur ingredi religionem, si non appareat prudens spes susceptionis, vel si id fieri nequeat sine gravi perturbatione familiarum & scandalo, vel si non habeat in se signa vocationis ad statum religiosum. Si autem in se illa signa deprehendat, præsertim facilitatem observandi votum castitatis, tenetur eam ingredi.

Ratio est, quia ea est præsumpta intentio Dei acceptantis votum, ut servetur modo meliori, quo potest, nisi Ecclesia dispensandum duxerit majorum malorum metu. Vide dicenda in Tract. de animo adhuc deliberativo.

Quæritur 71. Ad quid obligatur obstrictus voto ingrediendi Religionem?

Respondeo. Ejusmodi vovens tenetur 1. abstinere a contrahendo matrimonio, utpote incompossibili cum observantia sui voti. 2. Si contra obligationem sui voti contraxit matrimonium obligatione diversorum statuum §. 1. *De Religiosis*, ubi §. 12. docui, matrimonium semel

in facie Ecclesiæ *absolute* sine animo deliberativo contractum esse indissolubile per ingressum in religionem, tenetur abstinere ab usu matrimonii, & intra primos duos menses se declarare pro ingredienda religione, nisi causæ sufficientes adsint pro petenda dispensatione. 3. Si matrimonium dissolutum fuerit morte alterius conjugis, vel divortio perpetuo sine spe reconciliationis, tenetur adhuc ingredi religionem, saltem si stante præsente ætate & conditione viderit in se signa adhuc perseverantis vocationis divinæ; v. g. affectionem, idoneitatem, & occasionem. 4. consummato matrimonio potest etiam petere debitum.

Quæritur 72. Ad quid obliget votum servandæ virginitatis?

Respondeo 1. Cum ordinarie intentio voventium virginitatem sit eadem ac voventium perpetuam castitatem, in tali casu eædem erunt obligationes voventium perpetuam virginitatem; quæ sunt obligationes voventium perpetuam castitatem. In dubio præsumendum quidem est, intentionem voventis fuisse vovendi perpetuam castitatem, quia tamen hoc ipsum est incertum; censeo, hoc votum non esse reservatum Papæ, utpote dubie reservatum, sed ab eo dispensari posse per Episcopum.

Respondeo 2. Votum perpetuæ virginitatis proprie sumptum plurimum differre a voto perpetuæ castitatis. Nam votum perpetuæ virginitatis non obligat specialiter vi voti ad abstinendum ab actibus internis castitati contrariis. 2. non obligat vi voti ad abstinendum etiam ab actibus externis castitati contrariis, v.g. a tactibus obscœnis, & aliis non tollentibus virginitatem. An autem pollutio voluntaria tollat virginitatem in ordine ad laureolam virginitatis, antiqui Patres & Theologi non conveniunt inter se. Mihi videtur, quod eam laureolam non tollat, dummodo non fuerit facta commixtio, etiam cum copula imperfecta cum fœmina. Ita enim sumi nomen virginitatis in Scriptura, colligo ex variis Scripturæ locis, præsertim Apocal. 14. v. 4. ubi dicitur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt*. Cæterum quamvis actus interni vel externi ejusmodi, contra castitatem commissi, non tollant virginitatem, quando tamen versantur circa actus e diametro virginitati oppositos, vel quando ex sua natura aut ex intentione operantis ordinantur ad actus sublativos virginitatis, tunc repugnant etiam voto virginitatis. 3. Si quis libere semel per copulam imperfectam amisit virginitatem perfectam, tenetur nihilominus adhuc servare virginitatem imperfectam, ita ut vi voti teneatur abstinere ab omni copula perfecta, ac consequenter etiam ab usu matrimonii, si quod contraxit contra obligationem voti. 4. Si tamen sive per fornicationem sive per usum matrimonii amisit virginitatem etiam imperfectam, cum observantia sui voti jam reddita fuerit impossibilis *quoad substantiam*, poterit contrahere matrimonium, & contracto matrimonio petere debitum. 5. Ex eo tempore non peccabit amplius per actus internos vel externos castitati oppositos specialiter contra votum, sed tantum contra sextum præceptum. Ratio est, quia per votum virginitatis proprie sumptum non voventur directe actus interni aut externi non tollentes virginitatem sed indirecte & *per modum accessorii*, inquantum ex sua natura vel ex intentione operantis disponunt ad violandam virginitatem.

Quæritur 73. Ad quid obliget votum non nubendi?

Respondeo. Votum non nubendi obligat 1. ad non contrahenda sponsalia, quia sunt via ad contrahendum matrimonium. Qui enim se obligat ad finem, se etiam obligat ad media, ac vicissim qui arcetur a fine, arcetur etiam a via seu mediis ad finem. 2. Obligatur vi voti ad abstinendum a deliberato desiderio, & delectatione morosa, inductivis ad violationem voti, seu ineundum matrimonium. 3. Obligatur ad non contrahendum matrimonium. 4. Contracto tamen semel matrimonio, quamvis solum rato, ac necdum consummato, cum

jam sit impossibilis observantia sui voti sine ingressu in religionem, ad quod arduum medium adhuc aliquo modo salvandum suum votum verosimiliter se non extendit intentio voventis, poterit non solum reddere, sed etiam petere debitum. 5. Sic vovens quamvis fornicando contra votum non peccet directe, peccat tamen contra votum indirecte, quia fornicatio ex sua natura fovet affectum & inclinat ad violandum votum per contractum matrimonii. 6. Contracto semel matrimonio, eoque per mortem alterius conjugis dissoluto poterit licite contrahere novum matrimonium. Ita Cajetanus & alii contra Navarrum, Sanchez, Rodriquez, Bonacinam & alios. Ratio mea est, quia votum non nubendi verosimiliter ex intentione voventis regulata principiis prudentiæ se non extendit ad abstinendum a secundis nuptiis, cum ejusmodi obligatio possit esse obnoxia variis difficultatibus, quæ non reperiuntur in obligatione ad abstinendum a primis nuptiis.

Quæritur 74. Ad quid obliget votum non fornicandi, aut non cognoscendi fœminam?

Respondeo 1. Votum non fornicandi, aut non cognoscendi fœminam, obligat saltem indirecte ad abstinendum a copula imperfecta, & ab omnibus actibus tam internis quam externis ex sua natura vel ex intentione operantis inductivis ad fornicationem. 2. Votum non cognoscendi fœminam etiam obligat directe ad abstinendum a copula imperfecta. 3. Votum non cognoscendi fœminam obligat quidem ad non contrahendum matrimonium, & matrimonio semel contracto obligat ad non petendum debitum, non tamen obligat stante matrimonio solum rato ingredi religionem, quia intentio voventis verosimiliter se non extendit ad hoc arduum medium. 4. Sic vovens non cognoscere fœminam consummato semel matrimonio potest non solum reddere, sed etiam petere debitum. Ratio est, quia ejus intentio verosimiliter se non extendit ad has circumstantias. Universaliter enim pro regula sumendum est, intentionem voventis se eousque non extendere, ad quod rationabiliter se non extendisset, si explicite de hoc cogitasset. Nam votum pertinet ad contractus bonæ fidei, cum sit contractus quidam inter Deum & hominem in genere promissionis acceptatæ. Ergo sicut contractus bonæ fidei in obscuris regulantur ex eo, quod in pactum fuisset deductum verosimiliter, si de eo explicite fuisset cogitatum, ita etiam in votorum obligatione censendum est. 5. Idem juxta dicta q. 46. Reg. 3. non poterit contrahere secundum matrimonium cum alia fœmina sine dispensatione aut commutatione, quia saltem dubium est, utrum intentio voventis se non extenderit ad hunc casum. 6. Votum tamen non fornicandi nec obligat ad abstinendum a primis, nec a secundis nuptiis. 7. Obligat vero ad abstinendum ab omnibus actibus tam internis quam externis ex sua natura vel ex intentione operantis inductivis ad fornicationem.

Quæritur 75. Ad quid obliget votum ingrediendi religionem?

Respondeo. Votum ingrediendi obligat 1. ut vovens, si vovit religionem determinatam, ingrediatur potius illam, quam aliam. 2. Si vovens vovit religionem determinatam, quam existimabat esse bene disciplinatam, deprehenso quod non sit bene disciplinata, non tenetur ingredi illam religionem.

Ratio est, quia error in æstimatione morali versatur circa substantiam rei, cum intentio voventis feratur ad medium idoneum gratius placendi Deo, & securius assequendi suam salutem, quod, saltem ordinarie respectu animarum debilium, non contingit in religione vel monasterio male disciplinato. Neque in ordine ad hunc finem distinguendum est inter substantialia ordinis, & accidentalia. Corruptis enim accidentibus infallibiliter perit, aut periclitatur substantia rei. 3. Qui vovit ingredi religionem in ordine ad statum Clericalem, non tenetur eam ingredi, si non admittatur, nisi ad statum laicalem. 4. Vovens ingredi re-

religionem non tenetur ad arripienda media prorsus extraordinaria, ad quæ verosimiliter se non obligasset, si ea requirenda præscivisset. Hinc non tenetur discere artes, de quibus requirendis non suspicabatur, nec exspectare per tempus alioquin ordinarie Candidatis inconsuetum, nec supplicare in pluribus Ordinibus aut monasteriis, quam fieri potest sine periculo dedecoris aut damnificationis gravis, amittendo interea occasiones congrue collocandi suum statum. 5. Si dubium sit, an voventis intentio se extendat ad varias difficultates in hoc genere emergentes, ac consequenter obligatio voti sit dubia, votum hoc non est reservatum Papæ, quia superius ex Suarezio ostensum est, vota dubia non esse reservata Sedi Apostolicæ. Hinc in casu obligationis dubiæ locus est commutationi, vel dispensationi respectu eorum, qui pollent potestate commutandi vel dispensandi.

Quæritur 76. Quinam habent potestatem vovendi?

Respondeo 1. Potestatem vovendi habent illi soli, qui habent dominium suarum rerum vel actionum, quas promittunt Deo. 2. Administratores bonorum non possunt emittere licite aut valide vota realia ex bonis a se administratis, nisi ex præsumpto rationabiliter eorum consensu, a quibus acceperunt administrationem. 3. Religiosi, uxores, ancillæ, famuli, filii, filiæ &c. non possunt licite aut valide emittere vota realia aut etiam personalia in præjudicium communitatis, Superioris, mariti, Domini, parentis. 4. Possunt tamen se obligare ad actionem, non subjectam Dominio aut gubernationi suorum Superiorum, Maritorum, Dominorum.

Ratio est, quia, prout superius ostensum est, ex nulla lege naturali, aut divina ostenditur ea universalis Religiosorum uxorum, servorum, & liberorum subjectio, ut prorsus de nulla actione possint disponere, non præjudicante juribus suorum Superiorum. Cur enim Religiosus, uxor, servus, filius, non possit vovere recitationem orationis Dominicæ, abstinentiam ab aliquo cibo, ad breve tempus? 5. Uxores possunt etiam licite & valide emittere votum reale circa bona communia suæ administrationi concredita ex consensu mariti rationabiliter præsumpto. Quid autem rationabiliter præsumi possit spectata consuetudine & conditione personarum, pendet ex æstimatione morali prudentum.

De irritatione votorum.

Quæritur 77. Quid sit irritatio votorum? Et quotuplex?

Respondeo. Irritatio votorum est annullatio obligationis votorum. Ea est duplex, *directa* & *indirecta*. *Directa* est, quæ fundatur in subjectione personæ quoad ejus actiones. *Indirecta* est, quæ fundatur in subjectione personæ quoad administrationem bonorum. Hinc patet irritationem directam esse actum Jurisdictionis, indirectam vero esse actum dominii. Exinde etiam patet, irritationem indirectam esse juris naturalis, directam vero esse aliquando juris naturalis, quando videlicet jurisdictio in actiones personæ subditæ fundatur in jure naturali, qualis est jurisdictio parentum in liberos, & aliquando eam esse juris positivi, quando jurisdictio in actiones personæ subditæ fundatur in jure positivo, qualis est jurisdictio Magistratuum in cives.

Quæritur 78. Quinam habeant potestatem irritandi vota?

Respondeo 1. Papa habet potestatem irritandi directe vota omnium fidelium præjudicantia suæ universali gubernationi omnium Ecclesiarum. Hinc si Episcopus vel Parochus voveat peregrinationem Jerosolymitanam, ex qua plebs diu destituitur suo Pastore & recta gubernatione, potest directe irritare hoc votum.

Respondeo 2. Etiam Episcopus, Rex, Prælatus, Superior, Maritus, Paterfamilias, Tutor, Dominus potest directe irritare vota personalia suorum subditorum præjudicantia rectæ illorum gubernationi quoad actiones. Deus enim vota subditorum quoad actiones pertinentes

tes ad rectam gubernationem non acceptat, nisi ut subordinatas consensui tacito vel expresso Superiorum. Veniunt autem hoc loco nomine patrisfamilias etiam mater, & pater filii spurii, quia jure naturæ debetur illis jurisdictio in liberos quoad eorum gubernationem circa actiones.

Respondeo 3. Nec Papa, nec Episcopus, nec Superior, nec Pater, nec tutor, nec quivis alius habet potestatem irritandi vota personalia suorum subditorum quoad actiones suæ gubernationi non præjudicantes. Idque verum est etiam respectu parentum vel tutorum quoad liberos adhuc impuberes.

Respondeo 4. Hinc sequitur, quod pater non possit irritare votum sui filii etiam adhuc impuberis, si voveat religionem, perpetuam castitatem, susceptionem ordinum, moderatas preces, moderatum jejunium, mortificationem oculorum circa certa objecta, actum misericordiæ erga famulum ægrotum, &c. Circa ejusmodi namque actiones aut non præjudicatur gubernationi parentum, aut si præjudicatur, reperitur jure divino exemptio a paterna potestate.

Respondeo 5. Hinc etiam sequitur, patrem non posse irritare vota realia suorum filiorum quoad bona, quorum Dominium & administratio pertinet ad filios. Talia bona sunt, quæ aquiruntur ratione servitii bellici, officii in aula principis, vel ex alio titulo independente a cura parentum, & vocantur *Castrensia* vel *quasi Castrensia*. Idem dicendum de bonis filiorum *adventitiis*, quæ illis obveniunt ex Testamento, vel legato, vel ex beneficio Ecclesiastico, quia nec istorum bonorum administratio de jure pertinet ad patrem.

Respondeo 6. Hinc etiam sequitur, quod maritus possit solum irritare illa vota personalia uxoris, quæ uxor post nuptias emisit cum præjudicio usus matrimonii, educationis prolis, & domesticæ gubernationis. Pro hac sententia citatur *Navarrus*, *Valentia*, *Azor*, *Sayrus*, *Lessius*, *Suarez*, *Layman*, *Bonacina*, *Palaus*, contra *Sotum* & alios, quibus favere videtur D. *Thomas* 2.2.q.88. a. 8. ad 3.

Respondeo 7. Maritus non potest irritare votum uxoris de non petendo debito, nisi votum fuerit irrationabile, videlicet nunquam petendi, etiamsi maritus signis obscuris suam intentionem manifestaverit. Per hoc enim votum obligaret maritum, ut semper explicite atque expresse petat debitum, quod multis foret molestum. Si tamen uxor se obligaret voto, ad nunquam petendum debitum, nisi maritus signis saltem obscuris, aut implicitis, vel dubiis & æquivocis suam mentem prius prodiderit, non videtur hoc voto præjudicari juribus aut amori maritali. Cur enim marito grave ac molestum accidat, signis saltem æquivocis insinuare suam mentem conjugi, præsertim, si hæc verbis & factis constanter testetur promptum obediendi animum? In praxi tamen ejusmodi vota uxoribus vix unquam etiam sub præfata clausula suadenda aut permittenda sunt, nisi ubi moraliter certum fuerit, maritum minime ægre id laturum. Alioquin enim innumeris foret obnoxium scrupulis, dum uxor petendo ad signa mariti æquivoca debitum, facile dubitare potest, an ea petitio non potius procedat ex motu proprio, quam ex obligatione charitatis.

Respondeo 8. Maritus potest irritare vota uxoris suæ gubernationi vel juri præjudicantia, etiamsi cum suo consensu emissa fuerint, nisi expresse dederit facultatem irrevocabiliter. Ratio est, quia in dubio censetur dedisse consensum tantum revocabiliter. Idem dicendum est de Superiore, patre, tutore quoad vota religiosorum, filiorum, servorum, &c. præjudicantia suæ gubernationi.

Respondeo 9. Illud jus, quod maritus habet irritandi vota uxoris suo juri conjugali præjudicantia, vicissim non competit uxori erga maritum. Nam licet etiam ipsa quoad conjugii obligationes quadam potestate jure exigendi debitum polleat, non tamen habet jurisdictionem in maritum. Hinc si maritus

tus emittat votum juri conjugali præjudicans, poterit quidem uxor suo dissensu efficere, ut votum mariti valorem suum amittat, utpote deficiente conditione ad valorem illius voti requisita, nempe consensu; sed subtractio conditionis ad valorem requisitæ non est irritatio, seu usus authoritatis in aliam personam subditam.

Respondeo 10. Nec maritus, nec Dominus potest absolute irritare vota uxoris, vel servi sibi præjudicantia, si fuerint ante nuptias vel ante conductionem famuli emissa, sed potest ea tantum *suspendere* durante matrimonio vel servitio. Ratio est quia plus juris non evincitur ex dominatione maritali vel herili.

Respondeo 11. Illa potestas irritandi vota Religiosorum gubernationi præjudicantia, quæ competit Abbatibus & aliis Superioribus, etiam competit Abbatissis & aliis Superiorissis Monialium: quia eadem est ratio.

Quæritur 79. An superiores Regularium possint irritare indiscriminatim omnia vota suorum Religiosorum, etiam non præjudicantia suæ gubernationi?

Respondeo. Negative, saltem respectu eorum Religiosorum, qui non emiserunt votum obedientiæ illimitatæ, sed restrictæ ad Regulam & Satuta Ecclesiæ, ac Ordinis, vel monasterii, qualem esse obedientiam Canonicorum Regularium, in Tract. *de Jure & Justitia* a me ostensum est. *Nec obstat*, quod *Bonifacius* VIII. in C. *si religiosus*, de Electione in 6. dicat: *Si religiosus, cujus arbitrium non ex sua, cum velle vel nolle non habeat, sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet, electioni de se ad prælationem aliquam extra suum monasterium sui Superioris licentia non petita præsumpserit consentire, consensus sic præstitus non teneat.*

Respondeo enim, a Summo Pontifice Religiosis proprium velle & nolle denegari relate ad ea, ad quæ se obligarunt per votum obedientiæ, nempe relate ad Constitutiones generales Ecclesiæ circa Religiosos, & relate ad ea, quæ per se statui religioso insunt vi professionis tendendi ad perfectionem, & relate ad Regulam particularem ac Statuta Ordinis vel monasterii. Hinc nulli Religioso, etiam Canonico Regulari, relinquitur ab universalitate obedientiæ exceptio relate ad profana, & alias actiones potius impeditivas perfectionis, sed tantum ad ea, quæ sunt amplioris perfectionis pro Gloria Dei & bono Ecclesiæ, nec repugnant Regulæ, Statutis, & gubernationi Superiorum restrictæ ad limites Regulæ, Statutorum, & legum Ecclesiasticarum.

Quæritur 80. Quomodo tollitur voti obligatio per dispensationem?

Respondeo. Votorum obligatio per dispensationem nec licite nec valide tollitur, nisi ex motivo dubie æqualis aut majoris valoris in æstimatione divina. Si enim motivum dispensandi in æstimatione divina certo non æquivalet valori emissi voti, nec licita nec valida esse potest dispensatio, utpote quæ facienda est ab habente jurisdictionem nomine Dei. Si autem certo sit æqualis aut majoris valoris, quam ipsum votum; non est opus dispensatione, sed solum commutatione. Itaque dispensationi solum locus est, quando dubium fieri incipit, utrum in æstimatione divina obligatio voti perseveret esse de æquali vel meliori bono. In ejusmodi enim dubiis authoritative ferre sententiam Ecclesiæ relictum est, cui Christus *Matth.* 18. contulit potestatem cælum aperiendi & claudendi. Quod enim ea potestas Ecclesiæ collata sit pro arbitrio præsidentium, & non pro necessitate variorum eventuum, in quibus emergente casu dubio consuli nequit divinum oraculum, nec rationi sanæ congruit, nec traditioni, nec exemplis veterum Episcoporum & Pontificum.

Quæritur 81. Qualis requiratur causa ad dispensandum?

Respondeo. Ad dispensandum licite & valide requiritur & sufficit talis causa, quæ censeatur posse movere Deum ad relaxandam obligationem voti. In specie tales causæ sunt. 1. Defectus ple-

næ & perfectæ libertatis. 2. Timor gravis mali injuste incussus. 3. Error notabilis circa objectum aut motivum voti. 4. Defectus causæ finalis quoad continuationem voti saltem inadæquatus. 5. Moralis impossibilitas quoad observationem voti. 6. Effectus mali imprævisi repugnantes intentioni personæ voventis, & Dei votum acceptantis, v. g. si votum incipiat fieri occasio ruinæ spiritualis. 7. Gravis difficultas a vovente nec in genere nec in specie prævisa; quæ si a vovente fuisset prævisa, verosimiliter absterruisset a voto. 8. Nova circumstantia impeditiva magnorum bonorum, qua stante dubium est, an votum non sit impeditivum majoris boni. 9. Exigentia boni communis, quod impeditur ab observatione voti. Sic enim dispensatur cum obstrictis voto castitatis, si matrimonium censeatur medium necessarium ad præcavenda bella, vel conservandam fidem in provincia, aut potente familia. Sic etiam dispensatur circa jejunium cum Concionatoribus, vel Lectoribus Ecclesiæ utilibus vel populo. 10 damnum grave propriæ domus aut familiæ præsertim utilis Ecclesiæ, vel Reipublicæ. Sic dispensatur circa peregrinationes longinquas, si exinde sequatur damnum grave familiæ. 11. Prudens dubium de valore voti, si videlicet dubitetur de libertate, vel intentione voventis, aut de acceptatione Dei. Circa has tamen causas notandum est; quod nisi causa manifeste sufficiat ad dispensandum seu relaxandam totam obligationem voti, miscenda sit commutatio juxta præsumptam intentionem Dei.

Quæritur 82. Quinam habeant potestatem dispensandi?

Respondeo. Potestatem dispensandi habet 1. Papa pro tota Ecclesia. 2. Episcopi pro sua Diœcesi. 3. Prælati pro suis Religiosis subditis. Ratio est, quia hi omnes habent jurisdictionem spiritualem in suos subditos nomine Dei, cujus proin authoritate in dubio de voluntate Dei obligantis vel deobligantis possunt & tenenur respondere loco Dei. Hinc sequitur, Parochos non habere potestatem dispensandi circa vota, cum in foro externo non habeant jurisdictionem in suos parochianos, ad quam tamen pertinet potestas dispensandi, cum utique vota per se non sint materia confessionis, adeoque nec subjecta clavibus pro tribunali sacro.

Quæritur 83. Quinam veniant nomine subditorum?

Respondeo 1. Nomine subditorum veniunt non solum habentes domicilium, sed etiam habentes quasi domicilium, seu habentes animum commorandi in Diœcesi per majorem anni partem, imo etiam vagos. Non tamen eo nomine veniunt peregrini.

Respondeo 2. Subditorum Prælatis nomine merito etiam veniunt Novitii, cum utique animum habeant probandi religionem per majorem anni partem.

Respondeo 3. Iidem tamen etiam possunt dispensari ab Episcopo, quia ab ejus jurisdictione necdum sunt plene, absolute, & habitualiter exempti.

Quæritur 84. Quænam vota sint reservata Sedi Apostolicæ?

Respondeo. Enumerantur quinque. 1. Votum castitatis perpetuæ. 2. Votum religionis approbatæ, hoc est, votum ingrediendi *ordinem religiosum* approbatum. Hinc votum ingrediendi aliquod *Institutum* approbatum a Sede Apostolica non est reservatum. 3. Votum peregrinationis ad terram sanctam. 4. Peregrinationis Compostellam ad D. Jacobum. 5. Peregrinationis ad limina Apostolorum D. Petri & D. Pauli Romam. Hæc reservatio licet non reperiatur ullo jure expressa, sed tantum videatur consuetudine introducta, colligitur tamen ex Extrav. *Etsi Dominici*. de Pœnit. & Remiss.

Quæritur 85. Qualia vota comprehendantur vel non comprehendantur sub nomine perpetuæ castitatis?

Respondeo. Sub nomine voti perpetuæ castitatis solum comprehenditur votum *perfectæ* castitatis, Deo *directe promissæ*. Hinc reservatum non est 1. votum recipiendi Sacros Ordines, quibus est annexum votum castitatis. 2. votum non contrahendi matrimonium. 3. votum non fornicandi. 4. votum se non pos-

polluendi, non tangendi lascive mulierem, vel non petendi debitum conjugale.

Quæritur 86. An etiam Episcopi, vel alii Prælati inferiores possint aliquando dispensare in his votis reservatis?

Respondeo. Episcopi, & alii Prælati Papa inferiores possunt circa hæc vota reservata dispensare in sequentibus circumstantiis. 1. Quando valor voti reservati est dubius, prout superius q. 13. ostensum est. 2. Quando solum opus est dispensatione circa qualitatem accidentalem voto reservato annexam. v. g. si quis vovit ingredi religionem strictiorem, v. g. Capucinum, potest Episcopus vel alius Prælatus Papa inferior cum eo dispensare ut possit ingredi ordinem minus strictum, ut docet Suarez & plures alii. 3. Si urgeret gravis necessitas dispensationis, nec exspectari posset Pontificis responsum sine gravi periculo salutis æternæ. Ratio est, quia præsumendum, voluntatem Pontificis legalem in reservatione talium votorum se nunquam voluisse extendere ad ejusmodi casus extraordinarios. 4. Idem ob eandem rationem dicendum est, quando ex dilatione dispensationis oriretur grave scandalum, vel infamia, vel aliud grave damnum, v. g. si quis voto perpetuæ castitatis, vel ingrediendi religionem obstrictus, virginem violasset, cujus proin honori consulendum foret ob metum gravis scandali, vel alterius gravis mali. 5. Quando vota fuerunt solum conditionata pœnalia. v. g. si quis vovet se exsoluturum certam pœnam v. g. flagellationis, quoties peccaverit contra castitatem. Ratio est, quia objectum voti potius est pœna transgressionis quam observatio legis. Ita sentit Bonacina, Suarez, Lessius & alii.

Quæritur 87. Quinam habeant vel non habent potestatem delegatam dispensandi circa vota? Et quantam?

Quæritur 1. Circa vota reservata Papæ habentes facultatem dispensandi non habent potestatem dispensandi ultra limites necessitatis, in quantum exigit necessitas motivi. Sic si cum adstricto per votum castitatis dispensandum sit ad matrimonium contrahendum, non tamen propterea dispensandus illimitate, est ut non censeatur contravenire voto, si desiderio, verbo, tactu lascivo, aut actu peccet relate ad alias fœminas, nisi subsistat motivum sufficiens dispensandi indefinite, quod rarissime subsistet. 2. Regulares tam mendicantes quam non mendicantes, & alii, quibus data est facultas dispensandi in votis Episcopalibus, seu Episcopo ad dispensandum relictis, possunt dispensare in votis Papæ reservatis etiam tunc, quando ad dispensandum urget causa extremæ necessitatis. Ratio est, quia Regularibus a Sede Apostolica delegatur facultas dispensandi in illis votis, in quibus Episcopi possunt dispensare jure ordinario. Atqui Episcopi possunt in omnibus votis, præsertim in casu extremæ necessitatis, dispensare jure ordinario, nisi sint specialiter reservata Sedi Apostolicæ jure scripto vel consuetudinario. Ergo cum casus extremæ necessitatis non sit reservatus Sedi Apostolicæ specialiter, pertinet ad Episcopos jure ordinario. 3. Habentes generalem potestatem dispensandi in votis non eoipso habent facultatem dispensandi in votis Sedi Apostolicæ reservatis, nisi hoc exprimatur. Id patet ex C. *Si Episcopus*, de Pœnit. & Remiss. 4. Concessa facultate dispensandi in votis, excepto voto castitatis, & ingrediendi religionem, eoipso censetur esse concessa facultas dispensandi circa tria vota peregrinationis.

Quæritur 88. An habentes facultatem dispensandi in votis delegatam etiam habeant facultatem commutandi vota?

Respondeo. Affirmative. Ita Sylvester, Suarez, & alii plerique.

Quæritur 89. A quibus, & quomodo possit fieri commutatio?

Respondeo 1. Commutatio voti propria authoritate ne quidem fieri potest in melius. Ratio est, quia judicia Dei de melioritate operum frequenter longe alia sunt, quam judicia hominum. Ergo ea mens Dei non nisi per Vicarios Dei nuntianda, & in dubio determinanda est. *Nec obstat* C. 3. *Pervenit.* de Jurejurando, quia ibi solum permittitur variatio in melius circa *propositum*, *promis-*

missum, aut *jurejurandum* homini factum, in quo non timetur prudenter aliud judicium circa meliorationem rerum humanarum, sicut tamen timeri debet circa judicia divina. Dein ibi solum conceditur variatio jurejurando, ubi non fuit impleta conditio apposita ut reipsa cessaret totaliter obligatio. Textus sic habet: *Propositum aut promissum non infringit, qui in melius illud commutat. Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento firmasses, aliquatenus teneris, si constat, eum conditioni minime paruisse.*

Respondeo 2. Habentes facultatem, vota tantum commutandi, possunt illa commutare solum in opus æqualis valoris. Ita censet *Cajetanus*, *Covaruvias*, *Suarez*, *Sanchez*, *Layman*, *Palaus*, *Catalanus*.

Respondeo 3. Æqualitas valoris inter votum, & opus subrogatum, in quod fit commutatio, non est physice sed moraliter metienda, nempe ex utilitate in ordine ad gloriam Dei, salutem plurium animarum, ac præsertim ad salutem certiorem voventis, & satisfactionem pro peccatis. Hinc pro congruentia horum finium votum personale potest aliquando commutari in reale, & reale in personale, & perpetuum in temporale arduum, & vicissim temporale arduum in perpetuum facilius.

Quæritur 90. An facta commutatione detur obligatio redeundi ad priorem materiam, si secunda materia subrogata reddatur impossibilis?

Respondeo. Non datur obligatio redeundi ad priorem materiam, si etiam prior materia fuit obnoxia ejusmodi impossibilitati, ut aliquo modo servetur æqualitas jurium inter Deum & hominem, secundæ materiæ substituenda est alia materia paris valoris per Vicarium Dei. Priorem enim obligationem voti per commutationem totaliter esse extinctam, gratis asseritur ab authoribus, cum id dependeat ab intentione Dei ipsis non satis promulgata.

Quæritur 91. An facta commutatione voti liceat voventi redire ad priorem materiam?

Respondeo. Id licet. Ratio est, quia supponitur, commutationem non esse factam in majus bonum Dei, sed in favorem hominis. Ergo intentio commutantis solum obligat rationabiliter ad subrogatum conditionate, nisi vovens ultro velit redire ad primam obligationem.

SECTIO IV.

De tertio Præcepto Decalogi.

Quæritur 1. Quodnam sit tertium præceptum Decalogi?

Respondeo. Tertium præceptum Decalogi in Deuteronomio C. 5. v. 12. sic habet: *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus dies Sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu & filius tuus, & filia, servus, & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus, qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus & ancilla tua, sicut & tu. Memento, quod & ipse servieris in Ægypto* (sine requie,) *& eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Idcirco præcepit tibi, ut observares diem Sabbati.* In hoc præcepto non fit mentio alterius motivi, nisi ut detur requies servo, & ancillæ, & aliis hominibus. Sed in Exodo C. 20. v. 10. insinuatur aliquod motivum sacrum, nempe rememoratio beneficii *creationis*, haud dubie per actus congruos gratitudinis & cultus externi. Textus sic habet: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum & advena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei*

Sabbati & sanctificavit eum. Cum ergo benedictio & sanctificatio rerum ex more divino in Scriptura usurpato sit quædam sacratio rerum & deputatio ad cultum divinum, manifestum est, quod dies septimus hebdomadæ fuerit deputatus ad cultum divinum.

Quæritur 2. An sanctificatio diei Dominicæ sit juris divini?

Respondeo. Sanctificatio diei Dominicæ *quoad substantiam* est juris divini, sed quoad modum, seu determinationem temporis est juris positivi Apostolici. Id probatur ex eo, quia dies Dominica fuit ab Apostolis substituta diei Sabbati. Ergo sicut dies Sabbati fuit institutionis divinæ ante legem Mosaicam a principio mundi in lege naturæ, ita etiam dies Dominica erit quoad substantiam anticipati juris divini, cum subrogatum sapiat naturam illius, cui subrogatur. Quod autem dies Dominica fuerit subrogata diei Sabbati ab Apostolis saltem in gentibus, imo etiam apud Judæos post eversionem Jersolymæ, colligitur ex Apocalypsi C. 1. ubi S. *Joannes* scribit: *Fui in Spiritu in Dominica die*. Cum autem anno post mortem Christi vigesimo apud Judæos & Gentiles ad fidem conversos adhuc esset diversa observantia, illis diem Sabbati, his diem Solis celebrantibus. D. Paulus in 1. Epist. ad Cor. C. 16. indifferenti termino usus scribit: *Per unam Sabbati collectæ fiant*.

Quæritur 3. An semper in Ecclesia extiterit mos assistendi in diebus Dominis Sacrificio Missæ?

Respondeo. Affirmative.

Id *probatur* 1. quia l. 7. *Constitutionum Apostolicarum* C. 31. dicitur: *Die resurrectioni Domini dicato, quem Dominicum dicimus, convenite assidue*. In illo autem Christianorum conventu Sacrificium Missæ oblatum fuisse, ex variis textibus Constitutionum illarum, & Justini M. aliorumque Patrum infra referendis constat.

Probatur 2. quia *Justinus* Martyr in Apologia 2. scribit: *Solis die communes cœtus & concursus facimus, quia hic est primus dies, quo Deus orbem condidit, & Christus a mortuis excitatus est*.

Quæritur 4. An semper in Ecclesia fuerit agnita gravis obligatio, diebus Dominicis assistendi Sacrificio Missæ?

Respondeo. Affirmative.

Id *probatur* 1. ex l. 2. *Constitutionum Apostolicarum* C. 59. ubi sic habetur: *Convenite in Ecclesiam singulis diebus mane & vespere ad canendum Psalmos, & precationes in templo Domini faciendas, potissimum autem die Sabbati & die Dominico, qui est dies resurrectionis, studiosius templum Domini adite, ut Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Christum. Quid enim apud Deum excusare poterit eum, qui eo die* (Dominico) *ad audiendum verbum Dei salutare de resurrectione non convenit? quo etiam die precationes tres stantes facimus, memores ejus, qui post triduum resurrexit, in quo insuper adhibentur lectio prophetarum, Evangelii prædicatio, oblatio sacrificii, & sacri cibi donum*.

Probatur 2. ex Concilio Illiberitano celebrato anno 300. quod Can. 21. sic habet: *Si quis in civitate positus tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat* (a Communione,) *ut correptus esse videatur*; Hunc Canonem non de Clericis, sed de laicis intelligendum esse, manifestum est ex testimonio Osii, Cordubensis Episcopi, qui illos Canones Illiberitanos ipsemet condidit. Is in Concilio Sardicensi, cui præfuit, Can. 14. sic ait: *Memini, superiori Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, id est, tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur*. Idem Decretum renovatur in Synodo VI. ubi Can. 18. dicitur: *Si quis nullam habeat graviorem necessitatem, vel negotium difficile, ut a sua Ecclesia absit frequentius, sed in civitate agens tribus diebus Dominicis una non conveniat, si Clericus est, deponatur, si laicus, a communione separetur*.

Probatur 3. ex Concilio Agathensi, celebrato anno 506. quod Can. 47. sic habet: *Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præci-*

cipimus, ita ut antè benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.

Probatur 4. ex Concilio Matisconensi, celebrato anno 585. ubi Can. 3. sic habetur: *Cognovimus, quosdam Christianos relicto fratrum cœtu a mandato Dei aliquibus locis deviasse, ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum Sacris Altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel vel cæteris justis offerentibus promereantur esse consortes. Omnes autem, qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur.*

Quæritur 5. An in Ecclesia semper fuerit præceptum abstinendi in diebus Dominicis a labore servili?

Respondeo. Affirmative.

Id *probatur* 1. ex Constitutionum Apostolicarum l. 8. C. 33. ubi author forte Ebionita, qui cum lege christiana miscere volebat observationem Sabbati, sic introducit D. Petrum & D. Paulum loquentem; *Ego Petrus & ego Paulus constituimus, ut servi quinque diebus laborent, Sabbato autem & Dominico die vacent in Ecclesia propter doctrinam religionis. Tota magna hebdomada & proxima sequenti vacent servi. Die ascensionis vacent, & in Pentecoste, & in die Natalis Domini, & in festo Epiphaniæ, & in diebus Apostolorum, & in die Stephani Martyris, & in reliquis diebus Sanctorum Martyrum*. Hæc fictio authoris, quod hanc constitutionem D. Petro & D. Paulo tribuat, & quod iis mandatum celebrandi indefinite dies Apostolorum & Martyrum tribuat, valde imperita est, apte tamen repræsentat morem Ecclesiæ sæculo secundo vel tertio.

Probatur 2. ex Concilio Laodiceno, celebrato sub Sylvestro Papa circa annum 320. ubi Can. 29. dicitur: *Non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari, sed ipos eo die otiari, diem autem Dominicum præferentes otiari, si modo possint, ut Christianos. Quod si inventi fuerint judaizantes, sint anathema apud Christum.*

Probatur 3. Ex Innocentio I. qui Epist. 1. n. 4. sic scribit: *Diem Dominicum ob resurrectionem Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum. -- Apostoli die Dominico exhilarati non solum ipsum festivissimum esse voluerunt, verum etiam omnes per hebdomadas frequentandum esse duxerunt*. Festivitatem autem dierum sacrorum partialiter in abstinentia ab opere servili consistere debere, etiam gentiles agnoverunt. *Cicero* l. 2. de Legibus scribit: *Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in servis operum & laborum*. Et Lucianus *in Epist. Satur. Ne quid intra festi tempus agito, neque publicum neque privatum, nisi quæ ad lusum, quæ ad voluptatem animique oblectationem pertinebunt*. Ita hi duo Scriptores Ethnici. Plures textus in hanc rem require q. sequente.

Quæritur 6. Quales labores sint interdicti in diebus Dominicis?

Respondeo. In diebus Dominicis prohibiti sunt omnes labores serviles non necessarii. Ad labores autem serviles non solum referuntur *opera pure servilia* mancipiis propria; sed etiam *labores* ex suo genere *mercenarii*, pro salario ad victum diurnum necessario, exhiberi soliti, & agricolarum, civium, artificum, vel famulorum viliora opera. *Non necessarii* autem dicuntur, qui nullius gravis negotii expediendi, aut damni notabilis præcavendi, aut inhonestatis vitandæ causa suscipiuntur. Hæc omnia ex sequentibus Patrum & Conciliorum textibus luculentius patebunt.

Nam 1. S. *Augustinus* Serm. 251. de temp. ait: „ Dominicum diem Apo-
„ stoli & Apostolici viri ideo *religiosa*
„ *solennitate* habendum esse sanxerunt,
„ quia in eodem Redemptor a mortuis
„ resurrexit, quibus ideo Dominica ap-
„ pellatur, ut in eo *terrenis operibus vel*
„ *mun-*

„ *mundi illecebris* abſtinentes tantum „ divinis cultibus ſerviamus. Ideo ſancti „ Doctores Eccleſiæ decreverunt omnem „ gloriam Judaici Sabbatiſmi in illam „ transferre, ut quod ipſi in figura, „ nos celebraremus in veritate. Obſervemus ergo diem Dominicum, & „ ſanctificemus illum, *ſicut antiquis* „ *præceptum eſt* de Sabbato. Videamus, „ ne otium noſtrum vanum ſit, ſed ad „ veſperam diei Sabbati uſque ad veſperam Dominici diei *ſequeſtrati a rurali opere & ab omni negotio* vacemus.

2. *Concilium Antiſiodorenſe* anno 578. Can. 16. ait: „ Non licet die Dominico „ boves jungere, vel alia opera exercere, niſi pro cauſis conſtitutis.

3. *Concilium Matiſconeſe* anno 585. Can. 1. „ Vidimus populum Chriſtianum temerario more diem Dominicam contemptui tradere, & ſicut in „ privatis diebus *operibus continuis* indulgere. Propterea per hanc ſynodalem noſtram Epiſtolam decernimus, „ ut unuſquiſque in ſacroſanctis Eccleſiis admoneat ſibi ſubditam plebem. Et ſiquidem admonitioni conſenſum præbuerint, ſuis proderunt „ utilitatibus; ſin autem, ſubjacebunt pœnis a nobis divinitus definitis. Omnes „ itaque Chriſtiani cuſtodite diem Dominicam. Nullus veſtrum litium fomitibus vacet; nullus cauſarum actiones exerceat; nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ jugum cervicibus juvencorum imponere cogat. „ Eſtote omnes in hymnis & laudibus „ Dei intenti. Si quis proximam habet Eccleſiam, properet ad eandem, „ & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat. Sint oculi manuſque veſtræ toto illo die ad „ Deum expanſæ. Si quis itaque veſtrum hanc ſalubrem exhortationem „ parvi penderit, aut contemptui tradiderit, ſciat, ſe pro qualitatis merito principaliter a Deo puniri, & deinceps ſacerdotali quoque iræ implacabiliter ſubjacere. Si cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam omittet „ (hoc eſt, advocationem); ſi ruſticus „ aut ſervus, gravioribus fuſtium ictibus verberabitur; ſi Clericus aut monachus, ſex menſibus a conſortio fratrum ſuſpendetur.

4. *Concilium* Cabillonenſe anno 650. Can. 18. „ Non aliquid novi condentes, ſed vetera renovantes conſtituimus, ut in die Dominico ruralia opera, id eſt, arare, ſecare, menſes metere, exartos facere (hoc eſt, frutula „ in ſylvis eradicare) vel quidquid ad culturam ruris pertinet, nullus penitus „ præſumat. Quod qui inventus fuerit faciens, ſub diſciplina diſtrictionis omnimodis corrigatur.

5. *Concilium Arelatenſe* IV. C. 16. „ Ne in Dominicis diebus publica mercata, neque cauſationes, diſceptationeſque exerceantur, & penitus a rurali & ſervili opere ceſſetur, his ſolummodo peractis, quæ ad Dei cultum, & ſervitium pertinere noſcuntur.

Concilium Turonenſe III. C. 40. Interdicatur, ne mercata & placita, (hoc „ eſt, judicia ſummariſſima, ſeu arbitria ſolennia) uſquam fiant in Dominica, qua oportet omnes Chriſtianos „ a ſervili opere in laude Dei & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare." Similia habentur in pluribus aliis Conciliis.

Quæritur 7. An diebus Dominicis prohibeantur etiam aliæ actiones profanæ præter opera ſervilia?

Reſpondeo. Præter actus judiciales & opera ſervilia in variis Conciliis prohibentur, aut tanquam jure naturali vel divino prohibenda, cenſentur 1. *Ludi theatrales profani, præſertim periculoſi*. Sic in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Can. 61. dicitur: *Nec non & illud* (ab Imperatoribus) *petendum, ut ſpectacula theatrorum, cæterorumque ludorum, die Dominica, vel cæteris religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoveantur*. Childebertus Rex Galliæ ſæculo ſexto ad inſtantiam Epiſcoporum prohibuit choreas, dum hæc ſancivit: *Quia ad nos quærimonia proceſſit, multa ſacrilegia in populo fieri, unde Deus lædatur, & populus per pecatum declinet ad mortem*, no-

noctes pervigiles cum ebrietate, scurrilitate, vel canticis, etiam in ipsis sacris diebus, Pascha, Natale Domini, & reliquis festivitatibus, vel adveniente die Dominico Dansatrices per villas ambulare; hæc omnia, unde Deus agnoscitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicunque post commonitionem Sacerdotum, vel nostrum præceptum, sacrilegia ista perpetrare præsumpserit, si servilis persona est, centum ictus flagellorum ut suscipiat jubemus. Si vero ingenuus aut honoratior forte persona, est districta inclusione digna. Sunt hi autem in pœnitentiam redigendi, ut qui salubria & a mortis periculo revocantia verba audire contemnunt, cruciatus saltem corporis eos ad desiderandam mentis valeant reducere sanitatem.

Quæritur 8. Quænam primis Ecclesiæ temporibus non fuerint prohibita?

Respondeo. Illis temporibus non erant prohibitæ itinerationes equis, aut vehiculis, aut pertinentia ad nitorem domus, &c. *Concilium Aurelianense III.* anno 538. C. 28. sic habet: *Quia persuasum est populis, die Dominico agi cum caballis, aut bubus, & vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur, statuimus, ut die Dominico, quod ante licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est, aratro, vel vinea, vel sectione, messione, excussione, exarto, vel sepe, censuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam convenientes orationis gratiæ vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt, se exercere, qualiter emendari debeat, non in laici districtione, sed in sacerdotis castigatione consistat.* Et in Concilio Narbonensi anno. 589. Can. 4. *Omnis homo, tam ingenuus quam servus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Judæus, die Dominico nullam operam faciant; nec boves jungantur, excepto, si in mutando* (forte, jugando, & jungendo) *necessitas incubuerit. Quod si quis præsumpserit facere, si ingenuus est, det comiti civitatis solidos sex; si servus, centum flagella suscipiat.* Cum in priori textu dicatur: *Quod ante licuit, liceat*, quæri meretur, quid ergo in Gallia ante annum 538. licuerit? Respondeo; in Gallia ante invasionem Francorum Orientalium, quæ facta est in fine sæculi quinti, viguisse leges Imperatorum Romanorum. Quid autem per leges Imperatorum Romanorum connivente Ecclesia licuerit, vel non liceat, patet ex legibus Imperatorum. *Theodosius* Imperator l. *ut in die*, 2. de Feriis sic scribit: *Ut in die Dominico emancipare ac manumittere liceat; reliquæ causæ vel lites quiescant. Sanctum quoque diem Paschæ, & diem Natalis Domini, & Ephiphaniæ, septem qui præcedunt, & qui sequuntur, sine strepitu volumus observari. Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.* In l. *omnes judices*, 4. de Feriis *Constantinus* Imperator sic scribit: *Omnes Judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit, ut nos aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa.* Hæc general s moderatio videtur ab Imperatore concessa intuitu regionum orientalium, ubi rariores sunt pluviæ, ferendis agris idoneæ.

Quæritur 9. An ludi theatrales profani in diebus Dominicis & festis de præcepto sint etiam jure naturali ac divino prohibiti?

Respondeo. Ejusmodi ludi profani sunt etiam jure naturali ac divino ad minimum sub peccato veniali prohibiti, nisi excuset per Epikiam solennitas publica, v. g. ob victoriam contra infideles. *Ratio* est, quia in eo, quod etiam Imperatores, Reges, Principes, & ipsi hæretici Magistratus tanquam rem, sacratis jure naturali ac divino ad cultum divinum diebus valde incongruum uniformiter respiciunt, haud dubie continet aliquam indecentiam intrinsecam saltem venialiter peccaminosam. Sed hoc contingit circa ludos theatrales profanos,

prout ex ſequentibus legibus Imperialibus ac regiis conſtat. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius in l. *omnes dies* 7. de Feriis ſcribunt: „ In diebus Paſchæ, Natalis, atque Epiphaniarum „ Chriſti, & quo tempore commemoratio Apoſtolicæ paſſionis (Petri & „ Pauli) celebratur, debent jura differri, in quibus etiam prædictis ſanctiſſimis diebus neque ſpectaculorum copiam reſeramus. In eadem obſervatione numeramus & dies ſolis, quos „ Dominicos rite dixere majores. " Et C. *dies feſtos*, de Feriis *Leo* & *Anthemius* Imperatores ſic ſcribunt: „ Dies „ feſtos majeſtati altiſſimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, „ ut a cunctis executionibus excuſetur, „ nulla flagitetur exactio, reſpirent a „ controverſiis litigantes, habeant fœderis intervallum, ad ſeſe ſimul veniant adverſarii nihil metuentes. Nec „ hujus tamen religioſi diei otia relaxantes obſcœnis quenquam patimur „ voluptatibus detineri. Nihil eodem „ ſibi vendicet Scena theadralis, aut „ Circenſe certamen, aut ferarum lachrymoſa ſpectacula. Amiſſionem militiæ, proſcriptionemque patrimonii „ ſuſtinebit, ſi quis hæc, quæ hac lege „ ſtatuta ſunt, temeranda duxerit. " Similes leges ſunt Regum Galliæ, prout videri poteſt in *Dictionario caſuum conſcientiæ Pontaſii* Tit. *Dies Dominici*.

Quæritur 10. Qua hora incipiat obligatio feſtorum?

Reſpondeo. Antiquitus ubique incipiebat ea obligatio a veſpera diei profeſti uſque ad veſperam ipſius feſti. Ea obſervantia durabat adhuc ſæculo decimo tertio, ſed tandem conſuetudine variarum regionum, v. g. Germaniæ introductum eſt, ut ea obligatio inciperet a medio noctis uſque ad medium noctis alterius diei. Ex veteri autem obſervatione promanaſſe exiſtimo, quod plebs in variis locis jam die Sabbati ad veſperam ex devotione ferias incipiat, nonnullibi etiam cum ſuperſtitioſa opinione obligationis. Concilium Compendienſe relatum C. *omnes dies*, de Feriis, ſic habet: *Omnes dies Dominicos a veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere* (labore) *abſtinere*. Et *Alexander* III. C. *quoniam*. de feriis. *Licet ſcriptum ſit, de veſpera in veſperam celebrabitis Sabbata veſtra, feſtorum tamen principium & finis juxta eorum qualitatem & diverſarum regionum conſuetudinem debet attendi, & ſicut dierum magnitudo exigit, prius incipere & tardius terminari*.

Quæritur 11. Quænam cauſæ excuſent a lege abſtinendi a labore ſervili?

Reſpondeo. Excuſant duæ cauſæ, nempe *neceſſitas* & *pietas*. Ita *Gregorius* IX. in C. *conqueſtus*, de feriis, ubi ſic ſcribit: *Debet judicialis ſtrepitus diebus quieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti, ſcilicet Dominicis, cæteriſque ſolennitatibus, quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Diœceſibus cum Clero & populo duxerint ſolenniter venerandas, quibus utique ſolennibus feriis, niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat, uſque adeo convenit ab hujuſmodi abſtinere*. Hinc etiam *Alexander* III. in C. licet, de feriis, ſcribit: *Licet tam veteris quam novi teſtamenti pagina ſeptimum diem ad humanam quietem ſpecialiter deputaverit, & tam eum, quam alios dies majeſtati altiſſimæ deputatos, nec non natalitia Sanctorum Martyrum Eccleſia decreverit obſervanda, & in his ab omni opere ſervili ceſſandum, indulgemus, ut liceat paræcianis veſtris diebus Dominicis, & aliis feſtis, præterquam in majoribus anni ſolennitatibus, ſi Alecia terræ ſe inclinaverint, eorum captioni ingruente neceſſitate intendere, ita quod poſt capturam Eccleſiis circumpoſitis & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem*. Ex his patet; Eccleſiam nolle obligare ad abſtinendum a labore ſervili, ubi intercedit motivum *neceſſitatis* pro evitando damno notabili, aut *pietatis* pro juvando proximo, indigente ad notabile damnum evitandum, vel reſpective notabile lucrum aquirendum.

Quæritur 12. Quantum temporis in la-

labore servili constituat peccatum mortale?

Respondeo. Juxta communiorem sensum Doctorum duæ horæ in die festo pro labore servili nullo concurrente motivo necessitatis vel pietatis impensæ sufficiunt ad constituendum peccatum mortale. Cum ergo sensus communior Doctorum circa leges Ecclesiasticas formet consuetudinem majoris partis Ecclesiæ, in hac materia communiori sensui Doctorum insistendum est. *Catalanus part.* 2. q. 13. c. 4. n. 3. scribit; *Duas horas attingere grave peccatum, neque Doctor classicæ notæ reperitur, qui tale spatium concedat*. Attamen concurrente aliquali motivo necessitatis aut pietatis, quamvis se solo insufficientis ad excusandum totaliter a labore servili, Confessarii aut Parochi in foro interno per Epikiam latius tempus connivere possunt sine exclusione pœnitentium a regno Dei; *Dixi connivere*, hoc est, tolerare, quin teneantur ejusmodi personis facere dictamen peccati, saltem mortalis.

Quæritur 13. Qualia opera vocentur proprie servilia? Et quænam dicantur liberalia?

Respondeo. Opera servilia vocantur, quæ principaliter perficiuntur labore manuum pro servitio corporis. Liberalia autem dicuntur, quæ principaliter perficiuntur labore mentis, hoc est, intellectus. Hujusmodi opera sunt opera artis pictoriæ, statuariæ, musicæ, scriptoriæ, &c. Cæterum an plus in opere reperiatur laboris manuum, quam laboris mentis, ex communi æstimatione hominum ac natura operis colligendum est.

Quæritur 14. An transcribere lucri seu mercedis causa sit opus servile die festo prohibitum?

Respondeo. Negative. *Ratio* est, quia hic labor potius est mentis, quam corporis. Si quis autem velit esse contentiosus; Respondeo, hunc laborem ex sensu communi Doctorum, qui scripserunt sæculo præterito ac nostro, non æstimari servilem. Cum ergo sensus communis Doctorum praxin formet, seu consuetudinem majoris partis Ecclesiæ, & ea consuetudo non vergat in corruptelam morum, aut abusum, aut scandalum, huic consuetudini Ecclesiæ insistendum est. In specie hac pro sententia referuntur *Lud. Lopez*, *Suarez*, *Fagundez*, *Bonacina*, *Palaus*, &c.

Quæritur 15. An pingere, vel delineare ædificium pertineat ad opera servilia die festo prohibita?

Respondeo. Distinguendo inter Picturas. Nam picturæ nullius ferme studii, quæ facile conficiuntur ex habitu artis sine magna attentione vel intensione, pro pretio, vel ad vendendum, referendæ sunt ad opera servilia. Sed picturæ magni studii, quæ indigent perpetua inventione, intensione, & attentione magna, non pertinent ad opera servilia. Delineatio autem ædificiorum, cum concurrat perpetua inventio, aut intensio, vel magna attentio ad combinationem plurimarum notabilium partium, manifeste pertinet ad laborem potius mentis quam corporis. Imo licentiam hujus laboris, nec vergentis ad abusum, aut scandalum, aut corruptelam morum, demonstrat praxis timoratorum, saltem in Germania. *Neque exinde sequitur*, quod etiam licitum foret sculptio imaginis, aut conflatio statuæ ex ære, manifestum enim est, in conflatione statuæ ex ære, & in sculptione imaginis parum artificiosæ plus respici in æstimatione communi laborem corporalem, quam mentalem.

Quæritur 16. An venatio, aucupatio, & piscatio sint opera servilia die festo prohibita?

Respondeo 1. Venationes, aucupationes, & piscationes, quæ a plebeis fiunt lucri causa, pertinent in æstimatione morali ad opera servilia die festo prohibita. Ita sentit communis Doctorum.

Respondeo 2. Venationes, aucupationes, & piscationes, quæ fieri nequeunt sine magno labore ministerialium, præsertim venationes strepitosæ, referendæ sunt in classem operum servilium, etiamsi fiant solius recreationis causa. Quamvis enim in classem operum servilium forte

te non ſint referendæ *ob identitatem naturæ*, ad eam tamen claſſem revocandæ ſunt *ob paritatem rationis*, cum in æſtimatione morali conſimiles operentur effectus, quos operantur ſervilia opera, & ratione quorum illa opera ſervilia prohibentur. Nam in primis reddunt *ex ſuo genere* hominem ad cultum divinum pro die feſto indiſpoſitum, dein *poſitive* avocant mentem a vero cultu divino tam interno quam externo, ſaltem ex ſuo genere reſpectu potioris partis hominum, tertio ex ſuo genere vergunt in corroptelam morum quoad punctum reverentiæ diebus feſtis debitæ, denique etiam pariunt ſcandalum in populo rebus divinis intento. Ita etiam ſentiunt, teſte Catalano, Suarez, Fagundez, Toletus, Palaus.

Reſpondeo 3. Venationes tamen, aucupationes, & piſcationes, quæ ſolius cauſa recreationis fiunt ſine magno labore ac numero miniſterialium, ſi fiant ſine neglectu divinorum, ſine ſcandalo, & exiguo tempore, culpam venialem non excedunt. *Ratio* eſt, quia licet ejuſmodi actiones quandam deordinationem importent, non tamen cenſetur Eccleſia graviter invita, ſi raro fiant, & tempore matutino non omittatur auditio Sacri & auditio verbi divini.

Reſpondeo 4. Si tamen cum venatione, aucupatione, vel piſcatione etiam ſtrepitoſa concurrat *notorium motivum neceſſitatis vel pietatis* in caſu extraordinario, permitti poſſunt. Monet tamen Pontifex, ut fiant ſaltem cum notoria commutatione in aliud opus pium. Ita colligitur ex Reſponſo *Alexandri* III. ſuperius relato q. 11. Quænam autem cauſæ ad motivum pietatis referendæ ſint, particulari cujuslibet conſiderationi relinquitur.

Quæritur 17. An exercitationes militares publicæ ſint opera ſervilia die feſto prohibita?

Reſpondeo. Ejuſmodi exercitationes militares pertinent ad opera ſervilia non ſolum ob paritatem rationis, ſed etiam ob identitatem naturæ. Ita Suarez, Fagundez, Palaus. *Ratio* eſt, quia pertinent principaliter ad exercitationem potius corporis quam mentis, ſaltem ex parte gregariorum, eædemque nec referunt, nec ex ſuo genere facile compatiuntur animum ad cultum divinum tempore pomeridiano diſpoſitum. Poſſunt tamen tolerari concurrente motivo *neceſſitatis*, v. g. tempore ingruentis belli, vel *pietatis*, v. g. ut ejuſmodi homines retrahantur a compotationibus, choreis, laſciviis, & aliis vitiis, die feſto uſitatioribus, vel ut juventus, aliis diebus impedita, exerceatur in armis pro defenſione patriæ.

Quæritur 18. An die feſto liceat resarcire veſtimenta, calceamenta, &c. nere, vel alios ejuſmodi labores domeſticos quietos aſſumere pro ſe vel aliis pauperibus?

Reſpondeo 1. Si hujuſmodi labores ancillæ, aut famuli pauperes aſſumant pro ſeipſis, aut ſi matres ac viduæ eos aſſumant pro ſua paupere familia, ex motivo pietatis recte permittuntur. Idem dicendum, ſi artifices, v. g. ſartores, ſutores, netrices, &c. in hujuſmodi laboribus unam vel alteram horam inſumant gratis ſine mercede ſolita competente pro pauperibus, v. g. ancillis, famulis, viduis, familiis. Ratio eſt, quia Eccleſia non prohibet obſequia charitatis, in quantum nil detrahunt cultui divino debito, nempe officio divino publico, & auditioni verbi divini, & honeſtati ſolennitatis publicæ, nec vergunt in corruptelam morum, vel ſcandalum.

Reſpondeo 2. Ejuſmodi labores etiam permittuntur cauſa *neceſſitatis* vel *honeſtatis publicæ*, v. g. ſi immineat ſolennitas feſtiva, vel nuptialis, aut urgeat inſtans iter, vel inſtet apud textores, molitores, fullones, inſolatrices, &c. ſolicitatio vehemens poſtulantium operam pro opportunitate commercii, aut rei œconomicæ, dummodo non negligantur divina ex lege vel conſuetudine debita, aut ſolita.

Reſpondeo 3. Ejuſmodi tamen labores non permittuntur fallendi ſolum otii cauſa, niſi concurrat ſpeciale motivum pietatis. Otium enim falli etiam poteſt aut viſitatione Eccleſiarum, aut preci-

bus, aut lectione, aut labore aliquo domestico quieto gratuito in juvamen pauperum, v.g. nendo pro pauperibus, vel ornatu Ecclesiarum pauperum, vel pro decore vestium sacrarum, & hujusmodi.

Quæritur 19. Quænam diebus festivis licitæ sint actiones liberales?

Respondeo. Licitum est 1. exercere actiones jurisdictionis voluntariæ, v. g. emancipare filios, adoptare, servos manumittere, convocare cives ad consilia, eligere officiales ad regimen civitatis, testamenta conficere, eligere tutores pupillorum, constituere ministros seu administratores bonorum Ecclesiæ, concedere privilegia aut dispensationes. 2. Actiones omnes indifferentes ad exhilarationem animi vel restaurationem virium, vel curarum & laborum levamen idoneæ, dummodo non vergant in corruptelam morum, aut scandalum, aut præjudicium divini officii ex lege vel consuetudine debiti. Quænam autem actiones, si intra justos limites coerceantur, huc juxta morem diversarum regionum referri mereantur, ex consideratione circumstantiarum dependet. 3. Licitum etiam est, exercere actiones lucrosas, quæ principaliter ab intensione mentis seu intellectus dependent, v. g. delineare imagines, ædificia, fortalitia, statuas, novas formulas artium, &c. quia hæc omnia, si tantum una vel altera hora fiant, neque ob paritatem rationis, neque ob identitatem naturæ in classem operum servilium referri merentur. 4. Ludi theatrales instructivi ad pietatem, scientiam, artem, vel honestatem morum. Alii tamen ludi solum idonei ad movendum irrationalem risum, aut ingenerandam complacentiam circa verba & facta honestis moribus christianis indigna, non solum festis cultui divino dicatis, sed etiam diebus ferialibus prohibendi sunt.

Quæritur 20. Quales in diebus festis prohibeantur actus judiciales? aut forenses?

Respondeo. Prohibentur 1. *Omnes mercatus non necessarii ex motivo necessitatis publicæ*. Quinam autem necessarii vel non necessarii sint causa necessitatis publicæ, lex, aut consuetudo locorum determinat. Sic consuetudine permittuntur in diebus festis Nundinæ solennes, concessæ privilegio principum vel magistratuum, aut etiam nundinæ hebdomadariæ intra justos limites ad tempus pomeridianum restrictæ sine strepiru platearum publico. Mercatus nomine venirent quidem etiam omnes *contractus solennes* coram judice vel Notario, videlicet emptionum, venditionum, locationum, permutationum, &c. sed consuetudine etiam his derogatum est in variis regionibus. Sic enim Catalanus de sua Hispania testatur, bona pupillorum, & bona mortuorum subhastari publica voce præconis, proventus Ecclesiarum publice vendi, prædia beneficiorum locari, &c. 2. Prohibetur *placitum*, seu judicium forense summarissimum solenne ac publicum per modum compromissi, vel arbitrii, quod tamen in nostris provinciis jam a duobus sæculis exolevit, forte melius revocandum. 3. *Judicium criminale*, nisi urgeat necessitas publica, aut vigeat contraria consuetudo rationabilis, prout contingit in exercitibus, ubi aut defectus carcerum, aut urgens ratio statuendi exemplum, aut motio castrorum petit accelerationem processus. 4. *Exactio juramenti judicialis*, sive exigatur in causa criminali, sive civili. Juramenta enim extrajudicialia non pro causis solum forensibus, sed etiam pro aliis negotiis, vel mercatibus alioquin per legem vel consuetudinem licent. Ratio est, quia, prout Cajetanus observat, prohibitio Ecclesiæ loquitur de Sacramento seu juramento relativo ac connexo ad actus judiciales. 5. Prohibetur citatio rei, & executio citationis, quæ insuper annullantur per C. ult. de feriis & l. ult. Cod. de feriis. Idem dicendum, si citatio & insinuatio citationis factæ sint die profesto cum obligatione comparendi die festo, prout Abbas, Bartholus, Suarez, Azor, & alii observant. Responsio etiam a Catalano extenditur ad casum, quo judex reum citat in loco rei, ubi celebratur festnm, etiamsi in loco Judicis non sit dies festus. Favor enim

enim a lege concessus est reo, ne avocetur a divinis. 6. Prohibetur processus judicialis, qui præcipue consistit in examine, depositione testium & productione documentorum. Hæc prohibitio, ut Suarez, Reginaldus, Bonacina, & Palaus censent, extenditur etiam ad causas spirituales, nisi in quantum consuetudo, vel in casu extraordinario fortius motivum pietatis petit. 7. Prohibetur sententia & ejus executio non solum in causa criminali, sed etiam civili. Hac tamen prohibitione non comprehenditur sententia per modum arbitrii vel compromissi facta ab Arbitro, lata sine ordine juris in cognitione causæ, nec alii actus jurisdictionis voluntariæ, qui non requirunt strepitum judicialem. Multo minus illa prohibitione involvuntur sententiæ excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, prout cum Suarezio tuetur communior Doctorum. 8. Prohibetur etiam executio sententiæ in causa tam civili quam criminali, cum ea executio sit ultimum complementum strepitus judicialis. Ita denuo censet cum Suarez communior Doctorum. Per hoc tamen juxta communiorem non prohibetur appellatio in die festo.

Quæritur 21. Qualia opera liceant titulo religionis seu pietatis erga Deum?

Respondeo 1. Titulo religionis seu pietatis erga Deum licent *opera per se ac immediate ordinata ad cultum divinum*. Talia sunt pulsare instrumenta musica, præferre crucem & his similia. Ita communis.

Respondeo 2. *Opera præparantia proxime ad cultum divinum, si commode fieri possint in die profesto, non licent in ipso die festo*. Si tamen ex aliqua negligentia, seu causa non omnino sufficiente, differantur in diem festum, cum absolute adhibito majore labore potuissent perfici in profesto, ejusmodi labor *non facile excedit culpam venialem*. Si denique commode non potuerit ejusmodi præparatio perfici in profesto, vacat *omni prorsus culpa etiam veniali*. Ita teste Catalano sentit Cajetanus, Suarez, Azor, Fagundez, Bonacina, Palaus, & alii. Tales labores sunt, si ornentur tapetibus templa, si laboriose præparentur altaria, si conficiantur picturæ requisitæ ad solennitatem, si everrantur sordes templi, si mundentur viæ publicæ.

Respondeo 3. *Opera* solum remote & accidentaliter spectantia ad cultum Dei non licent die festo. Talia opera sunt aptare agros Ecclesiæ, portare aut advehere lapides ad Ecclesiam construendam, conficere calices, aut alia vasa spectantia ad cultum divinum, construere Ecclesiam &c. Ita Suarez cum communi. Aliud dicendum, si concurrat motivum necessitatis, ita ut alioquin ob dilationem timeretur grave damnum Ecclesiæ. In tali enim casu Episcopus vel in ejus defectu Parochus per Epikiam posset dare facultatem laborandi.

Quæritur 22. Qualia opera liceant titulo pietatis erga proximum?

Respondeo. In die festo titulo pietatis erga proximum licent opera *per se pia*, non autem opera ex se servilia, solum autem *per accidens pia*. *Per se*, seu *ex se pia* vocantur, quæ ex suo genere fieri nec solent nec petunt, nisi ex motivo virtutis, licet materialiter spectata videantur esse opera servilia. Talia sunt ultro servire infirmis, gratis sepelire mortuos. *Per accidens pia* dicuntur, quæ ordinarie nec solent nec petunt fieri ex motivo virtutis. Talia sunt congerere lapides ac ligna ad ædificandum pium locum, pontes sternere, aut vias pro bono viatorum &c. Si enim ista licerent, etiam licite quis operaretur, unde possit largiri eleemosynas. Itaque in ejusmodi rebus observandus est ordo charitatis erga Deum, seipsum, & proximum ab Ecclesia præstabilitus.

Quæritur 23. Quinam labores communiter pro licitis habeantur a Doctoribus in die festo?

Respondeo. Pro licitis habentur labores sequentes. 1. Comparatio ac præparatio victualium, v. g. si comparentur & coquantur carnes, etiam ultra absolutam necessitatem naturæ. Nec prohibetur simul eadem occasione com-

paratio victus & potus sufficientis in sequentes dies. Idem extenditur ad collectionem fructuum ad mensam sufficientium, & excoriationem animalium, ut fructus & carnes recentiores ac saniores sint. 2. Confectio panis a pistoribus, si priores panes non sint sufficientes, aut non satis idonei. Idem dicendum de confectione farinæ per molitores, si ob concursum non possit omnibus satisfieri diebus profestis, præsertim si utantur vento vel aqua ad molendinum, cum sic parum laboris requiratur. Secus dicendum, si brachiis & pistillo, vel alia machina laboriose ab hominibus agitanda uterentur. Tunc enim solum excusaret specialis necessitas vel pietas. 3. Præparatio medicamentorum per Medicos, Chirurgos, ac Pharmacopolas, si commode differri nequeat. 4. Refectio pontium, fontium, & viarum publicarum, si absque gravi damno differri nequeunt. Sic etiam excusantur remigantes, muliones cum mulis onustis iter agentes, muros, foveas, aggeres ad defensionem in bello construentes, tormenta bellica disponentes, fabri ferrarii ferreas equorum soleas accommodantes pro itinerantibus aut alia *necessitate honestatis*, laborantes occasione publicæ lætitiæ v. g. theatra construendo, vestes vel instrumenta communis lætitiæ conficiendo. 5. Illi, qui ob necessitatem propriam vel alienam segetes metunt, fœnum asportant, fructus colligunt, triticum sub cœlo aperto per boves a paleis purgant, ne ingruente pluvia vel alia ex causa corrumpantur. Ex hoc motivo etiam plura opera incæpta in die profesto continuari possunt die festo, si ex interruptione grave damnum sequeretur. Sic continuari potest decolatio æris, ferri, vitri, aut concoctio calcis, laterum, & similium. Similiter excusantur, qui tempore autumnali conserunt agros, si timeant amittere opportunitatem utiliter ferendi. In his tamen cavendum est scandalum, ad quod evitandum requiritur, ut saltem peritis sit & appareat *necessitas notoria*. 7. Laborantes in piscatione tynnorum, alecium, & similium piscium transeuntium, quorum jactura causaret grave damnum bono communi. 8. Laborantes ex metu gravis mali, prout aliquando contingit in servis, ancillis, uxoribus, liberis, dum compelluntur laborare ab hero, marito, vel parente. Si tamen laborandum sit ex obedientia solum, considerandum erit, an opus injunctum sit *certo prohibitum*, & num *certum sit, abesse omnem causam excusantem;* Si enim utrumque certum sit, per se, si absit metus gravis mali, non licet obedire imperanti. Si autem alterutrum horum duorum requisitorum sit dubium, poterit quidem & debebit eousque obediri, donec occurrat opportunitas interrogandi Confessarium, vel Parochum, vel alium virum doctum. Nam oblata opportunitate interrogandi datur obligatio interrogandi, ut procedatur secure. Facta autem declaratione, quod non liceat obedire, monendus est a subdito imperans de facta ejusmodi declaratione, & si nolit se tali declarationi conformare, sed pergat imperare prohibita, denuntiandus est parocho vel alteri Superiori, aut petenda est dispensatio ad licite obediendum.

Quæritur 24. An sustentatio congrua sui & suæ familiæ sit causa sufficiens ad excusandum a præcepto abstinendi a labore servili?

Respondeo. Affirmative, si aliunde non possit sublevari ejusmodi necessitas. In tali autem casu pro conditione requirendum, ut dispensandus saltem audiat Sacrum & Verbum divinum, ut vitet omni possibili modo scandalum, si ejus indigentia non fuerit notoria, atque ut laborando non transgrediatur limites necessitatis, nec impendat plus temporis, quam fuerit necessarium ad procurandum sustentationem congruam. Pro hac responsione citantur Azor, Suarez, Toletus, Fagundez, Bonacina, Palaus.

Quæritur 25. Quid agendum, si fuerit dubium, an causa sit sufficiens ad laborandum die festo?

Respondeo. Petenda est vel declaratio, vel dispensatio a Superiore legitimo. Si autem neutra commode haberi possit, cessante periculo gravis damni vel in-

incommodi in casu dubii stricte dicti *per se* parendum est legi prohibenti, ut supponitur, certæ. In praxi tamen, si dubium stricte dictum sit, an lex se extendat ad ejusmodi particulares extraordinarias circumstantias, non posset peccati condemnari operans in tali dubio, quia lex quoad suam extensionem spectata non apparet credibilior seu probabilior operanti, quod tamen requiritur ad obligationem legis, prout ostensum est in Tract. de Conscientia, & in Tract. de Legibus.

Quæritur 26. Quisnam habeat potestatem dispensandi ad laborandum die festo?

Respondeo 1. Pro festis de præcepto pro tota Ecclesia potestas dispensandi competit soli Papæ. 2. Pro festis Diœcesanis, & pro casibus, in quibus non potest adiri Papa circa festa generalia, ea potestas competit Episcopo, prout ostensum est in Tract. de Legibus. Ea vero dispensatio præcipue habet locum, quando dubium est, an causa sufficienter excuset ad laborandum absque dispensatione?

Quæritur 27. An etiam Parochi habeant potestatem dispensandi ad laborandum? vel alii Superiores?

Respondeo. Catalanus ad hanc quæstionem sic respondet. „ Quod dictum „ est de Episcopis, ampliatur ad ha„ bentes jurisdictionem quasi Episcopa„ lem, Abbates exemptos & Superiores „ respectu suorum subditorum, & Ca„ pitulum Sede vacante. Sic Glossa in „ C. *quamquam*, de Usur. in 6. Azor, „ Fagundez, Palaus. De Parocho ex „ recepta consuetudine & quando Epi„ scopus commode adiri non poterit, „ pariter loquuntur ac de supradictis, „ Azor, Suarez, Fagundez, Bonacina, „ & Palaus, quamvis dispensationem „ non possit concedere in perpetuum, „ sed ad tempus, cum consuetudine aqui„ ri possit jurisdictio quoad hanc facul„ tatem, & fideles remedio destitui non „ debeant.

Quæritur 28. Quid agendum, si nimia multitudo festorum videatur populo pauperi onerosa & damnosa?

Respondeo. In ejusmodi circumstantiis conveniendus est a Clero & Magistratibus, præsertim tempore Synodi, Episcopus, ut supplicet Papæ pro reductione festorum. Hujus autem reductionis postulandæ tres potissimum sunt modi. *Primus* potest esse, si dimidietur festivitas, ita ut tempus matutinum consecretur cultui divino, tempus autem pomeridianum laboribus. Et hic modus jam olim a Natione Germanica fuit propositus in Concilio Constantiensi, prout legitur *in Actis Ecclesiasticis* Lugduni editis. *Alter modus* potest esse, si festa transferantur in Dominicam sequentem. *Tertius modus* est, si festa incidentia in tempus æstivum vel autumnale transferantur in tempus hyemale. Hos tres modos SS. D. N. *Benedictus* XIV. per Epistolam ad omnes Episcopos scriptam reliquit eorum optioni, si vellent. Mihi *primus modus* præplacet, si simul Parochis conferatur potestas libera dispensandi vel commutandi quoad personas particulares circa legem abstinendi a labore servili.

Nec obstat, quod aliquis obiicit, hoc modo solum dimidiatum honorem præstandum fore Sanctis. Si ergo non placeret Canonicis, si illis tantum præberetur dimidiata præbenda, ita nec placiturum Sanctis, si illis tantum præbeatur dimidiatus cultus.

Respondeo enim, per hanc dimidiationem festi Deo & sanctis potius exhibendum fore *cultum integrum*, qui prius durante festo integro tantum exhibebatur dimidiatus. Prius enim cultus festivus mane Deo exhibitus permiscebatur tempore pomeridiano peccatis innumeris, cum tamen post dimidiationem maneat apud plerosque a labe purus. Secundus autem modus, ne ob innumeras Panegyres in honorem Sanctorum nimis raro prædicarentur Evangelia Dominicalia, sicque magis urgerentur accidentalia, quam essentialia Religionis, deberet quoad conciones limitari. Tertius modus mihi non placet, quia, cum tempore hyemali dies sint brevissimi, & aer frigidissimus, auditio verbi in Ecclesiis frigidis, & confessiones pœnitentium,

tium, ac communiones, & laborum apud artifices suspensio, foret plebi & Clero onerosa. Cæterum etiam primus modus posset variari juxta diversas circumstantias locorum & temporum. Posset enim populus adstringi solum ad audiendum Sacrum & Verbum divinum. Posset etiam Verbum divinum aliquando haberi tempore pomeridiano aut vespertino. Hæc autem omnia esse conformia menti Ecclesiæ ac Summorum Pontificum patet ex sequentibus Bullis SS. D. N. *Benedicti* XIV. quas ad finem hujus Tertii Præcepti subjicio. Hæc breviter attigisse sufficiat. Ex instituto enim de hac re publicare scripta prohibitum fuit omnibus in posterum a SS. D. N. *Benedicto* XIV.

Quæritur 29. Quis possit instituere festa?

Respondeo. Pro tota Ecclesia possunt festa institui a Summo Pontifice; Pro Diœcesi autem possunt institui ab Episcopo. Quod si autem Episcopus instituat festum Diœcesanum de Sancto necdum Canonizato pro tota Ecclesia, ejusmodi cultus non innititur definitioni infallibili, sed tantum præsumptioni moraliter certæ, aut alias probabiliori. De authoritate Episcoporum quoad facultatem instituendi festa scribit Gregorius IX. in C. *conquestus*, de Feriis, ubi sic habet: *Debet judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, scilicet Natalis Domini --- ac diebus Dominicis, cæterisque solennitatibus, quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo duxerint solenniter venerandas*. Dicitur; *cum clero & populo*, quia, cum institutio festorum aliquando possit præjudicare bono Reipublicæ, aut juribus particularium Ecclesiarum, non decet, ut Episcopi festa instituant sine consensu cleri & populi vel explicito vel saltem præsumpto.

Quæritur 30. An communitates, v. g. civitates, oppida, pagi &c. possint ex voto instituere festa?

Respondeo. Non possunt obligare in conscientia successores aut alios non consentientes voto ad observationem festorum. Ratio est, quia nec a Deo, nec ab Ecclesia habent jurisdictionem circa res immediate pertinentes ad cultum divinum. *Nec potest* dici, quod communitas in receptione novorum civium tacite inter conditiones receptionis ponat observationem festorum, quæ a Majoribus fuerunt promissa sub voto. Nam inprimis pagi, & plures aliæ communitates non habent jus recipiendi novos incolas, sed illi recipiuntur a Dominis prædiorum, vel domorum particularium. Dein, ubi communitatibus competit jus recipiendi novos cives, non est illis liberum, hæredibus ab intestato apponere quasvis conditiones extraneas ac impertinentes ad honestatem & Interesse status temporalis, alioquin possent indirecte obligare ad recitandum Breviarium, & omnia ea, ad quæ potest obligare Ecclesia. Itaque ejusmodi communitates, quæ simul cum jure recipiendi novos cives habent jurisdictionem in suos incolas, supposito, quod tacite velint obligare ad observationem festorum debitorum ex voto, tantum possunt obligare per legem pœnalem, eo quod materia, utpote immediate respiciens cultum divinum, non autem Interesse temporale, cui potius opponitur, non sit subjecta jurisdictioni temporali. In pagis autem, ubi communitatibus nulla competit jurisdictio temporalis, ne quidem possunt obligare sub pœna successores. *Dixi*, *hæredibus ab intestato*. Aliis namque de novo in communitatem recipiendis, qui nondum acceperunt jus civitatis, & bonorum a suis majoribus, licite apponunt novas conditiones, si volunt, quod tamen non expedit fieri, nec præsumitur factum, nisi de hoc constet.

Quæritur 31. An diebus festis detur obligatio etiam audiendi Verbum Dei?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex Concilio Tridentino Sess. 24. c. 4. ubi dicitur: *Prædicationis munus cupiens S. Synodus, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri mandat (Episcopis), ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per parochos, sal-*

ſaltem omnibus Dominicis & ſolennibus diebus feſtis, tempore autem jejuniorum & Adventus quotidie, vel ſaltem tribus in hebdomada diebus, ſi ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias, quotieſcunque id opportune fieri poſſe judicaverint. Moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.

Quæritur 32. An Parochiani diebus feſtis teneantur audire verbum Dei in Parochia propria?

Reſpondeo. Parochiani tenentur audire verbum Dei in Parochia propria, ubi per rationabilem, immemorialem, & indubitatam conſuetudinem huic legi non fuerit derogatum. Hinc cum in Eccleſiis ruralibus huic obligationi per legitimam conſuetudinem derogatum non ſit, etiamnum obligandi ſunt parochiani in pagis & oppidis minoribus, ut diligenter compareant ad concionem in Eccleſia parochiali. Id colligitur ex Declaratione Cardinalium, quam allegat *Gallemart* l. c. his verbis: *Ordinarius non poteſt per hoc Concilium mulctis & pœnis, etiam in cauſa notabilis negligentiæ aut contumaciæ cogere populum ad audiendum Miſſam & ſacram concionem in Eccleſia parochiali, etiamſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra civitatem.* Ipſa autem obligatio hæc probatur ex iiſdem textibus, quibus ſuperius fuit oſtenſum eſt, quod omnes fideles debuerint audire Miſſam diebus Dominicis ac feſtis in Eccleſia ſua parochiali. Certum enim eſt, primis Eccleſiæ temporibus ſolum unam Miſſam fuiſſe celebratam, ſub qua habebatur concio, ad quam reſtricta fuit obligatio. Sic l. 2. *Conſtitutionum Apoſtolicarum* c. 57. dicitur: *Oportet in Eccleſia accurate, ſobrie, vigilanter manere, attentas aures habentes ad Domini ſermonem, poſt hæc omnes ſimul aſſurgentes & ad orientem converſi Catechumenis & pœnitentibus egreſſis precentur Deum* &c. Et c. 59. *Potiſſimum die Sabbati & die Dominico ſtudioſius templum Domini adite. Quid enim apud Deum excuſare poterit eum, qui eo die ad audiendum verbum Dei non convenit? quo quidem die adhibentur lectio prophetarum, Evangelii prædicatio, oblatio Sacrificii & ſacri cibi donum.* 2. In *Concilio Carthaginenſi* 4. C. 24. dicitur: *Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.* 3. Authoritate S. *Caroli Borromæi*, qui in Concilio Mediolanenſi ſexto mentem Concilii Tridentini, cui ipſe interfuit, exponens ſcribit: *Nuper Sacra Tridentina Synodus ab Epiſcopo fideles non ſolum hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales Eccleſias, ſaltem Dominicis diebus, feſtiſque majoribus, accedant, ſed illud etiam diligenter oſtendit, unumquemque teneri, ubi commode fieri poteſt Parochiæ ſuæ intereſſe, ad audiendum verbum Dei, ac proinde id præterea ſtatuit, a Parochis animarumque curatoribus inter Miſſarum ſolennia aliquid ex iis, quæ in Miſſa leguntur, exponi, & Sanctiſſimi illius Sacrificii myſterium aliquod explanari, plebes ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſci, eaſque doceri, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem.*

Quæritur 33. An lex audiendi vebum Dei ſingulis Dominicis & feſtis reduci debeat etiam in Civitatibus & Oppidis majoribus, ubi reperitur neglectus?

Reſpondeo 1. Ut reducatur vetus obligatio audiendi verbum Dei in civitatibus, neceſſarium eſt, præſertim in iis locis, ubi prætermiſſo verbo Dei a plurimis paſſim leguntur libri profani, aut hæreticales, quin ab iis audiatur verbum Dei. Quis enim exinde fructus progerminari queat, niſi peſtifer ad ſubverſionem Religionis Catholicæ? Verum quidem eſt, quod multi excuſationem ſumere ſoleant ob inſipidum quorundam concionandi modum, utpote relicto verbo Dei prædicantium ferme ſolum devotiunculas ad ſalutem adiaphoras, revelationes mulierum, hiſtoriolas parum veroſimiles ac fidas, doctrinaſque ad quæſtum idoneas &c. Sed eoipſo Epiſcopis & aliis Superioribus eo major obligatio incumbit, corrigendi hos lapides offenſionis, & anſas prætextuum.

Quæritur 34. Quales causæ excusent ab auditione Sacri in diebus Dominicis ac festis de præcepto?

Respondeo. Excusant duæ causæ, *nempe necessitas*, & *pietas*, de quibus jam superius dictum est q. 11. Fatendum tamen, faciliores causas sufficere ad excusandum ab auditione Sacri, quam ad laborandum die festo, quia labor servilis facilius creat scandalum, quam neglectus Sacri, qui aliquando excusationem repetit ob varias infirmitates, rationes, aut occupationes aliis ignotas.

Quæritur 35. Quænam propositiones sint damnatæ circa observationem festorum?

Respondeo. Damnatæ sunt ab Innocentio XI. duæ sequentes. 1. *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali secluso scandalo, si absit contemptus*. 2. *Satisfit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audiat*.

Quæritur 36. An peccet mortaliter, qui sine justa causa simul audit duas medietates Missæ?

Respondeo. Affirmative.

Ratio est, quia in æstimatione morali exponit irrisioni præcepta Ecclesiæ, neque fieri potest, quin Ecclesia graviter indignetur ejusmodi illuspri suarum legum. Dein, si ad integritatem sacrificii, cui assistendum est devote, ex parte assistentis sufficit simultanea attentio ad duas partes, eadem ratione sufficiet simultanea attentio ad quatuor partes, quod damnatum est.

Quæritur 37. Quinam obligantur ad audiendam Missam?

Respondeo. Ad eam audiendam obligantur 1. Hæretici formales. Quamvis enim sint excommunicati, & excommunicati non teneantur audire Missam, si ab eis non dependeat absolutio, ejusmodi tamen hæreticis est libera non solum excommunicatio, quam forte ignorant, sed etiam generatim omissio omnium præceptorum Ecclesiæ. Et hinc omissio Sacri est eis libera in sua causa. 2. Obligantur etiam Sacerdotes, si ipsimet non celebrent. Si autem desit alius Sacerdos celebrans, putant *Gobat* & Stephanus a S. Paulo, Sacerdotem alioquin non celebraturum obligari ad celebrandam Missam, quamvis *Fagundez* sentiat oppositum. Sentio cum priori sententia, si incidat dies Dominica, quia jure naturali & divino homo tenetur omni Septimana semel offerre per se vel alium Deo sacrificium in contestationem supremi Dominii, si id congrue fieri possit. 3. Obligantur etiam pueri adepto usu rationis moralis de Deo. Ratio est, quia offerre Deo sacrificium in contestationem supremi Dominii non excedit capacitatem intellectus puerilis vel parum instructi. Ita communis. Marchantius tamen censet, eos non obligari ad audiendam Missam antequam accedunt ad communionem, & Sotus censet, neminem ante annum ætatis duodecimum teneri ad servanda Ecclesiæ præcepta, quod tamen spectata moderna diligenti instructione puerorum, & praxi universali ferme Ecclesiæ non est concedendum. Omnes enim paucissimis exceptis mittunt suos pueros ad audiendum Sacrum. 4. Obligantur etiam Regulares exempti audire Sacrum in festo Diœcesano per Episcopum præscripto, quia tenentur servare festa Diœcesana, prout declarat Concilium Tridentinum Sess.24. de Regularibus C. 12. 5. Non tamen obligatur ad audiendum Sacrum a Nativitate simul cœcus, surdus, & mutus, quia non potest moraliter modo humano assistere Missæ. Hinc *Gobat* merito censet contra Fagundez, Diana, &c. idem dicendum fore, si quis non a nativitate, sed ex morbo simul surdus, cœcus, & mutus redditus sit. Eadem enim est ratio, cui etiam favet praxis Fidelium, ejusmodi homines relinquentium domi. Imo *Palaus* recte censet, nec eum obligari ad assistendum Missæ, qui est simul cœcus & surdus, licet non sit mutus. Nam etiam pro hoc pugnat consimilis ratio & praxis fidelium, tales homines relinquentium domi. Aliud tamen dicendum foret, si non sint perfecte surdi, ita ut domi instrui possint de certis signis per attactum in Ecclesia dandis de initio, offertorio, consecratione, & communione Missæ, quamvis

vis nec ad istam extraordinariam viam videatur obligare Lex positiva, sed tantum lex naturalis & divina, ut modo meliori, quo commode fieri potest, omni septimana per manus Sacerdotis offeratur Sacrificium Deo.

Quæritur 38. An in omnibus diebus festis detur obligatio audiendi Sacrum? Et in quibus non?

Respondeo. Non datur obligatio audiendi Sacrum 1. In die cinerum, in festo S. Marci, in die animarum, Feria V. & VI. & Sabbato majoris Hebdomadæ, in diebus Rogationum. 2. In festo solum præcepto ex mandato sæcularis principis. 3. In festo solum observato ex consuetudine populi sine approbatione Episcopi. In tali enim festo non datur in conscientia obligatio audiendi Missam vel abstinendi a labore servili, prout ratio superius q. 30. ostendit, & La Croix hic. n. *618*. cum Tamburino, Gobato, & Pasqualigo docet. 4. In festo, quod solus Episcopus indicit reclamante clero & populo. Ita docet La Croix h. l. n. *619*. qui pro se citat Barbosam, Gavantum, Jordanum, & Gobatum. Ratio est, quia Pontifex eam facultatem instituendi festa solum permittit, si id faciat cum *Clero & populo*, qui si *irrationabiliter* se opponerent Episcopo, deberet consuli Pontifex.

Respondeo 2. Si Episcopus instituat festum tantum dimidiæ diei, vel tantum pro dimidia die approbetur, datur obligatio, pro illa dimidia die audiendi Sacrum, & abstinendi etiam a labore servili, nisi Episcopus velit sola auditione Sacri, & verbi divini esse contentus. Idem dicendum, si Episcopus festa transferat, quæ transferendi festa potestas Episcopo competit etiam sine Clero & populo, saltem si translatio non sit perpetua.

Respondeo 3. In dubio, an festum sit de præcepto, si dubium post moralem inquisitionem prudenter exigibilem maneat, potest formari dictamen reflexum aut concomitans, non dari præceptum, quia alioquin sufficiente promulgatione evasisset saltem verosimilius ac credibilius.

Quæritur 39. Quo tempore sit audienda Missa?

Respondeo. Audienda est eo tempore, quo licet celebrare. Hinc si quis audiret Sacrum tempore evidenter non permisso, committeret peccatum mortale, nec satisfaceret præcepto Ecclesiæ saltem quoad modum, & probabilius ne quidem quoad substantiam, si v. g. primum in sera nocte diei Dominicæ improbe causa superstitionis celebranti assisteret.

Quæritur 40. An satisfiat præcepto audiendi Missam in Oratoriis privatis?

Respondeo 1. In Oratoriis privatis non satisfaciunt præcepto Ecclesiæ audiendi Sacrum, qui in Litteris concessionis expresse vel tacite excipiuntur. Censentur autem tacite excipi, quicunque non continentur sub significato proprio eorum, in quorum favorem restrictive fit concessio. Hinc si in Litteris concessionis dicatur: *Volumus autem, ut alii qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia*, non satisfaciunt audientes ibi Sacrum, nisi sint de familia.

Respondeo 2. Nomine eorum, qui sunt *de familia*, seu *familiarum*, intelliguntur habitantes in eodem domo cum quadam habitudine subordinationis ad caput principale familiæ domesticæ. Tales sunt pater, & mater, nurus & gener, uxor, filii, filiæ, nepotes, pronepotes, servi, ancillæ, ministrantes infirmis, convictores, ac alii aliquamdiu hospitalitatis vel amicitiæ causa utentes iisdem mensa & tecto. Per Epikiam autem huc referri possunt inquilini, & alii familiaritatis causa invisentes, vel negotii causa conferentes, si verosimile fuerit, authorem privilegii in casu extraordinario eos honestatis causa noluisse excludere a privilegio.

Respondeo 3. Concessiones Oratorii privati, in quo per Capellanum Domesticum solet haberi Missa ordinaria in diebus Dominicis & festis, sunt strictæ interpretationis. Ratio est, quia Episcopi & Summi Pontifices nolunt præjudicare obligationi antiquissimæ Apostolicæ audiendi verbum divinum in Ecclesiis pu-

publicis, in iisque contestandi communionem fidelium in Liturgia solenni supremæ majestati debita. Imo Episcopi peccarent mortaliter, si ultra terminos necessitatis ac manifestæ honestatis pro ordinario per annum Sacrificio nimis largas concederent, aut nimis large intelligi vellent, suas concessiones in præjudicium Liturgiæ solennis in Ecclesia, & auditionis verbi divini. Hinc etiam in Capitularibus Caroli M. Aquisgrani anno 789. editis C. 9. dicitur: *In diebus festis vel Dominicis omnes ad Ecclesiam veniant, & non invitent presbyteros ad domos suos ad Missam faciendam.*

Quæritur 41. In quibus aliis locis possit satisfieri præcepto Ecclesiæ audiendi Sacrum?

Respondeo. In casu extraordinario satisfit præcepto Ecclesiæ audiendo Sacrum in quovis loco, etiam profano, privilegiato tamen, v. g. si legatur publice Missa in Castris, vel in Littore tempore navigationis, etiamsi audiens Missam non sit de numero militantium vel navigantium. Ratio est, quia pro casu extraordinario nulla fit restrictio Ecclesiæ tacita vel expressa, cum per casum extraordinarium non præjudicetur intentioni ac fini Ecclesiæ, ut fideles assistendo Liturgiæ solenni contestentur communionem fidelium, & intersint prædicationi verbi divini.

Quæritur 42. Qualis requiratur intentio ad Missam audiendam?

Respondeo. Requiritur intentio, *saltem in actu exercito*, honorandi Deum, & per hoc satisfaciendi præcepto Ecclesiæ. In praxi tamen homini Christiano, alioquin catholico, non est præsumendum, eam intentionem deesse, nisi habeat intentionem positive contrariam, v. g. solum garriendi cum persona familiari, aut solum satisfaciendi curiositati, qualis intentio facile reperitur in hominibus profligatæ conscientiæ, qui in aliis circumstantiis, ubi hæc motiva cessant, solent omittere Sacrum. Hinc satisfacit præcepto quoad substantiam, qui adit templum animo implendi partes boni Catholici, etiamsi simul habeat intentionem secundariam vel concomitantem satisfaciendi curiositati venialiter peccaminosæ, aut discendi cæremonias Missæ.

Quæritur 43. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui simul habet intentionem satisfaciendi Ecclesiæ, & concomitantem intentionem peccandi mortaliter, v. g. furandi, vel lasciva tractandi?

Respondeo. Talis non satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Ratio est, quia Ecclesia præcipit *devotam* auditionem Sacri, seu oblationem Sacrificii, jure naturali & divino supremæ majestati debitam. Ea autem devotio interna, jure naturali, divino, & positivo debita positive excluditur per intentionem concomitantem mortaliter peccaminosam. Hinc talis merito obligaretur ab Ecclesia ad audiendum aliud Sacrum.

Nec obstat, quod recitationi Breviarii quoad substantiam satisfaciat voluntarie distractus. Disparitas enim est, quod hæc obligatio quoad substantiam sit juris positivi, ad quam repetendam Ecclesia non prudenter obligaret ob distractiones, ne oneret in hac materia Clericos timoratos aut scrupulosos, ægre discernentes voluntarietatem plenam distractionum a mero neglectu.

Quæritur 44. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui in Ecclesia per quadrantem exspectans egressum Missæ repente advertit, in altari a se non viso dari signum ad Sanctus, & sic format intentionem audiendi hanc solam Missam?

Respondeo. Non satisfacit. Ratio est, quia licet ad primam partem Missæ fuerit in templo præsens physice, non tamen interfuit illi primæ parti moraliter. Itaque non interesset integræ Missæ moraliter.

Quæritur 45. An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui in festo Nativitatis Dominicæ audiendo primam Missam pro sua devotione habet intentionem audiendi secundam & tertiam, quas tamen omittit?

Respondeo. Talis satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ratio est, quia etiam in festo Nativitatis Dominicæ non datur obliga-

gatio audiendi plures Missas quam unam. Intentioni autem Ecclesiæ satisfit per auditionem devotam unius Sacri, cui auditioni accidentaliter conjungitur intentio audiendi aliud Sacrum.

Quæritur 46. Cui obligationi per auditionem unius Sacri satisfiat, si quis habens obligationem audiendi tres Missas ex tribus titulis v.g. præcepto, voto, pœnitentia injuncta, in auditione Sacri non formet intentionem, cui obligationi velit satisfacere?

Respondeo. Pro tali casu censetur satisfactum obligationi magis urgenti, quæ differri nequit sine graviori causa, aut suppleri ex intentione obligantis. Talis autem in præsenti casu est obligatio annexa diei festo.

Quæritur 47. Qualis requiratur præsentia corporalis ad satisfaciendum præcepto?

Respondeo. Requiritur præsentia solum moralis, seu talis, quæ ex communi æstimatione vel consuetudine hominum solet ordinari ad tribuendum Deo Latriæ cultum ex præcepto debitum. Hinc 1. Satisfit præcepto, etiamsi audiens Missam nec videat nec audiat celebrantem, dummodo se conformet aliis in flectendo, surgendo, pectus tundendo &c. qui vident & audiunt celebrantem. 2. Sufficit, si quis sit in loco communicante cum templo, v.g. in choro, alia Capella, in Superiore Oratorio, retro altare, in loco per fenestram admittente prospectum in Ecclesiam eique conjuncto, dummodo ex aliis personis Sacro præsentibus possit observare, quid agatur in Missa, seque conformet præcipuis partibus Missæ more aliorum. 3. Si non possit intrari commode in Ecclesiam ob nimiam multitudinem hominum, satisfit etiam audiendo Sacrum extra Ecclesiam, dummodo modo decenti se conformet aliis quoad compositionem corporis protestativam cultus religiosi latreutici.

Quæritur 48. Qualis requiratur assistentia ad Missam?

Respondeo. Requiritur assistentia libera, religiosa, ac moralis. Hinc non audit Missam, qui ligatus, vel metu compulsus animo repugnante assistit, nec ebrius, aut dormiens per majorem partem Missæ.

Quæritur 49. Qualis requiratur attentio ad Missam?

Respondeo. Ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro requiritur attentio *tam interna quam externa*. *Externa attentio* consistit in remotione omnium actionum incompossibilium cum actuali devotione interna. Interna attentio consistit in actu religioso interno erga Deum saltem in actu exercito.

Ratio est, quia Ecclesia præcipit actum jure naturali ac divino quoad substantiam debitum. Ergo per solos actus externos non satisfit præcepto Ecclesiæ, sicut nec satisfit præcepto Ecclesiastico confessionis & communionis annuæ per confessionem & communionem sacrilegam. Hinc 1. Satisfaciunt præcepto Ministrantes ad Missam, quia eorum actiones ex sua natura ordinantur ad cultum Dei, dummodo intendant, per eas actiones honorare Deum, & satisfacere suæ obligationi per ministerium reverenter exhibitum. 2. Idem dicendum circa Musicos, Chelistas, Tympanistas, tibicines, organœdos, dummodo suas actiones per actum religionis internum, ac reverentiæ externum ordinent ad cultum Dei, qui actus potest esse prævius, ita ut perseveret virtualiter sub Missa. 3. Idem dicendum circa collectores eleemosynarum, & accensores candelarum, dummodo circa actus Missæ præcipuos reverentia externa & religione interna se vertant ad Deum. Econtra non satisfaciunt 1. qui per totam Missam deambulant & se comendo vel alias actiones profanas exercendo nullum ferme exhibent actum religiosum externum. Hic enim actus non est oblatio sacrificii jure naturali ac divino debita, quoad tempus & modum determinata ab Ecclesia. 2. nec satisfaciunt per majorem partem sacrificii voluntarie distracti. Ratio est, quia assumens actionem externam incompossibilem cum externa devotione peccat mortaliter, nec satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ergo multo magis peccat mortaliter, nec satisfacit præce-

pto

pto Ecclesiæ, qui ponit actionem internam incompossibilem cum devotione interna, qualis actio est distractio voluntaria. Dein cum peccet mortaliter recitans Breviarium cum voluntaria distractione; quanto magis peccabit offerens per manus sacerdotis sacrificium jure naturali ac divino quoad substantiam debitum, si id faciat cum voluntaria distractione? Si autem peccat mortaliter, etiam non satisfacit præcepto quoad substantiam, utpote jure naturali ac divino debitam. 3. Nec satisfaciunt, qui scribunt vel pingunt per majorem Missæ partem; 4. qui confabulantur per majorem Missæ partem. 5. Aut qui per majorem Missæ partem legunt poetam vel alium librum profanum vel novellas. Ratio horum est, quia hæ actiones sunt ex suo genere incompossibiles cum devotione interna sacrificio tanto congrua. 6. Idem ob eandem rationem dicendum de eo, qui sub Missa memoriter discit catechismum, aut vertit librum ab una lingua in aliam &c.

Quæritr 50. An satisfaciant præcepto Ecclesiæ, qui confitentur sub Missa?

Respondeo. Confitentes sub Missa, si non possunt commode audire aliam Missam, satisfaciunt præcepto, sive confessio sit longa sive brevis; idque si non spectato rigore præcepti, saltem per Epikiam, & per consuetudinem.

Ratio autem est, quia æquum est, ut ille censeatur esse moraliter præsens toti Sacrificio, qui se per totum sacrificium disponit ad complementum Sacrificii, quod est Sacra communio. Dein, si Organædus & alii Musici sub elevatione occupatissimi censentur interesse sacrificio, cur non idem sentiendum sit de confitentibus sub Sacrificio Missæ? Dignior enim est præparatio animi ad purum cultum Dei, quam aurium. Dein ex antiquis Pœnitentialibus & Patribus constat, quod pœnitentes sub Sacrificio singulis Dominicis debuerint venire *sub manu sacerdotis*. Itaque actiones pœnitentiales non repugnant Sacrificio Missæ. *Felix III*. Epist. 7. scribit: Rebaptizati ob peccatum rebaptizationis *tribus annis inter audientes sint; septem annis subjaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum*. Denique antiqua Ecclesia etiam ejecit pœnitentes ex Ecclesia, quando ventum est ad Canonem Missæ, prout manifestum est ex innumeris textibus Conciliorum & Patrum. Ergo non est alienum a S iritu Ecclesiæ veteri, si nunc ab actualiter pœnitentibus non requiratur rigorosa assistentia ad omnes partes sacrificii. Hinc non immerito P. *La Croix* h. l. n. 655. scribit: *Si tamen Confessio sub his partibus* (Offertorio, Consecratione, vel Communione) *fiat*, *debet pænitens ita simul attendere ad Missam*, *ut dicere possit*, *quousque celebrans pervenerit*. *Quod si confessio alioquin esset omittenda*, *uti sæpe fieret ancillis & famulis*, *suaderi potest*, *ut fiat sub Missa*, *quia voluntas Ecclesiæ præsumitur potius*, *ut sic audiatur Missa & Confessio fiat*, *quam ut attentius audiatur*, *Missa*, *& confessio non fiat; ut recte monet Lessius*. *Si enim damnum temporale possit excusare ab auditione Missæ*, *magis excusabit damnum spirituale* ex omissione confessionis & S. Communionis.

Quæritur 51. Quomodo peccetur mortaliter ex defectu integritatis Missæ?

Respondeo. Qui omittit Missam ab Offertorio usque ad finem Orationis Dominicæ peccat mortaliter.

Ratio est, quia intra hos limites in Ecclesia antiqua censebatur essentialis integritas Sacrificii, seu perfecta repræsentatio Sacrificii oblati in Cruce. Hinc ad initium Offertorii dicebantur inchoari *divina Mysteria*, & voce Diaconi jubebantur exire Catechumeni & Pœnitentes. Immo vero ante communionem Sacerdotis & aliorum communicantium discedebant etiam constituti in Classe *Consistentium*, prout in mea Demonstratione Critica Religionis Catholicæ Venetiis edita de Sacramento Pœnitentiæ ostendi. Id confirmatur ex Concilio Aurelianensi III. celebrato anno 538. ubi Can. 29. dicitur: *De Missis nullus laicorum ante discedat*, *quam Dominica dicatur oratio; & si Episcopus præsens fuerit*, *ejus expectetur benedictio*. Ex his omnibus colligo, antiquitus essen-

ſentiam Sacrificii in æſtimatione communi fidelium conſtrictam fuiſſe intra limites Offertorii & Orationis Dominicæ. Reliquæ enim orationes *ab Agnus Dei* pertinent tantum ad *privatam perſonalem* devotionem Sacerdotis, præparatoriam ad ſuam & cujuslibet communicantis communionem, prout conſideranti eas orationes patet. Neque enim in illis orationibus tractatur pro omnibus vivis & defunctis per orationes communes, ſed ſolum pro privata neceſſitate, devotione, & oblatione, niſi in orationibus poſt communionem, quæ certo ſunt accidentales ſacrificio. Cæterum certo peccant venialiter, qui deliberate vel ex negligentia culpabili omittunt partes Miſſæ prævias ad Offertorium, & ſubſequas ad Orationem Dominicam. Immo ſi quis ſcienter vel ex negligentia ſe conſtituens in impoſſibilitate veniendi ad Offertorium, ita ut primum poſſet venire ad Canonis initium vel Conſecrationem, teneretur ſub mortali comparere ſaltem ad hanc partem Miſſæ, quia hæc pars Miſſæ requiritur ad rationem ſacrificii jure divino ex inſtitutione Chriſti; reliquæ vero ſolum requiruntur per modum proprietatis con naturaliter exigitæ a natura Sacrificii, & determinatæ ex inſtitutione Eccleſiæ tempore Apoſtolorum.

Quæritur 52. An habens privilegium Oratorii privati teneatur conducere Sacerdotem celebrantem, ſi non poſſit adire Eccleſiam pro auditione Sacri?

Reſpondeo 1. Habens tale privilegium tenetur conducere Sacerdotem, ſi commode haberi poteſt.

Ratio eſt, quia ejuſmodi privilegia ſub eo prætextu neceſſitatis, aut difficultatis adeundi Eccleſiam poſtulantur, & intuitu talis motivi conceduntur. Itaque tacite initur pactum & obligatio conducendi Sacerdotem, ubi commode fieri poteſt. Alioquin falleretur expectatio concedentis, & fruſtraretur motivum.

Reſpondeo 2. Qui non poſſunt adire Eccleſiam ordinariam pro audiendo Sacro, poſſunt tamen audire Sacrum in Oratorio privato, tenentur ad audiendum Sacrum in Oratorio. Ratio eſt, quia Lex Eccleſiaſtica reſpicit & urget potius ſubſtantiam præcepti, quam modum, ſi utrumque impleri nequit. Ita enim mentem Eccleſiæ regulant Leges prudentiæ legislativæ.

Quæritur 53. Quanta diſtantia loci excuſet ab audiendo Sacro?

Reſpondeo 1. In dubio, an conſideratis omnibus circumſtantiis obligandi ſint fideles in hac vel illa diſtantia, urgenda ſunt conſueta laudabilia in locis vicinis.

Reſpondeo 2. Si nulla compareat uniformis obſervantia in locis finitimis, ſuadendi ſunt fideles, non compellendi ad ſalubriora ſaluti.

Reſpondeo 3. Regulariter tamen diſtantia unius horæ plebem ruſticam, aut ruralem non excuſat a præcepto audiendi ſacrum, niſi ſit cauſa extraordinaria quam veroſimiliter pro excuſatione ſufficiente acceptaret pia mater Eccleſia. In dubio autem ea res dependet a declaratione Parochi vel Epiſcopi, ſi hujus declaratio commode haberi poſſit, a cujus liberrimo nutu generaliter abſque ſcrupulo reſolvi poſſunt ejuſmodi dubia cum reſpectu ad rationem melioris ſecundum charitatem Dei & proximi.

Ratio ſic reſpondendi ſumitur ex conſuetudine prædominante majoris partis fidelium, qui ſolent venire ad Eccleſiam Parochialem ex diſtantia unius horæ pro audiendo Sacro ſolenni.

Reſpondeo 4. Ubi datur obligatio, ex diſtantia unius horæ audiendi Sacrum ſolenne, datur etiam ex eadem diſtantia audiendi Miſſam mattutinam, ſaltem ab Æquinoctio vernali uſque ad autumnale, ubi id fieri poteſt ſine difficultate notabili viarum extraordinaria, aut ſine motivo defatigationis extraordinariæ, v. g. laborum in æſtate.

Ratio eſt, quia in ejuſmodi caſu poteſt commode obſervari ſaltem ſubſtantia præcepti; & præbetur hominibus occaſio vel confitendi vel audiendi Evangelium & Epiſtolam, quæ prælegere poſſunt zeloſi Primiſſarii poſt Evangelium facta converſione ad populum in vulgari idiomate

mate. Ea enim utilitas procurandæ fidelibus occasionis ad bonum merito Ecclesiam movere potest ad urgendam substantiam præcepti, quæ consideratio etiam in aliis dubiis quoad hanc excusationis materiam *instar Regulæ* præ oculis habenda est, ita ut ex una parte a Legislatore respiciatur *utilitas*, ex alia *facilitas* legis.

Quæritur 54. An excusati ab auditione Sacri teneantur domi vel in via supplere cultum Deo impendendum in Ecclesia?

Respondeo. Affirmative, quia obligatio cultus Deo impendendi saltem in diebus Dominicis ac festis primariis est juris naturalis vel divini quoad substantiam. Hinc S. *Augustinus* Serm. 251. de Temp. ait: *Observemus diem Dominicum & sanctificemus illum. Qui vero hoc non potest, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, & reddere pensum servitutis suæ.*

TRIA BREVIA

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

De Commutatione & Reductione Festorum, & de Nundinis.

Indultum vacandi operibus servilibus in quibusdam diebus Festis de Præcepto alias observari solitis, pro nonnullis Universitatibus Diœcesis Calaguritanæ.

Venerabili Fratri, Episcopo Calaguritano.

BENEDICTUS PAPA XIV.

„ CUm, sicut quædam sunt, ut inquit S. Leo Magnus Prædecessor noster, quæ nulla ratione possunt convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum: Eapropter Apostolica hæc Sancta Sedes, pro paterna erga universos Christi-fideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus caritatem, ad otium luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiæ angore contemnuntur.

„ §. I. Quoniam autem, sicut pro parte charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, ipsi Philippo Regi innotuit, in Provincia Ipuscoana, cujus pars in Fraternitatis tuæ Diœcesi Calaguritana continetur, præter festos dies in universali Ecclesia servari solitos, alios quamplurimos sive pietatis studio, sive quacumque alia de causa præceptos agitari, ita ut quamplurimis ejusdem Provinciæ, & Diœcesis tuæ hominibus (qui manu, & labore in sudore vultus vescentes pane suo, ob ingentem festorum dierum numerum, obtenta alendæ vitæ necessitate, vetitis laboribus aditum jam late aperuerunt), si per omnes dies festos hujusmodi a servilibus abstineant, ad vitam lucro sustinendam haud quaquam tempus sufficiat, ac propterea nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

„ §. II. Nos itaque, qui Christi-fidelibus, quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, & humanam vitam honeste sustentandam adhibere, quam per severiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos homines specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & „in-

„ interdicti, aliisque Ecclesiasticis sen„ tentiis, censuris, & pœnis, a jure, „ vel ab homine quavis occasione, vel „ causa latis, si quibus quomodolibet „ innodatæ existunt, ad effectum præ„ sentium duntaxat consequendum, ha„ rum serie absolventes, & absolutas „ fore censentes, supplicationibus etiam „ ejusdem Philippi Regis nomine nobis „ super hoc humiliter porrectis inclina„ ti, Fraternitati tuæ per præsentes com„ mittimus & mandamus, ut, veris exi„ stentibus narratis, omnibus utriusque „ sexus Christi-fidelibus ejusdem Pro„ vinciæ in Diœcesi tua existentibus, ut „ deinceps, exceptis omnibus diebus Do„ minicis, Natalis Domini Nostri Je„ su Christi, & sequenti Sancti Stepha„ ni, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resur„ rectionis, & sequenti, Ascensionis Do„ ini, Pentecostes, & sequenti, itidem die„ bus, Corporis Christi, S. Joannis Ba„ ptistæ, sanctorum Apostolorum Petri „ & Pauli, Sancti Jacobi, & Comme„ morationis omnium Sanctorum, præ„ terea quinque dicatis Beatæ Virgini „ Mariæ Immaculatæ, scilicet Purifi„ cationis, Annuntiationis, Assumptio„ nis, Nativitatis, & Conceptionis, nec „ non Sancti Patroni, aut Tutelaris cu„ juslibet loci pro hominibus ejusdem „ loci duntaxat, in quibus integra ma„ neat præcepti obligatio, in reliquis „ diebus Festis, sive per hanc sanctam „ Sedem præceptis, sive per Synodales „ ejusdem Diœcesis Constitutiones, sive „ quacumque alia de causa, etiam ex „ causa voti per Majores suos facti, „ quod quoad hanc partem etiam au„ ctoritate nostra Apostolica per Te com„ mutari volumus, præceptis, audita „ Missa, laboriosis suarum artium exer„ citationibus, servilibusque operibus, „ sine ullo prorsus conscientiæ scrupulo „ vacare possint, auctoritate nostra A„ postolica concedas, indulgeas, & per„ mittas, ac statuas, præcipias & man„ des. Datum Romæ apud Sanctam Ma„ riam Majorem sub Annulo Piscatoris „ die III. Septembris MDCCXLII. Pon„ tificatus Nostri Anno tertio.

Dierum Festorum de Præcepto, æstivis mensibus occurrentium, reductio, pro nonnullis locis Regni Poloniæ.

Venerabili Fratri Episcopo Posnanien.

BENEDICTUS PAPA XIV.

„ NUper pro parte tua Nobis ex„ positum fuit, quod dilecti Filii „ Universitates & homines, nec non In„ colæ agrorum præsertim culturæ ad„ dicti, istius tuæ Diœcesis Posnanien. „ propter cœli rigorem in istis partibus „ gravissimum, in mensibus potissimum „ Julio, Augusto, & Septembri ad fa„ ciendas messes aliosque terræ fructus „ colligendos, & agros in spem futuræ „ messis præparandos aptioribus, Festos „ dies de Ecclesiæ præcepto, quamvis „ inviti, servare minime valeant, ac „ propterea operum hujusmodi causa, „ non sine conscientiæ angoribus, de„ bitum Deo in iis diebus cultum ne„ gligere coacti, ad Fraternitatem tuam „ sæpissime confugiunt, ut licentiam „ ipsis impertiaris, qua sibi liceat per „ eosdem Festos dies, exceptis Domini„ cis, agros colere, & servilibus, me„ chanicisque laboribus impune vacare, „ ne ipsis eapropter non leve damnum, „ quemadmodum sæpe accidit, prove„ niat; Fraternitas vero tua, ut incom„ modis hujusmodi tibi bene cognitis, „ aliquo pacto consulatur, nobis humi„ liter supplicari fecit, ut in præmis„ sis opportune providere, & ut infra „ indulgere de benignitate Apostolica „ dignaremur.

„ §. I. Nos igitur, qui divinum cul„ tum, quantum cum Domino possu„ mus promovere, & adaugere debemus, „ considerantes præmissa omnia, & op„ portunum, quoad nobis integrum est, „ ac salutare remedium hac in parte „ adhibere cupientes, dictosque Incolas, „ homines, aliosque culturæ agrorum „ addictos, specialibus favoribus, & gra„ tiis prosequi volentes, & eorum sin„ gulares personas a quibusvis excom„ mu-

„ municationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut veris exiſtentibus narratis, ſi contingat aliquod feſtum de præcepto Eccleſiæ, ſeu per Synodales ejuſdem Diœceſis Conſtitutiones, per hebdomadas prædictorum Julii, Auguſti, & Septembris Menſium extra Dominicas occurrere, eo caſu feſtum hujuſmodi, præterquam illud Aſſumptionis B. M. Virginis Immaculatæ, quod in ſuo proprio, quo occurrit die ſolemni cultu celebrari volumus & mandamus, in Dominicam immediate ſequentem, ſeu aliam a te præſcribendam auctoritate noſtra Apoſtolica transferas, illudque in eadem Dominica celebrari facias & cures; præſcriptis tamen iis cautelis, quas juxta datam tibi a Domino prudentiam duxeris eſſe præſcribendas; tam quoad onus audiendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, quam quoad cætera opera ſervilia exercenda. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die prima Septembris MDCCXLV. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Diebus Feſtis prohibentur haberi Mercatus rerum venalium. Tolerantur vero Nundinæ ſub certis conditionibus.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Ordinariis Ditionis Eccleſiaſticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

„ AB eo tempore, quo copioſus in miſericordia Dominus Nos, licet immeritos, ad Summum Catholicæ Eccleſiæ Pontificatum evexit, complures diverſi ordinis illuſtres Viri, itemque Epiſcopi, & Archiepiſcopi in Italia, & extra commorantes, iteratis precibus inſtiterunt, ut Dies Feſtos, ubique fere nimis auctos, quibus Chriſtianus populus feriatur, Apoſtolica auctoritate imminueremus. Hoc enim prudenti temperamento, Pauperibus, qui quotidiano labore ſibi victum quærunt, facile conſuleretur; ac ſimul gravia adimerentur abſurda, quæ ex Feſtorum dierum multitudine, ac frequenti violatione oriri ſolent, non ſine aperto Religionis diſpendio. Re expenſa, negotii difficultatem probe intelleximus: quare peculiari ſcripto, publicis etiam typis vulgato, rationes varias indicavimus, quibus ea immutatio fieri poterat: conſilium pariter exquirentes nonnullorum S. R. E. Cardinalium, Epiſcoporum Italiæ, aliarumque Regionum, Eccleſiaſticorum Præſulum, Theologorum, Juriſconſultorum, aliorumque Virorum Doctorum, humanas, civileſque res callentium, an hujuſmodi petitio eſſet exaudienda: ſi vero illam exaudiri æquum eſſet, & congruens, ipſi quoque rationes ſignificarent, quibus utiliter ac prudenter imminutio præſcriberetur.

„ §. I. Petita reſponſa tam varia, ut ſolet contingere, ſuo tempore accepimus, ut fere ſua cuique fuerit ſententia. In aliud proinde tempus negotium rejecimus, eam in ſpem adducti, ut Epiſcopi cujuſque Provinciæ, vel Ditionis, unanimi voto in ſententiam imminuendi Dies Feſtos primum convenirent; deinde vero, quo commodius id fieri poſſet, concordi pariter ſuffragio medium aliquod ſuggererent ex tot memoratis in Scripto noſtro, ac pro illius executione Pontificium aſſenſum expoſcerent. Hoc ſane pacto inita ab Ordinariis conſilia in re tanti momenti non illorum voluntati referri potuiſſent, ſed tantum ſupremæ Apoſtolicæ Sedis auctoritati, quam fel. record. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter integram eſſe voluit in decernenda imminutione dierum Feſtorum, qui in ſua Con-

„ ſti-

„ ſtitutione recenſentur. Demum una „ eademque Epiſcoporum deliberatio, „ Apoſtolicæ auctoritatis tecta munimine, „ nedum plurimum valuiſſet ad „ compeſcenda Cenſorum ingenia; ſed „ etiam ſublata fuiſſet diſparitas illa ritus, „ quæ hodie viget, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ „ injurioſa, ut intra paucorum „ milliarium ambitum, & inter finitimos „ populos, unus idemque dies „ ab aliquibus Feſtus de Præcepto, ab „ aliquibus vero ferialis haberetur.

„ §. II. Hæc methodus feliciori forte „ in univerſa fere Hiſpania excepta „ eſt: Cum enim poſtremi Tarraconenſis „ Concilii Patres regulam quandam „ conſtituerint dierum Feſtorum, quibus, „ pro illorum conditione, atque „ diſcrimine, Populi Divino intereſſe „ Sacrificio, & ſervilibus abſtinere operibus „ debent; & aliorum, quibus „ Miſſæ tantum intereſſe debent, tributa „ poſtmodum libertate vacandi operibus „ ſervilibus; felic. record. Benedictus „ XIII. Deceſſor, & Benefactor „ Noſter, diſpoſita in eadem Provinciali „ Synodo ad preces Epiſcoporum, „ approbavit. Quo exemplo alii ſubinde „ Hiſpaniarum Antiſtites excitati, „ Nobis humiliter ſupplicarunt, ut ad „ minuendum nimis auctum Feſtorum „ numerum, liceret ipſis etiam ſervare „ Regulam in præfato Tarraconenſi Concilio „ provide conſtitutam. Annuimus „ inſtantiæ; exindeque omnium fere „ Hiſpaniarum Diœceſeon uniformitas „ in dierum Feſtorum celebratione, & „ ritu exorta eſt.

„ §. III. Aliis quoque Catholici Orbis „ Regionibus ſervata a Nobis in hoc „ negotio conficiendo matura dilatio profuit. „ Interea ſiquidem aliquot Regni „ Poloniæ Epiſcopi, mentis aciem ad „ ſubſtantiam, & modum imminuendi „ dies Feſtos dirigentes, per Literas Nobis „ ſignificarunt, in illis Diœceſibus, „ ſuos late fines protendentibus, æſtivo „ tempore Incolas Agrorum culturæ, „ & aliis ſervilibus operibus, quibus „ vivunt, & ſuſtentantur, dantes operam, „ difficillime ab illis abſtinere poſſe „ diebus Feſtis inter hebdomadam occurrentibus: „ Enixe propterea Nos „ rogarunt, ut quæ per hebdomadam „ æſtivo tempore occurrunt Feſta, in „ dies Dominicos transferremus, excepto „ Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Dei „ Genitricis, quæ quovis die accideret, „ religioſe ab univerſis celebraretur. „ Quorum petitio per Nos, maturo „ præmiſſo examine, exaudita in Regionibus „ illis optatam ab Epiſcopis, „ & Populis tranquillitatem peperit.

§. IV. Quod vero ad Italiam pertinet, „ credi vix poteſt, quam prudens, „ ac religioſus de re ipſa fuerit „ ſermo, quem Nobiſcum inſtituit Chariſſimus „ in Chriſto Filius Noſter Carolus „ utriuſque Siciliæ Rex illuſtris. „ Non ſine intimo, ac plane acerbo „ animi ſui mœrore Nobis expoſuit, „ Dies Feſtos, quibus Chriſtiani Populi „ feriari debent, in ſubjectis ſibi regionibus „ paſſim violari, ob nimis auctum „ illorum numerum; huic porro „ malo non aliam adhiberi poſſe medelam, „ præter diminutionem ſuprema „ auctoritate noſtra opportune faciendam. „ Significare illi non omiſimus, „ gravem ac moleſtam utrique „ ſollicitudinem oborituram, ſi rem „ tanti ponderis inconſultis Epiſcopis „ conficere vellemus. Idcirco ut omnia „ feliciter procederent, non ſolum exquirendas „ eſſe illorum ſententias; ſed „ oportere, ut Antiſtites finitimi, vel „ Metropolitæ cum ſuis Provincialibus, „ ſtudia, & voluntates in eundem ſcopum „ dirigentes, quid tandem facto „ opus eſſet, ad Noſtri deferrent Apoſtolatus „ auditum. Par omnium ſuffragium „ communem tranquillitatem „ ſubjectis populis allaturum, & quod „ potiſſime in rebus ſacris quærendum „ eſt, ritus uniformitatem, & diſciplinæ „ concordiam.

„ §. V. Id ipſum ſignificavimus Epiſcopis „ temporalis noſtræ Ditionis, „ quorum nonnulli privato ſermone Nobiſcum „ habito, nonnulli vero ſuis ad „ Nos datis litteris, Apoſtolicam authoritatem „ ad Feſtos dies imminuendos „ enixe implorarunt. At cum ipſi „ nihil hactenus præſtiterint, nihil &

„ nos egimus; liberam, prudentemque „ Episcoporum concordiam in hoc negotio præstolantes, non imperantes, „ & exigentes. Etenim moderatio numeri Dierum Festorum non a voluntate, sed a sola pendet necessitate, „ quam nemo melius, quam Episcopi „ norunt; ideoque ad eos potissimum „ pertinet, mali conditionem, & apta „ eidem remedia proferre: Nec facile „ adduci possumus, ut in hoc adeo gravi, & implexo negotio quidquam decernamus, nisi audita prius concordi „ quoad *substantiam*, & quoad *modum*, „ Episcoporum sententia.

„ §. VI. Hæc Vobis, Venerabiles „ Fratres, eum in finem scribimus, ut „ non solum cuique Vestrum plane cognita, ac perspecta sit agendi ratio a „ Nobis inita in hac gravi causa imminutionis Dierum Festorum; verum „ ut opportune nunciaremus, si vestra „ consilia ex voto nostro Nobiscum communicavissetis, vel sublata prorsus, „ vel saltem magna ex parte submota „ fuissent mala, quibus curandis congruum, ac salutare remedium non „ semel a Nobis expostulastis.

„ Complures etenim vestrum voce, „ aut scripto improbarunt abusum Mercatuum, & Nundinarum, quæ fieri „ solent Diebus Festis, quibus feriari „ oportet, ut populus unice in res sacras incumbat; rationem a Nobis poscentes, qua grassanti in diem malo „ occurri possit.

„ §. VII. Inter modos propositos, „ atque servandos in imminutione, ac „ celebratione Festorum, præcipuus ille „ est, quo inter ipsos dies Festos discrimen constituitur. Etenim in diebus Dominicis, itemque in celebritatibus Domini, Beatæ Mariæ semper Virginis Dei Genitricis, ac in aliis „ solemnioribus in memorato Scripto „ nostro indicatis, debet Christianus „ Populus nedum interesse Divino Sacrificio, sed etiam abstinere ab operibus vetitis; In cæteris vero minus „ solemnibus, qui tamen ex præcepto „ celebrari consueverunt, imposita est „ Christi-fidelibus obligatio interessendi „ Missæ Sacrificio, tradita in reliquis „ cuique illorum potestate ea faciendi, „ quæ fieri solent diebus ferialibus.

„ §. VIII. Quo cautius, ac tutius „ incederemus, consulere voluimus Chirographa Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus peculiaribus Urbibus, & Oppidis temporalis „ suæ Ditionis habendarum Nundinarum facultatem tribuerunt. Multi iis „ diebus Nundinas fieri permiserunt, „ quibus Christi-fideles (juxta propositum Thema) servilibus operibus abstinere debebant, divinoque adesse Sacrificio; sed numerum longe majorem illarum comperimus, quæ incidunt in eos dies Festos ex Præcepto, „ quibus, si expetita fieret illorum imminutio, satis fuisset Missam audire, „ excluso debito abstinendi ab operibus „ servilibus, sublatoque onere peragendi, quæ in aliis superioris ordinis Festis „ Christianus Populus debet implere.

„ §. IX. Hac via, si non omni, „ magna certe ex parte sublata essent „ mala, quibus, memorata de causa, „ congruens & opportunum a Nobis „ remedium postulastis. Enimvero bifariam divisis, ut præmonuimus, diebus Festis, affixoque inferiori ipsorum ordini debito interessendi dumtaxat Divino Sacrificio; celebratæ in „ illis Nundinæ nullum deinceps peperissent absurdum, nec libertas operum servilium, cum interessentia Missæ compatibilis, refragari potuisset „ præcepto ab Ecclesia Fidelibus injuncto. Præterea nullus urbibus, & Oppidis relictus fuisset timor; ne, cum „ Incolarum, & Concurrentium detrimento, Nundinarum frequentia imminueretur. Quippe juxta hypothesin „ præmissam, recolente adhuc Clero „ solemni ritu diem festum intra Ecclesiam sumptuoso ornatu, omnique „ nitore instructam; in ipsa Sacri concentus Musices haberi de more potuissent; permitti quoque potuissent „ citatorum Equorum cursus, aliaque „ id genus, quæ Populi augere solent „ numerum, Mercatorum frequentiam, „ & Nundinarum celebritatem. Sed de

„ re

„ re hujusmodi, velut extranea, ser„ mone relicto, ad propositæ quæstio„ nis examen progredimur, dierum Fe„ storum imminutione seclusa, &c.

„ Datum Romæ apud Sanctam Ma„ riam Majorem die quinta Novem„ bris MDCCXLV. Pontificatus No„ stri Anno Sexto.

SECTIO V.

De quarto Præcepto Decalogi.

QUæritur 1. Quomodo sonat quartum præceptum Decalogi?

Respondeo. In Exodo C. 20. v. 12. refertur hoc præceptum istis verbis: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. In Deuteronomio autem C. 25. v. 16. sic habetur: *Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*. In Ecclesiastico C. 3. v. 9. dicitur: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his, qui se genuerunt*. Sed in Novo Testamento omissis promissionibus temporalibus *Christus* Matth. 15. v. 17. dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata .... Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Marci 7. v. 9. alio modo idem præceptum refertur a Christo his verbis: *Irritum fecistis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. Moyses enim dixit: Honora patrem & matrem tuam, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dexerit homo patri vel matri, Corban, quod est, donum, quodcunque ex me, tibi profuerit; & ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri; rescindentes verbum Dei per traditionem vestram. D. Paulus* ad Ephes. 6. v. 1. de eodem mandato loquens scribit: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione; ut bene sit tibi, & sis longævus super terram*. Textus autem ad quem respicit Christus, continetur Exodi 21. v. 16. his verbis: *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur*. Et Levitici 20. v. 9. *Custodite præcepta mea. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Patri, matrique malidixit; sanguis ejus sit super eum*. Et Prov. 20. v. 20. habetur: *Qui maledicit patri suo, & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*.

Quæritur 2. Quænam debentur parentibus?

Respondeo. Debentur parentibus tria. 1. amor. 2. reverentia seu honor. 3. obedientia. *Per amorem* intelligitur non præcise affectio naturalis, aut præcise actus speculativus internus, quo parentibus optantur omnia bona, sed quo etiam pro exigentia circumstantiarum actus amoris practici v. g. per subventionem in casu indigentiæ, exhibentur in opere.

Quæritur 3. Quomodo probatur obligatio amandi parentes?

Respondeo. Id probatur ex instinctu naturali omnibus hominibus insito, qui instinctus, cum repræsentet voluntatem seu ordinationem Dei, eoipso etiam repræsentat legem naturalem, juxta illud *Ulpiani; Lex naturalis est, quam omnia animalia natura docuit*. Cum ergo homo teneatur suos affectus conformare legi naturali, sequitur, eum teneri ad amandum parentes.

Quæritur 4. Quomodo possit peccari contra amorem parentum?

Respondeo. Potest peccari 1. odio positivo, seu aversione animi libere elicita, aut libere tolerata & fomentata in animo. Cum enim ejusmodi aversio animi a parentibus sit radix multorum peccatorum, ejus voluntaria Implantatio ac conservatio est tolerantia quædam gravis mali, quæ proin non potest excusari a peccato mortali. 2. imprecatione, optatione, vel desideratione alicujus gravis mali, temporalis vel spiritualis, inferendi parentibus, v. g. mortis. 3. complacentia de gravi malo parentibus illato, vel inferendo. Id patet ex tri-

bus sequentibus propositionibus ab *Innocentio XI.* damnatis. *Prima* est. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. Secunda. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. Tertia. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* 4. Dure & aspere tractando parentes, illos non nisi torvo vultu aspiciendo. Hæc enim si frequenter fiant, & longo tempore continuentur, ita ut parentes merito graviter possint contristari, non possunt excusari a peccato mortali. 5. verbis vel signis contumeliosis, contentione, rixis verborum &c. quæ, si non possunt facile excusare gravem contristationem, eo quod raro, & solum ex præcipitantia fiant, saltem culpam venialem continent. Hujusmodi autem liberis a Confessario recte imponitur quotidiana aliqua oratio pro parentibus usque ad proximam Confessionem, vel usque ad aliquod festum: aut, si injuriæ parentibus illatæ sint recentes, deprecatio pro offensa.

Quæritur 5. Quomodo possit peccari contra reverentiam parentibus debitam?

Respondeo. Potest contra reverentiam peccari 1. si filii parentes percutiant etiam leviter. Immo etiam levis percussio parentum est *peccatum mortale*, quia in æstimatione communi etiam levis parentum percussio habetur pro injuria gravi. Extenditur hæc doctrina ad filios elevantes manum vel baculum ad percutiendum parentes cum deliberatione sufficiente, quamvis actu non percutiant; quia etiam ejusmodi actiones in æstimatione communi habentur pro gravi injuria, prout ex Navarro, Graffio, Sayro, & Reginaldo docet Catalanus. 2. Si filii parentes afficiant contumeliis & convitiis. Si enim id fiat cum sufficienti deliberatione in materia gravi, erit peccatum mortale, cum causet de se contristationem diuturnam & gravem. Ejusmodi enim contumeliæ & convitia tenaciter solent inhærere memoriæ & pectori. 3. Si Filii parentes verbis aut factis provocent ad iracundiam. Immo si talia verba aut facta de se apta sint ad excitandam iracundiam *magnam* v. g. quæ possit excitare parentes ad blasphemandum aut imprecandum, vel quæ possit causare diuturnam afflictionem animi, vel graviter nocere sanitati &c. erit peccatum mortale. Alioquin erit peccatum veniale. Immo, si iracundia parentum irrationalis, eaque non potuerat prævideri, aut præcaveri, filii nullius peccati erunt rei. 4. Si filii parentes suos dedignentur, contemnant, vel ob eorum paupertatem coram aliis agnoscere nolint. Si enim exinde parentes graviter contristari possint jure merito, peccatum erit mortale. Quod si aliquando ea parentum vel generis dissimulatio fiat in bonum ipsorum parentum, vel causa boni publici, ita ut perpensis bene circumstantiis non possint esse prudenter inviti, sicut contingit in Esthere Regina, & Josepho Patriarcha, dissimulatio usque ad tempus congruum carebit peccato. Idem dicendum, si parentes fuerint hæretici, proditores, aut publice infames. Tunc enim justa datur dedignandi parentes causa, nisi seria pœnitentia ducantur. Tunc autem illis saltem in oculto exhibenda est conveniens amori filiali charitas. 5. Si filii accusent parentes in causa criminali, vel pariente infamiam. Non enim congruit pietati filiali infamare parentes, aut aliud illis grave inferre damnum, nisi in quantum alio modo conservari nequit bonum publicum, aut privatum majoris valoris, quam esset fama, honor, & incolumitas parentum. Sic licet accusare parentes, si machinarentur crimen læsæ majestatis, proditionem patriæ, invectionem hæresis, &c. Sic etiam licet accusare parentes in causa civili, v. g. ob denegationem alimentorum.

Quæritur 6. An etiam graviter peccent,

cent, qui conjiciunt convitia & maledicta in parentes jam defunctos?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia, licet non amplius sequatur gravis contristatio parentum, violatur tamen lex naturalis omnibus gentibus insita honorandi parentes defunctos per conservationem eorum famæ, in quantum ea conservatio nec obstat bono publico, nec juri privato.

Quæritur 7. An aliquando liceat percutere, vel occidere parentes?

Respondeo. Id licet in casu injustæ aggressionis, quando ejusmodi percussio vel occisio est medium necessarium ad conservandam propriam vitam, vel integritatem membrorum. Idem dicendum, si parentes violenter grave malum intentarent contra fidem, Ecclesiam, Regem, vel patriam, quod alio modo impediri nequiret. In hoc tamen casu deberent tentari alia media, nempe monitio privata, denuntiatio secreta &c. Ita Azor, Fagundez, & Catalanus. Si tamen parens esset bannitus data cuivis facultate eum occidendi, peccaret graviter filius occidendo parentem.

Ratio est, quia in concessione generali principis semper censetur tacite exceptus filius, & alii proximi propinqui; cum utique princeps nolit agere tyrannum, & violatorem honestatis naturalis. Ita censent Azor, Catalanus & alii.

Quæritur 8. Quomodo possint liberi peccare contra obedientiam?

Respondeo. Peccant 1. non obediendo parentibus circa res pertinentes ad honestatem morum, & bonum spirituale animæ. Quod enim quoad directionem ad bonos mores teneantur obedire parentibus, probatur ex illo Prov. 1. *Audi fili mi Disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris*. Et ad Ephes. 6. Apostolus scribit: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est*. Hinc etiam Christus suo exemplo hanc legem mundo inculcaturus, usque ad annum trigesimum erat subditus illis. Sequitur proin, eos liberos peccare mortaliter qui non obediunt parentibus præcipientibus, ne se conventiculis flagitiosorum hominum immisceant, ne noctu vagentur, ne noxias familiaritates habeant, ne ludos periculosos adeant. Peccabunt etiam filii, si parentibus non obediant circa res pertinentes ad gubernationem domus; & si inobedientia pervertant gubernationem domus graviter, ea inobedientia erit peccatum grave, quando parentes volunt obligare graviter. Sicut enim Legislator potest in materia gravi obligare leviter, ita etiam parentes, quando præcise agitur de jactura bonorum temporalium, quorum sunt domini, possunt & aliquando solent suos liberos tantum obligare leviter.

Quæritur 9. In quibus rebus liberi non tenentur obedire parentibus?

Respondeo. Liberi non tenentur obedire parentibus 1. quando præcipiuntur peccaminosa, aut periculosa quoad salutem animæ, v. g. si juberentur jurare falsum, cooperari ad falsificationem mercium, vini, cerevisiæ, juvare ad tegendas fraudes, adire choreas, conventicula periculosa &c. 2. Quando agitur de electione status. v. g. ingrediendi Ordinem, contrahendi Matrimonium &c. In his enim, quæ dependent a speciali vocatione divina, cujuslibet propriæ discretioni relinquitur, quid propensioni naturali, & inclinationi a Deo speciatim inditæ conformius sit. 3. Nec tenentur obedire parentibus, si jubeant sumere sponsam vel sponsum positive contrarium propriæ inclinationi. Sic enim charitas ordinata exigit, ut quoad electionem coniugis filii non agant contra positivam inclinationem naturalem vel habitualem parentum cum manifesto periculo iis causandi gravem perpetuam contristationem: ita parentes vicissim exigente reciproca charitate obligantur ad non agendum contra positivam naturalem inclinationem liberorum. Quod si parentes neglecta charitate non agant ea, quæ sunt parentum, nec liberi tenentur ex charitate parentum in ipso puncto emancipationis divinitus ordinatæ se ultro ligare mancipatu perpetuo, seu conjugio repugnante inclinationi naturali. Aliud dicendum foret, si tan-

tantum agatur de divitiis, de emolumento familiæ, aut de solatio & fiducia parentum nulla repugnante personali inclinatione filii & filiæ erga personam, quam parentes desponsare intendunt; Sic enim tenentur liberi obedire parentibus, saltem ex lege charitatis.

Quæritur 10. Quomodo possint peccare graviter liberi, si non subveniant parentibus in necessitate spirituali?

Respondeo. Possunt peccare graviter 1. Si negligant ministrari parentibus Sacramenta in articulo mortis. Idque verum est etiam de Sacramentis ad salutem non absolute necessariis, Eucharistiæ & Extremæ Unctionis; quia ingens damnum in illo mortis articulo incurritur ex privatione gratiarum actualium ex illis sacramentis promanantium. 2. Si parentibus in morbo periculoso negligenter assistant, nullas pias precatiunculas aliquoties per diem prælegendo, vel præeundo, aut pias imagines in ægrotorum conspectu collocando vel præsentando, &c. si videant, id gratum & optatum fore infirmis. 3. Si parentes impediant, ne condant testamentum, aut ne faciant legata pia, v. g. eleemosynas in favorem pauperum pro redimendis a reatu pœnæ suis peccatis. 4. Si negligant aut diu differant restitutionem bonorum male partorum a parentibus nullo apparente titulo bonæ fidei, aut causa excusante a restitutione. 5. Si non curent celebrari exequias & Anniversaria juxta voluntatem parentum, aut solvi legata pia.

Quæritur 11. Quomodo possint peccare graviter liberi non subveniendo parentibus in gravi necessitate constitutis?

Respondeo. Possunt peccare graviter 1. Si parentibus in gravi necessitate constitutis, nec valentibus arte vel officio suo statui congruis lucrari sustentationem, negligant procurare vel dare alimenta, cum tamen possent ea dare vel procurare sine gravi præjudicio rei familiaris aut sui status. 2. Si in captivitate aut in carcere absque sua culpa æris alieni causa constitutos non liberent, cum id sine præjudicio gravi sui status vel rei familiaris, facile possent. 3. Si graviter infirmos non visitent, & verbo aut facto infirmitatem allevient. 4. Si idonea medicamenta, quæ sine præjudicio rei familiaris notabili, aut status proprii, ægro parenti procurari possunt, non provideantur, licet ea nec ab ipsomet parente provideri possint, nec ab aliis procuranda sciantur, nec aliud recuperandæ salutis medium supersit, & hoc spondeat effectum. In his enim omnibus, & pluribus similibus ordo charitatis exigit, ut liberi sua commoda postponant bono parentum alioquin irreparabili.

Quæritur 12. An filii Catholici teneantur alimenta præstare parentibus hæreticis in gravi necessitate constitutis?

Respondeo. Si parentes hæretici sint tolerati, nec tentent alios seducere, tenentur filii catholici jure naturali iis præstare alimenta. Aliud vero dicendum, si non fuerint tolerati, aut si laborent ad aliorum seductionem. Ratio prioris est, quia in tali casu tolerantiæ non interdicitur communicatio quoad conversationem civilem: ergo non est ratio suspendendi obligationem juris naturalis.

Quæritur 13. An ad sublevandam necessitatem gravem parentum filii obligentur ad manendum in sæculo, & non ingrediendam religionem?

Respondeo 1. In tali casu liberi obligantur ad non ingrediendam religionem. Ratio est; quia non est acceptum Deo sacrificium neglecta cura parentum, prout patet ex doctrina Christi superius relata q. 1. ex textu D. Marci C. 7. Ita etiam docent D. Thomas 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. Cajetanus, Alensis, Toletus, Angelus, Rosella, Sylvester, Azor, & alii.

Nec obstat quod Deut. 33. dicatur: *qui dixerit patri suo & filio suo, nescio vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum*. Et Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus*. Et Matth. 5. *Relictis retibus & patre secuti sunt eum*. Nam in duobus primis textibus sermo est de parentibus, qui filios positive arcent ab observatio-

ne legum vel Evangelii. In ultimo textû laudantur duo Apostoli Joannes & Jacobus, quod Christum secuti sint post-habito amore parentis minime in gravi necessitate constituti.

Respondeo 2. Hæc doctrina vera est, etiamsi parentes necdum sint constituti in gravi necessitate, timeantur tamen brevi in necessitate gravi constituendi, quia in Jure & in communi æstimatione hominum malum præsens & proxime imminens æquiparantur. Ita *Catalanus* referens Sanchezium, Filiutium, Abulensem, Bonacinam, Fagundez.

Respondeo 3. Ob necessitatem gravem fratrum & sororum nemo tenetur abstinere ab ingressu Religionis, nisi sciat, se in sæculo facile salvari posse in suo opulento officio vel arte divite. Sic enim videretur præferendum motivum charitatis erga fratres & sorores exiguo respective emolumento vel excessui divinæ gloriæ. Suaderem in tali casu deliberanti, ut dilatione unius vel alterius anni tantum lucretur, ut aliquo modo minuat vel tollat necessitatem gravem. Azor, Sayrus, Reginaldus, Sanchez, relati a Catalano, absolute sine restrictione tenent, ob gravem necessitatem fratrum vel sororum nullam dari obligationem abstinendi ab ingressu religionis. Id tamen non concesserim, si quis solum, aut præcipue ingrediatur religionem amore quietis vel commoditatis propriæ ad declinandas difficultates & laboriosas dies, quas in sæculo expectat, aut si prævideat, in religione nil majus præstari posse pro gloria Dei, quam valeat sacrificium charitatis pro fratribus & sororibus, v. g. educandis, & honesto in statu collocandis.

Respondeo 4. Doctrina de parentibus *in Responsione* 1. & 2. tradita, vera ac tenenda est, etiamsi quis emiserit votum ingrediendi religionem. Si enim votum emissum est ante gravem necessitatem parentum, cessat obligatio voti ob mutationem materiæ & objecti, utpote quod desinit esse de meliori bono. Si autem emissum est post gravem necessitatem parentum, eoipso invalidum est, utpote repugnans juribus tertii, nempe parentum, ac eoipso non acceptatum a Deo.

Respondeo 5. Si tempore novitiatus parentes inciderint in gravem necessitatem, quæ aliis mediis sublevari nequeat, nisi egressu filii ex Novitiatu, atque ille egressus certo sufficiat pro sublevanda gravi miseria parentum, parentibus egressum postulantibus tenetur Novitius ex Novitiatu egredi, ut sublevet gravem indigentiam parentum. Ita referente Catalano quoad rem docent Sanchez, Navarrus, Fagundez, Bonacina, & alii. Ratio est, quia Deus non acceptaret votum in præjuditium obligationis ex charitate parentibus debitæ.

Respondeo 6. Si parentes constituantur in gravi aut extrema necessitate post professionem filii, non licet filio exire ex Religione invito Superiore, sed tantum illi licet aliorum implorare pietatem, ut parentibus succurratur. Ita docet D. *Thomas* 2. 2. q. 101. a. 4. ad 4. ubi ait: *Aliud dicendum est de eo, qui adhuc est in sæculo constitutus, & aliud de eo, qui jam est in Religione professus. Ille enim, qui est in sæculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet eis relictis religionem intrare, quia transgrederetur præceptum de honoratione parentum. Ille vero, qui jam est in religione professus, jam reputatur quasi mortuus mundo. Unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, & se iterum sæcularibus negotiis implicare. Tenetur tamen salva sui Prælati obedientia & suæ religionis statu pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.* Ratio ulterior hujus responsionis est, quia parentibus, & quibusvis aliis in extrema necessitate constitutis tenetur quivis Christianus, immo & gentilis succurrere. Itaque religiosus temerarie judicaret, e tanta multitudine neminem observare legem naturalem, nisi seipsum. Si autem parentes solum fuerint constituti in gravi necessitate, juxta communem Doctorum, quos recitat Catalanus, non datur obligatio exeundi ex Ordine ad subveniendum parentibus. Pro hac sententia citatur S. Antoninus,

Rosella, Sa, Armilla, Tabiena, Angelus, Alensis, Bonacina, Fagundez, & alii. Et *Confirmatur* Responsio ex eo, quia nec conjugatus tenetur suum statum deserere ad subveniendum parentibus in gravi necessitate constitutis, nec Clericus ex eodem fine tenetur statum suum deserere. Res enim Deo oblata non potest invito auferri, nisi in extrema necessitate.

Quæritur 13. An filii teneantur solvere debita parentum, quando excedunt facultates hæreditatis?

Respondeo Negative. Ratio est, quia nullus jure naturali assignabilis est titulus hujus obligationis.

Quæritur 14. An Uxor & filii teneantur solvere defuncti sui mariti vel patris debita, si ea contracta fuerint pro alimentatione & vestitione vel Institutione liberorum aut uxoris, etiamsi nihil acceperint ex bonis defuncti?

Respondeo Negative. Ita censent Sanchez, Molina, Decius, & alii. Ratio est, quia inauditum est in foro externo, quod creditores defuncti unquam convenerint, vel excusserint uxorem & liberos defuncti, nisi in quantum ad eos venit ex bonis derelictis a defuncto. Si ergo hæc obligatio non agnoscitur in foro externo, multo minus urgebit in foro interno.

Nec obstant rationes *P. Catalani*, qui tenet oppositum, citans pro se Angelum, Jasonem, Lupum, Barbosam, & alios. Nam 1. non est universaliter verum, eum teneri ad solutionem vel restitutionem, in cujus commodum debita conversa sunt; sed requiritur, ut debitum contractum fuerit cum illius præscitu ac consensu, & cum animo se obligandi ad solutionem in defectu debitoris principalis, prout patet ex dispositione legum & praxi omnium gentium. Lex *His solis* quam Catalanus citat pro se, ff. de Condict. indebiti, expresse docet oppositum illius, quod ille intendit: Lex enim sic habet: *His solis pecunia condicitur, quibus quoquo modo soluta est; non quibus proficit*. Nec etiam obstat Lex *Filium habeo* 14. ff. D. S. C. Macedoniano, ubi pater jubetur solvere mutuum a filio acceptum. Expresse enim ibi dicitur, quod illud mutuum jussu patris acceptum fuerit. Lex sic habet: *Filium habeo, & ex eo nepotem; nepoti meo creditum est jussu patris ejus*.

Quæritur 15. Qualis sit obligatio parentum erga liberos quoad eorum alimentationem?

Respondeo 1. Parentes tenentur liberis præstare alimenta & universim omnia, quæ ad sustentationem vitæ requiruntur, videlicet vestimenta, medicamenta, habitationem, donec sibi ipsis de congrua sustentatione providere possint. Hanc enim legem naturalem Deus omnia animalia docuit. 2. Ea lex ad procurandam sustentationem etiam stringit avos & avias. Licet enim in animalibus non observetur respectus ad objecta a sensibus remota, quæ per intellectum attinguntur; sed tantum ad objecta sensibus obvia, in homine tamen ex communi æstimatione hominum & a legibus cura nepotum avis merito defertur. Eam obligationem tamen non procedere in infinitum, vel ultra avos, ex eo colligitur, quia alioquin sequeretur, Adamum aut Noemum, si viverent, obligari ad sustentandos omnes pauperes usque ad finem mundi, quod nemo non videt, neutiquam convenire sapienti ordinationi conditoris. Ita desumitur ex l. *Si quis a liberis* ff. de agnoscendis liberis, ubi §. 5. dicitur: *D. Pius rescripsit, quasi avus quoque maternus alere compellatur*. Ibidem §. 2. dicitur, quod detur mutua obligatio se invicem alendi inter avum & nepotes. 3. Lex alimentationis etiam stringit parentes relate ad filios illegitimos, aut spurios. Ratio est, quia Deus omnibus suis creaturis vel immediate per se & effectus, vel per homines instrumento legum naturalium de conservatione providet. Ubi ergo in ejusmodi liberis illegitimis ac spuriis alia media divinitus ordinata deficiunt, signum est, iis provideri per legem naturalem primarie parentibus inditam, nisi aliud sanxerit Respublica. 4. Ad alendos liberos illegitimos, aut spurios non solum tenentur patres, sed

etiam

etiam matres. Id patet ex C. *cum haberet*, de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, ubi *Clemens* III. sic scribit: *Sollicitudinis tuæ erit, ut uterque liberis suis* (pater & mater) *secundum quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret*. 5. Peccant parentes graviter, alimenta denegando liberis in gravi necessitate constitutis, etiamsi jam extra paternam potestatem constituti sint, dummodo non sua culpa in eam necessitatem inciderint. Ita habetur l. *Siquis a liberis* ff. de agnoscendis liberis, ubi §. 1. dicitur: *Utrum eos tantum liberos, qui sunt in potestate, cogatur quis exhibere, an vero etiam emancipatos, vel ex alia causa sui juris constitutos, magis puto, etiamsi non sint liberi in potestate, alendos a parentibus; & vice mutua alere parentes debere*. In casu enim culpæ propriæ merito relinquuntur in gravi necessitate, in quam se ultro conjecerant. Nimis enim difficile foret parentibus luere alienam culpam cum gravi suo incommodo. Exigit tamen ordinata charitas, ut si miseris desint alia subsidia, parentes levent ejusmodi liberorum indigentiam aliqua saltem ex parte, sic ut sentiant pœnam, & resipiscere discant sine gravi suo incommodo. Idem dicendum, si liberi fuerint proscripti, vel excommunicati, & spes emendationis appareat. 6. Alimentatio liberorum principaliter pertinet ad patrem, ita ut, si habeat sufficientes facultates, post ablactationem infantis teneatur per se solus ferre expensas alimentationis, Mater vero obligatur ad triennalem ablactationem, & dein, si pater non possit, aut ex malitia nolit præstare alimentationem, tenetur præstare residuo tempore sustentationem, donec infans possit propriam sustentationem lucrari. In l. *Siquis a liberis*. ff. de agnoscendis liberis dicitur: *Si mater alimenta, quæ in filium fecit, a patre repetat, cum modo eam audiendam divus Marcus* (Imperator) *rescripsit Antoniæ Montanæ in hæc verba: Quantum tibi alimentorum nomine, quibus necessario filiam tuam exhibuisti, a patre ejus præstari oporteat, Judices æstimabunt; nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiam tuam erogatura esses, etiamsi a patre suo educaretur*. Quod autem ablactatio per triennium pertineat ad matrem, habetur in l. *Nec filium* C. de patria potestate, ubi Diocletianus & Maximianus sic scribunt: *Senatusconsulta remedium alimentorum apud Præsidem majori trimo petenti nomine ejus monstratum jure manifesto declarant*. Cæterum cum ejusmodi obligationes solum fundentur in Jure Civili, quod in plerisque regionibus vim obligandi non amplius habet pro foro interno, nisi in quantum repræsentat quasdam directiones legis & æquitatis naturalis, Confessarius tamquam Vicarius Dei, jure, ut ita dicam, quodam prætorio divino, expensis circumstantiis paupertatis, malitiæ ac seductionis onera alimentorum servata proportione inter patrem & matrem dividet.

Quæritur 16. An Mater teneatur lactare filios per seipsam?

Respondeo. Matres peccant saltem venialiter, si infantes suos aliis matribus ablactandos committunt sine causa legitima necessitatis. Talis autem causa foret, si maritus sit valde incontinens, & mater naturæ debilis, ita ut inter tot actus conjugales sanum aut sufficiens lac præstare judicio medici non possit. Responsio probatur ex Responso D. Gregorii M. ad Augustinum Anglorum Episcopum, & Nicolai Papæ ad interrogationes Bulgarorum. Uterque relatus C. *ad ejus vero* dist. 5. sic habet: *Prava in conjugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum; quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos gignunt*. Quod igitur judicio duorum Pontificum tanquam corruptela legi naturali adversa condemnatur, nisi causa aliqua necessitatis excusetur, authoritate aliquot Casuistarum honestari nequit.

Quæritur 17. An peccent mortaliter parentes, si liberos suos legitimos vel ille-

illegitimos, quos alere possent, in templis vel Hospitalibus exponant?

Respondeo. Tales parentes mortaliter peccant & tenentur omnes expensas refundere Hospitali, Domui, aut familiæ, a qua sustentantur. Licet enim ab Hospitalibus aut aliis piis personis gratis recipiantur, id tamen ex intentione fundatorum, vel personarum gratis nutrientium fit relate ad parentes pauperes. Sicut ergo simulantes paupertatem tenentur ad restitutionem eleemosinæ acceptæ, sic etiam ejusmodi simulantes paupertatem tenentur ad restitutionem. Quod si etiam concedatur, tales fundationes ac receptiones infantium pie fieri etiam relate ad parentes divites, qui erubescunt de partu, & metuunt infamiam vel scandalum, non tamen prudenter tale opus pium potest exigi vel præstari absolute, sed tantum sub *conditione*, *modo*, seu *onere* restitutionis.

Quæritur 18. An parentes teneantur dotare filiam spuriam, si velit contrahere matrimonium, vel ingredi monasterium?

Respondeo. Si parentes habeant alios liberos, quibus per dotationem filiæ spuriæ præjudicaretur notabiliter in portione sibi congrua, non tenentur dotare filiam spuriam, sed sufficit, si illi ad imitationem Abrahæ dentur *munera*, quibus possit honeste vivere. Si autem parentes non habeant alios liberos, iterum distinguendum est, an habeant sua bona aliunde obligata ad causas pias, sicut Clerici locupletati aut viventes ex redditibus Ecclesiæ; vel non? Si non habeant bona, nisi ex redditibus Ecclesiasticis, non tenentur dotare filias spurias ad contrahendum matrimonium; immo nec possunt sic dotare licite. Immo nec decet, ut dotent magna dote ad monasticum statum, si dentur aliæ causæ piæ respective gratiores Deo. Si autem parentes sint divites, ac sine liberis, & habeant bona solum laicalia, videtur ordo charitatis exigere, ut dotent filiam spuriam in ordine ad status honestatem præcise ac sufficientiam. Sic concordari posse videntur authores absolute affirmantes obligationem dotandi cum Bartholo, Azorio, Fagundez, & Catalano; aut eam obligationem absolute negantes cum Panormitano, Vasquezio, & Molina.

Quæritur 19. An & quomodo peccent parentes negligendo in liberis disciplinam morum, & bonam educationem?

Respondeo 1. Parentes negligendo in liberis disciplinam morum & bonam educationem peccant mortaliter. Id probatur ex 1. Tim. 5. ubi Apostolus scribit: *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Si quis autem suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Quod hoc loco de viduis dicitur respectu liberorum & nepotum, multo magis locum habet in patre & avo, per quod proin etiam confirmatur doctrina de obligatione reciproca inter avos & nepotes superius tradita.

Respondeo 2. Graviter peccare parentes, si a filiis non auferant *occasiones propinquas* seu *pericula probabilia* peccandi mortaliter; aut si filiabus permittant familiaritates periculosas & conventicula cum amasiis; aut si filias non reprehendant acriter, quando utuntur ornamentis excedentibus morem communem honestarum puellarum, solum idoneis ad illaqueandos juvenum animos, aut si filiabus post earum desponsationem permittant liberiores tactus lascivos cum Sponsis pronos ad incontinentiam aut pollutionem. Idem dicendum de osculis quæ ex eorum natura aut circumstantia merito videri poterant periculosa.

Respondeo 3. Peccant etiam parentes, si negligant facere sumptus pro bona educatione ac instructione liberorum ad pietatem & artes vel scientias statui suo congruas juxta facultates & morem patriæ.

Respondeo 4. Peccant graviter, si filios depravent malo exemplo, aut consiliis pravis; aut si non utantur debita objurgatione vel castigatione ad vitam liberorum perversam corrigendam. Si autem objurgationes vel etiam castigationes

tiones nihil proficiant, tenentur in consilium advocare parochos, vel implorare officium Judicis.

Respondeo 5. Peccant graviter, si filios aut filias minis, verberibus, aut alio genere coactionis vel metus cogant ad matrimonium vel ingressum religionis. Immo Concilium Tridentinum anathemate ferit omnes personas, adeoque etiam parentes, si fœminas puellas, aut viduas compellant ad religionis ingressum, seu habitus susceptionem, vel emissionem professionis.

Dixi, *fœminas*. Non enim comprehendit hæc excommunicatio eos, qui compellunt viros ad ingrediendum religionem, eo quod, ut Navarrus advertit, lex pœnalis sit strictæ interpretationis. Verba Concilii Tridentini, Sess. 25. C. 18. de Regularibus, sic sonant: *Anathemati S. Synodus subjicit omnes & singulas personas cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint tam Clericos, quam laicos sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo impedierint.*

Respondeo 6. Peccant graviter, si filium aut filiam habentes votum simplex castitatis compellant minis ad matrimonium contrahendum. Si enim advertant, ejusmodi filium aut filiam frequenter agere contra votum, aut ejus esse fragilitatis, ut non speretur ab iis observatio voti, possunt iis suadere, ut petant dispensationem a voto.

Respondeo 7. Possunt etiam graviter peccare, si nimis austero modo loquendi & agendi sine suavi consolatione eos graviter contristent & reddant pusillanimes. Apostolus enim ad Coloss. 3. v. 21. scribit: *Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*. Hinc

Respondeo 8. Peccant etiam graviter, sine necessitate sed tantum avaritiæ vel majoris commoditatis causa nimium protrahendo matrimonium liberorum. Dicitur enim Eccles. 7. v. 27. *Trade filiam, & grande opus feceris; & homini sensato da illam*. Igitur id faciendum mature.

Quæritur 20. An etiam illi parentes graviter peccent aut excommunicationem incurrant, qui filiam illegitimam instituunt hæredem, si ingrediatur monasterium; secus vero illi solum relinquunt legatum exiguum?

Respondeo. Tales parentes non incurrunt excommunicationem. Ita teste Barbosa declaratum est a S. Congregatione Concilii 18. Junii 1573. Possunt tamen peccare mortaliter contra charitatem, si non habeant alios liberos, & consideratis circumstantiis personalibus dubium sit, an filius aut filia habeat genuina signa vocationis ad statum religiosum.

Quæritur 21. Ad quid obligetur maritus uxori, & vicissim uxor marito?

Respondeo. Obligantur reciproce 1. *ad amorem* conjugalem tam internum per affectionem rationalem, quam externum per obsequia amoris.

Dixi, *conjugalem*, qualem Christus habet erga suam Ecclesiam. Ille enim amor non est carnalis ac libidinosus, quo solum amatur persona causa voluptatis carnalis, prout diligit concubinarius concubinam, adulter adulteram, sed est amor amicitiæ tendens ad mutuam communicationem bonorum, tam in hac vita, quam in altera, præsertim in ordine ad participationem summi boni. Tenentur 2. ad *exhibendum honorem* reciprocum tam in actibus internis, quam in verbis. Is autem honor consistit in recognitione *compotestatis* herilis & conjugalis & socialis; *herilis* quidem in marito

rito quoad administrationem bonorum, & in uxore quoad administrationem œconomiæ domesticæ a marito, vel a jure particulari, vel ex consuetudine locorum aut statuum uxoribus concreditæ, *conjugalis* quoad jus exigendi debitum; *socialis* quoad administrationem bonorum ex aquæstu communium, ut fiat communi consilio. Tenentur 3. *ad obedientiam rationalem* quoad opus conjugii. Hæc omnia probantur ex Apostolo, qui ad Ephesios 5. v. 21. sic scribit: *Videte, quomodo caute ambuletis, subjecti invicem in timore Christi. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea; ut illam sanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, sed ut sit sancta & immaculata; ita & viri* (modo & intentione sanctificationis consimili) *debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam. -- Et vos singuli unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat; uxor autem timeat virum suum*. Et D. Petrus Epist. 1. C. 3. scribit: *Mulieres subditæ sint viris suis. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ*. Et Apostolus Colofs. 3. v. 18. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri diligite uxores, & nolite amari esse ad illas*. Idem 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Quæritur 22. An maritus teneatur cohabitare uxori? & vicissim uxor viro?

Respondeo. Maritus sub peccato mortali tenetur quoad thorum & mensam cohabitare uxori, & vicissim uxor viro, nisi legitima causa excuset. Id probatur ex supra allegato textu Apostoli 1. Cor. 7. ubi addit: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum; ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem* (posterius) *non dico secundum imperium, sed secundum indulgentiam*. Quod autem legitima causa non cohabitandi excuset, patet ex perpetua praxi Ecclesiæ. Sic enim Martiri passim absunt causa navigationis in Indiam, Mercaturæ, negotiationis, militiæ, legationis, &c. Sic etiam Alexander III. in C. *pervenit* de conjugio leprosorum, non est ausus, conjuges leprosos absolute sub censuris compellere ad cohabitandum. Dicit enim: *Mandamus ut uxores viris, & viros eis conjugali affectione ministrent, solicitis exhortationibus inducere non postponas. Si vero ad hoc induci non potuerunt, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet*.

Quæritur 23. An maritus teneatur universim præstare alimenta uxori?

Respondeo. Maritus tenetur universim præstare alimenta, nisi propria culpa discesserit a convictu mariti. Si enim uxor discesserit ob sævitiem mariti, tenetur nihilominus alere uxorem. Id probatur ex natura hujus contractus, qui, in quantum est contractus civilis, regulatur ex consensu contrahentium, vel ex consuetudine, vel ex dispositione legum, a quarum in foro externo dispositione etiam obligatio pro foro interno regulanda est. Quod attinet consensum contrahentium, cum feratur in societatem vitæ individuam, eoipso obligat ad alimentationem uxoris perpetuam, nisi culpa uxoris hoc jus dissolvatur. Quo casu autem maritus ex charitate denuo recipere uxorem serio pœnitentem tenetur, eo casu etiam tenetur eam de novo alere.

Quæ-

Quæritur 24. An maritus teneatur potius ſubvenire uxori extreme indigenti, an vero patri vel matri aut filiis extreme indigentibus?

Reſpondeo. Potius eſſe ſubveniendum patri, quam uxori aut liberis; & potius uxori quam liberis; & potius patri quam matri, niſi ex præſumpto conſenſu patris, vel matris evidenter conſtet, potius ſubveniendum filio, v. g. ſi ſit unicum germen familiæ illuſtriſſimæ, per cujus mortem extingueretur ſtemma, aut bona devenirent in manus acatholicorum, aut orirentur bella, &c. vel ſi morali certitudine conſtaret, patrem vel uxorem eſſe in ſtatu gratiæ, filium autem in ſtatu peccati. Ita quoad rem ſentire videtur D. *Thomas* 2. 2. q. 26. a. 9. 10. & 11. In a. 9. ad 3. ſic ſcribit: *In articulo neceſſitatis filius obligatus eſt ex beneficiis ſuſceptis, ut parentibus magis ſubveniat* (quam filiis). Et a. 10. C. *Per ſe loquendo pater magis eſt amandus, quam mater. Amantur enim pater & mater, ut principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principii quam mater*. Et a. 11. C. *Secundum rationem boni magis ſunt diligendi parentes, quam uxores, quia diliguntur ſub ratione principii*. Et ad 1. *Non quantum ad omnia deſeritur pater & mater propter uxorem. In quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus, quam uxori*. Illa *quædam a D.* Thoma non poſſunt intelligi potius alia quam caſus extremæ neceſſitatis, præſertim cum S. Doctor prælationem practicam fundet in titulo majorum beneficiorum, quæ haud dubie majora derivata fuerunt ex patre, quam ex uxore. Vide dicta Diſput. I. q. 2. qq. 7. 8. 9. 10.

Quæritur 25. Quomodo poſſint graviter peccare mariti & uxores contra amorem ſpecialiter invicem debitum?

Reſpondeo. Poſſunt graviter peccare 1. ſi maritus proferat verba infamatoria vel injurioſa contra uxorem, quæ illi poſſint cauſare gravem contriſtationem & diuturnam ac juſtam. Non tamen peccat, ſi utatur verbis acrioribus tendentibus ad emendationem uxoris. Idem reciproce dicendum de verbis infamatoriis, aut injurioſis, vel acrioribus uxoris erga maritum, ſi etiam ipſa per verba acriora, prolata opportuno tempore, poſſit ſperare fructum. 2. Si maritus immoderate verberet uxorem. Immoderate autem fieri dicitur, ſi excedatur in modo ultra neceſſitatem, quam ad emendationem delinquentis ſufficit, ſi fiat modo apud ſimilis conditionis homines non ſolum inſueto, ſed etiam contumelioſo relinquente infamiam apud alias fœminas ſeu perſonas: aut ſi fiat modo non permiſſo per leges vel judices privatis perſonis. Exceditur etiam in modo, ſi fiat ex cauſa inſufficiente ad tantam caſtigationem, aut ſi non poſſit ſperari fructus emendationis, ne quidem ad breve tempus. 3. Si maritus abſque legitima cauſa uxorem impediat ab obſervatione mandatorum Dei, v. g. ne poſſit audire Miſſam die feſto, ne poſſit obſervare jejunia, ne confiteatur, & communicet in Paſchate. Imo foret etiam peccatum mortale, ſi longo tempore ſine ulla cauſa rationabili impediret a conſuetis apud ſimilis conditionis fœminas devotionibus, v. g. a ſacra communione menſtrua, Miſſa quotidiana &c. in quo tamen impeditionis genere poteſt intervenire peccatum veniale. 4. Viciſſim poteſt mortaliter peccare uxor, ſi verbis injurioſis, rixis, contentionibus, vel actionibus variis maritum excitet ad gravem iracundiam conjunctam cum contriſtatione gravi diuturna, aut cum blaſphemiis, imprecationibus, &c. 5. Si uxor ſibi arroget adminiſtrationem rei familiaris, & gubernationem domus, ex contractu ſpeciali conſuetudine, vel lege ad ſe non pertinentem. 6. Si uxor impediat notabiliter maritum a rectæ diſciplinæ conſervatione, & pravorum morum in liberis caſtigatione. Idem dicendum de marito, ſi uxorem notabiliter impediat a bona educatione liberorum, præſertim puellarum, quarum cura de conſuetudine relinquitur matribus. 7. Si uxor ſine cauſa legitima recuſat ſequi ma-

maritum quando mutat domicilium intra vel extra provinciam, isque id serio postulet. 8. Si uxor dives marito ad inopiam redacto, nec habenti aliunde subsidia, deneget alimenta & media ad honestam sustentationem. Aliud dicendum, si vir esset prodigus, vel abuteretur subsidiis ad vitia.

Quæritur 26. Quænam sit obligatio fratrum ac sororum inter se?

Respondeo 1. Fratres & sorores tenentur juvare se invicem præ aliis in extrema necessitate.

Respondeo 2. Iidem tenentur fratribus seu sororibus redactis ad gravem necessitatem, ita ut honeste juxta conditionem status vivere nequeant, præstare alimenta & media ad honestatem status necessaria, supposito, quod habeant bona propria, non vero communia, prout solet fieri apud conjugatos conditionis plebeæ.

Ratio est, quia hæ obligationes sunt omnibus Christianis communes erga quoslibet, ut nempe iis succurrant in extrema necessitate, imo etiam in gravi, si absit periculum, eos non incursuros per hoc periculum decidendi ipsosmet in gravem necessitatem. Ergo multo magis ea obligatio urgebit relate ad fratres & sorores præ aliis non habentibus tam strictam obligationem. Vide dicta Sect. 1. §. 2. q. 7.

Quæritur 27. An frater dives teneatur alere & dotare sororem pauperem germanam?

Respondeo. Si frater dives habeat liberam administrationem suorum bonorum, tenetur ex charitate dotare sororem germanam pauperem. Ratio est, quia defectus dotis pertinet ad gravem necessitatem. Cum ergo ex prius dictis constet, fratrem obligari ad succurrendum sorori pauperi in necessitate gravi constitutæ, etiam obligabitur præ aliis ad dotandam sororem pauperem. Idem dicendum etiam de fratribus & sororibus non germanis, sed tantum uterinis, vel ex eodem patre genitis, si non detur alius propinquus strictioris obligationis seu vinculi, qui juvare possit ac velit. *Ratio* est, quia etiam jus successionis ab intestato deficientibus propinquioribus eos vocat in communione bonorum. Ergo ratio ordinatæ charitatis exigit, ut in gravi necessitate, qualis est defectus dotis, sibi invicem ex superfluis subveniant præ aliis remotioribus. Idem dicendum, etiamsi frater aut soror a parentibus foret exhæredata; neque enim per hanc exhæredationem tollitur ordo charitatis & jus successionis inter fratres & sorores.

Quæritur 28. An Clericus Beneficiarius teneatur sororem pauperem alere? vel etiam dotare?

Respondeo 1. Clericus Beneficiarius tenetur sororem pauperem alere, si non possit aliunde habere honestam sustentationem. Ita *Catalanus* allegans *Glossam Abbatem*, *Angelum*, *Sylvestrum*, & *Azorium*.

Ratio est, quia inter causas pias, ad quas Clerici tenentur expendere bona Ecclesiastica superflua, non infimum locum occupat sustentatio pauperum, qui non habent honestam sustentationem. Determinationem autem exigit ordo charitatis ad individuum personæ.

Dixi. *Si non habeant honestam sustentationem*, quod intelligendum, *juxta conditionem sui status*. Alioquin omnes status rustici, vel alterius status plebei laboriosi, deberent dici pauperes. Itaque per pauperes intelligo illos, qui, licet possint servire in servitiis, sunt tamen in periculo, tandem interveniente senio, morbo, vel alio casu facile deveniendi in statum, in quo cogantur misere transigere vitam; vel qui etiam per servitia haud facile, nisi nimis sero, pervenient ad dotem suæ conditioni congruam.

Respondeo 2. Clericus Beneficiatus non tenetur sorori pauperi dare dotem, si possit alio modo alere sororem, & reperiantur aliæ causæ piæ altioris ordinis ac Deo eminenter hic & nunc acceptiores. Si vero non possit alio faciliori ac securiori modo alere sororem, quam mediante dote, nec adsint aliæ causæ piæ altioris ordinis ac urgentiores, tenetur eam dotare; cum ita exigat ordo charitatis, ut gravem necessitatem, qualis

lis est defectus dotis, sublevet in persona sibi cæteris conjunctiore. Ratio autem responsionis quoad priorem partem est; quia Clerici tantum sunt administratores bonorum Ecclesiasticorum, prout suppono ex Tract. de Justitia. Administrator autem tenetur administrare bona sui Domini *modo meliori*, quo potest, & quantum fieri potest, *in majus ejus commodum*. Itaque tenetur Clericus servato ordine charitatis erga Deum ad causas pias, si quæ occurrunt, altioris ordinis & urgentiores. Si autem Clericus in ejusmodi casu sororem dotaverit, non tenetur apponere pactum, ut soluto matrimonio sine liberis dos ad Ecclesiam redeat. Ratio est, quia nec pauperibus apponi solent ejusmodi conditiones, & nec ipsa dotata posset per testamentum disponere in favorem mariti vel alterius causæ piæ, quæ restrictio redderet uxorem marito odiosam. Ita etiam sentit Catalanus allegans Vasquezium & Fagundezium. Verum tamen est, quod dotata si forte sine liberis decedat, teneatur ex gratitudine, dotem suam relinquere in causas pias per testamentum vel legatum, nisi obstent alia pacta conjugalia reciproca, aut nisi partem vel totum relinqui marito exigat gratitudo & lex charitatis.

Quæritur 29. Qualis sit obligatio Dominorum ac Superiorum erga servos, famulos, & ancillas? vel erga subditos suo regimini?

Respondeo. Domini & Superiores tenentur 1. gerere curam spiritualis salutis suorum servorum, ancillarum ac subditorum; ita ut peccent graviter si notabiliter negligant salutem spiritualem suorum domesticorum. Id probatur ex 1. Tim. 5. ubi Apostolus ait: *Si quis suorum, maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior*.

Tenentur 2. invigilare, ne famuli vel ancillæ transgrediantur mandata Dei, v. g. blasphemando, lasciva colloquia miscendo, &c. Id consequitur ex priori obligatione. Verum ex hac ipsa obligatione consequitur alia; quod nempe teneantur famulis & ancillis præscindere occasiones propinquas peccandi, v.g. conventicula præsertim nocturna cum altero sexu, nocturnas evagationes, frequentationem chorearum & compotationum cum altero sexu, cohabitationem & dormitionem famulorum & ancillarum in eodem cubiculo, &c.

Tenentur 3. corrigere delinquentes, & incorrigibiles, tanquam pestiferos, domo ejicere, ne contagione plurimos perdant. Quamvis enim credatur, eos evasuros adhuc pejores, si ejiciantur domo, observandum tamen est, quod monet Apostolus 1. Cor. 5. v. 9. *Scripsi vobis in Epistola; ne commisceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis ex hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri; si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Eos, qui foris sunt, judicabit Deus. Auferte malum ex vobis ipsis*.

Tenentur 4. præstare famulis & ancillis alimenta competentia, quæ & corpus cum solatio & gratiarum actione erga Deum hilari reficiant, & vires ac sanitatem sine attenuatione notabili conservent. Avaritiæ enim & injustitiæ est, operarium pro exiguo lucro sic attenuare, ut incurrat periculum tantæ debilitationis, quæ illum reddere possit inidoneum ad laborandum & lucrandum panem. Id probatur ex natura divinæ providentiæ, omnibus præordinantis sustentationem congruam. Hinc & Christus Matt. 10. dicit: *Dignus est operarius cibo suo*.

Tenentur 5. eos tractare charitative, modeste, ac suaviter; si enim perpetuo eos tractent verbis asperis & cum minis, & increpationibus circa res levissimas, possunt in iis causare gravem contristationem, ac proin peccare graviter. Id probatur ex variis textibus Apostoli, qui ad Colloss. 4. v. 1. scribit: *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate scientes, quod & vos Domi-*

minum habetis in cœlo. Et Ephes. 6. v. 5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quod & illorum & vester Dominus est in cœlis & personarum acceptio non est apud eum*. Et ad Titum 2. v. 9. *Hortare, servos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*.

Tenentur 6. solvere sine mora mercedem. Deus enim gravissimam indignationem suam comminatur differentibus ejusmodi mercedem indigentibus, quales sunt fere omnes, qui servitio victum quærunt. Deut. 24. v. 14. dicitur: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam; ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*. Dum hoc loco allegatur sustentatio, non solum sermo est de præsenti, sed etiam de futura, de qua sibi famuli prospiciunt per servitia. Et Tobiæ 4. v. 15. *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat*. Ex hoc autem sequitur, quod etiam obligentur ad compensandum totum salarium integri mensis, vel anni, pro quo conduxerunt operam famuli, vel ancillæ, si eum sine causa legitima ante finitum tempus locationis dimittant, vel injuste cogant discedere necdum finito locationis tempore.

Tenentur 7. curam gerere famulorum vel ancillarum ægrotantium. Si enim Christus Matth. 25. eos damnat ratione immisericordiæ qui non visitant infirmum etiam extraneum, quanto magis damnationis rei erunt, qui non charitative visitant domesticum, sed eum domo ejiciunt cum periculo augendæ infirmitatis & amittendæ vitæ? Aliud est, si mittantur ad Hospitale, vel ad parentes, ubi curantur securius. Ratio hujus obligationis ulterior reddi potest; quia non liceret famulo vel ancillæ e servitiis discedere, si paterfamilias & materfamilias cum omnibus liberis corriperentur maligna febre, sicque famulis & ancillis non solum duplo vel triplo augeretur molestus labor, sed etiam vitæ periculum. Ergo obligatione reciproca nec licebit vicissim famulos ægros dimittere.

Ex hac obligatione *sequitur* 8. quod Domini non possint pro rata temporis detrahere a salario annuo, si infirmitas famuli solum brevi tempore duret; quia nec famulis augetur salarium, si paterfamilias & materfamilias cum liberis ægrotent, sicque tenerentur alium infirmarium conducere, nisi famuli & famulæ præter labores consuetos in se reciperent laborem extraordinarium sine auctario salarii.

Tenentur 9. famulos & ancillas non impedire a contrahendo matrimonio intra limites constituti temporis, sed iis sine tergiversatione solvere pro rata temporis competens salarium. Si tamen Dominus ex eo discessu pateretur damnum notabile, teneretur discedens compensare damnum, aut loco sui sistere alium famulum idoneum. *Ratio* est, quia locationes operæ sunt contractus bonæ fidei, qui habent imbibitas eas conditiones, quas verosimiliter expresse deducerent contrahentes in pactum, si de iis cogitassent. Haud dubie autem famulus se obligando ad servitium annuum hanc conditionem deduceret in pactum: *Nisi interea sors opportuna contrahendi matrimonium, vel stabiliendi meum statum occurrerit*. Aliud tamen dicendum de servis proprie dictis, seu mancipiis. Si enim princeps territorialis potest interdicere matrimonium subditis militibus vel aliis non habentibus sufficientes fundos, vel bona; ideoque ob

ob bonum publicum, cur non idem liceat Domino erga mancipia, nisi in particulari casu aliud exigat lex charitatis erga Deum ad impedienda peccata plurima?

Quæritur 30. Qualis sit obligatio servorum erga Dominos?

Respondeo. Servi tenentur suis Dominis exhibere 1. *obedientiam* quoad gubernationem domus tam in temporalibus quam spiritualibus. In temporalibus enim suam locarunt operam; adeoque ad obedientiam obligantur ex contractu. In spiritualibus vero circa observantiam honestatis Christianæ subjiciuntur Dominis ex natura subordinationis præstabilitæ a Deo teste Apostolo ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt*.

Tenentur 2. exhibere *timorem reverentialem*, seu *honorem & reverentiam*. Id patet ex Apostolo ad Ephes. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino*. Idem repetit ad Colos. 3. v. 22. Hinc & D. Petrus 1. Epist. 2. v. 18. scribit: *Servi subditi estote in omni timore Dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*.

Tenentur 3. *servare fidelitatem*. Nam Apostolus ad Titum scribit: Hortare, servos Dominis subditos esse in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes. Ex hoc autem consequitur, quod teneantur impedire damnificationes, furta, fraudes, &c. quæ a conservis vel aliis Domino *notabiliter* fiunt, & si privata monitione nil proficiant, aut nullum sperent fructum, tenentur monere Dominum, ut se servet indemnem in hoc vel illo genere rerum œconomicarum.

Quæritur 31. Quinam alii adhuc comprehenduntur hoc quarto præcepto?

Respondeo. Comprehenduntur omnes, quos parentum loco habere aut venerari debemus. Tales sunt 1. Patrini, 2. Parochi & Episcopi nostri. 3. Confessarii nostri. 4. Superiores in spiritualibus vel temporalibus. 5. Tutores & Curatores. 6. Seniores. His enim omnibus debetur honor, reverentia, & respective obedientia, ut suo loco dicetur. Hinc & Apostolus 1. Tim. 5. specialiter de Genitoribus, & Clericis dicit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, anus ut matres. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*.

SECTIO VI.

De quinto Præcepto seu Homicidio.

QUæritur 1. Quomodo sonet quintum præceptum Decalogi?

Respondeo. Hoc præceptum exprimitur in Scriptura variis verbis. In Exodo C. 20. dicitur indefinite: *Non occides*. Iisdem verbis continetur Deut. 5. v. 16. In Levitico C. 24. *Qui percusserit & occiderit hominem, morte morietur .... Si quis per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo evellas, ut moriatur*. Et Gen. 8. Deus ad Noemum dicit: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum & de manu viri & fratris ejus, requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Ex hoc textu posteriore, qui est regula cæterorum, colligitur Deum sibi specialiter reservasse dominium vitæ humanæ ob excellentiam hominis, utpote qui inter omnes creaturas terrestres suis potentiis & operationibus referat similitudinem Dei. Ea specialis reservatio divina dominii in vitam humanam colligitur etiam ex antithesi, quam Deus l. c. facit inter alias res, quarum concedit dominium Noemo & ejus posteris. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia;* quasi diceret; omnium viventium habeatis dominium, excepto homine. Ex hoc ergo magno principio sequitur generalis Regula: *Nulli hominum in vitam humanam competere*

petere jus, nisi in casibus a Deo specialiter permissis.

Quæritur 2. Quænam prohibeantur isto quinto præcepto?

Respondeo. Prohibetur 1. *Omne homicidium injustum*. Est autem omne homicidium injustum, quod non est *specialiter* permissum a Deo saltem sub terminis generalibus, prout q. 1. ostensum est. 2. *Voluntas committendi homicidii injusti*. 3. *Quævis actio tendens, vel disponens ad homicidium injustum*. Quales actiones sunt contumeliosa verba, convitia, rixæ, vulneratio, mutilatio, provocatio ad duellum, insidiarum structio, imprecationes, optationes mortis, maledictiones, &c. Id colligitur ex verbis Christi Matth. 5. v. 20. ubi ait: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (hoc est, examine, justane fuerit ira vel injusta.) *Qui autem dixerit fratri suo, Raca* (seu verbum indignationis seu vindictæ) *reus erit Concilio* (hoc est, severiore examine, an verbum illud sit dignum pœna mortis vel leviori, vel nulla). *Qui autem dixerit, Fatue*, (ingenerando apud alios gravem contemptum seu vilipensionem injustam) *reus erit gehennæ ignis*.

Quæritur 3. An permissum sit, malefactores publica authoritate occidere?

Respondeo Affirmative. Ratio est, quia occisionem malefactorum Deus in Scripturis *specialiter* in pluribus locis permittit, partim præcipiendo, partim approbando. Sic Exodi 22. v. 3. *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur*, haud dubie authoritate publica. *Qui coierit cum jumento, morte moriatur. Qui immolat Diis, occidetur*. Tacite autem hoc genus homicidii approbat Apostolus ad Rom. 13. his verbis: *Vis non temere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est; vindex, in iram ei, qui malum agit*. In hoc textu insinuatur, homicidia justa fieri non posse, nisi jussu tacito & ordinatione Dei per modum ministerii & executionis voluntatis divinæ. Plura autem reperiuntur in V. T. exempla approbatæ occisionis authoritate publica in variis criminibus.

Quæritur 4. An liceat occidere proscriptos data cuivis facultate eos occidendi?

Respondeo. Si proscriptus existat extra ditionem proscribentis, aut habeat probabilem causam suæ defensionis, non licet eum occidere. Si enim causa suæ proscriptionis sit tantum politica, nec evidenter injusta, non licet occidere sic proscriptum; quia Respublica in ejusmodi causa non potest dare facultatem occidendi, & si eam posset dare, non tamen liceret agere ejus carnificem motu proprio illi, qui proprio judicio judicat probabiliter innocentem. Si autem proscriptus sit quidem evidenter reus, sed existat in territorio alieno, violaretur jurisdictio Domini vel principis territorialis in re magni momenti, prout Catalanus observat. Aliud dicendum, si proscriptus sit evidenter reus, & existat in ditione proscribentis, & credatur vel timeatur etiam in posterum fore nocivus Reipublicæ, licite poterit a quovis occidi, dummodo non fiat ex odio privato, sed ex amore boni publici, vel indemnitatis propriæ.

Quæritur 5. An liceat marito occidere propriam uxorem in adulterio deprehensam?

Respondeo Negative. Id patet ex propositione damnata ab Alexandro VII. quæ sic habet: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Aliud dicendum, si id fieret authoritate legum ita fieri jubentium vel permittentium. Cum enim maritis difficile sit, cohabitare adulteræ, aut facto divortio vivere in perpetua

tua continentia, non cuivis plebeo foret evidens, ejusmodi legem fore injustam, saltem si præexigeretur trina prævia monitio suspectæ de vitanda familiaritate suspecta.

Dixi, *plebeo*. Nam Sapientibus patet; aliter posse & deberi provideri malo maritorum.

Quæritur 6. An fœminæ principi aut nobili liceat occidere concubinam sui mariti?

Respondeo. Privata authoritate id nunquam licet; quia hic casus nullibi nec in genere, nec in specie reperitur *specialiter* permissus a Deo, habente dominium vitæ humanæ. Si tamen prius a suprema potestate statueretur pœna mortis in ejusmodi concubinas adulteras, & facta prævia monitione de fugiendo publico ac notorio adulterino consortio non sequeretur observantia mandati, posset a suprema potestate cuivis demandari executio sententiæ mortis, quando ordinarius ordo legum in puniendo observari nequit.

Quæritur 7. An sit licitum occidere proprium patrem proscriptum & cujusvis gladio permissum?

Respondeo. Id non licet. Ratio est, quia repugnat amori filiali ac reverentiæ, proprio motu, qualis in hoc casu interveniret, agere carnificem sui patris.

Quæritur 8. An liceat principi vel Magistratui, tribuere facultatem occidendi certos malefactores inauditos, & ante rite prolatam sententiam?

Respondeo 1. Id regulariter, generaliter aut passim fieri illicitum est. Ita *Catalanus*, pro se allegans *Cajetanum*, *Filliutium* & *Bonacinam*.

Ratio est, quia Deus non reperitur specialiter concessisse jus in vitam humanam, cujus sibi reservavit dominium particulare, nisi potestati supremæ ad punienda graviora crimina, præmisso tamen circa debitum & delinquentem exacto examine, cum agatur de damno irreparabili rei pertinentis ad Deum & dilectæ a Deo; qui vult relinqui facultatem etiam personis privatis pro sui necessaria defensione ac securitate; nec decet bonitatem & Sapientiam divinam, eam facultatem occidendi impios concedi privatis, nisi sub modo limitationis ad casus non nimium frequentes; ne nimia extensione hujus privilegii potestati publicæ aut personis privatis indulti nimis frequenter occidantur homines reservati Dominio divino. Cum ergo ejusmodi facultas generalis aut nimis lata multiplicaret homicidia, & insuper tolleret exactum examen publicum a passione liberum, non licet ejusmodi concessio seu delegatio nimis larga facultatis occidendi malefactores.

Dixi, *regulariter*; in casu enim particulari, raro & extraordinario, ea delegatio est licita, dummodo duæ conditiones concurrant. *Primo*, ut ea delegatio sit *necessaria* bono communi. *Secundo*, ut delegatio fiat personis probis ac prudentibus cum clausula, non procedendi nisi præmisso exacto examine de existentia delicti, & sub modo relinquendi sufficiens tempus pœnitentiæ.

Quæritur 9. An liceat privata authoritate occidere tyrannum?

Respondeo 1. Authoritate privata non licet occidere tyrannum post adeptam pacificam possessionem, & præstitum juramentum fidelitatis. Id probatur ex Apostolo, qui jussit orare pro Imperatoribus, quamvis tribus primis sæculis plerique fuerint quoad modum regiminis tyranni. 1. Tim. 2. scribit: *Obsecro, omnium fieri obsecrationes pro omnibus hominibus; pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt.* *Tertullianus* a me in sect. 1. §. 4. q. 4. relatus testatur; ab ecclesia pro Imperatoribus preces fundi, ut cum sua familia & in suis exercitibus felices sint. Hæc autem non conveniunt cum jure occidendi tyrannum quoad modum regiminis. Hinc Concilium Constantiense damnavit hanc propositionem. *Quilibet Tyrannus potest a quocunque occidi.* *Trullench* tamen in expositione Decal. l. 5. d. 2. c. 3. n. 3. dicit: *Si tantum crescat tyrannus, ut non videatur amplius tolerabilis, nec ullum remedium supersit, primum a Republica vel Comitiis regni vel ab alio habente authoritatem est deponendus, & tanquam hostis*

stis declarandus, *ut in ipsius personam liceat quidquam tunc attentare*. *Tunc enim desinit esse princeps*. *Vide Cajet. Sotum*, *Salon*, *Azor*, *Sayrum*, *Villalobos*.

Respondeo 2. Si Tyrannus regnum injuste & tyrannice occupavit atque tyrannice gubernat, ita ut nullo nitatur saltem probabili & a multis, etiam doctis, existimato titulo, potest a quovis privato aperte vel occulte occidi, antequam obtinuerit pacificam possessionem. Id *Trullench* l. c. affirmat esse verum, etiamsi populus promiserit tyranno *simpliciter & absque juramento* habiturum illum pro rege; nam promissio vi extorta jure naturæ non parit obligationem.

Dixi, *absque juramento*. Si enim hoc accesserit, servandum est a privatis; quia hoc Deus in ista materia acceptat, & servari jubet causa boni publici, quod petit tranquillitatem regnorum & securitatem principum.

Quæritur 10. An & sub quibus conditionibus liceat occidere injustum aggressorem?

Respondeo 1. Cuivis, etiam Clerico ac Religioso, licet occidere injustum aggressorem ad defensionem propriæ vitæ, aut integritatis membrorum.

Respondeo 2. Id verum esse, etiamsi id fiat in loco vel tempore sacro, v. g. in Ecclesia sub celebratione divinorum.

Respondeo 3. Ad hoc tamen requiri, ut illud fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, vim vi repellendo, quantum ad defensionem suæ vitæ vel integritatis membrorum necesse est. Id totum deducitur ex textu Scripturæ superius adducto, ubi permittitur occisio furis nocturni; & ex C. *si vero*, de Sent. Excom. ubi *Alexander III.* sic scribit: *Si Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat*, *vel lædat*, *non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti*; *si in continenti vim vi repellat*; *cum vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant*. Et *Innocentius III.* in C. significasti, de homicidio, dicit: *Quamvis vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittant*, *id tamen debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ*, *non ad sumendam vindictam*, *sed ad injuriam propulsandam*.

Quæritur 11. An liceat occidere injustum aggressorem, si quis aggressori dederit causam injustæ aggressionis?

Respondeo. Si quis nec intendit nec prævidit, alterum ex suis verbis vel actis sumpturum occasionem aggressionis injustæ, licite se defendit pro defensione vitæ vel integritatis membrorum; quia moraliter non censetur esse causa culpabilis culpa gravi aggressionis. Sed si prævidit, aut omnino formaliter intendit, ut alter se aggrediatur, sic jam est causa moralis graviter peccaminosa suæ aggressionis; Hinc in tali casu tenetur potius ferre jacturam omnium suorum bonorum, & honoris, quam occidere aggressorem. Quamvis enim aggressor agat injuste, plus tamen præbenti causam non permittitur, quam excessum aggressoris repellere per vulnerationem; & si hæc sola timeatur non suffectura, tenetur potius periclitari de morte subeunda, quia ultro se huic periculo exposuit, & consequenter receptio hujus periculi est sibi voluntaria in causa. Et hoc verum est, etiamsi aggressor expresse minetur mortem, aut certo prævideatur illaturus mortem, quia ultro se exposuit periculo mortis, adeoque etiam mors, sub disjunctione, si forte inferatur ab alio, est volita in causa. Ratio autem est, quia Deus nullibi nec in genere nec in specie reperitur contulisse *specialem* concessionem pro tali homicidio.

Quæritur 12. An licitum sit, prævenire eum, qui probabiliter vel probabilius, aut morali certitudine creditur machinari mortem?

Respondeo. Non licet occidere eum, de quo morali certitudine constat, eum mentaliter machinari mortem, nisi aggressio violenta, aut actio aggressioni propinqua, ac conjuncta cum periculo mortis gravi, exterius manifestetur & incipiatur actu, & periculum præsentissimum mortis alio modo evitari non possit. Ratio est, quia hoc genus homici-

micidii nullibi nec in genere nec in specie reperitur concessum a Deo. Imo, si hæc licentia præventionis concederetur, aperiretur janua innumeris homicidiis, & sic præjudicaretur juri divino reservato in vitam humanam, & suavi gubernationi divinæ circa salutem humanam. Itaque si uxor, vel maritus, vel alia persona laboret vehementi ac violenta præsumptione de machinatione alterius in suam vitam, tenetur potius sibi fuga consulere, aut implorare officium Judicis, quam aliena morte suæ consulere securitati.

Quæritur 13. An licita sit sui defensio cum occisione injusti aggressoris, si injustus aggressor fuerit princeps, minister justitiæ, amens, ebriosus, existens in peccato mortali?

Respondeo. Affirmative. Ratio est; quia princeps, aut minister justitiæ cum non habeant dominium vitæ humanæ, ubi de hac disponunt extrajudicialiter, considerari debent tanquam persona privata. Vita autem amentis vel ebriosi non est melioris conditionis, quam vita hominis sensati & sobrii. Existens autem in peccato mortali per injustam aggressionem per hunc suum statum non potest alios privare jure justæ defensionis, quia illa obligatio ex suo genere manifeste cederet in perturbationem ac damnificationem gravem omnium proborum, quorum conservatio in genere est magis necessaria generi humano, quam improborum. Itaque in tali casu se defendentes non agunt ex arbitrio proprio, sed ex ordinatione Dei.

Quæritur 14. An liceat prævenire injustum aggressorem, constitutum in actu aggressionis remoto, aut proximo?

Respondeo 1. Non licet prævenire injustum aggressorem, præcise constitutum in actu aggressionis remoto.

Probatur. Actus aggressionis remotus dicitur, qui consideratis circumstantiis adhuc est indifferens ad machinandam mortem, vel non machinandam, ita ut possit & soleat aliquando conjungi cum machinatione mortis, aliquando non soleat conjungi. Sed in tali casu non licet prævenire aggressorem, quia non reperitur in Scriptura, vel in traditione Deum pro tali casu aliquando cessisse homini jus suum in vitam alienam humanam; imo sequerentur nimis multa homicidia contra fines a Deo præstabilitos in suavi gubernatione hominum ad eorum salutem.

Respondeo 2. Licet tamen prævenire injustum aggressorem, jam constitutum in actu proximo aggressionis.

Probatur. Actus proximus aggressionis vocatur, qui in æstimatione morali prudentum, licet in consideratione physica necdum sit actualis aggressio, jam tamen habetur pro aggressione, eo quod talis actus fere semper, ac morali certitudine sit conjunctus cum subsequente occisione, vel mutilatione, & aggressor stet in procinctu aggressionis. Sed in tali casu licet prævenire aggressorem. Min. prob. ex textu Scripturæ superius citato, in quo permittitur occidere furem nocturnum, eo quod jam actu præcesserit non solum machinatio interna, sed etiam actus externus regulariter ac morali certitudine conjunctus cum subsequente aut occisione, aut mutilatione, aut ablatione bonorum. Hinc si quis videat, suum inimicum, qui jam declaravit actu externo suum animum occidendi vel mutilandi, in eum finem præparare suum sclopetum, ita ut præparatione finita ejus ictus facile nequeat declinari, potest eum prævenire. Ita communis apud Catalanum; qui ex hac doctrina infert, quod uxor adultera, si advertat, suum maritum ex industria posuisse gladium sub cervicali ad eam noctu occidendam clauso ostio, possit illum licite prævenire, dummodo vere constet, re vera ad hunc finem appositum esse gladium, nec alia via suppetat, liberandi se a morte. Infert secundo; idem dici posse de eo, qui venenum paravit ad alium occidendum; hunc enim præveniri posse docet ipsomet veneno, si alia via non suppetat ad se liberandum a morte per venenum. Infert tertio, licitum esse, prævenire eum, qui est in actu vocandi famulum, aut Sicarium, ut injuste aggrediatur, & occidat. Verum hæc non facile ad-

misero. In ultimo enim casu, prout ponitur, daretur locus fugiendi; in secundo casu potest venenum paratum effundi; in primo casu posset uxor clamare ad fenestras, vel arripere gladium, vel simulare morbum ac vigilare tota nocte, ne maritus facile attentet necem.

Quæritur 15. An tunc, quando licitum est aggressorem occidere, id liceat fieri per alium?

Respondeo. Id licet, si non datur alia via evadendi. Sed in praxi vix unquam accidet, nullum dari modum fugiendi, si superest modus alium loco sui constituendi. Certe Alexander III. in textu superius citato solum permittit occisionem aggressoris, si fiat in continenti.

Quæritur 16. An etiam milites, aut viri nobiles teneantur potius fugam arripere, quam occidere aggressorem, si per fugam sibi inurant notam dedecoris vel infamiæ?

Respondeo. Etiam milites, aut viri nobiles tenentur potius fugiendo subire notam phantasticæ infamiæ seu dedecoris apud filios perditionis, quam occidere aggressorem. Ratio est, quia Deus nullibi reperitur militi aut nobili cessisse jus suum speciale in vitam humanam præcise ex titulo infamiæ vel dedecoris solum existentis in phantasia hominum mundanorum. Idem probatur ex duabus propositionibus damnatis. Una, quæ damnata est ab *Alexandro VII.* sic habet: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Secunda, quæ damnata est ab *Innocentio XI.* sic habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat*.

Quæritur 17. An liceat injustum aggressorem occidere pro tuendis bonis temporalibus. Et pro quantis?

Respondeo 1. Licitum est, occidere injustum aggressorem pro conservatione bonorum temporalium. Id patet ex textu Scripturæ superius adducto de fure nocturno. Idem non obscure colligitur ex C. *dilecto*, de Sent. Excom. in 6. ubi Bonifacius VIII. Decano Aurelianensi sic scribit: *Cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant, licuit utique ipsi Decano, si prædictus Ballivus eum bonis suis mundanis spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, contra illius violentiam, injuriamque se tueri. Et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam Spirituali gladio defensare, ac propter hoc recurrere ad arma spiritualia: quia hi duo gladii consueverunt, exigente necessitate, sibi ad invicem suffragari.*

Respondeo 2. Ea quantitas bonorum ad licite occidendum aggressorem sufficit & requiritur, *quæ aut in æstimatione morali æquiparatur mutilationi alicujus membri in damnificato*, aut cujus ablatio per leges provinciæ plecteretur morte, aut, *pro qua tuenda occisio per tribunalia loci certo non puniretur pœna homicidii, vel alia gravi*, aut denique *per cujus ablationem homo constitueretur in diuturna gravi necessitate, ita ut ægre ac misere cogeretur traducere suam vitam*. Hæ Regulæ *probantur*. Nam si ablatio bonorum æquiparatur mutilationi, ita ut damnificatus libentius vel ægre libenter vellet amittere aliquod membrum, v. g. unam manum, aut pedem, aut oculum, &c. manifestum est, de æquiparatis eandem asserendam esse licentiam. Quod si autem damnificatio bonorum minor sit, quam ut mutilationi alicujus membri æquiparari valeat, occisio aggressoris ex alio titulo justificari nequit, nisi ex lege provinciali, facultatem occidendi pro ejusmodi casu tacite delegante. Ea autem tacita delegatio exinde colligitur, si aut ipsa lex pro ejusmodi aggressione deprehensum morte afficiat, aut occisorem non pro homicida habeat, nec tamquam gravioris criminis reum gravi pœna afficiat. Hinc in hac materia pro *Regula generalissima* habendum est, quod

in

in Capitularibus Aquisgranensibus de anno 789. C. 67. habetur his verbis: *Homicidia nec causa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi fiant; & ubicunque inventa fuerint, a judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur; & non occidatur homo, nisi lege jubente*; seu quod idem est, *delegante*, vel *approbante*, prout fieri solet, si quis occidat raptorem bonorum, alias irrecuperabilium, quibus ablatis cogeretur vitam suam in gravi necessitate transigere misere.

Quæritur 18. An liceat occidere aggressorem pro ablatione unius aurei?

Respondeo. Id non licet, nisi in casu extraordinario homo sit adeo pauper, ut æque libenter careret uno aliquo membro, quam aureo; aut si absque aureo constitueretur in gravi necessitate, ita ut ægre ac misere cogeretur traducere suam vitam. In tali enim circumstantia leges non punirent aggressorem tanquam homicidam, neque eum gravi pœna afficerent. Responsio autem *probatur* ex propositione damnata ab Innocentio XI. quæ sic habet: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*.

Quæritur 19. An licite occidatur aggressor bonorum, quæ licet necdum habeantur, proxime tamen per *testamentum*, *legatum*, vel *jus ad rem* exspectantur?

Respondeo. Non est licita occisio aggressoris talium bonorum.

Ratio est, quia non reperitur, quod Deus in genere vel specie vel æquivalenti concesserit homini pro ejusmodi casu jus in vitam humanam sibi specialiter reservatum. Imo si hoc Deus homini concederet, sequerentur nimis multa homicidia ob multitudinem talium jurium existimatorum, & sic præjudicaretur suavi dispositioni divinæ circa salutem hominum. Idipsum colligitur ex propositione damnata ab Innocentio XI. quæ sic habet: *Non solum licitum est defendere occisiva defensione, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. Et alia propositio ab eodem Pontifice damnata sic sonat: *Licitum est tam hæredi quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti & jus habenti in cathedram; vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.*

Quæritur 20. An liceat occidere eum, qui struit gravem calumniam, aut injustam falso testimonio evicturus est sententiam?

Respondeo. Id non licet.

Ratio est, quia par est ratio de occisione ejus, qui bona exspectata impedit, & qui mala primum futura struit. Si ergo non licet occidere bona exspectata impedientem, etiam non licet occidere mala primum futura struentem, nisi concurrat actualis aggressio injusta in actu primo proximo, alia via inimpedibilis, & boni ablatio irrecuperabilis, qualis circumstantia non reperitur in hoc genere calumniarum. Nam calumniæ, licet non sine vulnere, refelli possunt, & ab injusta sententia judicis potest fieri appellatio. Si quis hanc rationem rejiciat, pro ratione servit; quia non reperitur, Deum pro hac circumstantia concessisse jus in vitam humanam; imo per multiplicationem nimiam homicidiorum ex hoc titulo causaretur grave præjudicium suavi gubernationi divinæ plerosque non repentina, sed lenta morte ducenti ad salutem. Idem colligitur ex duabus propositionibus ab Alexandro VII. damnatis, quæ sic sonant: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur*. Altera propositio hæc est: *Licet interficere falsum calumniatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare*. Hæc posterior propositio, quod attinet Judicem, falsa est, quia in tali casu sententia Judicis, licet sit ma-

materialiter injusta, non est tamen formaliter injusta, cum judicet bona fide juxta allegata & probata. Quoad calumniatorem vero & falsos testes, etiamsi jam agant coram aliquo supremo tribunali, a quo non datur appellatio, ea propositio falsa est, quia Deus nullibi reperitur homini concessisse jus in vitam humanam eorum, qui injuste hominem aggrediuntur in ipso judicio, quod ob nimiam alioquin multiplicationem homicidiorum in ipso tribunali justitiæ in generali facultate occidendi injustos aggressores prudenter comprehendi nequit.

Quæritur 21. An & quando committatur homicidium per procurationem abortus?

Respondeo 1. Certum est, per procurationem abortus perpetrari homicidium octogesimo die post conceptionem; quia omnium Philosophorum & Medicorum judicio illo tempore jam animatus est fœtus etiam in sexu fœmineo. Hinc etiam damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio: *Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

Respondeo 2. Certum etiam est, eum mentalis homicidii reum esse, qui procurat abortum quadragesimo die post conceptionem.

Ratio est, quia judicio omnium Medicorum ac Philosophorum fœtus in sexu masculino jam est animatus quadragesimo die post conceptionem. Cum ergo procurans abortum nesciat, utrum in utero lateat fœtus masculinus vel fœmininus, eoipso ipsi perinde est, sive fœtus sit animatus sive non; ac proin committit homicidium mentale.

Respondeo 3. Probabilius est, per procurationem abortus committi homicidium statim post conceptionem.

Ratio est, quia juxta recentiores Medicos probabilius est, fœtum jam animari in ipsa conceptione. Certum enim est juxta modernos Philosophos, omnia animantia, etiam ipsum hominem, nasci ex ovulo materno. In ovulis autem latere animal in germine, & animam, ex ovorum exclusione extra uterum maternum circa omnia animantia ovipara conspicitur. Hinc omnes procurantes abortum, quocunque post conceptionem tempore id fiat, saltem homicidii mentalis rei sunt; quia ita sunt constituti, ut velint se exponere periculo committendi homicidii si forte contingat, veram esse hanc recentiorum Medicorum sententiam. In eandem sententiam servit propositio ab Innocentio XI. damnata sequentis tenoris: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. Si enim constaret, dari aliquod tempus, in quo fætus necdum sit animatus, daretur locus dubitandi, an spectato jure naturali præponenda esset lex conservandæ vitæ aut famæ propriæ, vel lex massam necdum animatam promovendi ad vitam; quamvis nec spectato jure naturali videatur relinqui effugium, cum puella ejusmodi ipsa fornicatione censeatur ultro elegisse periculum infamiæ vel mortis.

Quæritur 18. An virgo licite occidat eum, qui nititur eam vi deflorare; si non datur aliud medium evadendi violentiam?

Respondeo 1. Virgo licite interficit sui aggressorem violentum pro eripienda virginitate, nisi id fiat tempore persecutionis jussu magistratus seu persecutoris. Ita respondet *Bonacina* de Restitut. Disp. 2. q. ult. Sect. 1. punct. 10. num. 12. his verbis: *Licitum est cuilibet pro defensione suæ pudicitiæ occidere invasorem, quando pudicitia fugiendo, aut vociferando, vel alio modo defendi non potest, quam occidendo. Ita Sylvester V. Excommun. q. 5. Rodriquez p. 1. C. 136. num. 14. Navarrus C. 15. num. 5. Molina tract. 3. disp. 17. num. 10. Navarrus num. 303. Valentia & alii. Ratio est, quia licet occidere invasorem facultatum. Ergo licitum etiam est occidere invasorem pudicitiæ & castitatis, quæ præstantius bonum est.* Idem docet Lessius l. 2. C. 9. dub. 12. his verbis: *Licitum est mulieri pro defen-*

fensione pudicitiæ occidere invasorem. Est communis sententia Doctorum, quamvis D. Augustinus l. 1. de lib. arbit. c. 5. videatur dubitare.

Ratio autem hujus sententiæ est, quia impraegnatio fœminæ alioquin honestæ extra legitimum matrimonium facta est malum æque grave ac mutilatio alicujus membri; imo gravius, cum eam non raro eogat vitam in perpetua tristitia & miseria transigere.

Altera ratio est, quia ejusmodi stupratio violenta per omnes leges judicatur digna morte. Sic filii Jacobi Patriarchæ judicarunt dignum morte, qui oppresserat *Dinam* eorum sororem, qui non poterant reprehendi, nisi occidissent etiam innocentes & quidem sub specie amicitiæ. Cum ergo Leges hanc damnificationem morte puniant, præsumendum est, ab iis delegari potestatem occidendi aggressorem, si aliter impediri violentia non possit. Non igitur ejusmodi occisio fit *privata* authoritate, sed *authoritate legum* ejusmodi cædem approbantium. Sic etiam *Cicero* in Oratione *pro Milone* testatur, *adolescentem, qui Tribunum occiderat, volentem ejus pudicitiæ per Sodomiam vim inferre*, quod ab ejusmodi bestialibus hominibus nonnunquam fit etiam cum diffractione organi postici, prout Hospitalia norunt, *a Mario exercitus Imperatore absolutum esse.*

Obicitur textus S. Augustini, dum l. 1. de libero arbitrio C. 5. sic scribit: *De pudicitia quis dubitaverit, quin sit in animo constituta quandoquidem virtus est? Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur, id totum in potestate nostra non est. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

Respondeo; hæc a D. Augustino scripta esse dubitanter, non asseverative. Id enim manifestum est partim ex contextu subsequente, partim ex ejus testimonio in l. Retractationum. Contextus in isto Dialogo, in quo colloquuntur Evodius & Augustinus, sic habet: *Evodius. Multo minus ego invenire possum, cur hominibus defensionem quæras, quos reos nulla lex tenet? Augustinus. Nulla, fortasse, sed earum legum, quæ apparent, & ab hominibus leguntur; nam nescio, utrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est, quod non administret divina providentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Evodius. Videtur ergo mihi, & legem istam, quæ populo regendo scribitur, recte ista permittere, & per divinam providentiam vindicari. Augustinus. Laudo & probo istam, quamvis inchoatam minusque perfectam distinctionem. Videtur enim tibi lex ista, quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur; & recte. Neque enim, quia non omnia facit, ideo quæ facit improbanda.* Hucusque S. Augustinus in isto Dialogo, ex cujus modo loquendi satis colligitur, eum non asseveranter, sed dubitanter fuisse locutum. Idem patet ex l. 1. Retract. c. 9. ubi de hoc Dialogo loquens sic scribit: *Cum adhuc Romæ demoraremur* (hoc est, duabus aut tribus circiter septimanis post meum baptismum, anno ætatis meæ trigesimo) *voluimus disputando quærere, unde sit malum? Et quoniam constitit inter nos, malum non exortum, nisi ex libero arbitrio, tres libri, quos disputatio illa peperit, appellati sunt de libero arbitrio, quorum secundum & tertium in africa terminavi. In his libris ita multa disserta sunt, ut incidentes nonnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant, ita differrentur, ut ex utraque parte, vel ex omnibus earum quæstionum partibus, in quibus non apparebat, quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, ut quodlibet eorum verum esset, laudandus ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio suscepta est;* (nempe contra Manichæos) *qui negant, ex libero hominis arbitrio mali originem duci, sed Deum culpandum esse contendunt.* Ex his etiam patet, librum hunc a S. Augustino tantum

tum aliquot post baptismum septimanis scriptum esse, quo tempore necdum erat instructus circa obligationes Christianas. Id evidens est ex hoc ipso Capitulo quinto, quod allego. Nam in hoc ipso Capitulo docet, nullius rei temporalis causa licitam esse occisionem hominis; quod nemo dixerit. Sic enim scribit: *Prius discutiendum videtur, utrum vel hostis irruens, vel insidiator sicarius, sive pro vita, sive pro libertate, sive pro pudicitia sine ulla interficiatur libidine* (hoc est, sine deordinatione peccaminosa?) *Evodius. Quomodo possum arbitrari carere istos libidine* (hoc est, appetitu peccaminoso) *qui pro iis rebus digladiantur, quas possunt amittere inviti? Non ergo lex justa est, quæ dat potestatem vel viatori, ut latronem, ne ab ipso occidatur, occidat; vel cuipiam viro aut fœminæ, ut violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit, interimat. Augustinus. Legem quidem satis video esse munitam contra hujuscemodi accusationem, quæ in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam. Potest ergo illi legi, quæ tuendorum civium causa vim hostilem vi* (per milites, vel alios ministros justitiæ) *repelli jubet, sine libidine* (peccato) *obtemperari. Sed illi homines* (qui latronem nulla lege jubente occidunt) *quomodo inculpati esse queant, non video. Non ergo lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate. Liberum itaque eis est, neminem necare pro iis rebus, quas inviti possunt amittere, & ob hoc amare non debent.* Ex hoc textu patet, in eodem textu, quo improbatur occisio stupratoris, etiam improbari occisionem latronis, si fiat sponte nulla lege jubente, quæ doctrina profecto a nullo Doctorum admitti potest sine errore. Certe S. Antoninus p. 3. tit. 4. c. 11. id tanquam indubitatum habet, dicendo: *Licita est defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ non solum pro persona, sed etiam pro rebus.*

Quæritur 19. An idem dicendum de alia fœmina nupta, vel jam alias corrupta? Et de juvene patiente violentiam?

Respondeo. Idem dicendum est. Quamvis enim malum inferendum non sit æque magnum, ac respectu honestæ virginis, saltem existimatæ, ac propterea secundum se non semper æquiparari possit aut mutilationi aut amissioni tantorum bonorum, quibus amissis in gravi necessitate ægre ducenda sit vita, semper tamen meretur supplicium capitale per leges publicas. Imo rectus ordo in Societate civili exigit, ut Respublica cuilibet privato deleget potestatem occidendi ejusmodi violentos aggressores pudicitiæ, prout colligitur ex generali sensu Doctorum.

Notandum tamen est; in tali casu servandum esse moderamen inculpatæ tutelæ, ita ut, si fieri possit, potius inferatur minus malum præ majori, v. g. stupratori eruendo digitis oculos, præmordendo illi nasum, aut cultro graviter vulnerando, aut sese volutando, &c.

Quæritur 20. An liceat occidere injustum aggressorem proprii honoris?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia nullibi reperitur, Deum concessisse alicui privato jus in vitam alienam præcise titulo honoris; neque etiam reperiuntur leges, quæ supplicio extremo afficiant violationem honoris. Honor enim est bonum reparabile per defensionem publicam, saltem ordinarie, & ex suo genere. Pro casu autem extraordinario, in quo reparari nequit, non expedit fieri exceptionem ob periculum generale abusuum. Plerique enim aut certe nimis multi ob turbationem judicii existimarent, honorem suum debite reparari non posse sine occisione aggressoris. Idem eruitur ex propositionibus damnatis, relatis supra q. 16.

Quæritur 21. An liceat occidere aggressorem injustum alienæ vitæ, pudicitiæ, aut sustentationis honestæ?

Respondeo. Id licet, quando invasus id petit, & Respublica id voluntate præsumpta permittit. Hinc sequitur, si aut invasus nolit semetipsum defendere per alterius occisionem vel vulnerationem gravem, ita ut nec expresse nec tacite petat auxilium, non fore licitam occisionem aggressoris. Sequitur 2. si non

sit

ſit manifeſta injuſtitia aggreſſionis, & permiſſio Reipublicæ ad occidendum, non fore licitam occiſionem. Ob jus enim dubium alter privari nequit jure certo.

Quæritur 22. An & in quibus perſonis detur obligatio occidendi injuſtum aggreſſorem vitæ, pudicitiæ, vel ſuſtentationis alienæ?

Reſpondeo. Tunc ſolum datur obligatio occidendi injuſtum aggreſſorem alienæ vitæ, pudicitiæ, vel ſuſtentationis, quando id exigit vel ordo charitatis, vel lex Reipublicæ, atque id præſtari poteſt ſine periculo gravis damnificationis propriæ. Ordo charitatis erga Deum id petit, quando perſonæ invaſæ conſervatio vel incolumitas affert notabile augumentum divinæ gloriæ. Ordo charitatis erga proximum id petit, quando perſona invaſa eſt propinquitate in primo gradu juncta, aut ſpecialiter curæ concredita, prout ſunt pupilli vel minorennes vel ſubjecti noſtræ jurisdictioni. Hinc peccant mortaliter Principes, Magiſtratus, Judices, Miniſtri juſtitiæ, &c. ſi in territorio ſibi ſubdito patiantur graſſari latrocinia, ſtuprationes, furta, vel alias graves damnificationes ſuorum ſubditorum in bonis corporis vel fortunæ, cum tamen ea impedire poſſent ſine reſpective majore damno proprio, prout teſte Catalano Navarrus, Leſſius, Bonacina, & alii obſervant.

Quæritur 23. An aliquando liceat ſeipſum directe ac immediate occidere?

Reſpondeo Id numquam licet.

Ratio eſt, quia, prout patet ex Scriptura, Deus ſibi ſpecialiter reſervavit dominium vitæ alienæ, ut nulli liceat occidere proximum ſine generali vel ſpeciali delegatione divina. Ergo idem ſentiendum circa Dominium vitæ propriæ. Cum ergo Deus nulli conceſſerit delegatione generali vel ſpeciali occidere ſeipſum directe ac immediate, id numquam licet. Idem *confirmatur* ex Concilio Braccarenſi relato in C. *placuit* 23. q. 5. *Quod* C. 34. ſic habet: *Placuit, ut qui ſibi ipſis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſpendium, aut quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro eis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur*.

Neque obſtat, quod aliqui Sancti vel aliquæ Sanctæ legantur ſemetipſos occidiſſe, v. g. S. Appollonia inſiliendo in paratum ſibi ignem, S. Beronice cum duabus filiabus ad evadendam ſtuprationem intrando flumen, Eleazar occidendo Elephantem, a quo opprimebatur, Samſon ſubvertendo palatium, &c.

Reſponderi enim poteſt; ejusmodi occiſionem factam eſſe ex ſpeciali inſtinctu divino, aut impulſivo, aut approbativo aut permiſſivo, inquantum Deus poſitive movendo *ad ſubſtantiam actus*, nempe ad generoſam profeſſionem fidei, noluit impedire curſum dictaminum privatorum erroneorum circa modum profeſſionis.

Quæritur 24. An ſepeliendus ſit in loco ſacro ſeipſum præmeditato occidens, de quo dubitatur, an ſufficienter fuerit compos rationis, prout requiritur ad committendum peccatum mortale?

Reſpondeo. In dubio ſtricte dicto non eſt ſepeliendus in loco ſacro; quia Eccleſia judicat ab externis, & tamdiu præſumit in homine alias circa actiones humanas cæteras rationis compote uſum rationis circa divina actui externo conformem, donec ex ſignis præviis *probabilius* ſeu *credibilius* fiat in communi æſtimatione hominum; ſufficientem uſum rationis circa divina, qui ad committendum mortale alterius generis, v. g. adulterii, furti, fornicationis &c. requireretur, in Suicida defuiſſe. Si enim talis Suicida habuit ſufficientem cognitionem de oppoſitione ad legem Dei circa adulterium, furtum, &c. cur non habuerit ſufficientem cognitionem circa ſuicidium de ejus oppoſitione ad legem Dei? Quod ſi remanet cognitio de oppoſitione ad legem Dei, vix tollitur per paſſionem indifferentia judicii ad agendum oppoſitum. Quod ſi tamen Parochus etiam probabilius eſſe credat, ſuicidæ defuiſſe ſufficientem uſum rationis; ſed plebs contrarium teneat, ſatius eſt, cedere judicio plebis probabili ad præcavendum ſcandalum & turbationem. Eccleſia enim

circa

circa actus religionis magis attendit, attendique vult ad honestatem publicam, quam ad opinionem privatam aut utilitatem vel honestatem privatam. *Farinacius* tamen cumnonnullis censet, in dubio favendum esse reo, quod propterea annotare volui, ne Parochi sequentes opinionem oppositam condemnentur manifesti peccati mortalis, si privata notitia moraliter certi sint de innocentia defuncti, eumque sepeliant in loco sacro contra sensum turbæ. Ad hoc enim tenentur non obstante querela populi.

Quæritur 25. An peccet, qui per indiscretas macerationes corporis notabiliter abbreviat suam vitam.

Respondeo Affirmative. Illud enim vocatur indiscretum, quod est contra rectum ordinem rationis, seu contra rectum ordinem mediorum ad finem. Finis est amor, gloria, & servitium Dei. Si quis proin videat, verum cultum magis promoveri posse per conservationem suæ vitæ, quam per sacrificia & bona exempla austerioris vitæ, peccaret per ejusmodi nimias macerationes. Hinc etiam Carthusianus, constitutus in periculo mortis ex gravi infirmitate, si agnosceret, suam conservationem fore medium utile pro fide tuenda, peccaret non comedendo carnes alioquin prohibitas in Regula.

Quæritur 26. An liceat aliquando occidere seipsum indirecte?

Respondeo. *Distinguendo* inter varios modos, quibus aliquis possit dici, seipsum occidere indirecte. Nam *uno modo* potest quis aliquid agere vel omittere *ex intentione mortis*, *tamquam finis* a se intenti, v. g. omittendo sumptionem ciborum, vel medicinæ eo fine, ut sequatur mors, tanquam remedium malorum. Et sic nunquam licet occidere seipsum; quia hoc potius foret suiipsius occisio directa quam indirecta, eo quod mors sua sit potius juxta intentionem quam præter intentionem. Atque pro tali intentione Deus nullibi reperitur tribuisse specialem facultatem in vitam propriam, cujus solus Deus habet Dominium. *Secundo modo* potest quis occidere seipsum *intendendo mortem non tamquam finem*, *sed tanquam medium* ad alium finem a se intentum, v.g. si quis intendat citius vel certius assequi suam beatitudinem in cœlo, vel ut gentilibus præbeat exemplum heroici animi, vel ne relabatur ulterius in peccatum, vel ut avertendo ac colligendo in se hastas inimicorum liberet populum seu regem, vel ut incendendo pulverem pyrium in sua navi vel turri, in qua tanquam mancipium apud Turcas laborat, sternat Christianis viam ad victoriam. Et nec illud quidem est licitum, quia Deus nullibi reperitur suiipsius occisionem ordinasse tanquam medium ad finem alias approbatum a Deo. *Tertio modo* potest quis indirecte occidere seipsum nec intendendo mortem tanquam finem, nec eam intendendo tanquam medium necessarium ad finem, aut tanquam aliquid infallibiliter connexum cum medio aut fine intento, sed *præcise aliquid agendo conjunctum cum periculo mortis moraliter certo*. Et circa hunc tertium modum iterum distinguendum est. Si enim ejusmodi actio conjuncta cum periculo mortis moraliter certo sit necessaria ad bonum eminenter majus conservatione vitæ propriæ, quale est conservatio Reipublicæ, vel Regis, bono communi utilis, Ecclesiæ &c. licitum est, vitam suam exponere periculo moraliter certo, dummodo speretur fructus. Econtra si aut nullus speretur fructus, aut bonum, quod per susceptionem ejusmodi periculi intenditur, non sit majus conservatione vitæ propriæ, nec illud quidem licet. Assertiones hæ confirmantur ex S. *Augustino* l. 1. de Civit. Dei. C. 26. ubi sic scribit: *Hoc dicimus*, *hoc asserimus*, *hoc modis omnibus approbamus*, *neminem spontaneam mortem sibi inferre debere*, *veluti fugiendo molestias temporales*, *ne incidat in perpetuas*; *neminem propter aliena peccata*, *ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium*, *quem non polluebat alienum*; *neminem propter sua peccata præterita*, *propter quæ magis hac vita opus est*, *ut possint pœnitendo sanari*, *neminem veluti desiderio vitæ melioris*, *quæ post mortem speratur*, *quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit*.

Quæ-

Quæritur 27. An liceat pro vita temporali proximi, amici, aut consanguinei voluntarie se morti offerre?

Respondeo. Si vita aliena sit eminenter utilior Religioni aut Reipublicæ, id licet; quia id permittit ordo charitatis; immo in casu, quo aliena vita est evidenter necessaria bono religionis vel Reipublicæ, id etiam exigit ordo charitatis. At vero si aliena vita non est evidenter ac eminenter magis utilis aut necessaria bona communi, id non licet, quia homo ex instinctu naturæ magis diligit seipsum quam proximum.

Nec obstat, quod charitatis erga proximos exercitium sit majus bonum, quam vita propria. Id enim non est verum simpliciter, sed tantum *secundum quid*; quia vita propria est principium ac fons perpetuus plurium bonorum, quam solum exercitium unius virtutis transiens. Ita docent D. Bonaventura in 3. dist. 29. q. 3. D. Augustinus l. de mendacio C. 6.

Quæritur 28. An liceat abscindere sibi virilia ad fugiendas carnis molestias, aut fugiendum peccatum?

Respondeo. Id non licet.

Ratio est, quia Deus, cui soli competit Dominium in corpus humanum, nullibi reperitur, hoc permisisse. Immo Ecclesia severis pœnis eos affecit, qui seipsos sic mutilarunt, vel mutilari permiserunt. In Canone Apostolorum 22. & 23. relato in C. si quis dist. 55. dicitur: *Si quis abscidit semetipsum, id est, si amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui homicida est. Si quis autem Clericus fuerit, abscindens semetipsum omnino damnetur, quia sui est homicida*. Alia ratio potest esse, quam adducit Lessius l. 2. C. 9. Dub. 14. „ Quia castratio non tollit tentationes „ carnis in homine, qui inflammatur „ per imaginationem, sed tantum tollit vim generativam, ut liberius peccent, qui huic vitio dediti sunt. Quin „ potius illi, qui castrantur, præsertim „ in virili ætate, magis incitantur libidine, ut docent Patres, Basilius „ l. de virginit. circa finem, ubi id „ probat rationibus & exemplis, & „ Chrysostomus Hom. 63. in Matth. „ & Augustinus l. 6. contra Julianum; „ unde passim reprehenditur Origenes, „ de quo Eusebius l. 6. C. 6. & fuse „ Baronius ad annum 208.“

Quæritur 29. An liceat sibi amputare, vel pati amputationem unius membri pro conservatione totius corporis?

Respondeo. Id licet. Ita D. *Thomas* 2. 2. q. 65. C. ubi sic scribit: *Cum membrum sit pars totius corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum. Unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis, per accidens tamen potest contingere, quod sit nocivum, puta, cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate ejus, cujus est membrum putridum, membrum præscindere propter salutem totius corporis, quia unicuique commissa est cura propriæ salutis. Et eadem ratio est, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de salute ejus, qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare est omnino illicitum*. Ex hac autem Doctrina infert *Catalanus* cum aliis authoribus 1. Eum, qui injuste detinetur in vinculis, nec alio modo potest salvare suam vitam, posse sibi amputare pedem ligatum catena, v. g. ad evadendum e flammis casu exortis in carcere. 2. licitum esse exorto incendio, si non datur alius modo evadendi, desilire e fenestra, etiamsi sit periculum frangendi pedes, aut quatiendi corpus.

Quæritur 30. An detur obligatio patiendi amputationem, quando corrupto membro certo secutura esset mors?

Respondeo 1. Si dolores perferendi sint exigui, nec exinde subsequatur magnum gravamen proprium, familiæ vel communitatis, datur obligatio patiendi amputationem. Ita communis authorum.

Respondeo 2. Si perferendi essent magni

gni dolores, aut sequerentur gravia incommoda propria familiæ, aut communitatis, *regulariter* ac *per se* non datur obligatio patiendi abscissionem. Ita communis. Ratio est, quia juxta communem æstimationem Doctorum in hoc, non autem in priore casu, haberi potest prudens præsumptio de voluntate divina permissiva de vita propria sic disponendi.

Respondeo 3. Datur tamen obligatio, eam amputationem non obstantibus magnis doloribus vel incommodis patiendi, si persona sit bono communi valde necessaria judicio proprio, vel Superiorum, vel aliorum peritorum; v. g. si Princeps, vel strenuus Dux, vel alia persona pro bono communi censeatur tam proficua, ut eo mortuo censeatur communitas ex defectu aliorum subjectorum passura grave damnum. Ita exigit ordo charitatis erga Deum & proximum, atque idem censet communis authorum.

Quæritur 31. An parendum sit tyranno, si condemnato ad mortem præcipiat, ut ipsemet sumat venenum, aut se suspendat? aut se mutilet?

Respondeo 1. Id non licet innocenti.

Ratio est, quia ejusmodi actiones sunt directe occisivæ. Deus autem nunquam permisit occisionem innocentis.

Respondeo 2. Neque id licet reo mortis.

Ratio est, quia licet Princeps habeat a Deo potestatem constituendi lictorem, quemcunque voluerit, non tamen habet a Deo potestatem, constituendi reum in sui ipsius carnificem, seu præcipiendi occisionem sui ipsius. Hoc enim nullibi apud religionem naturalem, Mosaicam, aut Christianam reperitur a gente observante legum naturalium practicatum, adeoque nec a Deo concessum.

Respondeo 3. Immo nec licet amputare sibi manum ex metu mortis intentatæ, nisi quis pariat imperio tyranni.

Ratio est, quia nec istud reperitur a gentibus legum naturalium observantioribus practicatum; adeoque nec est ab authore naturæ concessum.

Respondeo 4. Hinc nec licet innocentibus exercere gladiatoriam pro spectaculo in theatro jussu tyranni.

Ratio est, quia non licet occidere innocentem. Itaque in ejusmodi circumstantiis exantlanda sunt extrema supplicia, quam declinandum a manifesto ordine justitiæ.

Respondeo 5. Licet tamen ex imperio tyranni vel magistratus ponere dispositiones propinquas, attamen secundum se indifferentes ad mortem, v.g. ascendere scalas patibuli, caput inclinare securi, &c.

Ratio est, quia in æstimatione communi hominum nemo per ejusmodi actiones censetur occidere seipsum nulla alia interveniente actione carnificis, v. g. dejectione ex scala, ictu securis, &c.

Quæritur 32. Utrum in expugnatione urbis liceat occidere etiam innocentes, v. g. infantes in utero, pueros ac puellas, &c.?

Respondeo. In expugnatione urbium non licet occidere innocentes, nec licet Ducibus, dare mandatum ejusmodi occisionis.

Ratio est, quia repugnat rectæ rationi, ut ob delictum Principum aut parentum puniantur subditi aut liberi in iis rebus, quæ non substant dominio vel jurisdictioni Principum vel parentum, prout fit circa dominium vitæ humanæ reservatæ soli Deo. Hinc dicitur in Deuteronomio C. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.*

Nec obstat, quod in Veteri Testamento etiam David & alii viri alioquin laudati reperiantur occidisse cum parentibus eorum liberos v. g. filios ac nepotes Saulis, quin propterea reprehendantur in Scriptura. Id enim Judæis videbatur aliquando licitum contra hostes Dei per extensionem mandati divini, quo illis præceperat interficere omnes habitatores Ethnicos Palæstinæ cum suis liberis, eo quod tamdiu restiterint ordinationibus Dei. Verum extensio hujus mandati generalis non habet locum

in

in lege Christiana, ubi Deus omnes etiam gentes vocat in suam Ecclesiam.

Nec etiam obstat, quod liberi censeantur esse una persona cum parentibus, aut quod sint pars seu membrum Reipublicæ, quæ punitur. Hæc enim personarum & membrorum communio solum habet locum in civilibus, quæ dependent a Dominio seu jurisdictione humana, non vero quoad communionem vitæ. Alioquin possent etiam liberi extremo supplicio affici ob gravissima delicta parentum, v. g. ob crimen læsæ majestatis, rebellionis, proditionis &c. quod tamen semper fuit contra praxin ac sensum Principum Christianorum, nisi tyrannicorum; haud dubie ob principia legis Christianæ ab Episcopis explicata. Hinc etiam S. Ambrosius reprehendit Theodosium, eo quod ob crimen læsæ majestatis commissum a populo Magistratu non impediente simul cædi involverit innocentes.

Quæritur 33. An licitum sit, occidere obsides, si non serventur pacta conventa?

Respondeo. Non licet eos occidere, aut sic tractare, ut fame vel inedia pereant?

Ratio est, quia ob alienam culpam non licet occidere innocentes. Ita etiam referente Catalano censent Bonacina, Lessius, & alii.

Quæritur 34. An liceat occidere innocentem, si ejus caput solum petat tyrannus obsidens urbem, & minans ejus eversionem?

Respondeo. Id non licet; quia in nullo unquam casu licet occidere innocentem sine speciali imperio aut permissione divina. Docent tamen Molina, Lessius, Filiutius, Bonacina & plures alii, quod talis ex charitate & justitia teneatur exire ac se sistere tyranno pro tota communitate; & si hoc facere renuat, jam non erit innocens, sed tanquam reus mortis, qua proin de causa posset occidi. Verum nec istud admitti posse censeo; nemo enim unquam ex ea sola causa condemnatus est ad mortem, quod vitam suam non sacrificaverit pro bono communi se exponendo certæ morti. Itaque in tali casu urbi incum bit pugnare pro suo membro, & nisi velit experiri arma, tenetur potius tradere obsidenti urbem, seque relinquere ejus discretioni. Idem dicendum; si tyrannus obsidens petat virgines a se vel militibus abutendas. Aliud respondendum, si eas peteret pro honesto connubio, utut metu extorto; quia concurrente cum metu exigentia boni publici purgatur a nullitate contractus.

Quæritur 35. An liceat cooperari ad mortem indirecte? Et quomodo?

Respondeo. Licita est actio ad conservationem vitæ propriæ necessaria, immediate ordinata ad effectum licitum, etiamsi ex illo præter intentionem sequatur mos innocentis. Ita communis. Sic licet in bello subvertere mœnia ac turres, incendere munitiones pulveris, per cuniculos in auras disjicere aggeres, tormenta bellica dirigere in turmas hostiles, quibus intermixti innocentes. At vero si hostis ante suas copias agat rusticos ad expugnationem urbis, ut iis utatur pro scuto, dandum est innocentibus signum, ut corruant in terram, quod si metu verberum aut etiam mortis id facere recusent tunc primum in obvios, sclopeta sine discrimine exonerari poterunt. Tenentur enim ejusmodi homines potius subire periculum verberum ac mortis, quam cooperari ad certam expugnationem urbis innocentis: licite tamen in tali casu occiderent quemcunque officialem vel privatum, a quo contra jus gentium & contra jus belli compelluntur sic præire inarmati ad assultum; Immo ea occisio foret cuivis amico vel concivi taliter compulsorum licita non obstante, quod jam fidelitatem juraverint hosti. Juramentum enim fidelitatis se non extendit ad hanc barbariem plus quam turcicam.

Quæritur 36. An Judex possit condemnare ad mortem, juxta allegata & probata mortis reum, quem tamen scientia privata scit esse innocentem?

Respondeo. Si Judex est *physice certus* de innocentia accusati, quod contingere potest, si probatio innocentiæ depen-

pendet præcise a quæstione facti, v. g. si sciat, accusatum eo tempore, quo dicitur perpetrasse in platea homicidium, secum fuisse in eodem hospitio, non potest eum condemnare ad mortem, sed tenetur potius relinquere suum officium.

Ratio est, quia occisio innocentis prohibita est jure divino Exodi 22. ubi declarando legem naturalem Deus dicit: *Insontem & justum non occides*. Nec reperitur concessa esse a Deo exceptio pro tali casu singulari prorsus extraordinario ac rarissimo. Immo si hoc liceret, etiam excusari potuissent carnifices tyrannorum occidendo Christianos accusatos &, prout prætendebatur, convictos de infanticidio, incestis conviviis, & magiis, quos privata scientia sciebant esse innocentes. Si autem Judex solum *moraliter* sit certus de innocentia accusati, tenetur potius judicare juxta allegata & probata, quando non haberet aliud remedium liberandi accusatum sine amissione sui officii & honestæ sustentationis.

Ratio est, quia moralis certitudo est fallibilis. Tenetur ergo præferre alienum judicium & documenta certiora publica privatæ notitiæ minus certæ. Accedit, quod alioquin aperiretur Judicibus nimis lata janua subterfugiendi rigorem legum. *Confirmatur* responsio authoritate D. *Thomæ*, qui saltem intelligendus est de casu notitiæ privatæ ex parte judicis solum *moraliter certæ*. In 2. 2. q. 67. a. 2. C. sic scribit: *Judicare pertinet ad Judicem, secundum quod fungitur publica potestate. Ideo informari debet in judicando non secundum id, quod ipse novit tanquam privata persona, sed secundum id, quod sibi innotescit tanquam personæ publicæ. Hoc autem innotescit sibi & in communi & in particulari: in communi quidem per leges publicas vel divinas vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio per instrumenta & testes, & alia hujusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in judicando magis, quam id, quod ipse novit tanquam privata persona. Ex hoc tamen ad hoc adjuvari potest, ut districtius discutiat probationes inductas, ut possit earum defectum investigare. Quod si eos non possit de jure repellere; debet eas in judicando sequi.*

Quæritur 37. An liceat matri gravidæ dare medicinam pro expellendo gravi aut periculoso morbo, si id fieri nequeat sine periculo enecandi fœtum?

Respondeo. Si absque medicina simul cum matre periclitaretur & fœtus æquali periculo, licite sumitur a matre medicina: quia melius est periclitari unum solum, quam duos. Econtra si absque medicina non periclitetur infans, & mater non periclitetur de vita, sed tantum de sanitate tardius vel nunquam amplius recuperanda, tenetur mater potius abstinendo a medicina in se recipere periculum diuturnæ vel etiam perpetuæ ægritudinis incurabilis, quam sumendo medicinam exponere infantem gravi periculo mortis in utero.

Ratio est; quia datur obligatio charitatis etiam juxta Theologos alioquin laxos, a *Catalano* relatos h. l. C. 8. n. 5. ut quis se exponat præsentissimo periculo mortis vel captivitatis perpetuæ, si fugiens ab hoste deferatur ad viam angustam, in qua jacet infans necdum baptizatus, quem transire equo vel curru nequeat sine ejus conculcatione. Ergo multo magis obligatur mater ad subeundum periculum gravis ac perpetuæ infirmitatis, si eam præcavere nequeat sine periculo gravi aut omnino moraliter certo enecandi infantem. *Confirmatur* ex eo, quia etiam Imperatores gentiles, immo ipsimet tyranni jusserunt differri mortem fœminarum gravidarum, donec peperérant, etiamsi interea ab iis fœminis perferendus fuerit squallor teterrimi carceris. Ergo agnoverunt, præferendam esse vitam infantis incommoditatibus etiam gravissimis matrum.

Quæritur 38. Quid sit? & num sit licitum Duellum?

Respondeo 1. Duellum est duorum superiorem recognoscentium cum intentione occidendi vel graviter vulnerandi, certamen, quod ex condicto in certo & convento loco ac tempore suscipitur,

pitur, uno indicente, altero acceptante. Huc referendum est duorum ex condicto certamen cum *periculo gravi* occidendi vel graviter vulnerandi, quamvis intentio duellantium solum feratur ad levem vulnerationem prout, in Bulla Clementis VIII. inferius referenda continetur.

Respondeo 2. Duellum descriptum est grave peccatum.

Ratio est, quia Deus nullibi reperitur indulsisse facultatem disponendi de vita propria vel aliena personis privatis, nisi supremis magistratibus in bello erga æquales, aut in causa criminali erga subditos, quorum titulorum neuter concurrit in duello.

Idem probatur ex variis Constitutionibus Ecclesiæ, Duella sub gravissimis pœnis prohibentis. *Concilium Tridentinum* Sess. 25. C. 19. sic habet: „ Detestabilis Duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte etiam animarum perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione & Dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint, directis Dominis statim aquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta Sacros Canones puniri debeant; & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.

Hoc Decretum a *Gregorio* XIII. in Bulla: *Ad tollendam*, edita 5. Decembris 1582. & a *Clemente* VIII. in Bulla: *illius vicem*, edita Kal. Sept. 1592. fuit sic explicatum, ut extendatur etiam ad eos, qui sine provocatoriis cartulis, & sine patrinis ineunt certamen. Gregorius XIII. l. c. etiam declaravit, hoc Decretum Concilii non solum locum habere in duellis solemnibus & publicis, sed etiam in privatis. Verba Bullæ Gregorianæ sunt ista: „ Nos considerantes, duellum privatum non minus cruentum & animæ & corpori noxium esse, quam quod publice perpetratur, authoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto statuto tempore & in loco convento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denuntiationis cartulæ præcesserint, censuris & pœnis omnibus a Concilio (*Tridentino*) propositis teneri, perinde, ac si publico & consueto abusus singulare certamen inivissent.

Bulla autem *Clementis* VIII. sic habet: „ Decernimus & declaramus, Constitutiones (*Pii IV. & Gregorii XIII.*) ac decretum (*Tridentinum*) locum habere ubique gentium & terrarum inter quascunque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis militantes. Idem quoque juris censendum esse, si publico & forsan justo bello indicto miles alterum in adversariorum exercitu militantem Ducum permissu ad singulare certamen (*ob simultates privatas*) provocet. Nec non iisdem pœnis Decreto & Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. -- Præterea prohibemus om-

„ nia scripta, quæ etiam sine expressa „ provocatione ad certamen, tamen „ quasi præparatoria quædam ad libellos „ provocatorios, & ad duellum mate- „ riam & occasionem præbent. -- Ex- „ communicamus omnes publice vel „ privatim, palam vel occulte, in qui- „ buscunque locis, modis & formis, ac „ casibus sub præsenti nostra vel prædi- „ ctis constitutionibus ac Decreto com- „ prehensis singulare certamen, quod „ duellum vulgo dicitur, ex composito „ ineuntes, nec non id scelus suaden- „ tes, aut provocantes, opem, consi- „ lium, vel favorem præstantes, circa „ scripta hujusmodi quomodolibet pec- „ cantes, hujusmodi delicti socios, de „ industria spectatores, patrinos, fauto- „ res, defensores, quacunque Ecclesia- „ stica vel mundana præfulgeant digni- „ tate. -- Supradictos omnes ipso facto „ absque ulla monitione excommunica- „ tionis majoris & maledictionis æternæ „ mucrone perculsos & damnatos harum „ serie declaramus, & si in ipso con- „ flictu objerint, sepultura Ecclesiastica „ perpetuo privatos esse volumus. Ipsas „ vero civitates, terras & loca, in quo- „ rum territoriis id facinus scientibus „ & tacite vel expresse permittentibus „ aut tolerantibus Dominis aut populo „ admissum fuerit, Ecclesiastico suppo- „ nimus interdicto, &c.

Quæritur 39. An acceptari possit duellum, si non reperiatur Superior, qui velit judicare in causa, & eo non judicante amittendum sit officium, ac consequenter recusans duellum constituendus in gravi necessitate?

Respondeo. Etiamsi nec detur Judex, qui velit judicare in causa, nec retineri possit honesta sustentatio, sed subeunda sit etiam gravis necessitas mendicandi, non tamen licet acceptare duellum.

Ratio est, quia ista licentia nunquam reperitur tacite vel expresse, in genere vel specie, concessa a Deo, cum ipsimet Imperatores, Reges, ac Magistratus excommunicentur, & ponantur sub Interdicto, qui talia permittunt.

Nec obstat, quod quilibet possit occidere injustum aggressorem, qui nititur eripere quantitatem bonorum necessariam pro honesta sustentatione; aut quod privatæ personæ in defectu legitimi Judicis ac Superioris denegantis administrationem justitiæ spectari possint, tanquam personæ supremæ non recognoscentes Superiorem. Nam inprimis datur in hoc casu spes post brevem unius vel alterius anni patientiam recuperandi sua bona ab injusto aggressore, qui potest conveniri coram Episcopo vel Papa, ut excommunicetur, nisi revocet provocationem, & compellatur ad satisfactionem. Indubitato enim assistet Roma provocato, si provocatus personaliter adeat Romam. Dein si nec Imperator, nec Rex, nec Magistratus in tali causa particulari velit parere rescriptis Romani Pontificis, poterit quærere servitia in alterius principis aula vel exercitu. Quod si etiam hoc impediatur malitia inimicorum, licebit ei, per Epistolam monere provocantem, ut a provocatione sub æquis conditionibus desistat; & si etiam hoc ultimum medium recuset, tenebitur potius extremam pati paupertatem, quam directe vel indirecte, v.g. per occursum studiose quæsitum, dare ansam ad duellum.

Ratio est, quia status paupertatis non est causatus a privato homine, nempe a provocante ad duellum directe & ex intentione, sed a Magistratu vel principe, qui recusat justitiam, contra quem rapientem injuste bona non licet defensio occisiva. Provocans autem est tantum *occasio* hujus depauperationis præter suam intentionem vel actionem directe influentem seu tendentem in depauperationem. Hinc concedo, quod sic damnificatus per recusationem justitiæ possit a judice inferiore appellare ad Principem, & si etiam iste recuset justitiam, quod possit indemnizationem totius sui damni sumere a Principe per compensationem occultam. Neque enim tenetur appellare contra Principem vel Magistratum ad tribunal Wetzlariense, vel aliud, quod tentari nequit sine periculo totalis depauperationis, vel sine ulla spe melioris justitiæ. Hæc tamen remedia intelligenda sunt, quando provocatus non

dedit

dedit causam theologice culpabilem saltem venialiter provocationis. Si enim commisisset culpam saltem venialiter peccaminosam, posset Supremus Princeps pro tali culpa, saltem inter personas nobiles, juste statuere vel permittere privationem officii, ac consequenter non daretur jus compensationis & indemnizationis adversus principem.

Verum hoc responsum tandem extra controversiam positum fuit a *SS. D. N. Benedicto* XIV. qui in Bulla: *Detestabilem*, editam quarto Idus Novembris anno 1752. damnavit quinque sequentes propositiones:

1. *Vir militaris, qui nisi offerat aut acceptet Duellum, tanquam formidolosus; timidus, abjectus, & ad Officia militaria ineptus haberetur, indeque Officio, quo se suosque sustentat, privaretur, & promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa & pena vacaret, sive offerat, sive acceptet Duellum.*

2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

3. *Non incurrit Ecclesiasticas penas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ, acceptans Duellum ex gravi metu amissionis famæ & Officii.*

4. *Licitum est, in statu hominis naturali acceptare & offerre Duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

5. *Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.*

Has propositiones non solum publice, sed etiam privatim defendere, vel de iis disputando, nisi impugnando tractare, Pontifex prohibet sub excommunicatione, ipso facto incurrenda. Præterea statuit: *ut si quis in duello, sive publice sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco constituto, sive extra illum ex vulnere in Duello accepto, hujusmodi homicida, a cujuscunque Sacri vel Religiosi loci Asylo extrahi possit & debeat.* Denique decernit *Sepulturæ privationem morientibus in loco Duelli & conflictus incurrendam perpetuam fore, etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis & censuris absolutionem obtinuerit.* Integram Bullam reperies in *Appendice* seu *Supplemento* num. 16.

Quæritur 48. An possit quis licite permittere, quod castretur ad suavitatem vocis conservandam, qua redditus annuos in totam vitam lucrari possit? Vel an parentibus, maxime pauperibus, liceat filios ad hunc finem castrare?

Respondeo. Id non licet. *Ratio* est, quia Deus nullibi reperitur indulsisse concessionem castrationis ex hoc fine, sed potius summam suam indignationem demonstravit sæpius in Scriptura contra hunc ritum castrandi etiam eo tempore, quo dabatur motivum majoris necessitatis Eunuchorum ob multitudinem uxorum, qualis dabatur in veteri Testamento. Sic enim dicitur in Deuteronomio C. 23. v. 1. *Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis & abscisso veretro Ecclesiam Domini*. In hoc textu Deus pro objecto indignationis habet ipsam castrationem; Sic colligitur ex sequenti contextu; ubi etiam natum de Scorto, & posteros Moabitarum usque ad decimam generationem ab Ecclesia excludit.

Si quis objiciat, etiam a laudatis Regibus Juda, & ab Imperatoribus christianis habitos fuisse Eunuchos, nec tamen illos a Prophetis, v. g. Isaia, Jeremia, &c. aut istos a Sanctis Ecclesiæ Episcopis vel Doctoribus, aut a Christo fuisse reprehensos.

Respondeo, id per œconomiam seu dispensationem divinam saltem præsumptam, pro congruentia personarum, locorum, & temporis per os Prophetarum & Ecclesiæ manifestatam illis temporibus licuisse; quæ dispensatio ad nostra tempora extendenda non est, cum sine omni perturbatione Ecclesiæ evita-

ri & prohiberi possit; si semel iste mos recesserit ab Ecclesiis primariis. Pro hac sententia stat etiam *Author Theologiæ Moralis Salmanticensis*, dum Tract. 13. C. 2. punct. 3. n. 45. sic scribit: „ Eam castrationem invitis filiis, & repugnantibus, omnes asserunt non licere, quia filius in electione status est liber, qua libertate privatur per talem actionem: sed an ipsi possint consentire, vel ipsis consentientibus a parentibus castrari? quæstio est, ad quam respondet affirmative Salon 2. 2. q. 65. *art.* 1. *controv.* 2. Pasqual. *decis.* 498. Trullench. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 4. quia eunuchi utiles sunt bono communi Ecclesiarum, propter suavitatem vocis; & ipsis hoc maxime congruit, per quod tantum emolumentum accipiunt. Sed si hæc ratio aliquid probaret, probaret etiam, quod si Rex in palatio (ut olim fiebat) nollet intimos famulos admittere, nisi eunuchos, licitum esset castrare filios ad talem commoditatem capiendam, & ut Rex decenter serviri posset; quod pertinet ad bonum commune, sed quod nullus docet. Si enim pro salute spirituali animæ, & vitandis periculis peccati id non licet, quanto minus pro emolumento temporali? Nec est bonum tanti momenti illo medio vocem conservare, ut ob id res tam aliena, & a natura reprobata accipiatur; & ideo omnino illicitam esse talem castrationem, docet Prado *c.* 20. *q.* 5. *num.* 11. Villalob. *tract.* 12. *difficult.* 17. *n.* 4. Lugo *disput.* 10. *sect.* 1. *n.* 23. Lezana *tom.* 3. *V. Homicidium n.* 4. *& V. irregularitas n.* 75 Bonac. *de cens. disp.* 7 *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 34. Diana 6. *p. tract.* 6. *resol.* 35. *& tract.* 8. *resol.* 36. *&* 7. *p. resol* 63. *& p.* 9. *tract.* 8. *resol.* 45. & videtur velle D. Thomas art. 1. *citato*, ubi asserit, omnino illicitam esse abscissionem membri, nisi quando aliter toti subveniri non potest.

Quæritur 41. An & quomodo bellum sit licitum?

Respondeo 1. Ad bellum tam defensivum quam offensivum requiritur, ut concurrant *quatuor conditiones.*

Primo requiritur in bellum gerente *suprema authoritas*. Si enim privata persona, vel communitas se defendat contra evidentem tyrannidem proprii vel alieni principis, non dicuntur gerere *bellum*, quamdiu manent subditi, contra principem, sed uti justa *defensione*, seu *confœderatione* ad propulsandam tyrannidem.

Secundo requiritur *causa justa gravissima*, præponderans gravitati malorum, quæ solent esse connexa cum bello. Manifestum enim est, ob prætensionem, v. g. mille florenorum, aut unius prædii bellum declarari non posse. Requiritur proin talis causa, qua non vindicata, salus vel authoritas reipublicæ, regni, principatus, &c. sine gravi subditorum necessitate maxima parte consistere nequit. In aliis enim minoribus causis locus est *Repressalibus*, & *confœderationibus* ad salvanda sua jura.

Tertio requiritur *recta intentio*, ut non procedat ex odio personarum, neque etiam in subditis foveantur, aut permittantur foveri odia erga nationem alteram, ac denique ut semper retineatur animus pacificus, seu intentio ineundi pacem, quamprimum obtenta vel oblata fuerit competens & *æqua* satisfactio & assecuratio in futurum.

Quarto requiritur, ut servetur debitus ordo charitatis erga Deum & proximum. Si enim jus proprium bello vindicari non posset sine maxmo detrimento divinæ gloriæ, religionis, Ecclesiæ, &c. sacrificandum potius esset emolumentum temporale emolumentis longe majoribus divinæ gloriæ; quia sic exigit ordo charitatis & amicitæ erga Deum. Taliter fieri solet, quando ab una belligerantium Catholicorum vel Christianorum parte in confœderationem sub conditionibus Ecclesiæ præjudiciosis trahuntur gentiles vel hæretici, prout sæpius factum esse historiæ produnt.

Quæritur 42. An supremus princeps possit alteri indicere bellum stante dubio de justitia belli?

Respondeo 1. Non licet stante dubio indicere bellum, si prius non præcesserit

rit diligens & accurata diſcuſſio de juſtitia belli, & conſenſus liber ſtatuum, ad quos ſecundum jura & capitulationes juratas pertinet deliberatio cum voto circa concluſiones pacis & belli. Ut autem adhibeatur debita diligentia, deligendi ſunt periti & probi conſiliarii, a ſuſpicione corruptionis liberi; ac prætèrea conſulendi ſunt boni Theologi, ac demum ſtatuendum, quod quis in articulo mortis ſtatutum mallet, non tamen prius, antequam prius de documentis & conditionibus per Conſiliarios ac Theologos requiſitis ſufficiens informatio capta fuerit.

Reſpondeo 2. Si poſt diligentem ejuſmodi inquiſitionem viſum fuerit, juſtitiam belli eſſe ſtrinčte dubiam, non licet aggredi hoſtem exiſtentem a centum annis in pacifica poſſeſſione, ex pacto præcedente. Si autem juſtita belli apparuerit eminenter probabilior, poterit indici & iniri bellum, niſi obſtent pacta aut præſcriptio immemorialis legitima.

Reſpondeo 3. Si neutra pars ſit in legitima pacifica poſſeſſione, & jus ſit ſtricte dubium, tenetur quælibet pars offerre & acceptare *æquam* compoſitionem, in qua jura dividuntur.

Quæritur 43. An bellum poſſit utrinque eſſe juſtum?

Reſpondeo. Bellum poteſt utrinque eſſe juſtum *formaliter*, in quantum utrinque poteſt imperari a dictamine conſcientiæ invincibili; non tamen poteſt eſſe utrinque juſtum *materialiter*. Nam licet quis habeat jus æque probabile ac pars adverſa, ſi tamen non offerat aut non acceptet æquam compoſitionem, eoipſo ex parte ipſius bellum erit materialiter injuſtum.

Quæritur 44. An milites teneantur examinare juſtitiam belli?

Reſpondeo 1. Si miles non poſſit examinare fundamentaliter juſtitiam belli, & non appareat manifeſta injuſtitia belli, habeatque prudentem præſumptionem de juſtitia ſui Domini, cui militat, aut militare intendit, nec obſtet ordo charitatis erga Deum & proximum, tuto ſe adſcribit aut inhæret illius Domini ſervitiis, ſive ſit ſubditus ſive extraneus. Si autem injuſtitia belli ſit manifeſta, aut nulla poſſit formari prudens præſumptio de juſtitia partis, aut ſi ipſemet poſſit fundamentaliter examinare juſtitiam belli, non poteſt accedere vel adhærere parti injuſtæ. Ita quoad rem communis.

Hinc ſequitur 1. Quod principes non poſſint ſuas copias ſociare, vel relinquere potentiis exteris indefinito fœdere offenſivo & defenſivo, niſi prius diligenter & fundamentaliter examinent juſtitiam partis, cui ſuos millites jungunt vel relinquunt.

Sequitur 2. Milites paratos ad pugnandum in ſervitiis cujuſcunque principis ſive bellum ſit aperte injuſtum, ſive juſtum, eſſe in ſtatu peccati mortalis, & incapaces abſolutionis.

Quæritur 45. An etiam Clericis permiſſum ſit bellum ſuſcipere? militem agere?

Reſpondeo. Id non licet, niſi in caſu extremæ neceſſitatis pro tuenda ſua, & concivium vita, aut pro ſua & concivium libertate a ſervitute barbarica, aut pro tuenda religione ab exitio in tota aliqua urbe vel provincia. Ex hoc ſequitur, Clericum in ſacris Ordinibus conſtitutum nunquam poſſe agere militem in bello offenſivo, ſed tantum defenſivo; imo ne quidem in bello defenſivo, niſi agatur de vita, de ſervitute barbara, aut de excidio religionis. Pro aliis enim circumſtantiis deſunt Sanctorum Epiſcoporum vel Clericorum exempla; & obſtat generalis textus Apoſtoli 2. Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Quæritur 46. Quænam liceant vel non liceant militibus in bello juſto?

Reſpondeo 1. Generali Regula in bello juſto illa omnia ex ordinatione Ducum licita ſunt, quæ conformiter ad leges naturales, divinas, & humanas, gentium moribus receptas, neceſſaria ſunt ad finem belli, videlicet ad ablata recuperanda, compenſationem faciendam, vindictam proportionatam delicto ſumendam, expenſas belli to-

lerandas, & pacem ſtabiliendam.

Reſpondeo 2. In particulari non licet 1. extorquere a ruſticis vel civibus pecunias vel alia utenſilia ultra conceſſa a Ducibus. 2. adeoque illud nec licet curioni caſtrenſi. 3. nec licet abigere oves, pecudes, decutere fructus ultra conceſſa a Ducibus. Id patet ex doctrina S. Joannis Baptiſtæ Romanis militibus vel Herodianis data. Cum enim Lucæ 3. venirent ad eum milites & dicerent: Quid faciemus & nos? ait illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* 4. nec licet occidere innocentes ante vel poſt pugnam, v. g. ruſticos, mercatores, itinerantes &c. 5. nec licet comburere domos, præſertim Eccleſias, niſi hoſtes iis utantur pro receptaculis ſeu propugnaculis. 9. Nec licet veneno inficere aquas, puteos, globos, vel arma; quia hoc repugnat recepto juri gentium. Nam bellum geritur viribus & defenſione reciprocis; contra ejuſmodi autem armorum genera nemo ſe tueri poteſt. Eadem ex ratione jure gentium recepto nec licent alia quædam armorum genera, quæ ederent nimiam ſtragem hominum. 6. Licita tamen ſunt ſtratagemata, ſeu ſigna æquivoca, dummodo fiant ſine mendacio, aut reſtrictione mentali. 8. Similiter licet habere exploratores ſub prætextu aliquo vero, ſed non licet per ſchedas ſolicitare milites hoſtiles ad defectionem, niſi cauſa hoſtium ſit aperte ac notorie injuſta.

Quæritur 47. Ad quem pertineant ſpolia ex hoſtibus capta?

Reſpondeo. Niſi aliud ſtatutum fuerit a principe, bona mobilia fiunt primo capientium. Bona autem immobilia ſpectant ad principem. Ita lex moribus comprobata.

Quæritur 48. An hoſtes, qui ſe dederunt diſcretioni victoris, occidi poſſint?

Reſpondeo. Si bellum ex parte illorum fuerit manifeſte injuſtum, & ipſi ultro ſine obligatione ſaltem veroſimiliter exiſtimata paruerint decreto principis aperte injuſto, poſſunt tanquam malefactores notorii perimi gladio, niſi conſideretur & obſtet lex charitatis. Si autem habeant titulum ſaltem coloratum veroſimilem juſtitiæ, quo excuſari poſſint a peccato mortali, non licet eos occidere. Ratio eſt, quia non licet occidere innocentes. Pro innocentibus autem haberi debent, qui non poſſint convinci peccati mortalis.

Quæritur 49. An ſervus bello juſto captus poſſit a Domino ſuo fugere?

Reſpondeo. Si nondum præſtitit ſuo Domino juramentum de fidelitate ſervanda, & de non fugiendo; nec fuerit per militationem in bello ſuarum partium aperte iniuſto mortalis criminis reus, licite fugit. Ratio eſt, quia tales in bello capti non poſſunt occidi extra pugnam; nec etiam, ſi retrahantur a fuga, poſſunt aut ſolent affici gravi ſupplicio tanquam perfidiæ aut furti rei. Ergo ex communi ſenſu aut tacito pacto reciproco non habentur nec haberi poſſunt rei gravis criminis. Aliud dicendum de iis, quibus donata eſt vita ſub conditione ſervitutis ſeu ſervitii, aut captivitatis perpetuæ. In tali enim caſu jus Domino aquiſitum eſt pretio æſtimabile, & ſolet quandoque redimi pretio. Ergo Dominus illo jure ſpoliari nequit, niſi remittatur pacto expreſſo vel tacito inter bellantes reciproco.

Quæritur 50. An repreſſaliæ ſint licitæ?

Reſpondeo. Repreſſaliæ ſunt licitæ, ſi concurrant conditiones ſequentes 1. Si manifeſte conſtet de injuſta damnificatione ſubditorum unius principis illata a principis alterius ſubditis. v. g. ſi milites Anglicani tempore pacis inferant damnum ſubditis Regis Galliæ. 2. Ut princeps damnificantium pro juſtitia interpellatus nolit adminiſtrare juſtitiam, & ſuos ſubditos compellere ad compenſationem damni injuſti. 3. Ut princeps damnificatorum ſuis ſubditis concedat Repreſſalia erga ſubditos alterius principis damnificantium. 4. Ut per Repreſſalia non inferatur plus damni quam ſatisfactio pro damno & expenſis Repreſſalium exigat. 5. ut Repreſſalia, quantum fieri poſſit, fiant potius erga perſonas damnificantes, quam alias perſonas

nas innocentes. 6. Ut præda capta applicetur pro indemnizatione damnificatorum, & pro expenſis repreſſalium.

Quæritur 51. An milites licite deſerant ſua ſigna, aut omnino confugiant ad hoſtes, ſi illis non præſtentur victualia, veſtimenta, vel ſalaria?

Reſpondeo. Si non præſtentur militi victualia, veſtimenta, aut ſalaria debita, ita ut iis deficientibus exponatur periculo mortis, aut contrahendæ ſenſim diuturnæ ægritudinis difficulter reparabilis, licite fugit, etiamſi ille defectus ex impotentia vel imprudentia principis ſit. Si autem ille defectus oriatur ex injuſtitia notoria officialium non correcta a principe, licite fugit, ſi per hoc cogatur diu, v. g. per plures menſes vivere in gravi neceſſitate, etiamſi non ſit periculum gravis ac diuturnæ ægritudinis difficulter reparabilis. Ratio eſt, quia contractus inter principem & ſubditum initus eſt contractus bonæ fidei, in quo nullus militum ſe obligaret ad vivendum diu, v. g. per dimidium annum, ex injuſtitia Officialium notoria miſere, ſi contractu exprimeretur hæc conditio.

SECTIO VII.

De Sexto & Nono Præcepto Decalogi.

§. I.

De Luxuria

QUæritur 1. Quomodo in Scriptura ſonet vel explicetur ſextum & nonum præceptum Decalogi?

Reſpondeo. Sextum Decalogi præceptum in Exodo C. 20. continetur his verbis: *Mon mœchaberis*. Nonum autem ibidem ſic habet: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus*. In Deuteronomio C. 5. eadem duo præcepta his verbis repetuntur. *Neque mœchaberis -- non concupiſces uxorem proximi tui*. Explicatio autem horum præceptorum uberior traditur a Chriſto Matth. 5. v. 27. ubi ſic habetur: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis; quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam ignis.*

Quæritur 2. Quænam ſpecies luxuriæ in Scriptura referuntur ad hoc præceptum?

Reſpondeo. In Scriptura ad iſta duo præcepta *referuntur* 1. cogitationes ac concupiſcentiæ *adulterinæ*, *fornicariæ*, *impudicæ*. Nam Chriſtus Marci 7. v. 15. dicit: *Quæ de homine procedunt, illa coinquinant hominem ... Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, impudicitiæ, oculus malus.*

Et Matth. 19. v. 17. *huc referuntur* 2. *adulteria*. Nam Juveni interroganti, quid agendo vitam æternam obtinere poſſit, Chriſtus reſpondet: *Sis vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et Juvene interrogante; quænam eſſent illa mandata? Chriſtus ſubjungit: *Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum*, &c. Lucæ 18. v. 20. reſponſio Chriſti ad interrogationem Juvenis his verbis traditur: *Mandata noſti? Non occides; non mœchaberis; non furtum facies*. Itaque adulterari, & mœchari pro eodem ſumuntur.

Huc referuntur 3. *ea peccata luxuriæ, quæ ſunt contra naturam, ſeu immunditiæ, & fornicationes*. Nam ad Rom. 1. v. 24. ubi de gentilibus ſermo eſt, ſcribit Apoſtolus: *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua inſemetipſis. Quia commutaverunt veritatem Dei in mendacium, tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione ... Non intel-*

lexerunt; *quoniam qui talia agunt*, *digni sunt morte*, *non solum qui ea faciunt*, *sed etiam*, *qui consentiunt facientibus*.

Huc refertur 4. *Turpitudo*, *stultiloquium*, *scurrilitas*, *immunditia*. Nam Apostolus ad Ephesios C. 5. scribit: *Fornicatio autem & omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis*, *sicut decet Sanctos* (hoc est, sanctificatos per baptismum) *aut turpitudo aut stultiloquium*, *aut scurrilitas*, *quæ ad rem non pertinet*. *Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator*, *aut immundus regnum Dei non possidebit*. Et ad Coloss. 3. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram*, *fornicationem*, *immunditiam*, *libidinem*, *concupiscentiam malam*, *propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ*. Et 1. Cor. 6. *An nescitis*, *quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare*, *neque fornicarii*, *neque idolis servientes*, *neque adulteri*, *neque molles*, *neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt*.

Quæritur 3. Quænam enumerentur a Theologis species luxuriæ?

Respondeo. Enumerantur sequentes species. 1. Fonicatio. 2. Adulterium. 3. Stuprum. 4. Incæstus. 5. Sacrilegium. 6. Mollities seu pollutio. 7. Sodomia. 8 Bestialitas. 9. Concubitus cum dæmone. 10. Concubitus modo innaturali.

§. II.

De Fornicatione.

Q*Quæritur* 4. Quid sit fornicatio?

Respondeo. Fornicatio est commixtio extramatrimonialis maris cum fœmina, de se ad generationem prolis idonea. Si fuerit commixtio maris soluti cum soluta vocatur *fornicatio simplex*. Si autem fuerit commixtio maris conjugati cum fœmina soluta, vel maris soluti cum fœmina conjugata, vel quando ambæ personæ fuerint conjugatæ, vocatur *fornificatio qualificata*, seu *adulterium*.

Quæritur 5. An fornicatio sit jure naturali, vel tantum jure divino positivo, aut Ecclesiastico prohibita?

Respondeo. Fornicatio est jure naturali illicita.

Id *probatur* 1. ex propositione ab Innocentio XI. damnata, quæ sic sonat: *Tam clarum videtur*, *fornicationem secundum se nullam involvere malitiam*, *& solum esse malam*, *quia interdicta*, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*.

Idem *probatur* 2. ex eo, quia Deus in prima ordinatione naturæ generationem solum permisit in conjugio unius cum una, ex quo satis colligitur, recto ordini rerum naturalium & hominum in mundo non congruere promiscuam generationem cujuslibet cum qualibet. Hinc Christus Matth. 19. Pharisæis interrogantibus; *an liceat homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa?* quod genus dimissionis habebat quandam speciem fornicationis; respondet: *Non legistis*, *quia qui fecit hominem ab initio*, *masculum & fœminam fecit eos; & dixit*: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem*, *& adhærebit uxori suæ*, *& erunt duo in carne una*. *Itaque jam non sunt duo*, *sed una caro*. *Quod ergo Deus conjunxit*, *homo non separet*, prout tamen fieret per fornicationem.

Quæritur 6. An copula cum alterius sponsa sit tantum fornicatio simplex, vel potius adulterium?

Respondeo. Copula cum sponsa alterius vel cum sponso alterius *de præsenti* est verum adulterium, quia inter sponsum & sponsam *de præsenti* jam intercedit verum matrimonium, licet necdum sit consummatum. At vero copula cum alterius sponsa de futuro est tantum *simplex fornicatio*, licet hæc circumstantia addat gravem malitiam diversæ rationis, quæ proin in confessione necessario exprimenda est. Ita *Rodriquez*, *Sanchez*, *Filliutius*, *Fagundez* relati a Catalano. Idem dicendum de copula cum alterius sponso; quia per eam notabiliter minuitur amor sponsalitius sponsi ad suam sponsam, & consequenter ea copula superaddit gravem malitiam diversæ rationis necessario in confessione exprimendam.

Quæritur 7. An sit grave peccatum, mere-

meretrices jam aliunde paratas ad fornicandum invitare ad fornicationem?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia actualis voluntas, quæ prius erat solum habitualis, est in meretrice novum actuale peccatum, ad quod proin cooperari non licet. Ita Sylvester, Filliutius apud Catalanum.

Quæritur 8. An principes meretricibus licite permittant locum in civitate?

Respondeo. In regno vel principatu bene ordinato, ubi princeps habet sufficientem authoritatem & potentiam coercendi fornicationes & alia majora vitia, non est licita tolerantia meretricum suæ jurisdictioni subditarum pro subditis regni vel principatus. Rationes subjiciam infra.

Nec obstat, quod D. *Augustinus* & D. *Thomas* 2. 2. q. 10. a. 11. C. & in l. de *regimine principum* videatur docere oppositum. Nam liber de regimine principum non est D. Thomæ; & in 2. 2. l. c. solum refert sententiam S. Augustini; D. Augustinus vero l. 2. de ordine C. 4. quem librum scripsit adhuc Cathecumenus, & l. 13. de Civit. C. 18. solum intelligendus est de suo tempore, quo Christianus populus erat adhuc permixtus innumeris gentilibus ac hæreticis, in quos Imperatores partim ob concordata & pacta cum iis in aditu regiminis inita, partim ob periculum indeclinabile seditionum non habebant authoritatem & potentiam coercendi vitia. Imo in l. de Civit. l. c. tantum recenset, quid in urbibus gentilium toleretur; non autem affirmat, quod usus scortorum *licite* toleretur.

Nec obstat 2. quod etiam Romæ tolerentur lupanaria, & in pluribus aliis urbibus principum christianorum. Nam quod Romam attinet, sciendum est, ibi versari multa millia virorum exterorum, qui non stant sub jurisdictione libera ac independente Papæ, sed dependent a protectione Legatorum vel Residentium cujusque nationis. Cum ergo desit in Papa authoritas & potentia compescendi tot hominum in domos civium sub variis prætextibus intrantium dissolutionem, periclitarentur nimium puellæ ac matronæ Romanæ honestissimæ. Si Reges, imperatores, ac principes exteri relinquant Papæ liberam ac independentem jurisdictionem in eorum subditos Romæ commorantes, etiam Roma tollet lupanaria.

Cæterum *Rationes Responsionis* seu conclusionis superius datæ adjungo ex *Theologia Morali Salmaticensi* Tract. 26. C. 2. punct. 4. §. 2. sequentes. Sic enim „ scribunt: Circa secundam quæstionis „ partem est gravis difficultas apud Do- „ ctores, an licite inter Principes chri- „ stianos permitti possint in civitatibus „ meretrices publicæ, quæ impune scor- „ tum profiteantur?

„ Pro parte negativa arguitur *primo* „ ex Deuter. 23. v. 17. ubi Deus me- „ retricum permissionem Hebræis pro- „ hibuit, dicens: *Non erit meretrix de* „ *filiabus Israel*, *nec scortator de filiis* „ *Israel*: ergo in Hebræorum populo „ illicita erat meretricum permissio. „ Unde *Origenes* lib. 4. contra Celsum „ inquit: *Nullæ fuere meretrices juven-* „ *tutis pestes in eorum Republica*. *Et* „ *Clemens* lib. 3. Strom, & *Philo* lib. „ de Spectacul. leg. ajunt, esse apud „ Judæos crimen capitale corporis quæ- „ stum facere. Esto contrarium doceat „ Abul. in cap. 19. Levit. quæst. 27.

„ Arguitur *secundo*: Quia plures Prin- „ cipes sæculares, & Ecclesiastici lupa- „ naria & prostibula publica prohibue- „ runt, sic enim fecit D. *Ludovicus* „ Galliarum Rex, ut refert Claudius „ Spencæus lib. 3. *de contin.* cap. 4. Sic „ etiam prohibuit lupanaria publica *Phi-* „ *lippus* IV. Hispaniarum pius & reli- „ giosissimus Monarcha, ut docet Ma- „ riana lib. 1. *de Spect.* cap. 16. Et „ idem ait de *Alphonso* Aragoniæ Re- „ ge Bartholomæus Fernandez in qua- „ dam quæstione, quam de hac reedi- „ dit. Sed præ omnibus

„ Non minus fortiter huic vitio ob- „ stitit D. *Pius* V. (cujus paucis abhinc „ annis Canonizationem celebravimus) „ ut refert Cornel. a Lapid. in cap. 19. „ Ecclesiast. n. 9. in fin. vers. 3. his „ verbis, & exemplo comprobans hanc „ sententiam: Memorabile est exemplum

„ *Pii*

„ *Pii* V. (ait Cornelius) qui Roma, „ omnique ſtatu Eccleſiaſtico meretrices „ intra quindecim dies excedere juſſit, „ paucas tantum permiſit; easque loco „ ſeparato, juxta Mauſolæum recluſit. „ Sanxitque, ne inde egrederentur, ac „ per urbem nocte, vel die vagarentur: „ Sacellum eis attribuit, in quo con- „ cionem audirent: quæcunque contra „ facerent, acriter diverberarentur. Ob- „ ſtitit initio Pontifici *Conſervator* Po „ puli Romani dictans, id ceſſurum in „ Romæ detrimentum, quæ cum ſit „ *civitas libera*, meretrices ſemper per- „ miſit; ideoque numero & gente ac- „ crevit. Reſpondit Pius, noſſe ſe quan- „ ta hæc peccati ſit illecebra, tum po- „ pulo, tum Clero, ac quantum per „ hoc apud exteros probrum Romæ, & „ Sedi Apoſtolicæ, puta Pontifici, qui „ ejus eſt Princeps, tum ſæcularis, tum „ Eccleſiaſticus, creetur, Hæreticos enim „ perpetim illud Romanis objicere, ac „ proinde ſe in conſcientia teneri hoc „ ſcandalum, & probrum tollere. Ur- „ gente *Conſervatore* hanc fore ruinam „ Romæ: Reſpondit: Si per hoc ſum „ futurus ruina Romæ, ea excedam, „ & Sedem Apoſtolicam mecum in „ aliam urbem transferam, ac Roma- „ nis ſuas lupas relinquam. Ceſſit *Con-* „ *ſervator*, ac Pontifex rigide Sanctio- „ nem ſuam executioni mandans, Ro- „ mam hoc ſcandalo, & probro libera- „ vit. Hactenus Cornelius.

„ Arguitur *tertio*: Nam D. Hierony- „ mus ad Oceanum ait: *Cæſarem, non* „ *Chriſtum; Papianum, non Paulum* „ *viris impudicitiæ fræna laxare, & lu-* „ *panaria permittere*. D. *Auguſtinus*, „ eſto aliquando aliam videatur tenere „ ſententiam; tamen eam videtur re- „ tractare lib. 2. *de civitate Dei* cap. „ 2. ubi lupanaria inter illicita enume- „ rat. Et lib. 14. cap. 18. ait: *In uſu* „ *ſcortorum, quam terrena civitas lici-* „ *tam turpitudinem fecit*. Ergo ſuper- „ na, & cœleſtis Civitas, ſeu Jeruſa- „ lem, ut illicitam reprobat.

„ Deinde arguitur *quarto* a ratione: „ Nam ideo Auctores contrarii docent, „ licitum eſſe publicas concubinas in „ civitatibus permittere, quia ſic ſibi „ perſuadent provideri, tum honeſtati „ matronarum, & virginum: tum & „ peccatis nefandis; Ceſſabunt enim „ (dicunt) adoleſcentes laſcivi mulie- „ rum honeſtati inſidiari, & peccata ne- „ fanda non committent, ſi meretricium „ permittatur; Sed hoc eſt falſum. Poſt- „ quam enim meretricio ſunt dediti, „ incipiunt fœminas honeſtiores appete- „ re, & totis viribus ſolicitant: eſt enim „ hoc vitium luxuriæ, veluti ſanguiſu- „ ga, non ſolum quia optimos ſpiritus, „ & ſemen abſumit, ſed etiam quia „ ſemper ait, ut dicitur Proverb. 30. v. „ 15. *Affer, affer*: Et hoc confirmans „ proſequitur ſacer textus: *Tria ſunt* „ *inſaturabilia; & quartum, quod nus-* „ *quam dicit, ſufficit, infernus, & os* „ *vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur* „ *aqua; ignis vero numquam dicit, ſuf-* „ *ficit*. Ergo falſum eſt, quod, permit- „ tendo meretrices, honeſtarum fœmi- „ narum honeſtati, virginumque & gra- „ viorum peccatorum commiſſioni pro- „ videatur.

„ *Quinto*: Quia experientia teſte, vi- „ demus, quod una libido aliam inflam- „ mat; & poſtquam quis deditus eſt „ huic vitio cum meretricibus in vaſe „ naturali, modos contra naturam ap- „ petit, quærit, & adimplet; & poſt „ hoc adhuc alios excogitat nullis fini- „ bus conſiſtens, ut quotidie experi- „ mur, inauditas luxuriandi artes in- „ tra confeſſiones audiendo: ergo &c.

„ *Sexto*: Compertum eſt, quod ubi „ lupanaria non permittuntur, adole- „ ſcentes continentiores ſunt, nec tot „ adulteria committuntur: ergo mere- „ tricum permiſſio eſt patens inconti- „ nentiæ Academia, ubi adoleſcentes „ fornicari diſcunt.

„ *Septimo*: Viri, qui ad ſolicitandas „ mulieres honeſtas ſunt apti, non ade- „ unt ſemper meretrices, ſed poſtquam „ his male uſi ſunt illas reſpuunt, & „ honeſtiores vehementius ſollicitant: „ ergo falſum eſt, quod meretricum „ permiſſio eſt in bonum mulierum „ honeſtarum.

„ *Octavo*: Viri melius & fortius va- „ lent

„ lent resistere tentationi contra castitatem, quam mulieres, ut dicitur in „ cap. *Indignantur* 32. quæst. *6*. Et nihilominus, fœminis nunquam hac per „ missione lupanarium virorum succurritur: ergo &c.

„ *Nono*: Postquam meretrices ætatis „ florem in hoc vitio transegerunt, fiunt „ lenæ, quæ mille nocendi artes norunt: ergo &c.

„ *Decimo*: quia harum meretricum „ permissio est mille malorum occasio. „ Ipsemet novi, ait *Navarrus* cap. 17. „ Manual. num. 195. pueros castissimos „ venientes ad Academias ex terris, ubi „ non est hujusmodi occasio fornicandi, „ ob eas, quæ in illis se offerebant, animas, studia, & corpora ipsa contagio „ infecta perdere. Et idem & nos dicere valemus de iis, qui ad hanc Salmantinam Universitatem studiorum „ causa accedunt: licet enim hic meretricum permissio sit prohibita: tamen „ aliæ occultæ lupæ non mediocre damnum adolescentibus inferunt: ergo ob „ hæc irreparabilia incommoda meretricum permissio est illicita & reprobanda.

„ *Undecimo*: Permissio meretricum non „ solum est contra bonum naturæ, in „ quantum est fornicationis occasio: sed est „ etiam contra bonum Reipublicæ, cum „ impediat filiorum productionem, & „ civium augmentum; adolescentes enim „ habentes in promptu appetitus lascivi „ satiationem, honesta matrimonia inire procrastinant; & ex accessu ad meretrices infirmantur, ita ut vel steriles „ fiant, aut saltem debiles, & languidos „ filios procreent; quod non parum in „ commune damnum cedit: ergo prostibula, & lupanaria publica, utpote „ contra leges divinas, & bonum commune, a Christianorum finibus sunt „ amandanda.

„ *Duodecimo*: Quia saltem in Hispania videmus, quod, qui meretricibus adhærent, a Magistratibus puniuntur, & ipsæ meretrices incarcerantur, „ & abrasæ in pistrinum, seu *meretricum* „ *triremes* ut Hispani vocant, recluduntur: ergo saltem in his regnis prohibita est publica meretricum permissio.

„ Hanc opinionem tenent *Navarrus* „ in Manual. cap. 17. de. 7. *præcept.* „ *Decal.* n. 195. vers. *Quinto &c.* *Cornelius* (a Lapide) licet in cap. 19. „ Eccles. vers. 3. propriam mentem non „ aperiat, tamen huic sententiæ adhærere videtur, cum eam late, & efficaciter probare contendat. *Bertachinus* „ in Repertorio verb. *Meretrix*, *Joannes* „ *Mariana* lib. de spect. cap. 16. *Ricciullus tract. de Pers. quæ in statu reprobo versantur*. lib. 2. cap. *6*. *Lorin.* „ in Deuter. cap. 23. vers. 17. pag. mihi „ 179. *Gutier.* in Canonic. quæst. lib. „ 2. cap. 7. numer. 29. *Claudius Sponcæus* „ lib. 3. de contin. cap. 4. & ei adhærere videtur N. *Lezana consult.* 46.

Quæritur 9. An licet locare meretricibus suam domum in urbe, in qua permittuntur lupanaria?

Respondeo. Nulli homini privato licet, suam domum locare meretricibus, etiamsi in urbe permittantur lupanaria.

Ratio est, quia sicut in præcedente quæstione dictum est, Lupanaria non possunt a Principibus permitti, nisi id exposcat manifesta necessitas in casu, quo in Principe deficit sufficiens *authoritas & potentia* aliis mediis compescendi graviora crimina. Si autem concessio lupanarium fundatur in necessitate publica, Principis erit, designare loca & domus. Itaque non possunt excusari a peccato mortali, qui ultro sine imperio Principis suas domos meretricibus locant, eo quod talis locatio privata dicat quandam voluntarietatem, non necessitatem, quod repugnat graviter honestati christianæ.

Quæritur 10. Quid sit concubinatus? Et quomodo differat a fornicatione?

Respondeo. Concubinatus est consuetudo viri utendi fœmina sibi non conjugata tanquam sua conjuge. Hinc patet discrimen inter fornicationem & concubinatum. Nam 1. fornicarius peccat indifferenter cum pluribus, prout occasio tulerit; aut si peccat cum una, non habet tamen cum illa aliquod generale pactum explicitum vel implicitum, ut possit ad eam accedere, quando libuerit. Econtra concubinarius solet

let peccare cum una determinata quam intra vel extra domum servat ad suum usum illicitum, & cum qua habet pactum saltem tacitum, ut possit cum illa peccare, quando libuerit. 2. Fornicarius non solet simpliciter vocari maritatus; concubinarius autem vocatur etiam conjugatus, si fœminam intra vel extra domum servet pro usu meretricio.

Quæritur 11. Quid Confessario agendum cum concubinariis?

Respondeo. Si concubinarius necdum sit notorius, conferri poterit absolutio, dummodo promittat, se concubinam proxime dimissurum ex domo, vel non amplius frequentaturum, in qua moratur. Quod si promisso non steterit, differenda illi est absolutio; usque dum actu promissa compleverit. Quod si concubinatus sit notorius, ne quidem in articulo mortis est absolvendus, nisi actu ante absolutionem efficax, idque statim quantum fieri potest, exequendum mandatum dederit, sine mora ejiciendi concubinam ex domo vel territorio suo, si quod habet.

Quæritur 12. An Clerici concubinarii sint ipso facto suspensi? Et quomodo puniendi?

Respondeo. Non sunt ipso jure suspensi.

Ratio est; quia *Concilium Tridentinum* Sess. 25. c. 14. solum dicit, eos esse *suspendendos*, quod non diceret, si supponeret, esse ipso facto suspensos. Decretum Concilii valde notabile eam suspensionem soli Episcopo permittit *sine strepitu & figura judicii*, ne detur locus appellationi. Sic habet: „ Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se „ divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis „ res ipsa, communi fidelium omnium „ offensione, summoque clericalis militiæ dedecore testatur. Ut igitur ad „ eam, quam decet, continentiam, ac „ vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ „ revocentur; populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestiores cognoverit: prohibet sancta „ Synodus quibuscunque Clericis, ne „ concubinas, aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo „ vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant: „ alioquin pœnis *a sacris Canonibus* vel „ statutis Ecclesiarum impositis, puniantur. Quod si a Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint; tertia parte fructuum, obventionum, „ ac proventuum beneficiorum suorum „ quorumcunque, & pensionum ipso facto sint privati: quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto „ eodem cum eadem vel alia fœmina „ perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur; & „ si ita suspensi nihilominus eas non „ expellant, aut cum iis etiam conversentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, „ beneficiis, ac officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vitæ „ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit „ dispensandum. Sed si, postquam eas „ semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi „ scandalosas mulieres sibi adjungere ausi „ fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. „ Nec quævis appellatio, aut exemptio „ *prædictam executionem impediat*, aut „ suspendat: Supradictorumque omnium „ cognitio, *non ad Archidiaconos*, nec „ Decanos, aut alios inferiores, sed ad „ Episcopos ipsos pertineat: qui sine „ strepitu, & figura judicii, sed sola facti veritate inspecta, procedere possint. *Clerici vero beneficia Ecclesiastica*, aut pensiones non habentes, jux-

„ „ ta

„ ta delicti aut contumaciæ perseverantiam & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis, juxta sacros Canones, puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint; & a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, & si perseverent, etiam ad sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

Quæritur 12. An etiam concubinarii sæculares possint puniri ab Ordinariis locorum?

Respondeo Affirmative. Id enim patet ex *Concilio Tridentino*, quod Sess. 24. C. 28. sic statuit: „ Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, & in hujus magni Sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus, alere, & retinere, quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit hujusmodi concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, si, postquam ab ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse; a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis, permanserint, contra eos ab ordinario serere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, *& extra oppidum*, vel Diœcesim, si id iisdem ordinariis, videbitur invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios indictis, *in suo robore permanentibus*.

§. III.

De Adulterio.

QUæritur 13. Quid sit adulterium?

Respondeo. Adulterium est congressus personæ conjugatæ cum alia, sive ista fuerit soluta, sive conjugata. Si tantum una persona fuerit conjugata, vocatur adulterium simplex; si autem utraque fuerit conjugata, vocatur adulterium duplex.

Quæritur 14. An sit adulterium, si persona soluta peccet cum persona conjugata consentiente hujus conjuge?

Respondeo Affirmative. Id patet ex propositione damnata ab Innocentio XI. quæ sic sonat: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere; se esse fornicatum.*

Ratio autem est; quia consensus a marito vel conjuge præstitus est nullus, cum unitas fidei conjugalis sit proprietas statui matrimoniali non præcise ex contractu, cui renuntiari posset, sed ex jure divino annexa.

Quæritur 15. Quodnam adulterium sit altero gravius?

Respondeo. Tria sunt genera adulteriorum 1. quando conjugatus peccat cum soluta. 2. quando solutus peccat cum conjugata. 3. quando conjugatus peccat cum conjugata. Secundum genus est gravius primo, quia præter malitiam luxuriæ etiam exponitur maritus periculo alendæ alienæ prolis; & simul diminuitur affectio conjugalis adulteræ erga maritum. In tertio autem duplicatur hæc malitia, quia violantur jura duarum personarum conjugatarum, nempe jus, quod habet uxor adulteri, & jus, quod habet maritus adulteræ; & consequenter in hoc adulterio committitur duplex peccatum specialiter exprimendum in confessione.

Quæ-

Quæritur 16. An persona adultera amittat jus petendi debitum?

Respondeo. Adulterium commissum non privat jure petendi debitum, nisi per sententiam Judicis, aut per recusationem conjugis justam fundatam in violentis præsumptionibus contra suspectam personam.

Ratio est, quia illa privatio juris non sufficienter probatur.

Quæritur 17. Quænam sint pœnæ adulterii?

Respondeo. Pœnæ sunt 1. *pœna mortis*, ut constat ex l. quamvis C. de Lege Julia; de adulteriis. Eadem pœna statuitur in constitutione pœnali Caroli V. Sed hæc pœna hoc tempore non solet observari, & in quibusdam provinciis per leges recentiores in aliam pœnam mutata est. 2. Uxor adultera amittit dotem, quæ adjudicatur ejus marito, ut constat ex C. *Plerumque*: de donat. inter virum & uxorem. Jus tamen in dotem partis adulteræ non competit parti innocenti jure naturali, nisi quoad partem suæ sustentationi, si faciat divortium, necessariam: & hinc non potest pars innocens totam dotem clam surripere ante sententiam Judicis. Ad hanc autem pœnam incurrendam requiritur, ut adulterium sit consummatum, ita ut de eo constet saltem per præsumptiones violentas.

Quæritur 18. Quæ sit obligatio adulteri vel adulteræ?

Respondeo 1. Si adulter *certo credat*, partum adulteræ esse suum, tenetur marito adulteræ rasarcire *totum damnum*, quod juxta æstimationem prudentem patitur maritus adulteræ ex illius prolis alimentatione, ac educatione. Nec illa compensatio inchoanda est præcise a tertio anno post prolis nativitatem, sed etiam a tempore gestationis uteri, ex quo videlicet tempore mulier fuit impedita a gravioribus laboribus, & subjecta necessitatie squendi majores commoditates cum expensis majoribus. Licet enim lex positiva civilis patri solum imponat obligationem alimentandi prolem post triennalem ablactationem a matre proli præstandam, Jus tamen naturale obligat ad compensandum totum damnum causatum marito innocenti per adulterium, sive illud damnum præcedat sive subsequatur ablactationem.

Dixi. Si adulter *certo credat*, prolem esse suam. Non enim tenetur ad restitutionem, si prudenter dubitet, an proles non sit ex marito adulteræ; quia in dubio præsumptio potius stat pro marito. Hinc si consideratis circumstantiis ipsum juramentum matris, quo testatur adultero, se ex illo concepisse, sit valde suspectum; aut si præsumptionem ductam ex similitudine prolis ad adulterum infirmetur per præsumptiones in contrarium, ne quidem ipsum juramentum matris & similitudo prolis universim sufficiunt ad inducendam obligationem restitutionis quoad totum damnum.

Respondeo 2. Si adulter *probabilius credat*, prolem esse suam, tenetur jure naturali marito adulteræ compensare saltem dimidiam partem, aut duas tertias totius damni causati.

Ratio est, quia etiam in aliis damnificationibus, v. g. incensione domus, occisione equi, homicidio, &c. qui reperitur probabilius esse author damni illati, ob æquitatem naturalem condemnatur ad aliquam partem damni, & qui in confessionali se accusando fatetur, se probabilius esse causam hujus homicidii, incendii, occisionis, v. g. per porrectionem veneni secuta post decem dies morte, aut per fumigationem tabaci in stramentis sex horis ante ortum incendii, aut per gravem percussionem equæ gravidæ biduo ante illius interitum obligandus est ex æquitate naturali ad ferendam saltem partem damni, si est solvendo. Ergo a pari etiam obligandus est adulter ad ferendam partem damni proportionatam.

Respondeo 3. Si adulter stricte dubitet, utrum proles sit sua, ita ut in neutram partem notabiliter propendeat judicium, non tenetur ad ullam damni compensationem.

Ratio est, quia etiam in aliis damnificationibus stante tali dubio stricte dicto nullus in foro externo condemnatur

ad

ad compensationem faciendam. Ergo nec æquitas naturalis idem petit pro foro interno.

Respondeo 4. Si fœmina complex mariti adulteri fuerit soluta, idem dicendum quoad alimentationem prolis, ita tamen, ut ea alimentatio primum incipiat post triennalem ablactationem infantis. Si etiam dubium sit, an proles non sit concepta ex alio, idem sentiendum, quod dictum est circa certitudinem majorem, & æqualem probabilitatem adulteri de sua prole. Et hinc non assentior *Molinæ* & *Rebello* & *Catalano*, qui putant, quod duo cognoscentes eamdem fęminam stante incertitudine prolis teneantur in solidum.

Respondeo 5. Si ex adulterio nulla nata fuerit proles, adulter nec adulteræ, nec marito tenetur ad ullam compensationem, quia nullum supponitur contigisse damnum pretio æstimabile. Aliud dicendum, si fęmina ex adulterio concepit, & primum ultimis mensibus fecit abortum, aut si enixa quidem est prolem, sed mortuam, aut brevi post nativitatem mortuam, tenetur adulter nihilominus compensare totum damnum, *per se* subsecutum marito ex ejusmodi gravidatione, abortu, vel partu suæ uxoris, eo quod debuerit facere expensas extraordinarias illo tempore. *Per se* autem dicitur consequi, quod *ordinarie* solet consequi, ac propterea potuit & debuit præviderí.

Quæritur 19. An Adultera teneatur saltem in articulo mortis manifestare, se unam vel duas suarum prolium concepisse ex adulterio, si exinde nascatur in hæreditate præjudicium aliis liberis?

Respondeo 1. Non tenetur hoc manifestare cum sui diffamatione aut probabili periculo diffamationis.

Ratio est, quia liberi legitimi jure naturali tenentur præcavere gravem diffamationem suorum parentum serio pęnitentium, etiam cum jactura dimidiæ partis speratæ hæreditatis. Ergo non habent jus exigendi a sua legitima matre, ut seipsam diffamet, aut exponat probabili periculo diffamationis.

Respondeo 2. Ea nec tenetur fateri crimen suum proli adulteræ soli, si non fuerit suspecta de adulterio, & non concurrant alia indicia fundantia vehementem præsumptionem contra se.

Ratio est, quia his indiciis non existentibus proles non tenetur credere matri, saltem si cohabitaverit marito, & ipse maritus non adverterit ullam moralem impossibilitatem, quin ex suo coitu potuerit nasci proles. Nam, prout obstetrix peritissima; D. *Widmanin*, in suo *tractatulo germanico* ex propria experientia, utpote plurium prolium mater, testatur, matres non possunt certo scire, ex quo determinato in individuo cum suo marito coitu conceperint, easque in hac re sæpe falli, dum judicant, se potius in hoc vel illo coitu concepisse, vel non concepisse.

Respondeo 3. Si adultera jam ab ipso marito habeatur suspecta, & contra illam etiam militent vehementes præsumptiones, ne tunc quidem tenetur fateri crimen legitimo judice non interrogante.

Ratio est, quia ipsa in articulo mortis constituta non tenetur accusare vel denuntiare complicem, prout tamen facile contingeret, si crimen aperiretur marito; nec etiam spectato jure naturali potest obligari a legitimis liberis ad fatendum suum crimen soli proli, cui ex *scientia physice certa* testari nequit de conceptu adulterino, prout patet ex priori responsione.

Respondeo 4. Itaque ejusmodi mater adultera ad nil aliud tenetur, nisi ut aliis legitimis liberis, quantum fieri potest, procuret pinguiorem dotem, atque ut ex suis paraphernalibus & ex aquæstu bonorum communium, vel ex bonis dotalibus per testamentum aut codicillum &c. faciat majores donationes & legata liberis legitimis, vel ut consilio seu adhortationibus proli illegitimæ suadeat artem vel statum, in quo ultro cessura est prætensionem ad æqualem portionem cum aliis fratribus ac sororibus. Talis status foret militiæ, ordinis, Canonicatus, mercaturæ, Parochiæ, &c.

§. 4.

§. IV.

De Stupro.

QUæritur 20. Quid ſit ſtuprum?

Reſpondeo. Stuprum eſt concubitus viri cum virgine. Dicitur autem hoc loco virgo, quæ prius nunquam habuit copulam cum viro, ita ut clauſtrum virginitatis ejus nunquam adhuc perruptum fuerit. Creditur enim communiter, in virginibus vaginam uteri intercludi quadam membranula, quæ hymen dicitur; & quæ per primum coitum non ſine dolore & læſione fibrillarum cum quadam aliquot guttarum ſanguinis effuſione rumpitur. Hinc Deut. 22. dicitur: *Si vir dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inveni eam Virginem, tollent eam pater & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, &c.*

Quæritur 21. An ſtuprum differat ſpecie a ſimplici fornicatione?

Reſpondeo. Stuprum ſaltem eſt diverſæ rationis a ſimplici fornicatione; eaque circumſtantia addit damnificationem magni momenti irreparabilem, ac conſequenter continet ſpecialem malitiam gravem.

Quæritur 22. An defloratio virginis contineat proprie rationem ſtupri, ſi ipſamet in deflorationem conſentiat?

Reſpondeo. Talis defloratio habet proprie rationem ſtupri.

Ratio eſt; quia ex dictis conſtat in tali defloratione intervenire ſpecialem malitiam, ſeu potius aggregatum plurium malitiarum, in quantum ex tali defloratione per ſe conſequitur vilipenſio perſonæ apud maritum in conjugio quando illud contrahet, contriſtatio gravis parentum, & diſcordiæ variæ; nec etiam reperitur aliud huic malitiæ nomen, niſi nomen ſtupri.

Confirmatur ex eo, quia Scriptura in tali defloratione agnovit prorſus ſpecialem malitiam, utique ſpeciali nomine dignam. Nam Deut. 22. v. 20. dicitur: *Si verum eſt, quod* (maritus novæ nuptæ) *objicit, & non eſt in puella inventa virginitas; ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur; quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui, & auferes malum de medio tui.*

Nec obſtat, quod pro oppoſita ſententia ſtent *Leſſius*, *Suarez*, *Vaſquez*. &c. nam pro hac noſtra ſententia non ſolum ſtat *D. Thomas*, *Cajetanus*, *Azor*, *Henriquez*, *Toletus*, *Rodriquez*, &c. ſed ipſa etiam Scriptura, quæ deflorationem virginis conſentientis ſtuprum vocat. Sic etiam Gen. 39. v. 10. de ultro offerente uſum ſui corporis Joſepho Patriarchæ dicitur: *Per ſingulos dies mulier moleſta erat adoleſcenti & ille recuſabat ſtuprum*. Quod illa mulier adhuc fuerit virgo, conjectura ſumitur ex eo, quia maritus ejus fuerat Eunuchus Pharaonis, prout ibi dicitur. Et Levit. 21. v. 9. dicitur: *Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur*. Non diceretur violare nomen patris, nec flammis exureretur, ſi invita vim paſſa eſſet. Et Num. 5. v. 13. etiam adulterium a fœmina ultro commiſſum vocatur ſtuprum.

Quæritur 23. Ad qualem compenſationem ſtuprator obligetur?

Reſpondeo 1. Si ipſamet puella *ultro* conſenſerit in ſui deflorationem, ſtuprator ad nihil tenetur, nec defloratæ, nec parentibus, nec tutoribus.

Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi in bonis temporalibus ſolum oritur ex damnificatione circa bona temporalia. Ita communis.

Reſpondeo 2. Si puella fuit inducta ad conſenſum in ſui deflorationem per vim, metum, fraudem, aut promiſſa, aut mendacia, tenetur ad illam ducendam; vel ſi nolit, dotandam, etiamſi non intervenerit promiſſio matrimonii, ſaltem ſi fuerit facta notoria ea defloratio. Ea tamen obligatio non fundatur in juſtitia commutativa, ſed in juſtitia Dei partim diſtributiva, partim legali vindicativa, quæ exigit, ut ejuſmodi inductiones puellarum modo congruo puniantur,

niantur, & justus parentum dolor & major in elocando difficultas, quanto minoris valet deflorata quam virgo, juxta æquitatem naturalem compensetur. Ita communis Doctorum.

Probatur ex lege divina Deut. 22. ubi talis stuprator, si defloret sponsam alterius, punitur morte; & si defloret virginem necdum desponsatam, etiamsi non fuerit violenter deflorata, obligatur ad præbendam parentibus dotem pro filia, & simul ducendam defloratam, adjuncta extraordinaria tunc pœna, ut nunquam illi posset dari libellus repudii.

Nec obstat quod hæc lex sit Mosaica positiva, quæ videtur esse abrogata per legem christianam. Pro universali namque principio habendum est, eas leges divinas Mosaicas, quæ manifeste fundantur in quadam æquitate naturali, & non præcise in arbitraria voluntate Dei, prout sunt leges cæremoniales & judiciales ad cæremonias relativæ, pertinere quoad substantiam ad leges æternas ac immutabiles in mente Dei, hoc est ad æquitatem & justitiam legalem distributivam invariabilem quoad substantiam in mente Dei. Cum ergo etiam præsens lex Dei manifeste fundetur in æquitate divina, ad legem Dei æternam ac invariabilem referenda est, nisi in quantum varianda est pro congruentia locorum & temporum, & personarum. Textus Scripturæ l. c. sic habet: *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui. Si autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus; puella nihil patietur, nec est rea mortis, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, ita & puella perpessa est; sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit, qui liberaret eam. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta Siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam; non poterit eam dimittere cunctis diebus vitæ suæ.*

Respondeo 3. Si defloratio fuerit sic metu, aut fraude extorta, & simul notoria, oblgatio ducendi, aut si deflorata nolit ex causa justa stupratorem ducere, eam dotandi, urget etiam ante sententiam judicis.

Ratio est, quia lex divina, per Moysen in Deuteronomio C. 22. promulgata, est quoad substantiam juris naturalis, hoc est, æternæ & immutabilis æquitatis in mente Dei.

Quæritur 24. An Stuprator teneatur ad aliquam compensationem, si consensum puellæ solum extorsit muneribus aut precibus importunis, vel blanditiisassiduis?

Respondeo. Non tenetur ad compensationem. Ita Vasquez, Molina, Lessius, Sanchez referente Catalano.

Ratio est, quia æquitas non exigit in favorem illius compensationem, quæ potius mereatur supplicium, prout tamen eam mereri, patet ex superius adducto textu Scripturæ.

Quæritur 25. An virgo, quæ per copulam fuit corrupta, possit velari ac sacrari?

Respondeo. Si copula fuerit perfecta per violationem claustri virginalis, Lessius, Filliutius, Rodriquez, & Bonacina censent, eam non posse velari ac sacrari, ita referente Catalano. Attamen cum Azorio dicendum, eam corruptionem, si fuerit occulta, non obstare velationi ac sacrationi.

Ratio est, quia sic observat sensus ac praxis Ecclesiæ. Nullibi enim, inter tot millia virginum sacratarum reperitur alicui fuisse motam controversiam ratione corruptionis clandestinæ. Hinc sequitur quod talis corrupta nec teneatur desistere ab ingressu in monasterium, vel non supplicare, etiamsi id facere possit absque sua infamia. Cur enim Ecclesia pœnitentem atque publice existimatam virginem excluderet ab amplectendo statu religioso, & a fuga mundi retraheret in mundum tam periculosum?

Hinc etiam ſequitur; non opus eſſe diſpenſatione ſecreta pro ſic corrupta. Diſpenſatio enim ſupponit legem excluſivam, qualis in hoc caſu non datur, prout oſtenſum eſt. Multo minus a ſtatu religioſo excluduntur, quæ virginitatem perfectam amiſerunt per pollutiones, prout omnes concedunt.

§. V.

De Inceſtu, & Sacrilegio.

QUæritur 26. Quid ſit inceſtus? Et quotuplex?

Reſpondeo. Inceſtus eſt congreſſus cum perſona cognata intra gradus prohibitos, in quibus matrimonium contrahi nequit. Eſt autem inceſtus quadruplex. 1. *Inceſtus cum conſanguinea* intra quartum gradum. 2. *Inceſtus cum affine* quando affinitas fuit contracta per copulam licitam matrimonialem, ſe extendit ad perſonas conſanguineas conjugis vel mariti uſque ad quartum gradum: ſi autem affinitas fuit contracta per copulam illicitam, ſe extendit tantum ad ſecundum gradum. 3. *Inceſtus cum cognata cognatione ſpirituali*, quæ contrahitur per ſuſceptionem baptizati aut confirmati, aut per adminiſtrationem hujus Sacramenti. Contrahitur enim *primo* inter baptizantem vel confirmantem & baptizatum vel confirmatum; *ſecundo* inter baptizantem vel confirmantem, & patrem ac matrem baptizati vel confirmati, *tertio* inter ſuſceptorem ſeu patrinum, & ſuſceptum in baptiſmo vel confirmatione. 4. *Inceſtus cum cognata per adoptionem perfectam*. Hæc cognatio intercedit inter perſonam adoptantem & adoptatam, & adoptati deſcendentes uſque ad quartum gradum incluſive, & inter adoptatum & uxorem adoptantis, & inter adoptatum ac liberos legitimos adoptantis. Itaque copula carnalis habita cum ejuſmodi cognatis erit inceſtus.

Quæritur 27. An ad incurrendum crimen inceſtus requiratur copula perfecta?

Reſpondeo 1. Ad incurrendas pœnas civiles vel Eccleſiaſticas per legem taxatas requiritur copula perfecta.

Ratio eſt, quia leges pœnales ſunt ſtrictæ interpretationis.

Reſpondeo 2. Ad incurrendas pœnas arbitrio Judicis Civilis vel Eccleſiaſtici infligendas non requiritur copula perfecta.

Ratio eſt, quia etiam alii actus luxurioſi cum ejuſmodi cognata commiſſi continent malitiam ſpecie diverſam, aut certe malitiam diverſæ rationis ab actibus luxurioſis tendentibus ad fornicationem vel adulterium, &c. Ergo etiam merentur ſpecialem pęnam.

Reſpondeo 3. Hinc varii actus luxurioſi commiſſi cum tali cognata, v. g. copulæ imperfectæ, pollutiones, ſodomiæ, &c. debent etiam in confeſſione ſpecialiter explicari tanquam inceſtuoſi.

Ratio eſt, quia ejuſmodi actus præter aliam generalem malitiam in genere luxuriæ, ſodomiæ, &c. continent etiam ſpecialem deformitatem ac deordinationem repugnantem recto ordini rationis, in quantum violant honeſtatem ac reverentiam a perſonis ſic cognatis ſibi invicem debitam, prout teſte Catalano Cajetanus, Filliutius, & Bonacina obſervant.

Quæritur 28. An copula a Confeſſario habita cum filia confeſſionis ſit verus inceſtus.

Reſpondeo. Non ſola copula, ſed omnis actus externus luxurioſus cum ſua filia confeſſionis, quæ confeſſario vel ordinarie confiteri ſolet, vel eidem ultima vice confeſſa eſt, eſt inceſtus *ſpiritualis*, ſimilitudinarius ad carnalem.

Ratio eſt, quia ejuſmodi peccatum habet ſpecialem gravem malitiam diverſæ rationis ab omni alio genere peccatorum, utpote non fundatam ſolum in quadam irreverentia erga Sacramentum præteritum, & in præjudicio, quod huic Sacramento cauſatur; ſed etiam in quadam relatione paternitatis, mediante qua ex filio diaboli tranſiit in ſortem filiorum Dei pœnitens. Cum ergo hoc ſpeciale genus malitiæ non habeat aliud ſpeciale nomen proprium, refe-

referendum eſt ad genus peccati, cum quo per approximationem omnium optime convenit, quale eſt inceſtus.

Confirmatur. Jus Canonicum & Eccleſia in Synodis hoc genus peccati ſolent vocare inceſtum, prout in Tractatu de Pœnitentia ubi de Caſibus Reſervatis egi, oſtenſum eſt. Ergo referendum eſt in claſſem inceſtus. Hinc inceſtus eſt quintuplex.

Quæritur 29. An quatuor genera inceſtuum differant ſpecie inter ſe?

Reſpondeo. Quatuor genera inceſtuum differunt ſpecie inter ſe. Ita *Navarrus*, *Valentia*, *Leſſius*, *Azor*, *Filliutius* teſte *Catalano*, qui pro ſe allegans *Cajetanum & Bonacinam* immerito docet oppoſitum.

Ratio eſt, quia ejuſmodi peccata manifeſte opponuntur legibus ſpecie diverſis, nempe legibus Eccleſiæ verſantibus circa diverſas ſpecies impedimentorum. Hinc debent in confeſſione exprimi hæ ſpecies.

Quæritur 30. An in quolibet genere illorum inceſtuum ipſi gradus differant inter ſe ſpecie?

Reſpondeo 1. Inceſtus in primo gradu conſanguinitatis vel affinitatis differt ſpecie ab inceſtu in gradu remotiore.

Ratio eſt, quia hoc genus peccati opponitur legibus ſpecie diverſis. Sic enim in Scriptura inter ſcelera prorſus enormia oppoſita juri naturali extra caſum neceſſitatis vel diſpenſationis habetur inceſtus cum propria ſorore, vel cum uxore patris ſui vel fratris ſui, prout patet ex inceſtu cujuſdam Corinthii. Sic ſoror Abſolonis Thamar volente ſuo fratre ſecum concumbere 2. Reg. 13. v. 14. ait: *Noli facere ſtultitiam hanc; tu enim eris quaſi unus de inſipientibus in Iſrael*. Et S. Joannes Baptiſta Herodi tanquam rem intolerabilem exprobrat, quod haberet uxorem fratris ſui, & D. Paulus 1. Cor. 5. ſcribit: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*.

Reſpondeo 2. Reliqui gradus in conſanguinitate & affinitate, quamvis varient gravitatem peccati, non tamen mutant ſpeciem inceſtus; & hinc non ſunt neceſſario exprimendi in confeſſione, niſi interrogante Confeſſario vel niſi conſideratis circumſtantiis credantur notabiliter mutare judicium Confeſſarii, ac eatenus appareant eſſe diverſæ rationis.

Reſpondeo 3. Inceſtus baptizantis vel confirmantis cum perſona baptizata vel confirmata differt ſpecie ab inceſtu aliorum in eodem genere cognationis inter ſe. Id probatur a pari ex inceſtu Confeſſarii cum filia confeſſionis, de quo actum eſt ſupra qq. 25.

Quæritur 31. Quænam ſint pœnæ committentium inceſtum?

Reſpondeo 1. Si uxoratus committit inceſtum cum conſanguinea in primo vel ſecundo gradu, privatur jure petendi debitum a ſua uxore. Idem dicendum eſt de uxore ſi committat inceſtum cum conſanguineo ſui mariti in primo vel ſecundo gradu.

Ratio eſt; quia per copulam illicitam contrahitur affinitas cum conſanguineis complicis uſque ad ſecundum gradum incluſive; adeoque per ejuſmodi inceſtum commiſſum a marito vel uxore contrahitur etiam affinitas cum uxore vel marito, utpote conſanguineis complicis intra ſecundum gradum.

Reſpondeo 2. Si perſona uxorata committat inceſtum cum propria conſanguinea perſona, v. g. cum filio vel filia ſui fratris, non privatur jure petendi debitum.

Ratio eſt; quia hoc nullibi reperitur expreſſum in jure. Ita communis.

Nec obſtat, quod gravius ſit peccatum, ſi maritus peccet cum propria conſanguinea, quam ſi peccet cum conſanguinea uxoris. In pœnalibus namque legibus non eſt bona argumentatio a pari etiam ob majoritatem rationis.

Reſpondeo 3. Si quis ſcienter contrahat nuptias inceſtuoſas, hoc eſt, matrimonium cum perſona conſanguinea vel affine in gradu prohibito, ipſo facto incurrit excommunicationem. Ita habetur in *Clementina* 1. *de Conſang. & affinit.* prout dicetur in Tract. de Matrimonio.

Quæritur 32. Quid ſi ſacrilegium?

Respondeo. Sacrilegium, prout constituit peculiarem speciem luxuriæ, est peccatum luxuriæ, quo violatur aut persona sacra, aut locus sacer.

Quæritur 33. Quot modis solet committi tale sacrilegium?

Respondeo. Sacrilegium hoc committitur triplici modo. 1. Si persona sacra, hoc est, ligata voto perpetuæ castitatis Solemni vel simplici, committat aliquod peccatum luxuriæ internum vel externum; sive illud externum committat secum ipso, sive cum alia persona non ligata voto. 2. Si persona non ligata voto castitatis committat peccatum externum luxuriæ cum persona ligata voto perpetuæ castitatis; aut si peccet per desideria carnalia vel delectationem morosam relate ad determinatas ejusmodi personas. 3. Si quis, etiamsi non ligetur voto castitatis se polluat, aut habeat copulam in loco sacro, seu benedicto, nempe in templo vel cœmeterio. Nec refert, utrum copula fuerit licita vel illicita de se. *Duplex* autem *sacrilegium* committitur, si talis actus fit *in loco sacro a persona sacra*, *vel cum persona sacra*. Similiter committitur duplex Sacrilegium, si persona sacra actu luxurioso peccet vel peccare intendat cum alia persona sacra.

Dixi: *vel Simplici*, hoc enim Sacrilegium non est proprie sed late dictum.

Quæritur 34. An committat duplex Sacrilegium, qui simul est religiosus, & initiatus Sacris Ordinibus, v. g. Sacerdotio?

Respondeo. Tales committunt duplex Sacrilegium.

Ratio est, quia duæ illæ sacrationes, nempe per votum solemne, & per sacrum Ordinem, præsertim Sacerdotium, differunt specie. Vota enim religiosa hominem tantum vel primario sacrant Deo in ordine ad sanctificationem propriam; sed Sacerdotium sacrat hominem Deo per sanctificationem seu inunctionem externam in ordine ad sanctificationem etiam alienam; ex quo sequitur, etiam ipsam castitatis obligationem esse specie diversam. Pro hac sententia stant etiam illi, qui censent, obligationem castitatis in Sacris Ordinibus tantum fundari in præcepto Ecclesiæ. Pro qua sententia referuntur *Valentia*, *Guttierez*, *Turrecremata* & alii.

Quæritur 35. An differat specie sacrilegium commissum a persona habent evotum castitatis solenne, & commissum a persona habente tantum votum castitatis simplex?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia votum castitatis solenne & simplex non differunt intrinsece ex parte voventis, sed tantum extrinsece ex parte Ecclesiæ acceptantis votum in ordine ad effectum irritationis matrimonii, qui effectus est voto extrinsecus.

Quæritur 36. An committatur sacrilegium, si committatur actus luxuriosus cum persona habente appensas ad collum Reliquias, vel Agnos benedictos?

Respondeo. Non committi sacrilegium.

Ratio est, quia actus fidei & spei & religionis possunt stare cum peccato mortali. Gestatio autem talium rerum sacrarum est tacita protestatio fidei, religionis, & spei erga Deum. Alioquin illi, qui vellent peccare, vel inire duellum, ne committerent duplex peccatum, deberent deponere ejusmodi signa protestativa suæ fidei, spei, & fiduciæ pro impetrando dono pœnitentiæ. Itaque in tali casu peccatum, & habitualis dispositio in genere fidei ac religionis se habent concomitanter; nec illa ipsa concomitantia est objectum specialis displicentiæ aut prohibitionis divinæ in homine aliunde determinato ad peccandum. Fatendum tamen, quod gestatio talium rerum sacrarum sit monitorium dissuasivum peccati, ita ut aggravet peccatum non in ratione *gravis irreverentiæ*, sed in ratione majoris obdurationis contra instinctus divinos, quæ obduratio est diversæ rationis a malitia luxuriæ, & constituit peccatum veniale vel mortale pro diversitate admonitionis divinæ internæ. Pro sententia negativa, quod non committatur speciale sacrilegium, citantur a Catalano Fagundez, Filliutius. Bonacina.

Quæritur 37. An semper committatur sacri-

sacrilegium per copulam conjugalem licitam in loco sacro?

Respondeo 1. Si talis copula fiat absque necessitate, in loco sacro, committitur sacrilegium, etiamsi copula fiat occulte. Ita communis contra Vasquez & Lopez, qui censent, talem copulam, si occulta sit, non fore sacrilegium.

Ratio est, quia sacratio loci publici ex intentione sacrantis & Ecclesiæ obligat specialiter fideles sub gravi ad abstinendum ab hoc genere irreverentiæ, quod non fit in sacratione rerum benedictarum vel in usu reliquiarum privato.

Respondeo 2. Si tamen fiat in casu necessitatis, v. g: tempore belli, ubi non datur alia domus ad habitandum, accedente periculo incontinentiæ, non committitur sacrilegium, sed ad summum irreverentia venialiter peccaminosa, quæ evitari poterat per continentiam. Ita communis contra Navarrum & Graffium teste Catalano.

Quæritur 38. An committatur sacrilegium per cogitationes, aspectus, vel actus obscœnos in loco sacro?

Respondeo 1. Si delectatio vel concupiscentia obscœna non tendat in actum externum committendum in ipso loco sacro, non committitur sacrilegium, seu exhonoratio ipsius loci; prout docent *Rodriguez*, *Sanchez*, *Filliutius*, *Bonacina*.

Ratio est, quia, cum honor consistat in veneratione externa, exhonoratio loci fieri nequit per solum actum internum. Dico tamen; quod talis circumstantia loci, consecrati publice ad cultum Dei simul internum & externum, superaddat peccato interno luxuriæ gravem malitiam irreligionis seu irreverentiæ erga Deum, qui in ipso negotio deprecandæ veniæ & exorandæ gratiæ offenditur graviter.

Respondeo 2. Per quosvis actus externos libidinosos, ex sua natura vel ex intentione operantis tendentes ad pollutionem vel copulam, si committantur in loco sacro, committitur sacrilegium.

Ratio est, quia sacratio loci publica ad cultum divinum ex intentione Ecclesiæ specialiter excludit exhonorationem loci per profusionem seminis. Ergo etiam specialiter excludit exhonorationem loci per quosvis actus ex sua natura, vel intentione operantis tendentes ad pollutionem vel copulam ponendam in loco sacro.

Quæritur 39. Quænam sint loca sacra, in quibus committitur sacrilegium per copulam aut pollutionem?

Respondeo. Per loca sacra hoc loco intelliguntur 1. Ecclesiæ consecratæ, vel benedictæ. 2. Oratoria erecta, atque ad divinum cultum deputata authoritate Episcopi, ita ut ad illa per januam publicam pateat accessus. 3. Cœmeteria Ecclesiis annexa. 4. Capellæ & Chorus Ecclesiæ, si comprehendantur uno tecto Ecclesiæ. 5. Oratoria privata, si in ipsis extet altare immobile consecratum. E contra non censentur loca sacra 1. Monasteria, Dormitoria, & cubicula Religiosorum, 2. nec tectum Ecclesiæ, 3. nec turris campanaria, 4. nec Sacristia, 5. nec cubicula Ecclesiæ adhærentia, *6.* nec cavernæ subterraneæ, nisi sint benedictæ pro sepultura, 7. nec propylæum, nisi sit pars cœmeterii. Ratio horum est, quia non censentur pertinere ad corpus Ecclesiæ & cœmeterii. Ita communis.

Quæritur 40. Qualis effusio seminis requiratur ad polluendam Ecclesiam?

Respondeo. Requiritur 1. ut sit voluntaria, & directe volita. Nam Navarrus, Sylvester, Tabiena, Henriquez, & alii merito censent, non pollui Ecclesiam per pollutionem in somno habitam etsi sit voluntaria in causa. 2. Requiritur, ut emittatur in copia, & non solum guttatim, aut per modum humectationis seu distillationis, quæ secundum se non forent idonea ad generationem. 3. Requiritur, ut delictum sit publicum. Nam si foret occultum, non pollueretur Ecclesia, nec opus haberet reconciliatione, prout ex Suarezio, Navarro, Coninch. & Bonacina recte docet Catalanus. Vide C. *Ecclesiis* de Consecrat. dist. 1.

§. 6.

De Pollutione.

QUæritur 41. Quid ſit pollutio, ſeu mollities?

Reſpondeo. Pollutio eſt voluntaria profuſio ſeminis ad generationem a Deo ordinati, facta extra vas ad generationem idoneum absque ulla copula.

Quæritur 42. An procuratio pollutionis ſemper ſit peccatum mortale, etiamſi fiat ex bono fine, v. g. ex motivo reſtituendæ ſanitatis, vel ex motivo ſedandi carnis moleſtias?

Reſpondeo Affirmative.

Ratio eſt, quia ita Deus voluit. Nam Apoſtolus 1. Cor. 6. expreſſe dicit: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, &c. poſſidebunt regnum Dei*. Et ad Galat. 5. v. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Cæterum indagare cauſam totius rectiſſimi ordinis, qui Deum movit ad ſic ſtatuendum, inutile aut præſumptuoſum eſt.

Quæritur 43. An pollutio ſit jure naturæ prohibita?

Reſpondeo Affirmative.

Ratio eſt, quia commotio ſpirituum genitalium & profuſio ſeminis ordinatur a Deo ad generationem hominis ſeu creationem animæ rationalis, quo effectu privari Deum illi præbet anſam ac jus ad gravem indignationem, ſi fiat extra ſtatum & organa conjugii. Hinc merito damnata eſt ab Innocentio XI. ſequens propoſitio: *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi eam Deus non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali*. Huc etiam reſpicere videtur propoſitio 71. Queſnelli damnata a Clemente XI. *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit ob ejus utilitatem*. Hinc manifeſtum eſt, ne quidem ſanitatis procurandæ cauſa licitam eſſe *directam* procurationem pollutionis, v. g. per tactus, vel medicinas directe in eum finem ordinatas, prout Navarrus, Angelus, Sylveſter, Toletus, Sa, S. Antoninus, Vaſquez, Sanchez, Sotus, Corduba, Lopez, Filliutius, Fagundez teſte Catalano docent.

Quæritur 44. Quandonam pollutio cenſeatur eſſe voluntaria, & imputabilis ad peccatum?

Reſpondeo. Tunc pollutio cenſetur eſſe voluntaria, quando prævidetur facile conſequi ex aliqua actione de ſe *non ordinata* ad finem honeſtum, *nec* in his circumſtantiis *ordinabili ad finem* ultimum, *nec neceſſaria* ad uſum Civilem vel honeſtam ſuſtentationem & converſationem humanam; qualis actio foret curioſus & fixus aſpectus fœminarum pulcrarum in partibus nudis, quando ſic curioſe aſpiciens vel ex ſpeciali pronitate ſuæ naturæ, vel ab experientia novit, facile exinde conſequi in ſe pollutionem. Idem dicendum circa curioſam lectionem librorum amatoriorum, vel aliorum, ex quorum lectione ſibi inutili vel imtempeſtiva quis novit in ſe facile oriri pollutionem.

Ratio eſt, quia cum in tali caſu non intendatur finis laudabilis ac ordinabilis ad gloriam Dei, nec ſupponatur urgere ulla neceſſitas ſibi comparandæ utilis notitiæ, manifeſtum eſt, interpretative *quæri* vel ſaltem *permitti* ſine cauſa juſtæ excuſationis ipſam delectationem pollutionis, quod non licet. Ita quoad rem ſcribunt plerique authores. In hujus rei teſtimonium in hac reſponſione adſcribo verba *Catalani*, qui circa Præceptum VI. c. 9. n. 5. ſic ſcribit: *Quæres* quan„ donam ſufficienter voluntaria & im„ putabilis ad culpam dici poſſit. *Reſpon*„ *deo*, quando non ſequitur præter in„ tentionem ex aliqua cauſa neceſſaria „ quæ conveniens ſit corpori, ut eſt „ moderatus cibus, ac moderatus potus, „ vel conveniens animæ, ut ſtuderes, „ orare; vel tandem utilis aliis, ut con„ feſſiones audire, cum fœminis loqui „ caute, & cum neceſſitate. Si autem „ pollutio ſequatur ex aliqua cauſa non „ neceſſaria, nec utili aliis, nec con„ veniente corpori, aut animæ; dicen-

„ dum

„ dum eſt, quod habeat ſufficienter re„ quiſita ad voluntarium, & quod non „ accidat præter intentionem , & con„ ſequenter quod ſit imputabilis ad pec„ catum : *Ratio* eſt ; quia pollutio ſe„ quens ex aliqua cauſa neceſſaria , „ etiamſi prævideatur in illa , dummo„ do ſit præter intentionem ; non debet „ imputari ad peccatum utenti Jure ſuo, „ alias coercendus eſſet , ne multas actio„ nes ſibi vel proximis convenientes , „ ád quas jus habet , exercere poſſit ; „ & ſic omittendæ eſſent innumeræ „ actiones neceſſariæ , ne innumeri in„ ſurgant ſcrupuli , quod non eſt de fa„ cili concedendum . Effectus enim per „ accidens , & præter intentionem ſub„ ſequens, ut eſt pollutio in caſibus ad„ jectis , non habet rationem volunta„ rii , imo illam habens potius pati , „ quam agere cenſendus erit : Sic San„ chez *de Matrim. lib. 9. diſp.* 45. *num.* „ 4. allegans Divum Gregorium , Di„ vum Thomam , Cajetanum , Gerſo„ nem , Abulenſem , D. Antoninum , „ Tabienam , Armillam , & Navarrum . „ Sic etiam Bonacina de Matrim. quæſt. „ 4. punct. 10. num. 5. referens Sua„ rez , Leſſium , Vaſquez , Henriquez , „ Azorium , Filliutium, & alios . “

„ Adnoto tamen ex eodem Sanchez „ loc. cit. num. 6. quod ſi probabile „ periculum habeatur conſenſus in de„ lectationem pollutionis , ſub gravi cul„ pa abſtinendum erit ab ea cauſa , quan„ tumvis licita, ex qua pollutio ſequi„ tur : ratio eſt, quia amans periculum , „ voluntarie dicitur perire in illo . Pe„ riculum vero hoc ſufficienter incurri„ tur, quando quis experientiam habet, „ quod fere ſemper in ſimili occaſione „ poſitus in delectationis conſenſum la„ batur . Nihilominus huic periculo ur„ gente graviſſima neceſſitate licite po„ terit quis ſe exponere , firmiter tamen „ prius proponens , ſe non conſenſurum : „ ut ſi unicus eſſet Chirurgus in Civi„ tate , qui mederi deberet fœminæ in „ pudendis laboranti cum periculo vitæ ; „ tunc enim iſte talis non diceretur pe„ riculum amare , ſed fretus divina Mi„ ſericordia ob ſuccurrendum proximo „ ſe conjicere in illud , ut liberetur . „ Vide Divum Thomam 2. 2. *quæſt.* „ 10. *art.* 9. *in Corp.* Cajetanum in „ *Summa V. Periculum*. Armillam eod. „ *verb. num. unic.* & Navarrum *in Sum*„ *m. cap.* 3. *n.* 15.

„ Ex dictis colligitur 1. nec eſſe pec„ caminoſam , nec imputabilem ad pec„ catum pollutionem illam , quæ ſe„ quitur vi naturæ , vel ex alia cauſa „ habente diverſum effectum ; ut ſi ſe„ queretur ex ebrietate , ex comeſtione „ ciborum calidorum , ex equitatione , „ ex tactu licito , vel amplexu juxta „ morem patrium , ex ſitu corporis ſu„ pino : & ratio eſt , quia eſt effectus „ ſubſequens præter intentionem , adeo„ que non imputabilis ad culpam : ſup„ ponimus enim , non intendi pollutio„ nem , quamvis prævideatur , nec ha„ beri animum delectandi de illa , ſi „ ſubſequatur ; imo potius haberi ani„ mum comprimendi poſitive delecta„ ctationem , ſi ſequatur pollutio , nec „ mere negative ſe habendi quoad con„ ſenſum repellendum . Sic Sanchez „ *de Matrim. lib. 9. diſp.* 45. *num.* 7. „ *&* 8. Navarrus *in Summ. cap.* 16. „ *num.* 7. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* „ 8. *diſp.* 113. *num.* 8. Sotus *in* 4. *diſt.* „ 12. *qu.* 1. *art.* 7. Sa *verb. Luxuria* „ *num.* 8. & Bonacina *de Matr. quæſt.* „ 4. *punct.* 10. *num.* 6.

„ Colligitur 2. nec eſſe peccamino„ ſam pollutionem ſequentem ex refri„ catione circa partes verendas ad ſe„ dandum magnum pruritum ibi exor„ tum ; vel ex lotione partium puden„ darum ad expurgandum fœtorem , „ dummodo abſit periculum conſenſus, „ quia eo urgente tenetur unuſquiſque „ abſtinere : ratio autem eſt, quia tam „ refricatio ad pruritum ſedandum , „ quam lotio ad fœtorem expellendum „ ſunt ex natura ſua licitæ, & ex ne„ ceſſitate fiunt ; ideoque pollutio inde „ ſequens præter intentionem ſequi cen„ ſenda erit . Sic Sanchez l. cc. & Bo„ nacina l. cc. num. 8.

„ Colligitur 3. Pollutionem ſequen„ tem ex cauſa leviter , ac venialiter „ luxurioſa, ut eſt curioſus aſpectus ,

„ vel curiosa lectio; dummodo nec volita, nec intenta fuerit, nec consensus habeatur circa illam; non esse grave peccatum: quia causa leviter influens in pollutionem non dicitur absolute & simpliciter causa illius; adeoque pollutio inde sequens non dicetur sufficienter volita, ita ut imputabilis sit ad grave peccatum. Sic Vasquez, Lessius, Henriquez, quos refert, & sequitur Bonacina de *Matrim. quæst.* 4. *punct.* 10. *num.* 9.

Hucusque P. Catalanus, cujus tamen Corrolario tertio addenda est limitatio, nisi considerata speciali pronitate naturæ, vel propria experientia sic curiose aspiciens, vel legens sciat, in se exinde facile secuturam pollutionem.

Quæritur 45. An liceat sumere medicinam, per quam semen nimis copiosum resolvatur in sanguinem vel alium humorem sanitatis gratia?

Respondeo. Catalanus ad hanc quæstiunculam merito sic respondet: „*Resp.* affirmative cum Sanchez, & Bonacina citatis: *Ratio* est, quia sic non procuraretur pollutio, quod est illicitum; sed resolutio tantum seminis in alios humores, quod non est contra naturam generationis.“

Quæritur 46. An sit peccatum lethale non reprimere pollutionem inchoatam in somno quoad commotionem spirituum, & seminis decisionem, quamvis seminis effusio sequatur in vigilia?

Respondeo. Catalanus ad hoc sic respondet: „*Resp.* Si patiens in tali casu pollutionem sit in semiplena vigilia, in qua non habeat perfectam libertatem se cohibendi; nullum peccatum erit non reprimere: & ratio est, quia nec voluntaria dicitur, nec libertas habetur eam comprimendi, ut constat. Difficultas tamen est, si sit in plena vigilia, in qua supponitur facultas, ac libertas eam reprimendi: quapropter Toletus putavit *lib.* 5. *Summ. cap.* 13. grave esse peccatum eam non reprimere. Verum cessante periculo delectationis non erit grave peccatum non cohibere seminis fluxum jam e lumbis decisi in somno, quamvis effusio sequatur in perfecta vigilia: & ratio est, quia sicuti patiens fluxum seminis absque suo consensu, & culpa, & citra periculum delectationis, ut esset Confessarius audiens peccata turpia, nec peccat, nec habet obligationem illum reprimendi; ita qui in somno habet decisionem seminis e lumbis, licet effusio sequatur in perfecta vigilia: maxime cum semen decisum sit naturali via ad erumpendum foras, & difficile sit illud reprimere in vigilia. Sic Sa, Navarrus, Filliutius, Graffis, Azor, Corduba, Sotus, Sanchez, & alii, quos refert, & sequitur Fagundez *in 6. Decal. Præcept. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 28.

„ *Noto* tamen 1. ex eisdem Doctoribus illicitum omnino, & peccaminosum esse cooperari aliquo modo in vigilia ad seminis illius jam decisi expulsionem: quia hoc esset procurare pollutionem, & non mere eam pati; imo expedit componere manus in signum Crucis, & ferventer deprecari Deum, ne permittat lapsum in delectationem, ut non minus pie, quam docte habet Gerson.

„ *Noto* 2. ne pollutio illa inchoata in somno, & postea completa in vigilia volita fuerit antecedenter ad somnum, & procurata in causa illam inducente ob voluptatem veneream, & carnalem delectationem explendam. Quis enim non videt, tunc graviter peccaminosam fore in causa, quæ etiam in somnis inficitur malitia voluntariæ pollutionis: qui enim vult causam in se, vult moraliter effectum in ipsa causa, nec in hoc præscindibilis est amor effectus ab amore causæ.“

Quæritur 47. An licitum sit, de secuta sine peccato in somno pollutione gaudere; vel eam sic inculpabiliter sequendam optare ac desiderare sanitatis causandæ, vel naturæ exonerandæ, & molestiæ pellendæ causa?

Respondeo. Practice non licet optare ex tali fine pollutionem; licet tamen de ea secuta gaudere.

Ratio est, quia, prout in Tract. de

pec-

peccatis Disp. 4. ostensum est, in hac materia desideria, quæ in appetitu rationali sunt conditionata, ob connexionem naturalem transeunt ordinarie in appetitum sensitivum, in quo non amplius conditionata manent, sed fiunt appetitus sensitivus absolutus, positive inclinans sensum & affectum ad pollutionem. Sed hoc non licet. Gaudium autem de pollutione sic jam præterita hæret ordinarie in solo appetitu rationali. Cum ergo sit de objecto licito sine notabili periculo alterius deordinationis, erit licitum.

Quæritur 48. An pollutiones sint ejusdem speciei? aut num habeant circumstantias necessario aperiendas in confessione?

Respondeo. *P. Catalanus* ad hoc recte sic respondet: „ Quamvis pollutiones „ secundum se consideratæ sint ejusdem „ speciei, quia habent eandem oppositionem, & contrarietatem cum recta „ ratione: nihilominus possunt per accidens, & ratione circumstantiarum „ sibi additarum specie diversificari inter se, & consequenter importare „ obligationem eas circumstantias aperiendi in confessione, quæ habent „ specie diversam malitiam. Sic polluens voluntarie se in loco sacro debet in confessione talem circumstantiam aperire, cum ultra malitiam „ pollutionis habeat malitiam sacrilegii: „ sic etiam voluntarie se polluens cum „ morosa delectatione, ac desiderio alicujus personæ solutæ, aut conjugatæ, „ vel obstrictæ voto, debet pariter Confessario tales circumstantias declarare, „ quia ultra malitiam pollutionis contrahit malitiam fornicationis, vel „ adulterii, aut sacrilegii. Sic denique „ voluntarie se polluens cum cooperatione alterius debet personam, cujus „ ope pollutio commissa fuerit, explicare, cum ipsa cooperatio, & inductio ad peccatum sit in Confessione „ etiam aperienda. Sic Cajetanus, Navarrus, Azor, Filliutius, & alii, quos „ refert & sequitur Bonac. *de Matrim. quæst*. 4. *punct*. 10. *num*. 15. “

Quæritur 49. An procurare magnam spirituum commotionem ad pollutionem ordinatorum, vel ad magnam distillationem sit grave peccatum?

Respondeo affirmative cum *Catalano* cc. „ quia sicuti est grave peccatum pollutionem procurare, sic grave peccatum „ erit talem spirituum commotionem „ procurare, quæ est causa proxima, „ & notabiliter influens in pollutionem „ ipsam. Idem dicendum, si commotio „ spirituum excitet ad magnam distillationem: nam magna distillatio proxime tendit ad pollutionem, cum „ proveniat ex magna carnis commotione, quæ non sine mortali delectatione venerea accidere potest. „ Quamvis de levi commotione disponente ad levem, vel parvam distillationem non eodem modo discurrendum erit: ut habet Sanchez *lib*. 9. „ *de Matrim. Disp*. 19. *num*. 3. Distillatio autem est quidam humor medius inter urinam, & semen; & „ quamvis semini assimiletur, re vera „ tamen non est tale. “

§. VII.

De Sodomia.

QUæritur 50. Quid sit Sodomia?

Respondeo. Sodomia communiter definiri solet, quod sit *Congressus inter personas ejusdem sexus*. Rectius tamen definiri potest, quod sit *copula in vase virili vel muliebri inepto ad generationem*. Talis congressus seu copula fit, si semen effunditur in vas posterum, per quod egeruntur stercora.

Ratio hujus posterioris definitionis est, quia varii modi exercendi innaturalem copulam non habent aliud nomen magis proprium, quam Sodomiæ, & leges civiles non distinguunt in pœna, sed æquali pœna omne genus talium congressuum in mari aut fœmina vindicant. *Si quis* tamen recipere velit priorem definitionem, cum authoribus illius, copulam inter personas ejusdem sexus vocabit *Sodomiam perfectam*; copulam vero inter personas diversi sexus in vase postero, vel in vase ad generationem inepto

pto vocabit *Sodomiam imperfectam*, seu *impropriam*.

Quæritur 51. Utrum in Confessione sint explicandæ circumstantiæ in Sodomia variantes speciem?

Respondeo. Etiam in Sodomia explicandæ sunt circumstantiæ addentes malitiam gravem diversæ rationis. Sic explicandum est 1. an commissa fuerit cum persona ligata voto castitatis, quia superadditur gravis malitia sacrilegii. 2. An commissa fuerit cum violentia erga personam repugnantem, quia superadditur gravis malitia injustitiæ. 3. An commissa fuerit a vel cum persona conjugata, quia superadditur malitia adulterii. 4. An commissa fuerit cum consanguineis vel affinibus in primo, aut remotiore gradu, quia superadditur gravis malitia impudentiæ ac irreverentiæ opposita vinculo specialis amicitiæ; licet non soleat vocari incestus. 5. An commissa fuerit cum persona cognata cognatione spirituali vel legali, quia superadditur consimilis malitia impudentiæ enormis ac irreverentiæ. 6. An commissa fuerit cum virgine, quia superaddit enormem malitiam oppositam innatæ verecundiæ ac pudicitiæ virginalis cum perversione spirituum & affectuum tendentium ad receptionem foetus humani.

Quæritur 52. Quænam sin statutæ pænæ in Sodomitas?

Respondeo 1. De Jure Civili per l. *cum vir nubit*. C. de adult. statuta est poena mortis tam in agentem, quam patientem. Post mortem comburuntur eorum corpora; & post latam mortis sententiam adimitur Sodomitis jus testandi.

Respondeo 2. De Jure Canonico possunt Clerici omni beneficio privari, & deponi, imo juxta Vivianum & Menochium etiam degradari, ac potestati sæculari tradi, ut morte puniantur & flammis exurantur. In *C. Clerici*, *de excessibus Prælatorum Alexander* III. sic habet: *Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, proter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, dejiciantur a Clero; vel ad agendam pœnitentiam in monasteriis detrudantur. Si laici fuerint, excommunicationi subdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni*.

Respondeo 3. Sodomia dat causam divortii, prout dicetur in Tract. *de Matrimonio*.

Quæritur 53. An Clerici Sodomitæ incurrant ipso facto suspensionem ab Officio & Beneficio absque ulla sententia Judicis, etiamsi crimen occultum sit?

Respondeo Negative. Ita *Catalanus*, qui l. cc. C. 10. n. 4. sic scribit: „ Quamvis Navarrus, Felinus, & alii putarint, Clericum Sodomiam committentem, etiam occulte ipso facto, & ante quamcumque Judicis sententiam suspensionem ab officio incurrere. „ *Respondeo* tamen *negative*, & ratio nostræ sententiæ est, quia solæ Censuræ Ecclesiasticæ, pænæve Medicinales, quæ ad executionem non requirunt factum hominis, si fuerint latæ sententiæ, incurruntur ipso facto, & ante quamcumque Judicis sententiam declaratoriam per criminis commissionem, cui adnexa est excommunicatio; reliquæ vero pœnæ non incurruntur nisi post sententiam declaratoriam Judicis: ut recte docet Suarez Tom. 5. de Censur. disput. 30. sect. 1. num. 14. ubi ait: Ad suspensionem ab Officio, & Beneficio, quamvis in jure ipso facto imponantur, semper requiri declaratoriam criminis sententiam; idem docent Sylvester verb. Assassinus, n. 4. Fagundez in 6. Decal Præcept. lib. 6. cap. 9. num. 18. in fin. & Bonacina alios referens de Major. quæst. 4. de Matrim. punct. 4. num. 2. in fin. & 3. Hinc deducitur juxta eosdem Doctores, non incurrere in irregularitatem Clericum vitio occulto Sodomiæ laborantem, si in eo celebret; dummodo non celebret post latam sententiam. Nec teneri in conscientia dimittere Officium, Beneficium aut Dignitatem, aut fructus restituere, nisi post Judicis sententiam, quidquid in contrarium

„ rium dicant Farinacius & Lopez. “

Quæritur 54. Qualem ſtatuerit S. Pius pœnam in Sodomitas Clericos?

Reſpondeo. In Bulla: *Horrendum*, edita 1568. 28. Auguſti ſic habet: „ Hor-
„ rendum illud ſcelus, quo pollutæ fœ-
„ datæque Civitates a tremendo Dei
„ judicio conflagrarunt, acerbiſſimum
„ nobis dolorem inurit, graviterque ani-
„ mum noſtrum commovet, ut ad il-
„ lud quantum poteſt comprimendum
„ ſtudia noſtra conferamus. “

§. 1. „ Sane Lateranenſi Concilio di-
„ gnoſcitur conſtitutum, ut quicumque
„ Clerici, illa incontinentia, quæ con-
„ tra naturam eſt, propter quam ira
„ Dei venit in filios diffidentiæ, depre-
„ henſi fuerint laborare, a Clero deji-
„ ciantur, vel ad agendam in Mona-
„ ſteriis pœnitentiam detrudantur.

§. 2. „ Verum, ne tanti flagitii con-
„ tagium, impunitatis ſpe, quæ maxi-
„ ma peccandi illecebra eſt, fidentius
„ invaleſcat, Clericos hujus nefarii cri-
„ minis reos, gravius ulciſcendos deli-
„ beravimus, ut, qui animæ interitum
„ non horreſcunt, hos certe deterreat
„ civilium legum vindex gladius ſæcularis.

§. 3. „ Itaque, quod nos jam in ipſo
„ Pontificatus noſtri principio hac de
„ re decrevimus, plenius nunc fortiuſ-
„ que perſequi intendentes, omnes &
„ quoſcumque Presbyteros & alios Cle-
„ ricos ſæculares & regulares, cujuſ-
„ cumque gradus, & dignitatis, tam
„ dirum nefas exercentes, omni privi-
„ legio Clericali, omnique officio, di-
„ gnitate, & beneficio Eccleſiaſtico
„ præſentis Canonis auctoritate priva-
„ mus. Ita, ut per Judicem Eccleſia-
„ ſticum degradati, poteſtati ſtatim ſæ-
„ culari tradantur, quæ de eis illud
„ idem capiat ſupplicium, quod in Lai-
„ cos hoc in exitio devolutos, legiti-
„ mis reperitur ſanctionibus conſtitu-
„ tum. Nulli ergo &c. Datum Romæ
„ apud S. Petrum, Anno Incarnations
„ Dominicæ 1568. tertio Cal. Septemb.
„ Pont. noſtri Anno tertio. “

Quæritur 55. An ad incurrendum has pœnas a S. Pio latas requiratur, ut crimen ſit conſummatum?

Reſpondeo Affirmative. *Conſummatum* autem hoc crimen, ſeu *perfecta Sodomia* vocatur a P. Catalano, quando pollutio fit in vaſe poſtero.

Ratio eſt, quia leges pœnales ſunt ſtrictæ interpretationis. Ita communis authorum. Cenſeo autem; in dubio, an ſpectatis circumſtantiis Sodomia poſſit dici perfecta ſeu conſummata, interpretationem relinqui arbitrio Judicis, ita ut pœnis ſtatutis affici poſſint, etiamſi non ſeminent in parte poſtera, ſed in alia parte corporis pudenda. Id enim dicere videtur ille terminus Sodomitarum, dum ajunt, ſe velle *illudere* peregrinis.

Quæritur 56. An S. Pius in ſua Bulla comprehendat etiam Clericum, qui tantum ſemel aut bis commiſit Sodomiam?

Reſpondeo. *Catalanus* l. c. n. 4. ad hoc dubium ſic reſpondet: „ Conſtitutio S.
„ Pii V. comprehendit quemcunque Cle-
„ ricum Sodomiam exercentem, ut pa-
„ tet ex verbis citatis ipſius Conſtitu-
„ tionis: in Jure autem *exercere* im-
„ portat frequentare, & quaſi ex con-
„ ſuetudine, & iterato uſu facere: qua-
„ propter ſemel, bis, aut ter hoc pec-
„ catum committere non erit exercere;
„ ſicuti non dicitur quis artem aliquam
„ exercere, ſi eam ſemel, bis, aut ter
„ efficiat. Sic Navarrus in Summ. cap.
„ 27. num. 249. qui ait: hanc fuiſſe
„ mentem S. Pontificis, nam a ſe con-
„ ſultus ita reſpondit per Datarium Ro-
„ mæ: quapropter non recte Farinacius
„ ſectatus Salzedum docuit: Clericum
„ per unicum Sodomiæ actum incurrere
„ has pœnas. Navarrum ſequuntur Qua-
„ ranta, Ricius, Garzia, Suarez, Azor,
„ & alii, quos refert, & ſequitur Bo-
„ nacina *de Matrim. quæſt.* 4. *punct.* 11.
„ *num.* 2. & Fagundez *in 6. Dec. præ-*
„ *cept. lib. 6. cap. 9. num.* 20.

Quæres 57. An in confeſſione peccati Sodomiæ explicanda ſit circumſtantia agentis, vel patientis? an vero ſufficiat dicere, Sodomiam commiſi?

Reſpondet Catalanus: „ explicandam eſ-
„ ſe: & ratio habet, eſt, quia agens pollu-
„ tionem quam non habet patiens; adeoque
„ magis opponitur fini naturæ agens,
„ quam

„ quam patiens: ut per se patet . Sic „ Cardin. De Lugo disput. 16. de Pœnit. „ Sect. 5. n. 243. & Tamburinus in „ Meth. Confess. lib. 2. cap. 7. §. 10. „ num. 76. "

Quæritur 58. Quid sit bestialitas? Et quotuplex?

Respondeo . Bestialitas est conjunctio carnalis cum animali irrationali . Dividitur in tot species , in quot dividitur Sodomia, ita ut debeat explicari in confessione non solum circumstantia speciem mutans se tenens ex parte peccantis, v. g. an sit persona conjugata , ligata voto , Clericalis &c. sed etiam circumstantia se tenens ex parte bruti , v. g. an sit mas, vel fœmina &c.

Ratio est, quia, licet pro diversitate brutorum non varietur specie actus luxuriæ secundum se : connotat tamen diversum specie affectum in peccante ; puta *pollutionis* , si animal sit tam exiguum, ut penetrari nequeant ejus vasa, vel *fornicationis*, si congressus fiat cum fœminei sexus animali in vase apto ad generationem ; vel *Sodomiæ* , si fiat in vase postero.

Quæritur 59. Qualis sit pœna bestialitatis?

Respondeo . In l. 1. ff. de Extraord. crim. statuitur pœna mortis , ubi sic habetur : *Perfecto flagitio punitur capite* , *imperfecto reus in insulam deportatur* . Teste tamen *Catalano* non pauci Doctores defendunt , ad subeundam jure hanc pœnam non requiri consummationem delicti .

Quæritur 60. An detur etiam congressus cum dœmone?

Respondeo . Probabilius non datur verus talis congressus; sed tantum imaginarius in phantasia ex illusione dœmonis.

Ratio est ; quia ex una parte ipsimet Conventus Sagarum plerumque sunt imaginarii , prout ostensum est in explicatione primi mandati *de maleficiis* ; ex altera vero parte nullum extat argumentum certum ejusmodi congressus , seu permissionis divinæ, ut dœmon assumat corpus organicum , quale requiritur ad veram copulam . Nam confessiones Sagarum , quæ fatentur, se habuisse talem congressum, vel sunt mera mendacia ad seducendos juniores Confessarios, vel sunt operationes phantasiæ corruptæ ex illusione dœmonum .

Quæritur 61. An & quomodo possit peccari mortaliter per modum concumbendi innaturalem?

Respondeo 1. Modus concumbendi innaturalis consistit in eo , quod non observetur debitus concumbendi modus cum fœmina v. g. si vir succumbat & mulier incumbat ; vel si ambo sint a latere sedendo aut stando ; aut si vir accedat ad mulierem retro instar pecudum, quamvis in vase debito .

Ratio est , quia in præfatis concumbendi modis nec datur tam idonea resolutio seminis & spirituum ex corpore viri , nec etiam datur tam certa attractio seminis virilis & spirituum ex parte mulieris.

Hinc *Respondeo* 2. Si interveniat probabile periculum effundendi semen extra vas muliebre ; aut etiamsi deferatur in vas muliebre, frustrandi tamen effectum generationis prolis ob debilitatem seu insufficientiam virtutis attractivæ in vase muliebri, peccatur mortaliter.

Ratio est, quia actus iste refertur potius ad pollutionem , quam ad actum conjugalem . Ita quoad rem communis authorum.

Respondeo 3. Si modus concumbendi caret quidem periculo effundendi semen extra vas muliebre , aut frustrandi quoad substantiam effectum generationis , talis concumbendi modus est peccatum veniale .

Ratio est , quia aut impeditur perfectio generationis & prolis intenta a natura seu authore naturæ, utpote ob minorem influxum vel minorem attractionem spirituum seminalium , aut certe intervenit aliquale periculum hujus imperfectionis , quam Deus vult tolli per complexum viri ac fœminæ.

Respondeo 4. Quia ordinarie concurrit periculum frustrandi effectum generationis, vel notabiliter minuendi ejus perfectionem , quando vir est succubus & mulier incuba , non debet excusari

hic

hic modus coeundi a peccato mortali, si fiat absque causa necessitatis, v. g. scandali, paralysis &c. Idem dicendum, si coitus fiat sedendo ex parte ambo-rum; quia impeditur libera concussio corporum & spirituum idonea ad perfe-fectionem generationis & prolis.

Respondeo 5. Si nullum sit periculum impediendi generationem quoad substantiam, aut notabiliter minuendi perfectionem generationis, & concurrat necessitas sic concumbendi, v. g. si mulier aut vir sit adeo pinguis, vel mulier prægnans jam intumescente utero, ut sine prolis periculo vel effundendi frustra seminis non possit alio modo coire, nullum erit peccatum, si coeant retro. Ita teste P. *Catalano*, *Coninch*, *Reginaldus*, *Henriquez*, *Sanchez*, *Filliutius*, & alii. Vide plura in Tract. de Matrimonio, §. 6. *de usu matrimonii* q. 22. 23. 24. &c. ubi agitur de coitu, præsertim gravidarum.

SECTIO VIII.

De Septimo & Decimo Præcepto Decalogi.

QUæritur 1. Quomodo in Scriptura sonet septimum & decimum præceptum Decalogi?

Respondeo. Septimum præceptum Exodi 20. v. 14. sic habetur: *Non furtum facies*. Decimum vero, quod ibidem septimo subjungitur, ita sonat: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt*. Idem ferme iisdem verbis repetitur Deuter. 5. v. 16. ubi dicitur: *furtumque non facies --- non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt*.

Quæritur 2. Quænam vitia referantur ad furtum?

Respondeo. Ad furtum refertur 1. ablatio rei alienæ invito Domino tam clandestina, quam violenta, 2. ablatio honoris alieni per detractionem, 3. quælibet proximi damnificatio in bonis fortunæ, v. g. in contractibus, ludo &c. De detractione agetur in *præcepto Octavo*.

Quæritur 3. Quid sit furtum?

Respondeo. Furtum est occulta ablatio rei alienæ invito rationabiliter Domino. Aliqui in definitione addunt; *injusta*, sed hæc proprietas essentialis furti sufficienter indicatur per hoc, quod dicatur fieri invito rationabiliter Domino. Ex hac autem definitione *patet*, non esse furtum 1. si res occulte aufertur in bonum ipsius Domini, v. g. si uxor auferat viro pecunias, ne eas perdat ludo, comessationibus &c. vel si quis furioso auferat gladium, ne alium occidat; vel si quis alteri auferat librum hæreticum, ne ex illo seducatur. *Sequitur* 2. non esse furtum, sed injustitiam in genere contractus, si quis rem suam oppignoratam vel commodatam auferat creditori, vel commodatario. Non enim tollitur res aliena, sed violatur obligatio contracta ex contractu personaliter, sine translatione dominii. *Sequitur* 3. non esse furtum, si quis per compensationem occultam sumat rem alienam in solutionem debiti, alioquin inobtinibilem, aut si in extrema necessitate suæ saluti ex alieno consulat.

Ratio est, quia in tali casu Dominus rei non potest rationabiliter esse invitus.

Quæritur 4. Quid sit rapina?

Respondeo. Rapina est violenta ablatio rei invito rationabiliter Domino. Intelligitur autem hoc loco violentia aperta, quæ sciatur quidem, sed non possit repelli a rei Domino. Hinc *sequitur* 1. non esse rapinam, si quis absente, Domino perfringat violenter domum, atque exinde res auferat; quia nec physice nec moraliter censetur inferri violentia personæ. *Sequitur* 2. nec fore rapinam, si quis auferat rem alienam vidente nec contradicente Domino, cum tamen contradicere, & ablationem impedire posset, si vellet. Aliud dicendum, si Dominus rei non posset efficaciter sine metu majorum malorum contradicere, prout contingit, si miles aufe-

auferat gallinas, agnos, vel equum inspiciente rustico, rei Domino.

Quæritur 5. An furtum aut rapina ex suo genere sit peccatum mortale?

Respondeo Affirmative. Id patet ex 1. Cor. 5. v. 10. ubi Apostolus scribit: *Scripsi vobis non commisceri fornicariis, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus. --- Scripsi vobis non commisceri; si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* Et 1. Cor. 6. v. 9. *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Neque obstat*, quod Prov. 6. dicatur: *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Id enim ibi dicitur comparative ad adulterium, quod ex mera petulantia committitur, prout patet ex contextu. *Dixi furtum ex suo genere*, hoc est, abstrahendo a circumstantiis malitiam diminuentibus. Culpam enim mortalem non committunt, si uxores clam aliquid accipiant inscio marito, filii a parentibus, nepotes a suis patruis, amici ab amicis benignis ac liberalibus &c. quando prudenter judicare possunt, res illas sibi ob justas causas non fore denegandas, si instanter peterentur, quamvis essent inviti quoad modum, quod accipiantur ipsis non rogatis.

Quæritur 6. An furtum & rapina differant specie?

Respondeo. Differunt specie. Ratio est, quia continent diversam malitiam, quæ actu substat attentioni legislatoris in ordine ad condendam diversam legem. In præfato enim Apostoli textu manifeste inter se distinguuntur *furtum & rapacitas, fures & rapaces*.

Ratio est, quia furtum infert solum injuriam in rebus, rapina autem etiam in persona illius, cui infertur violentia.

Quæritur 7. Quænam materia seu quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti?

Respondeo. Distinguenda esse quatuor genera personarum; aliqui enim sunt *ditissimi*, alii *divites*, alii *mediocres*, qui vivunt moderate ex suo officio, negotio, arte, labore &c. ita tamen, ut nec divites vocentur, nec pauperes; quartum genus sunt *pauperes*, qui aut mendicato vivunt, aut æque propemodum misere. Dico proin 1. *respectu ditissimorum* ad constituendum peccatum mortale furti sufficit & requiritur *aureus* seu Zeginus, æquivalens ad minimum *quatuor florenis*, seu viginti Juliis Romanis, 2. *respectu divitum* sufficit & requiritur *dimidius aureus*, hoc est, *duo circiter floreni*, aut certe unus florenus cum dimidio. 3. *Respectu mediocrium* sufficit & requiritur *quarta pars aurei*, seu *unus circiter florenus*. 4. *Respectu pauperum* sufficit & requiritur *octava pars aurei*; seu *dimidius circiter florenus*.

Hæc responsio sic probatur. Illud sufficit & requiritur ad constituendum peccatum mortale furti, quo ablato Dominus rationabiliter & graviter est invitus, sed ablata ejusmodi quantitate respectiva Dominus est rationabiliter & graviter invitus. Ergo. *Minor probatur*. Illo ablato Dominus est rationabiliter ac graviter invitus, quo ablato plerique prudentes rerum æstimatores testantur, se fore, & alios posse esse rationabiliter ac graviter invitos; sed hoc fit in casu. Ergo. *Minor probatur*. Plerique Doctores in Hispania, Italia, Gallia, & Germania censent, hanc circiter materiam sufficere & requiri ad constituendum peccatum mortale. Ergo eo ipso judicant, se in tali casu fore, alios autem posse esse rationabiliter ac graviter invitos. Ita quoad rem argumentatur *P. Catalanus* q. 19. de Decalogo C. 2. ubi sic discurrit: „ Ut clarius ac distinctius in „ hac difficili materia procedamus ob „ tantam opinionum varietatem, præ- „ mittenda sunt nonnulla. Præmit- „ tendum igitur. 1. Mensuram magni- „ tudinis, & parvitatis moralis esse ju- „ dicium Prudentum, ac Peritorum; „ ita ut, si omnes Prudentes conve- „ niant in hoc, quod talis materia furti „ sit magna, & grave peccatum, tunc

„ mo-

„ moraliter evidens eſt, eam eſſe materiam magnam. Si vero aliqui prudentes innixi ſuis rationibus putent, hanc materiam eſſe magnam; quamvis non deſint alii æque prudentes, qui ob ſuas rationes reputent, eſſe parvam; tunc materia non erit evidenter, ſed probabiliter magna. Si denique prudentes plures, & peritiores exiſtiment hanc materiam magnam; licet aliqui nec plures, nec peritiores judicent eam parvam, tunc erit materia probabilius magna.

„ Præmittendum 2. quantitatem magnam ſimul ablatam, quæ ſufficiens ſit ad peccatum mortale furti; communiter cenſeri eam, quæ omnibus conſideratis infert grave damnum Domino, vel eum notabili utilitate privat. Sic Sayr. Navar. Leſſius, Molin. Filliutius, Vaſquez, quos refert, & ſequitur Bonacina *de Reſtit. in part. diſp.* 2. *quæſt.* 8. *punct.* 1. *num.* 7. Sed quia ex furto non idem damnum ſequitur reſpectu omnium; ideo diſtinguunt communiter quatuor genera perſonarum, 1. eſt illorum hominum, qui familiam ſplendide alunt; & reſpectu horum ſufficiens erit ad materiam gravem furti unus aureus: quia licet unus aureus non noceat notabiliter iis quoad victum, nocet tamen quatenus inſervit ad alendam familiam ſuo ſtatui convenientem. 2. Genus eſt illorum, qui vivunt ex ſuis redditibus, nec indigent arte ad ſui ſuſtentationem, ut ſunt communes divites; & reſpectu horum quatuor regales circiter, ſeu quinque tareni conſtituunt materiam gravem furti; quia quatuor regales ſufficiunt illis ad competentem victum unius diei circiter, non enim aſſignari poteſt in hac materia menſura Mathematica quantitatis. 3. Genus illorum, qui vivunt opera, & labore ſuæ artis; & reſpectu horum materia gravis furti erunt duo regales circum circa: quia & poſſunt eſſe pretium laboris unius diei, & ad victum unius diei comparandum ſufficientes. 4. Denique genus eſt illorum, qui ex mendicato vivunt, & ſic ſe ſuſtentant, & reſpectu horum materia gravis furti erit unus regalis: cum poſſit illis inſervire ad ſuſtentationem unius, vel duorum dierum. His præmiſſis,

„ Apparet jam ſtatuta communior regula aſſignata a Doctoribus ad dignoſcendum detrimentum notabile, quod reſpective infertur Dominis attento eorum ſtatu; ex qua deducitur magna quantitas ad peccatum mortale furti ſufficiens. Quamvis in hac eadem regula aſſignata aliæ circumſtantiæ conſiderari poſſint, quæ minuant, vel augeant quantitatem, quæ prudentis confeſſarii judicio ponderandæ erunt: ideo laudati Doctores Covarr. *lib.* 1. *Var. cap.* 3. *num.* 11. Sylv. *verb. Furtum quæſt.* 2. & Joann. Medina *de Contract. quæſt.* 10. *in fin.* docuerunt, quantitatem furti ad mortale peccatum pertingendum relinquendam eſſe arbitrio prudentis viri, qui attentis, & conſideratis locis, perſonis magis, vel minus divitibus, eam ſtatuet. Adnotat tamen Cardenas *in Diſſertationibus propoſitionum damnatarum ab Innocentio XI.* ultimum terminum peccati mortalis in furtis debere eſſe unum aureum; quia eo ablato ſupponitur graviter læſum jus cujuſcunque Domini, vel Dominorum; adeoque cum ex dictis non poſſit arithmetica regula taxari in hoc, juxta hanc attentis omnibus prudens Confeſſarius judicium ſuum dirigere poterit. Quæ doctrina locum habet in Europæ partibus, & non comprehendit furta filiorum familias. „

Hucusque *P. Catalanus*. Huic ex Germania addo *P. Hermannum Buſenbaum*, nemini de rigore ſuſpectum, qui Tract. 5. C. 1. dub. 2. ſic ſcribit: „ Quantitas notabilis ad peccatum mortale ſufficiens non mathematice ſed moraliter metienda eſt, non tantum ex valore rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ, cui aufertur, ſi nimirum ei grave damnum inferatur, aut ſaltem charitas Chriſtiana graviter lædatur: quomodo reſpectu valde divitis, imo etiam Regis, unus vel alter aureus notabile quid videtur

moralem majoris partis prudentum potest & solet esse rationabiliter ac graviter invita, prout patet ex sensu eminenter majori Doctorum.

Confirmatur 1. ex eo, quia alioquin sequeretur, quod Præfectus habens duo millia subditorum, si unum damnificaret dimidio floreno, sicque unico actu conquireret mille florenos, non peccaret mortaliter: quod cogitari nequit sine horrore.

Confirmatur 2. Princeps territorii jure naturali vel ex contractu est vindex, Pater, & tutor omnium communitatum sibi subditarum; sed qua talis tenetur & solet esse graviter invitus, si communitas sic graviter damnificetur per furta minuta, quæ sine dubio graviter puniret.

Quæritur 12. An peccet graviter, qui per furta minuta ascendit quidem ad summam gravem, sed in ultimo furto non recordatur furtorum præcedentium? vel si pœnitentia interrumpit furta priora?

Respondeo 1. Si illa oblivio vel inadvertentia sit invincibilis, non peccat graviter; si autem fuerit graviter culpabilis ac vincibilis, eoipso illo actu completivo materiæ gravis peccat graviter.

Ratio est, quia ignorantia vel inadvertentia culpabilis in eo, quod quis potest & tenetur scire, non excusat a peccato, prout ostensum est in Tract. de peccatis.

Respondeo 2. Etiamsi talis ponatur invincibiliter vel tantum culpabiliter culpa levi non cogitasse de furtis præcedentibus, nihilominus tenetur restituere sub mortali totum damnum, quando incipit cogitare simul de furtis præcedentibus.

Ratio est, quia damnificatio fit reipsa gravis, & in eo effectu furta minuta coalescunt, sive de hac coalescentia invincibiliter a fure cogitetur, sive non. Onus autem restitutionis sequitur potius mensuram damnificationis causatæ, quam malitiam causantis, quia restitutio commensuratur singulis damnis seorsim spectatis, quæ saltem tunc incipiunt spectari conjunctim tanquam damnum in præsenti grave. Idem docet *Catalanus*, referens pro se *Cardenam* l. c. & *Sanchezium* & *Lugonem*.

Respondeo 3. Idem dicendum de eo, qui per pœnitentiam interrumpit priora furta, nisi actu illa restituerit. Neque enim pœnitentia de furto commisso & solum propositum restituendi tollit damnum, nec impedit, quin additione novæ damnificationis transeat reipsa in damnum grave, quod eo momento, quo completur in esse damni gravis, fit objectum gravis indignationis ex parte Domini, & consequenter gravis malitiæ ex parte furis.

Quæritur 13. An peccet graviter, qui aufert rem levem Domino damnificato simul a pluribus aliis in materia levi?

Respondeo 1. Si plures ex communi consensu Dominum damnificent in materia gravi, quamvis singuli tantum accipiant rem levem, peccant tamen singuli mortaliter, & tenentur singuli ad restitutionem in solidum, nisi consortes furti prudenter credantur facturi restitutionem pro rata damni.

Ratio est quia in tali casu damnum passive sumptum ex parte damnificati simul, & damnificantium est individuum. Ibi enim est *unus defectus* rerum causatus a furibus, & ex parte horum est unus moraliter consensus in damnificationem. Ita communis.

Respondeo 2. Si plures eundem Dominum damnificent per furta minuta sine communi consensu, & sine actu respective continuo, aut per exemplum inductivo plurium, ejusmodi furta minuta singulorum tantum sunt peccatum veniale; & pariunt solum obligationem restituendi sub levi partem a se ablatam. Ita communis.

Respondeo 3. Si damnificans sciat Dominum jam ab aliis per furta minuta in eodem genere furti continuo quodam tractu fuisse damnificatum, peccat mortaliter sequendo aliorum exemplum, & superaddendo novam partem damni ejusdem generis complectivam damni in esse damni gravis. Pro hac sententia Catalanus l. c. n. 10. refert

Sua-

Suarezium, Rebellum, Sayrum, Turriauum, Salonium, Navarrum, Medinam, Bonacinam, & alios.

Ratio eſt, quia, prout Catalanus ait, Dominus rei ſit primum graviter invitus, & incipit primum graviter indignari, quando ponitur complementum damni gravis. *Alia ratio* eſt, quia, ſi quis inveniat januam proximi ſui eſſe apertam, per quam alii furantur, tenetur potius eam occludere, quam aliorum exempla ſequi & aggravare triſtitiam læſi. Ergo idem dicendum in caſu præſenti.

Nec obſtat, quod gravis malitia hujus peccati videatur potius verſari in ſpecie gravis contriſtationis, quam furti, quia *graviter contriſtari* de ablatione rei ſic relative ſpectata, & *graviter invitum* eſſe, aut ſunt idem actus realiter, aut ſunt per ſe ac connaturaliter inter ſe connexi. Hinc, ſi ſucceſſive per furta minuta plurimorum v. g. militum, vel aliorum tranſeuntium vindemiaretur tota vinea, abſurdum foret dicere, quod commiſſum ſit a pluribus furtum leve, aut aliqua furta levia.

Quæritur 14. An & quomodo licitum ſit, ſurripere rem alienam in gravi vel extrema neceſſitate?

Reſpondeo 1. In extrema neceſſitate licitum eſt ſurripere alienum, quantum ſufficit ad ſublevandam extremam neceſſitatem, ita tamen, ut teneatur ea potius ſurripere diviti, quam pauperi, ſervato ordine charitatis.

Ratio eſt, quia in tali caſu Dominus rei judicio omnium ſapientum non poteſt rationabiliter eſſe invitus. Alii tradunt aliam rationem; quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, quod ſecundum quid quoad uſum limitatum, non quoad dominium rerum ſimpliciter intelligendum eſt, prout oſtendi *in primo præcepto Decalogi de eleemoſyna* ubi etiam terminos *extremæ* neceſſitatis explicatos reperies.

Reſpondeo 2. Non tamen eſt licitum furari in gravi neceſſitate.

Ratio eſt, quia totus mundus plenus eſt, ubique gentium hominibus laborantibus gravi neceſſitate partim a nativitate, partim ex infortunio, partim ex oppreſſione divitum, partim ex culpa vel imperitia. Si ergo liceret furari in gravi neceſſitate, totus mundus perturbaretur. Itaque, cum ejuſmodi vias generalis perturbationis prohibeat Deus, & quivis humanus legiſlator, Domini rerum poſſunt & ſolent eſſe rationabiliter inviti circa ejuſmodi furta.

Idem probatur ex propoſitione ab Innocentio XI. damnata, quæ ſic habet: *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.*

Reſpondeo 3. Non eſſe licitum, in extrema neceſſitate ſurripere rem alteri in extrema neceſſitate conſtituto, & eadem re indigenti.

Ratio eſt, quia, cum menſura amoris erga ſeipſum ſit menſura amoris erga alterum, & homo teneatur cæteris paribus præponere vitam propriam vitæ alienæ, quilibet in extrema neceſſitate conſtitutus poteſt rationabiliter eſſe invitus, ne ſibi ab alio auferatur res ad conſervationem vitæ neceſſaria.

Reſpondeo 4. Dominus rei non poteſt licite impedire eum, qui in extrema neceſſitate conſtitutus ſurripit præciſe ea, quæ ad ſuſtentationem vitæ ſunt neceſſaria. Non tamen licitum erit, impedientem a ſurreptione neceſſariorum occidere, prout *Catalanus* exiſtimat,

Ratio eſt, quia hoc jus incertum, alterum autem, quod non liceat occidere ſine permiſſione ſpeciali divina, certum eſt.

Quæritur 15. An ſurripiens in extrema neceſſitate teneatur ad reſtitutionem rei ablatæ, ſi ad pinguiorem fortunam venerit?

Reſpondeo. Si res ablata ſit reſpective exigua, non tenetur ad reſtitutionem; Si vero res ablata ſit alicujus notabilis pretii, tenetur ad reſtitutionem.

Ratio eſt, quia Dominus in priori caſu conſenſum ſuum non poteſt rationabiliter alligare conditioni reſtitutionis, prout colligitur ex judicio ſa-

 pien-

pientum: econtra in posteriori casu potest rationabiliter consensui suo apponere conditionem restitutionis, prout in Tract *de Contractibus circa usuram* ostendam.

Quæritur 16. An licitum sit, aliquid surripere alteri ad subveniendum extreme indigenti?

Respondeo. Si surripiens non habeat bona propria, quibus subveniat extreme indigenti, licite surripit alteri ad subveniendum extreme indigenti. Si tamen habeat bona propria, tenetur potius subvenire ex bonis propriis, nisi per amissionem bonorum propriorum periclitaretur delabi in necessitatem extremam, vel saltem gravem.

Ratio est, quia si Dominus non potest esse rationabiliter invitus surripiente ipsomet indigente, nec poterit esse rationabiliter invitus, si alter ipsius ministerium ac famulatum in se recipiat servato eodem ordine charitatis, quem observare teneretur extreme indigens. Ita quoadj substantiam *Catalanus* cum *Medina* & *Bonacina*.

Quæritur 17. An constituto in extrema necessitate liceat potius mori, quam surripere alienum?

Respondeo. Id non licet, si conservare vitam suam possit re respective exigua ac vix ullius pretii. Econtra id licet ex motivo christianæ charitatis, nulli homini creandi molestiam; nisi vita sua sit necessaria pro honesta educatione liberorum, sustentatione uxoris, vel pro bono Reipublicæ aut Ecclesiæ. Ita quoad substantiam Catalanus ex Bonacina.

Quæritur 18. An surripiens in gravi necessitate peccet, si alioquin incurreret periculum delabendi in necessitatem extremam?

Respondeo. Si hoc periculum excludi possit surreptione rei respective exiguæ, v. g. si senecio vel vetula mendicatione victum quærens aut aliunde misera timeat prudenter infirmitatem gravem incurabilem toti communitati molestam; nisi sumat parum salis, butiri, vel olei, vel vestimenti jam attriti, non peccat, ea auferendo diviti; peccaret autem auferendo rem pretii notabilis.

Ratio est, quia judicio sapientum Dominus in ablatione rei notabilis potest esse rationabiliter invitus, quamdiu necdum est moraliter præsens casus extremæ necessitatis.

Confirmatur ex D. Thoma in 4. dist. 15. q. 9. a. 1. ad 4. ubi eodem titulo, quo obligat ad subveniendum in casu extremæ necessitatis, nempe justitiæ generalis, etiam obligat ad subveniendum per res exigui valoris, nempe cibum ac potum illis, qui sunt in periculo delabendi in extremam necessitatem. Ergo etiam in hoc casu constitutus in extremæ necessitatis periculo potest talia surripere, si nemo, utut rogatus, subvenit. Textus D. Thomæ sic habet: *Dicendum, quod tempus, ad quod obligat præceptum de eleemosynis faciendis, accipitur ex parte accipientis, quando apparent probabilia signa extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur, ut cum aliquis vidit alios impotentes vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo & potu, & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse:) non enim exspectanda est extrema necessitas, quia tunc forte non posset juvari natura jam fame, vel siti consumpta.*

Quæritur 19. Quomodo, & circa quæ bona peccent filii aut filiæ surripiendo ex bonis paternis?

Respondeo 1. Distinguendum esse circa varia bona, quæ possunt surripi a filiis. Alia enim sunt *Castrensia*, alia *Adventitia*, alia *Profectitia*.

Bona castrensia sunt, quæ a filiis aquiruntur intuitu militiæ susceptæ, vel ex obligatione suscipiendæ, sive sint mobilia sive immobilia. Ad hanc classem aliquo modo revocantur *quasi castrensia*, quæ a filiis aquiruntur intuitu alicujus officii publici, v. g. Advocati, Notarii, Medici, Lectoris Theologiæ, Juris Civilis vel Ecclesiastici, vel intuitu alicujus artis liberalis, vel intuitu Officii aut Beneficii Ecclesiastici.

Bona adventitia sunt, quæ a filiis aqui-

aquiruntur aliunde, quam a patre aut ex bonis paternis. Talia sunt quæ a filiis aquiruntur suo labore, quo tempore non accipiunt victum & vestitum a patre; aut quæ aquiruntur jure hæreditario a matre vel ex linea materna ab avis maternis.

Bona profectitia sunt, quæ aquiruntur a filiis principaliter intuitu patris. Talia bona sunt patrimonium actu assignatum pro titulo ad sacros ordines, vel dos filiabus causa nuptiarum constituta. His prænotatis

Respondeo 2. *Circa bona castrensia vel quasi castrensia* filii non committunt furtum, si illa surripiant patri, cujus forte custodiæ concredita sunt.

Ratio est, quia bona castrensia vel quasi castrensia spectant ad filium non solum quoad dominium, sed etiam quoad usumfructum & administrationem liberam, prout teste Catalano docent Graffius, Navarrus, Reginaldus, Lessius, & Molina.

Respondeo 3. *Bona adventitia* sunt materia furti.

Ratio est, quia licet filii aut filiæ habeant dominium bonorum adventitiorum, usufructus tamen illorum pertinet ad patrem, prout spectata æquitate naturali disponitur in l. *cum non solum*, C *de bonis*, *quæ liberis*. Itaque, si filii ex bonis adventitiis patri notabilem partem usufructus subtrahant, peccant mortaliter peccato furti. Dixi, partem usufructus, seu partem correspondentem notabili usufructui.

Respondeo 4. *Bona profectitia* etiam sunt materia furti in liberis.

Ratio est, quia illa spectant ad patrem non solum quoad usumfructum, sed etiam quoad dominium, nisi Episcopus inter requisita ad Titulum requisierit, ut talia bona actu quoad dominium & usumfructum transeant in proprietatem Ordinati.

Quæritur 20. An peccet peccato furti filius accipiens clam a patre austero & avaro, quantum subministrare solent ac indulgent Patres ejusdem conditionis suis filiis?

Respondeo. Quamvis in casu, quo filius pecuniam clam acceptam expendit in usus honestos, v. g. recreationem honestam suo statui convenientem, eleemosynas, aut ludos licitos, *P. Catalanus* respondeat *negative*, pro se allegans *Salonium*, *Turrianum*, & *Sairum*, & *Bonacinam*, *censeo* tamen, respondendum *affirmative*.

Ratio est, quia in tali casu pater potest esse rationabiliter invitus non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, cum sit Dominus rerum suarum, & cuivis parenti liberum sit, educare suos liberos conformiter ad consuetudinem aliorum parentum, seu mores hujus mundi, vel non sic educare. Plerumque enim mores hujus mundi, etiamsi sint vel credantur adhuc contineri intra limites honestatis, sunt tamen frequenter pro juventute periculosi, prout sunt choreæ, ludi, conversationes aut compotationes cum suis æqualibus, inter quos rarum est, si nullus reperiatur socius dissolutus. Quodsi ejusmodi mores hujus mundi non fuerint periculosi, sunt tamen ordinarie minus utiles ad salutem; aut si neque fuerint minus utiles ad salutem, sunt tamen ordinarie sic comparati, ut iis juventus facile carere possit sine detrimento salutis aut emolumenti alicujus corporalis vel spiritualis. Cur igitur parentes non possint esse rationabiliter inviti etiam quoad substantiam circa ejusmodi furta liberorum, quibus avaritia & austeritas parentum plurimum prodest, nihil obest ad salutem? Hinc filii aut filiæ non solum peccant mortaliter in genere furti, quando clam surripiunt parentibus summam gravem ad usus illicitos, sed etiam quando ablata impendunt ad usus licitos. Aliud dicendum, si filii surripiant necessaria ad honestam sustentationem quoad victum & vestitum, vel necessaria ad honestam educationem, artem, vel scientiam suæ futuræ vocationi aut sustentationi necessariam.

Quæritur 21. An filius committat furtum, si pecunias sibi a parente concessas ad emendos libros vel ad alia necessaria comparanda, insumat in usus illicitos?

Respondeo Affirmative. Ita *Catalanus* allegans *Navarrum*, *Reginaldum*, *Lessium*.

Ratio est, quia dominium pecuniæ non censetur translatum a parente in filium absolute, sed vel conditionate, vel *modaliter* seu *in diem*, in eventum emptionis; aut omnino dicendum, quod in tali casu pecunia non tradatur filio tanquam domino, sed tanquam mandatario.

Ratio est, quia hæc mens parentum est magis rationabilis, adeoque præsumenda, prout colligitur ex communi judicio prudentum, seu communiori sensu Doctorum.

Quæritur 22. An filio in paterna domo laboranti debeatur salarium? & num illud possit occulte compensare, si negetur vel pudeat petere?

Respondeo 1. Certum est, quod talis filius non possit uti occulta compensatione. Ita quoad rem *La Croix* l. 3. p. 1. n. 1035.

Ratio est; quia, prout hic author observat, non licet uti occulta compensatione, nisi jus sit certum ex parte compensantis. Atqui jus filii ad exigendum salarium non est certum, imo juxta sententiam veriorem absolute nullum, prout patebit ex dicendis.

Respondeo 2. Filius laborans in domo paterna patri, vel matri non potest exigere salarium tanquam jure debitum. Idem dicendum est de filia,

Ratio est, quia in foro externo per jus civile nullibi adjudicatur salarium filio laboranti in domo paterna. Ergo spectata æquitate naturali tale jus filio non debetur; *antecedens* patet ex legibus civilibus, & ex moribus gentium. Si enim filius parenti opifici, aut agricolæ operam suam, nullo expresse vel tacite postulato salario, præstet, ac primum post mortem parentis a fratribus in divisione hæreditatis illud repetere vellit, non audiretur, prout Laymannus observat. Aliud tamen spectata æquitate naturali dicendum, & in foro etiam externo a Judice ex officio judicari posse videtur, quando bona parentis per subhastationem transeunt ad extraneos. Ea enim videntur jure naturali hypothecata seu obligata liberis majorennibus pro salario. Saltem erit locus compositioni.

Respondeo 3. Idem dicendum, si filius nomine parentis lucretur ex bonis paternis.

Ratio est eadem, quia in foro externo neque jura, neque consuetudo permittunt, ut filius ex talibus bonis prætendat salarium aut partem lucri, v. g. si sit filius cauponis, vel mercatoris. In Jure Tit. *per quas personas nobis aquiritur*„ Instit. l. *cum oportet*, expresse dicitur; *quæ ex re vel substantia patris proveniunt*, *patri aquiri*. Igitur filius ex jure naturali non reperit titulum sibi appropriandi partem talium bonorum.

Nec obstat, quod filius majorennis possit licite e domo paterna discedere, & alibi in servitiis quærere salarium, nisi aliunde obligetur ad ministrandum parenti ex lege charitatis. Eoipso enim quod non discedat, nec cum parente paciscatur de salario, censetur id præstare vel spe majoris portionis hæreditariæ ultra legitimam, vel ex lege charitatis. Merito enim timeret, si discederet a parentis servitio, se nil recepturum præter legitimam.

Nec obstat secundo probabilitas extrinseca oppositæ sententiæ, utpote pro qua citantur Navarrus, Lopez, Angelus, Gomez, Lessius, Dicastillo, & alii. Hi enim exaudiendi solum sunt pro jure, quod ejusmodi filii majorennes habent, petendi a parente aut dimissionem, aut salarium. Hoc jus disjunctivum ipsis non denego. Sed, si ita ingrati parentibus fuerint, etiam parentibus jus competit, ipsis nil relinquendi præter legitimam. Accedit, quod filii communiter melius habeantur in victu, vestitu gratuito, labore, accommodatione, &c. quam servi extranei. Itaque, etiamsi paciscerentur de salario, non tamen possent prætendere salarium æquale salario, quod datur extraneis.

Nec obstat tertio l. penul. ff. *de obsequiis*, ubi dicitur: *Pietatem liberi parentibus*, *non operas debent*. Ex hoc enim solum sequitur, quod spectato jure

natu-

naturali filii majorennes possint petere salarium, si velint manere in servitiis parentum; non autem sequitur, quod salarium possint jure exigere, aut compensatione occulta uti, si nec expresse nec tacite fuerint cum parentibus pacti de salario.

Respondeo 4. His tamen omnibus non obstantibus liberi quandoque licite aliquid accipiunt, ubi ex his tribus titulis saltem unus accedit; nempe 1. vel honestæ sustentationis quoad victum & vestitum necessitas, 2. vel honestæ educationis necessitas. 3. vel præsumpta unius saltem parentis potestatem habentis licentia.

Quæritur 23. Quid sine crimine furti liceat vel non liceat uxoribus?

Respondeo 1. *Uxoribus licitum est*, disponere sine crimine furti circa sequentia. 1. Licite disponunt circa sua bona *paraphernalia*, seu illa bona, quorum non solum habent plenum dominium, sed etiam administrationem liberam. 2. Licite ex bonis mariti vel communibus sumunt, quæ sunt necessaria ad suam honestam sustentationem quoad victum & vestitum. Hoc enim uxori debetur ex jure naturali, civili & gentium. Quoad vestitum autem honestas non est regulanda judicio uxoris, sed judicio prudentum. In hoc enim genere judicium mulierum est frequenter, imo a potiori corruptum. 3. Licite accipiunt ea, quæ necessaria sunt ad honestam administrationem rei domesticæ vel œconomiæ sibi concreditæ. Cui enim finis committitur, eoipso tacite committuntur & media. Consequenter, si maritus in uno vel altero ejusmodi usu bonorum fuerit invitus, non erit invitus rationabiliter, *qua prudens maritus*, vel solum censetur præcavere velle periculum excessus. 4. Licite accipiunt ex *bonis communibus*, *parsimonialibus* aut *industrialibus*, quæ sufficiunt ad sublevandam gravem indigentiam matris, patris, ac etiam sororis vel fratris, dummodo illa summa non sit magna ac respective ad annuos redditus notabilis. Censerem autem, eam summam esse notabilem, si superet tertiam partem uxorii aquæstus annui deductis expensis residui; aut si superet decimam partem illius aquæstus uxorii annui, ea sit continuanda annuatim.

Dixi, *ex boni communibus*. Quod enim uxor possit suis parentibus succurrere ex bonis mariti, non video; quia mariti se obligant ad sustentationem uxorum, non vero se obligant ad sustentandos parentes uxorum. Itaque uxores non habent jus sumendi ex bonis mariti in sustentationem suorum parentum.

Dixi etiam; *tertiam partem uxorii aquæstus*. Si enim totus aquæstus annuus communis deductis expensis, v. g. apud cauponem, ascendat ad sexcentos florenos, dimidium hujus aquæstus solet deberi ac correspondere laboribus uxoris. Si igitur uxor ex hoc suo lucro, suis laboribus parto, quod *ex contractu societatis* conjugalis deberet referri in massam communem, detrahit *notabilem* partem, violat contractum societatis, & usurpat rem alienam. Videtur autem pars notabilis summæ, quæ excedit tertiam partem summæ. 5. Licitum est uxoribus *ex bonis communibus* annuatim expendere circiter vigesimam partem in donationes rationales, aut eleemosinas, aut causas pias.

Ratio est, quia, cum uxor habeat partiale dominium bonorum communium, & spectato jure naturali possit de parte sibi correspondente disponere per testamentum vel legatum, non potest maritus titulo administrationis sibi concreditæ esse rationabiliter invitus, si uxor partem illorum bonorum respective levem, qualis est pars vigesima, sine suo præscitu ac consensu applicet in usus honestos ac rationabiles. 6. In casu, quo maritus bona communia vel dotalia ludo, compotatione, vel aliis illicitis expensis notabiliter perdit, licitum est uxori, tantum bonorum clam surripere, quantum sufficit, ad dotem suam aut portionem bonorum communium suo labori correspondentem collocandam in tuto; dummodo ex ea clandestina surreptione non patiatur damnum œconomia, mercatus, vel negotium;

& ea bona clam ſurrepta aut reſerventur, aut expendantur in commodum rei familiaris, ita, ut ſemper extent formaliter vel æquivalenter vel virtualiter ad uſus communes.

Ratio hujus eſt, quia in contractu ſocietatis, qualis eſt inter maritum & conjugem, uno violante contractum alteri jure naturali competit jus ad ſui indemnizationem. 7. Licitum eſt uxori, donare ea aliis, quæ ſibi donata ſunt a conſanguineis mariti intuitu mariti, niſi concurrat pactum tacitum, ea impendendi etiam pro bono mariti. Charitas tamen & amor pacis frequenter læditur per ejuſmodi donationes ad extraneos.

Reſpondeo 2. *Uxori illicitum eſt* 1. ex bonis dotalibus clam ſurripere ſine conſenſu mariti ſaltem præſumpto. 2. ex bonis communibus ſurripere partem notabilem ſine ſpeciali cauſa excuſante. 3. ex bonis mariti diſponere in ludum, recreationem ſpecialem, aut eleemoſynas, vel alias cauſas pias. Maritus enim plus uxori ſuæ non debet, quam honeſtam ſuſtentationem. Ad hanc autem non pertinet ludus, aut recreatio extraordinaria, aut diſpoſitio in cauſas pias; ludus enim & recreationes extraordinariæ plerumque non ſunt utiles uxoribus. Itaque in his & aliis ejuſmodi caſibus committitur ab uxoribus peccatum furti, niſi accedat præſumpta mariti licentia.

Quæritur 24. An & quomodo poſſint peccare famuli in materia furti?

Reſpondeo 1. Peccant graviter, ſi ſuis Dominis ſucceſſive auferant quantitatem notabilem ſine conſenſu eorum ſaltem tacito, vel præſumpto. Id patet, quia tollitur per furta minuta alienum.

Reſpondeo 2. Famuli & famulæ non poſſunt facere compenſationem occultam pro labore, quem æſtimant majorem ſalario.

Ratio eſt, quia cum conductio famulorum ſit quidam contractus locationis; & contractus locationis ſit quædam ſpecies emptionis ac venditionis, in quantum venduntur & emuntur operæ humanæ, manifeſtum eſt, etiam in conductione dari triplex pretium, ſummum, medium, & infimum. Igitur, etiamſi famulus laborem ſuum in ſimilibus locationibus præſtari ſolitum æſtimet ſummo pretio, & herus eum conduxerit infimo pretio, non licet recedere a contractu. Idem patet ex propoſitione ab Innocentio XI. damnata, quæ ſic ſonat: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Reſpondeo 3. Si evidens ſit, ſpectatis laboribus extraordinariis, qui prudenter prævideri non poterant, ſalarium eſſe injuſtum, aut evidens ſit, pactum de recipiendo ſalario improportionato infra pretium infimum eſſe vi & metu injuſto extortum, licitum quidem eſt famulis, recuſare ejuſmodi labores extraordinarios aut e ſervitiis diſcedere recepto pro rato temporis pacto ſalario; uti autem compenſatione occulta non licet, niſi herus vi aut metu injuſte incuſſo, v. g. non ſolvendi ſalarium competens pro rato temporis, compellat ad renovandum vel de novo ineundum pactum de ſerviendo abſque juſto ſalario, etiam ſpectato pretio operarum infimo.

Ratio hujus eſt; quia in priori circumſtantia famulus ob auctiores ad breve tempus labores non habet jus ad compenſationem, prout patet ex ſenſu communi tam doctorum quam indoctorum, a quo regulatur mens contrahentium in contractibus bonæ fidei: ſi autem gravatus libere in ſervitiis maneat non poſtulato auctario ſalarii, ipſe ſibi imputet, quod pactum ſibi oneroſum ineat. In poſteriori autem circumſtantia vi aut metu injuſto compulſus conſentit in pactum iniquum, quod conſequenter ad dicta in Tract. *de Juſtitia* non ligat in conſcientia perſonam privatam.

Reſpondeo 4. Si juvenis aut puella pauper, diu in mendicitate cum ſuis parentibus vagata, ſervitium quærat, & a nemine ſuſcipiatur, niſi interea, donec fidelitatem probet, & modum laborandi diſcat, ſerviat pro ſolo victu &

vestitu sine salario, tenetur stare hoc contractu.

Ratio est, quia hoc pactum justum est eousque, donec modum laborandi didicerit. Si autem sufficienter probata fidelitate, & modo laborandi sufficienter apprehenso compellatur aut denuo mendicare, aut gratis continuare servitium, hic contractus jam est metu injuste incusso extortus, ac consequenter nisi ejus operæ solvantur saltem pretio infimo, pro servitio fideliter præstito poterit petere aut facere compensatio nem, nisi expresse de novo pacta fuerit pro servitio gratuito excepto victu & vestitu.

Ratio est; quia in priore circumstantia ex nullo titulo obligatur ad servitium gratuitum, utpote nec ex contractu ac promisso reciproco ex parte sua, nec ex natura locationis. In posteriori vero circumstantia tenetur stare contractu, quia, licet metus fuerit injuste incussus sumendo to *injustum* in latiori significatione, conducens tamen non tenebatur illam personam conducere *ex justitia*, utpote habens potestatem conducendi aliam, in qua fidentius ac quietius confideret, sed tantum ex misericordia & charitate; quæ si violetur a quopiam, non datur jus compensationis adversus violantem leges misericordiæ vel charitatis. Itaque, cum metus incussus in posito casu non tendat ad violationem justitiæ proximo debitæ, promissio servitii gratis sine salario præstandi censetur justa, adeoque obligatoria.

Quæritur 25. Qualis sit obligatio restituendi pro furto?

Respondeo. De Restitutione jam agemus est in Tract. *de Justitia*, ad quem remitto.

SECTIO. IX.

De Octavo Præcepto Decalogi.

Quæritur 1. Quomodo in Scriptura sonat octavum Præceptum?

Respondeo. Hoc præceptum Exodi 20. v. 14. his verbis exprimitur: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. His ipsis verbis repetitur Deut. 5. 18.

Quæritur 2. Quænam vitia comprehenduntur hoc præcepto?

Respondeo. Comprehenduntur sequentia vitia. 1. Detractio, vel infamatio proximi. 2. Judicium temerarium vel suspicio temeraria. 3. Contumelia vel inhonoratio proximi. 4. Mendacium, æquivocatio non sensibilis, restrictio mentalis. 5. Testimonium judiciale vel extrajudiciale falsum in præjudicium proximi.

Quæritur 3. Quid sit *detractio*?

Respondeo. *Detractio* est injusta alienæ famæ aut honoris diminutio. Quando ea fit in præsentia ejus, cui detrahitur, vocatur magis specifico nomine *contumelia*.

Dixi. *Famæ aut honoris*. *Fama* consistit in bona existimatione seu bona opinione hominum de aliqua persona. *Honor* autem consistit in contestatione publica hominum de bona existimatione aliorum per signa externa reverentiæ.

Quæritur 4. Quotuplex sit detractio?

Respondeo. Ea est duplex. Una enim est *directa & formalis*, alia autem est *indirecta & materialis*. *Detractio directa & formalis* est, quæ fit cum mala intentione denigrandi famam alienam. *Detractio materialis* est, quæ fit sine mala intentione denigrandi famam alienam,

Quæritur 5. Quot modis potest fieri detractio?

Respondeo. Detractio potest fieri octo modis; sunt enim quatuor modi, quibus committitur detractio directe, & alii quatuor modi, quibus committitur detractio indirecte. *Directe* fit. 1. imponendo alteri falsum crimen. 2. manifestando crimen occultum. 3. amplificando crimen verum. 4. sinistre interpretando factum alterius. *Indirecte* fit. 1. negando recte facta alterius & bonas dotes. 2. illa extenuando ac diminuendo. 4. tacendo bona alterius ac laudes eo tempore, & loco, quo adstantes silentium interpretari possint in tacitam vituperationem & opprobrium. 4. simulate ac frigide laudando, ita ut hoc ipsum quoque potius cedat in vituperationem

nem laudati, quam in ejus laudem. Ita P. Catalanus ex D. *Thoma*, qui 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3. hæc scribit: *Dicendum, quod aliquis dicitur detrahere non quia diminuat de veritate, sed quia diminuit famam ejus. Quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte. Directe quidem quadrupliciter. Uno modo, quando falsum imponit alteri. Secundo, quando peccatum adauget suis verbis. Tertio, quando occultum revelat. Quarto, quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel minuendo.* Hi modi comprehenduntur his verbis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens, Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve remisse.

Quæritur 6. An detractio sit ex genere suo peccatum grave?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia detractio in Scriptura ponitur inter peccata mortalia. Sic dicitur Psal. 100. v. 5. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*. Et Apostolus ad Rom. 1. ubi omnia gravium vitiorum genera inter gentiles enumerat, in ea classe vitiorum ponit *Detractores Deo odibiles*. Et Prov. 24. v. 21. *Cum detractoribus ne commisceаris, quoniam repente consurget perditio eorum*. Dicitur tamen, *ex genere suo*. Nam ex parvitate materiæ seu præjudicii, quod læsus patitur, vel ob defectum sufficientis advertentiæ ad gravitatem rei, seu præjudicii, quod læsus patitur, potest esse peccatum veniale, nisi ipsa inadvertentia fuerit graviter culpabilis, v. g. si procedat ex consuetudine omnia effutiendi. Indirecte autem malitia detractionis probatur ex verbis Christi Matth. 18. ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum*, &c.

Quæritur 7. An omnes detractiones sint ejusdem speciei?

Respondeo. Affirmative.

Ratio est, quia, licet detur quædam diversitas objectiva inter detractiones, v. g. si quis denigretur falso tanquam hæreticus, aut tanquam fur, illa tamen diversitas non substat attentioni humanæ vel divinæ, in ordine ad diversos effectus morales, nisi ex detractione sequatur vel pronum sit subsequi damnum reale diversum distinctum a mala existimatione interna. In tali enim casu ratione diversorum effectuum, si hi differant specie, etiam detractiones different specie. Idem dicendum, si detractioni annexa sit circumstantia continens malitiam diversæ rationis, v. g. si detrahatur Sacerdoti, in quo casu detractio opponitur reverentiæ sacerdotibus debitæ; aut si detrahatur parentibus, in quo casu detractio opponitur amori & gratitudini iis debitæ; vel si detractio procedat ex odio aut vindicta, in quo casu circumstantia odii seu vindictæ necessario exprimenda est in confessione. Sic etiam, quando ex detractione respectu unius consequitur amissio officii, relegatio, inquisitio, incarceratio, mors, varii generis scandala ad varias species peccatorum inductiva, hujusmodi effectus, aut periculum probabile ad ejusmodi effectus specie diversos in æstimatione morali exprimenda sunt.

Quæritur 8. Utrum in Scriptura nomen detractionis sumatur potius pro imputatione falsi criminis, vel intentionis malignæ, quam pro manifestatione criminis occulti?

Respondeo. Nomen detractionis in Scriptura & Patribus sumitur ferme constanter pro falsa imputatione criminis, vitii, aut intentionis malignæ, non autem pro manifestatione criminis occulti, prout nunc Theologi Morales præcipue sumunt. Id probatur ab inductione. Sic 1. Num. 12. dicitur: *Locuta est Maria & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam -- Et locutus est Dominus ad Aaron & Mariam: Quare non timuistis detrahere servo meo Moysi* (imputando ei vitium imprudentiæ, vel inordinati amoris ad suam uxorem alienigenam)? 2. Num. 13. v. 33. Exploratores Palestinæ *detraxerunt terræ, quam inspexerant, apud filios Israel dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos*. 3. Num. 14. v. 11. *Dixit Dominus ad Moysen; usquequo*

detra-

detrahet mihi populus iste ? Utique non manifestando crimen verum de Sancto Sanctorum, sed fingendo vitium immisericordiæ, aut improvidentiæ. 4. Ibidem v. 23. *Non videbunt terram* (promissam) *nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam*. Et. v. 36. Itaque *omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quod esset mala, mortui sunt*. 5. Deuter. 31. v. 20. *Dixit Dominus: Avertentur ad Deos alienos, detrahentque mihi*, affingendo mihi vel impotentiam vel noluntatem salvandi. *6*. Job. c. *6*. v. 25. amicis sibi imputantibus occulta scelera, quæ non commiserat, respondet: *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit arguere me?* Et c. 19. v. 18. *stulti despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi*, maligne interpretando intentionem mei recessus. 7. Psal. 37. v. 21. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*. 8. Christus in Psal. 70. v. 13. *Deficiant detrahentes mihi*. Et Psalm. 108. v. 4. *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi ... Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum ... Induantur, qui detrahunt mihi, confusione*. Detractiones Judæorum de Christo non consistebant in manifestatione criminis veri, sed in imputatione criminis falsi. *9*. Proverb. 1. v. 30. *Non exaudiam, eo quod detraxerint universæ correptioni meæ, utique bonæ*. 10. Ecclesiastis 10. v. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas*. 11. Isaiæ 60. v. 10. de sancta Ecclesia. *Adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi*. 12. Jacob. 4. *Nolite detrahere alterutrum* (maligne interpretando actiones) *fratres mei. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem*. In hoc textu judicare fratrem, & detrahere fratri, paria judicantur; & alluditur ad legem Christi Matth. 7. *Nolite judicare; nolite condemnare*, maligne sentiendo de mente aliorum. 13. Sap. 1. v. 11. *Custodite vos a murmuratione, & a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem, quod mentitur, occidit animam*. In hoc textu murmuratio, quæ superiori tribuit malam intentionem vel imprudentiam, & detractio, & mendacium ad invicem referuntur. 14. Eccles. 38. v. 18. *Super mortuum produc lacrymas, & fac luctum secundum meritum illius uno die vel duobus propter detractionem*, videlicet, ne bene merito detrahas, aut ne tibi detrahatur ab aliis, defectum tuum luctus male exponentibus. 15. Eccles. 42. v. 11. *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne faciat te in opprobrium venire inimicis tuis a detractione in civitate*, tibi maligne adscribendo causam. In omnibus his textibus detractio sumitur pro imputatione criminis falsi, aut pro maligna interpretatione intentionis vel mentis alienæ. In aliis autem textibus Scripturæ, ubi de detractione sermo, nullibi ex contextu colligitur, quod præcise sit sermo de manifestatione criminis alieni.

Quæritur 9. An & quomodo peccari possit per manifestationem criminis aut vitii veri; attamen occulti?

Respondeo. Hanc difficilem quæstionem tribus regulis absolvo. 1. *Si fama delinquentis impedit bonum commune vel privatum, jure communitati aut sibi debitum, non peccatur contra Justitiam manifestatione criminis occulti, si manifestatio præcise fiat illis, quibus incumbit prohibere nocumentum*.

Ratio, quæ etiam pro regula haberi debet, est; Contra cujus famam licet agere vel excipere in judicio ad tuendum bonum commune vel privatum jure debitum, contra ejus famam etiam licet agere vel excipere extrajudicialiter, in quantum & quousque impedit bonum commune vel privatum. 2. *Si fama delinquentis nulli est nociva, nisi sibi & uni vel alteri complici, peccatur contra Justitiam manifestatione occulti criminis*.

Ratio est, quia homo habet jure naturali jus ad bonum nomen, saltem *negativum* titulo possessionis. 3. *Si fama delinquentis partim impedit, partim promovet magna bona privata vel commu-*

nia

nia jure debita, *peccatur contra charitatem manifestatione criminis*, *nisi præferatur majus bonum minori bono*.

Ratio est, quia in tali casu liceret salva justitia agere vel excipere in judicio contra famam delinquentis. Ergo id licet etiam extrajudicialiter, cum non deceat, in quotidianis negotiis jus suum semper tueri judicialiter.

Ex hoc *colligitur*, in hac materia attendendum esse ad sequentes circumstantias. 1. An crimen sit certum, an dubium? an nocivum pluribus, vel nulli? an sit transiens, & privata monitione corrigibile, an vero habituatum, ac privata monitione, & pœnitentia transeunte difficulter corrigibile sine metu relapsus? 2. an crimen dubium fuerit affirmatum tanquam certum vel dubium. 3. quæ fuerit causa hujus manifestationis? an primario odium, vindicta, inimicitiæ. An loquacitas? an utilitas propria vel aliena? an privata vel publica, v. g. Ecclesiæ, Reipublicæ, communitatis? an præsens ac certa, an vero solum futura ac præcise probabilis? 4. Quænam ex ea infamatione sequi possint mala? an videlicet ex parte denigrati facile consequatur perditio famæ, illi ad sua officia rite obeunda, ad sustentationem quærendam, vel ad salutem animarum, & Reipublicæ vel communitatis promovendum necessariæ? an exinde denigrato nascantur alia gravia præjudicia? an exinde sequantur gravia scandala? Si omnibus consideratis appareat, bonum illud utilitatis, quod ex manifestatione criminis oritur, esse *certo majus* sua extensione, quam mala opposita, illudque esse *necessarium* ex obligatione legis altioris, quam est lex charitatis erga personam privatam, ac insuper illud bonum aliis mediis spe prudenti probabilius obtineri nequeat, licita erit manifestatio; alioquin erit illicita leviter vel graviter, prout leviter vel graviter opponitur justitiæ vel charitati. Probationes harum mearum Resolutionum sumuntur ex quæstiunculis sequentibus, præsertim decima octava, & decima quinta.

Quæritur 10. An peccet peccato detractionis, qui alterius peccatum, aut defectum alteri patefacit, boni cujusdam procurandi aut promovendi gratia?

Respondeo. Si hæc duo concurrant, ut fama alterius efficaciter obstet bono procurando, & bonum hoc sit jure debitum, taliter revelans peccatum aut vitium alienum, non peccet peccato detractionis. Ita P. *Natalis Alexander* in Theologia Morali l. 3. *de peccatis* c. 9. art. 5. Reg. 12. ubi sic responsionem ponit, exemplificat, & probat: „ *Non est reus detractionis*, *qui alterius peccatum*, *seu malum quodcumque alicui patefacit*, *boni cujuspiam procurandi aut promovendi gratia*, *modo debitæ circumstantiæ serventur*.

„ Sic occultum proximi peccatum, „ propter ejus emendationem, denuntiare licet Superiori, servato prius præcepto correptionis fraternæ. Sic grave crimen alterius, publicis legibus plectendum, prodere licet accusatione legitima; modo id fiat justitiæ, bonique publici studio, non vindictæ affectu. Similiter occultum alicujus vitium vel defectum denunciare licet, ad avertendum grave damnum vel periculum Ecclesiæ, Reipublicæ, alicui Societati, aut familiæ, vel privatis etiam personis imminens. Si quis v. g. cum Ecclesiæ, Reipublicæ, vel Ordinis alicujus aut Societatis publico gravique detrimento sit ad Beneficium aliquod, Dignitatem, vel Officium promovendus, occulta illius vitia vel defectus prodere licitum ac religiosum est, modo id prudenter fiat, nec citra necessitatem, nec pluribus, quam oporteat, & ex charitate, bonique publici studio. Sic etiam licitum est alios monere, ut sibi caveant ab eo, quem certo nosti, vel non temere suspicaris esse furem, veneficum, ganeonem, proditorem, impium, hæreticum, pestifero morbo, aut lue venerea laborantem; si malum ex hujusmodi hominis societate ipsis imminens aliter avertere non possis. Licet pariter occultum alicujus crimen prodere, si aliter ab injusta illius vexatione liberari non possis,

„ mo-

„ modo servetur moderatio, nec plura „ aut graviora ex illis criminibus occul„ tis revelentur, quam postulet justæ „ defensionis necessitas, nec vindictæ „ animo id fiat. Ita reus non peccat, „ & multo minus innocens, qui testium „ illegitimorum testimonia, quibus da„ mnandus est, vel opprimendus, re„ pellit, vero illorum crimine detecto „ & probato. Non ergo quælibet alie„ ni peccati, etiam occulti revelatio, „ detractionis peccatum est, sed ea tan„ tum, qua justitiæ vel charitatis ordo „ violatur. Hanc morum Regulam con„ firmat *S. Thomas*, 2. 2. quæst. 73. „ art. 2. *Si verba* (inquit) *per quæ* „ *fama alterius diminuitur, proferat ali-* „ *quis propter aliquod bonum necessa-* „ *rium, debitis circumstantiis observatis;* „ *non est peccatum, nec potest dici de-* „ *tractio.*

„ Hæc Regula confirmatur ex S. Ba„ silio, in Regulis brevioribus, inter„ rogatione 25. Duo (inquit) esse exi„ stimo tempora, in quibus liceat ali„ quid mali de aliquo dicere: Videlicet „ & quando necesse habet aliquis con„ sultare una etiam cum aliis, qui ad „ hoc idonei judicati sint, quo pacto „ corrigendus sit, qui peccatum com„ misit: Et item quando necessitas po„ scit, ut periculo consulatur aliquo„ rum, qui sæpenumero ex ignorantia „ commisceri possent cum malo tan„ quam cum bono: cum Apostoli præ„ ceptum sit; Ut ne quis se cum his „ commisceat, qui istiusmodi sunt, ne „ quando quis caveat laqueos animæ „ suæ. Quod quidem videmus eundem „ Apostolum fecisse, quæ ipse ad Ti„ motheum scribit his verbis: „ Ale„ xander ærarius multa mala mihi osten„ dit, quem & tu devita. Valde enim „ restitit verbis nostris. „ Extra autem „ hujusmodi necessitatem, qui aliquid „ secus de aliquo loquitur, illius insi„ mulandi, vel vituperandi causa, de„ tractor est; esto verum sit quod lo„ quatur.

„ Idem confirmatur ex Cap. *cum ex* „ *injuncto*, quod est Innocentii III. „ Extra, de Hæreticis, cujus hæc sunt „ verba: Licet scientia sit valde ne„ cessaria sacerdotibus ad doctrinam, „ quia, juxta verbum Propheticum, „ Labia Sacerdotum custodiunt scien„ tiam, & legem exquirunt ex ore „ ejus: Non est tamen simplicibus Sa„ cerdotibus etiam a Scholasticis detra„ hendum, cum in eis Sacerdotale Of„ ficium debeat honorari. Propter quod „ Dominus lege præcepit, *Diis non de-* „ *trahes*, Sacerdotes intelligens; qui „ propter excellentiam Ordinis & Offi„ cii dignitatem Deorum nomine nun„ cupantur.... Quod si forte necessi„ tas postularet, ut Sacerdos tanquam „ inutilis & indignus, a cura gregis de„ beat removeri; agendem est ordinate „ apud Episcopum, ad cujus officium „ tam institutio, quam destitutio Sacer„ dotum noscitur pertinere.

„ Hanc Morum Regulam, uti & „ præcedentem & sequentem Gersonius, „ Cancellarius Parisiensis Ecclesiæ & „ Academiæ, vir pius, & eruditus, „ nitide explicat in Responsione ad Quæ„ stiones quatuor, Quæst. 1. Sciendum „ (inquit) quod actio moralis libera „ accipit vel vituperium, vel laudem, „ & peccatum, ex suis circumstantiis, „ & specialiter ex circumstantia finis. „ Inquirendum est igitur, ad quem fi„ nem dicitur malum de absentibus, „ & occurrunt sex fines generales. „ Quandoque hoc fit ad instructionem „ præsentium & id audientium, ut ca„ veant similia facere. Quandoque fit „ ad præsentium cautelam, ne scilicet „ ex ignorantia decipiantur per malam „ aliorum societatem, quos præsumunt „ bonos. Quandoque etiam fit ad uti„ litatem absentium, ut videlicet præ„ sentes eis referant pro ipsorum corre„ ctione & emendatione. Quandoque „ fit ex compassione amicabili, ut sci„ licet seipsum & audientes referens pro„ vocet ad orandum instantius pro alio„ rum peccatis & eorum conversione. „ Quandoque etiam fit ex sola curiosi„ tate, & assueta loquacitate, & qua„ dam libidine loquendi de aliis. Quan„ doque autem fit ex odio vel invidia, „ ac pro diminutione famæ alienæ, &

„ ex

„ ex animi indignatione. Primis quatuor modis potest esse non solum licitum, imo & meritorium, referre mala absentium, dummodo tamen non intendatur principaliter alius finis, quam aliquis prænotatorum quatuor. Et si non misceatur alia intentio fermentata & sibi ipsi mentiens, dum bene provideatur, ne sint falsa, quæ dicuntur, aut in malo ultra quam in se sunt, per referentem ampliata, aut forsan sinistre interpretata. Ac etiam quod non plus noceat talis locutio absentibus & eorum famæ, quam prosit præsentibus & eorum ædificationi. Quoniam pro parvo bono consequendo non est magnum malum committendum.

„ Male loqui de absentibus ob solum satisfaciendum propriæ loquacitati & libidini loquendi de aliis, etiamsi sit pro sola deductione temporis, & quasi pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat, ~~vix aut~~ nunquam excusatur a peccato, & sæpius transit in mortale peccatum. Tale enim verbum non solum otiosum, sed & communiter est perniciosum & multipliciter nocivum.

„ Si quis autem quærit signum, quomodo sciet quando ex bono fine loquatur, aut malo de malis proximi: Respondetur, quod, dum aliquis loquitur ad bonum istius, cujus mala commemorat, ut puta ut in se & audientibus provocet mentem ad orandum pro talis emendatione, necessarium est ut sentiat tunc in se quandam ad eundem ad quem fit sermo, compassionem piam, dulcemque, misericordem, & charitativum affectum. Et etiam requiritur ut non minus longum teneat sermonem de tam mala materia & despicabili. Sicut pia Mater non delectatur in narrando longe mala filii sui, nec etiam dicit illa nisi ex necessitate, ut puta ipsi Medico, aut illis, qui ejus saluti poterunt prodesse, & malum adjacens avertere. Sic itaque narrando suspirat alte, tristatur, dolet, & abbreviat sermonem quantum prævalet, & quantum videtur sufficere ad ostensionem infirmitatis, quæ sibi tantæ tristitiæ causa existit. Sed dum quis loquitur malum de aliis ex loquacitate, sunt signa opposita, quoniam tunc sentit indignationem animi contra eos de quorum malis loquitur, cum quadam amaritudine fellis corrodit & mordet ipsos absentes, & verbis suis venenatis, linguaque sicut gladius acutus acuata, lacerat sine misericordia, sine aliqua compassione, nec ponit finem verbis suis, quia satiari nequit ejus vorax invidia.

„ Loqui malum de alio directe ex odio & invidia, semper est peccatum. Et quando notabiliter læditur per hoc aliena fama; & dum loquens hoc advertit in sua conscientia, aut advertere posset, est gravius peccatum sæpissime quam furtum, aut quam foret esus carnium die Veneris vel Jejunii Ecclesiæ magni cujuscunque. "

Quæritur 11. An peccet graviter peccato detractionis, qui ex sola loquacitate absque causa necessaria lædit alienam famam graviter?

Respondeo. Si læsio famæ fuerit notabilis, peccat graviter, si autem læsio non fuerit notabilis, peccat venialiter. Læsio autem notabilis esse censetur vel ex gravitate damni seu præjudicii, quod ex tali infamatione facile potest consequi, alioquin non facile consecuturum, si defectus fuisset obtectus silentio; aut ex gravitate & diuturnitate tristitiæ, vel mali ex detractione facile orituri, v. g. Si talis persona pateretur perpetuam quandam notam infamiæ, ut inter personas honestas sine erubescentia aut verecundia comparere non posset. De hoc genere censendus est loqui S. Thomes 2. 2. quæst. 73. art. 2. ubi ait: *Si quis verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat ex animi levitate, propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis.* Exempla prio-

ris

ris generis habentur; si quis de alio manifestet, quod furatus sit, quod commiserit adulterium, incestum, Sodomiam &c. Econtra pro exemplo levis detractionis habetur, si de homine profligatæ famæ dicatur, quod sit blasphemus, de milite, quod sit ebriosus, de juvene, quod sit Amasius, &c. nisi ex circumstantiis pateat, etiam ejusmodi hominibus ex tali detractione nasci posse grave præjudicium.

Quæritur 12. An possit peccari mortaliter ex manifestatione peccati venialis, aut defectus naturalis?

Respondeo. Posse ex tali manifestatione peccari mortaliter saltem per accidens, si ex illa manifestatione facile possit consequi grave damnum detractionem passo. Id patet ab exemplis a P. *Natali* adductis. Sic enim levia, vel quæ vulgo levia censentur, magnam interdum infamiam aspergunt Episcopis, aliisque Ecclesiastica Dignitate fulgentibus viris, Doctoribus, Religiosis, Sanctimonialibus, aut Mulieribus devotionem professis, & pietatis famam consecutis. Assiduitas, v. g. mentiendi, vana gloria & ostentatio, sæcularis & liberior, etsi honesta cum personis alterius sexus amicitia, & conversatio, seu agendi ratio, scribendique modus, iracundia, levitas, & alia, quæ sæcularibus hominibus, aut Christianorum vulgo nullam aut certe levem dedecoris notam inurunt, gravem sacratis hominibus, & præsertim Ecclesium regentibus infamiam inurunt; gravia interim damna hujusmodi peccatorum vel defectuum revelatio ipsis infert, quia vel ipsos in contemptum adducit, eorum auctoritatem minuit, impeditque, ne spiritalem fructum in Ecclesia referant; interdum a Beneficiis vel Dignitatibus, aut Officiis consequendis ipsos impedit, quibus ob præclaras dotes alioqui digni essent, & Ecclesiæ utiles futuri. Sic etiam lethalis detractionis rei sunt, qui defectum naturalem alicui affingunt, vel inordinate revelant, ex cujus revelatione in contemptum adducatur; aut a muneribus & honoribus, quos legitime consequi aut gerere posset, arceatur; aut ab honestis & utilibus amicitiis abalienetur, aut commodis maximis privetur. Si quis, (inquam) virum quempiam illustri aut honesto loco natum, spurium seu illegitimum esse effutiat; naturalem defectum cujuspiam in vulgus spargat, ex quo grave damnum illius sequatur, lethalis detractionis reus est. Exceptionem tamen patitur hic casus: Si enim ab alicujus boni consecutione ipsum impediat defectus hujusmodi revelatio, a quo ipsum leges excludunt, ut spurium ab hæreditate, a Clero & Ecclesiasticis Ordinibus ac Beneficiis (nisi summi Pontificis Dispensatio vel Religiosa Professio defectum suppleverint) impotentem a Matrimonio contrahendo, detractor non est, qui defectus illos revelat, nec peccati alicujus reus, si id faciat servato justitiæ & charitatis ordine.

Quæritur 13. An peccent graviter, qui manifestant delicta vetera, dudum quidem notoria, sed jam oblivione apud plerosque deleta, aut jam punita & emendata?

Respondeo. Si illa peccata sint ejus naturæ, ut longiore tractu temporis desinant esse nociva, nec soleant relinquere habitum nocivum bono communi vel bono privatorum, peccatur graviter causando notabilem infamiam ex refricatione talium delictorum apud eos, qui illa ignorabant. Si vero sint peccata ejus naturæ, de quibus merito dubium est, an sint sufficienter emendata quoad pravos habitus in intellectu aut voluntate nocivos bono communi vel privato, recurrente periculo nocumenti licet patefacere ejusmodi peccata pro tuitione moraliter secura boni communis vel privati saltem iis, quorum est impedire damnum.

Ratio est, quia in casu, quo licet in judicio agere vel excipere contra aggressorem boni publici, vel privati ratione delicti, licet etiam extrajudicialiter manifestare tale delictum, quousque fama est probabiliter impeditiva boni publici, vel privati. Sed in judicio saltem Ecclesiastico, ubi ageretur v. g. de promotione ad Dignitatem Ecclesiasticam, admitteretur ejusmodi exceptio; ergo idem

idem dicendum de foro interno conscientiæ.

Quæritur 14. An peccent graviter Historici, si publicent gravia delicta Principum?

Respondeo 1. Publicando in Scriptis crimina principum notoria, non peccant. Ita P. *Natalis* l. c. Reg. 16.

Ratio est, quia interest boni publici, ut principum aliarumque personarum crimina publica, quæ cum scandalo committuntur, perpetuo tetro stigmate inurantur, sicque posteri metu infamiæ a similibus vitiis absterreantur.

Respondeo 2. Non licet tamen Historicis posteritati revelare vitia occulta principum aliarumque personarum illustrium, nisi earum personarum fama pergat etiam post mortem esse nociva aut periculosa posteris.

Ratio est, quia in materia detractionis idem licet vel non licet erga mortuos, quod licet vel non licet erga vivos. Circa mortuos tamen regulariter cessat gravitas infamiæ proveniens ex contristatione, damnificatione, aut præjudicio, cujus mortui capaces non sunt. At vero ex alio capite circa mortuos regulariter cessat causa infamandi, cum nec eorum personæ, nec vitia, nec habitus relicti pergant nocere bono communi aut privato.

Quæritur 15. An & quomodo possit graviter per detractionem peccari, vel detrahens a peccato excusari circa mortuos vel alias personas audientibus ignotas?

Respondeo 1. Circa peccata defunctorum, dum erant in vivis, notoria, licitum est loqui, dummodo saltem concurrat utilitas pro instructione audientium, & absit periculum scandali.

Ratio est, quia talia peccata notoria licite manifestantur posteritati ab Historicis in scripto, prout patet ex q. 14. Ergo multo magis id fieri licebit verbo.

Respondeo 2. Non tamen licet referre vita defunctorum occulta, nisi fama defuncti credatur esse nociva bono communi aut privato, & manifestatio criminis fieri possit sine scandalo.

Ratio est, quia juris naturalis est illa obligatio a Christo inculcata, ut, quod quisque sibi voluerit fieri, sive in vita sive post mortem, hoc aliis faciat.

Respondeo 3. Etiam personarum audienti ignotarum occulta vitia patefacere non licet, nisi moraliter absit omne periculum deveniendi aliquando in agnitionem illius personæ: cessante autem ejusmodi periculo non est peccatum, referre talia peccata ex causa rationabili.

Ratio est, quia, ubi non habet locum fama personarum, ibi non habet locum detractio.

Quæritur 16. An possit peccati graviter referendo vitia alicujus urbis, aut nationis?

Respondeo 1. Non est peccatum referre vitia integræ alicujus urbis aut nationis in aliis regionibus.

Ratio est, quia fieri nequit, ut vitia grassantia in urbe vel natione adeo sint occulta, ut conservari possit fama boni nominis respectu peregrinorum ex aliis regionibus. Aliud tamen interdum præcipit charitas, si vitia sint emendata, & manifestatio noceret urbi apud exteros.

Quæritur 17. Quales dantur modi detrahendi indirecte?

Respondeo. P. Natalis l. c. Reg. 17. illos enumerans & exemplificans sic scribit: „ Indirectam detractionem quod „ attinet, observandum est, illam non „ solum verbis, sed etiam factis, signisque seu nutibus committi, cum quispiam laudis alienæ impatiens mali„ tiose subridet, abnuit capite, vel ocu„ lis, atque his motibus significat, ho„ minem, qui laudatur, non esse ta„ lem, qualis prædicatur. Nec solum „ nutibus, sed & silentio committitur „ detractio. Qui enim de proximi pro„ bitate aut morum integritate, quam „ perspectam habet, interrogatus silet, „ debitam proximo veritatem ac debi„ tum veritati testimonium negat, ac „ proin justitiam pariter ac charitatem „ violat. Similiter, qui in aliquo ho„ minum cœtu aliquem sibi probe no„ tum ex familia sua, societate aut vi„ cinia laudibus extolli audiens tacet

„ dum alii certatim ipsum laudant, si- „ lentio suo significat illum indignum „ esse laudibus, quibus, ornatur. Sed „ inquies, certe novi talem illum non „ esse, qualis celebratur: an contra pro- „ priam notitiam mentiri debeo, vel „ adulari? Nequaquam. Sed cum ne- „ mo aliqua laude digna non gerat, „ charitatis & justitiæ leges postulant, „ ut laude dignum ob multa, quæ in „ eo sunt bona, significes, aut saltem „ placere tibi, quod laudetur; quia re „ vera placere debet laudantium chari- „ tas. -- In iis tamen, quæ *ad hone- „ statem vitæ* non pertinent, ut loqui- „ tur S. Thomas, possumus ab iis, qui „ proximum laudant, dissentire, aut „ certe silere. Potest enim aliquis esse „ bonus sacerdos aut monachus, & ine- „ ptus concionator, potest esse vir pro- „ bus, sed dotibus ad gerendam Præfe- „ cturam vel Magistratum destitutus. „ In his tamen periculum est, ne ex „ invidia extenuemus famam alienam. -- „ Frigida tandem laudatio vituperationi „ æquivalet, v. g. cum quis aliis quem- „ piam laudantibus frigide dicit: Ita „ ferunt; sed, si ita res se habet, quan- „ tum mutatus ab illo! nunc primum „ ad Sanctos aggregari cœpit. Vir est, „ doctus & pius; *Sed* &c. Mulier casta „ sapiens & devota. *Sed* &c. Alius est „ detrahendi modus, cum quis alterius „ crimen occultum se audivisse narrat, „ se tamen nolle credere asseverat. Sic „ enim majorem sibi conciliat fidem „ versipellis detractor, cum se a detra- „ hendi libidine alienum simulat. Alia „ est detrahendi methodus non minus „ pestilens, cum de aliquo dicitur co- „ ram aliis; debet ille tacere coram „ me, novit enim, quod sciam, quid „ fecerit, &c. Ex modo enim dicendi „ aliquid grave suspicantur auditores, „ & forte quid gravius, quam detractor „ intelligat. " Ita P. Natalis; quæ omnia vera sunt detractio, nisi fama aliena credatur esse nociva bono communi vel privato, quo casu licet excipere contra alterius famam.

Quæritur 18. Utrum ad excusandam manifestationem alieni peccati occulti a vitio detractionis semper requiratur boni promovendi necessitas, vel sufficiat sola utilitas, v. g. instructio utilis audientium?

Respondeo 1. In casu, quo fama aliena pergit nocere, vel creare periculum nocendi bono communi vel privato, ad manifestationem alieni delicti occulti servato moderamine inculpatæ tutelæ excusandam a vitio detractionis sufficit & requiritur hæc sola necessitas; quod bonum commune aut privatum non sit exponendum periculo nocumenti injusti aut relinquendum in tali periculo ex actione hominis clam vitiosi.

Ratio est, quia etiam in judicio liceret in tali causa excipere contra injustum machinatorem præjudicii erga bonum commune vel privatum.

Respondeo 2. In casu, quo fama aliena non pergit amplius nocere, vel esse periculosa bono communi aut privato, ad excusandam manifestationem alieni delicti, occulti *cum gravi infamia* non sufficit sola boni non necessarii in audiente promovendi utilitas, sed requiritur boni communis aut privati tuendi necessitas.

Ratio est, quia in judicio nemo conceditur privari jure suo certo ad res vel famam præcise ob utilitatem alienam novam aquirendam, seu ob lucrum captandum.

Respondeo 3. In casu, quo fama aliena non amplius pergit nocere, vel esse periculosa bono communi aut privato, & manifestatio occulti delicti nullam respective causat infamiam aut præjudicium delinquenti, ad excusandam eam manifestationem a vitio detractionis sufficit sola utilitas narrationis, quamvis non necessaria in audiente. Censetur autem manifestatio occulti delicti respective nullam creare infamiam, si persona delinquens est audienti prorsus ignota, nec est morale periculum, aliquando cum illa mediate vel immediate habendi negotium, prout sunt personæ ignotæ dudum defunctæ, vel personæ audientibus ignotæ in regionibus vel locis dissitis constitutæ, dummodo caveatur, ne manifestatio talis occulti delicti possit

venire in eorum notitiam, qui cognoverunt defunctum aut remotum, & ignoraverunt ejusmodi delicta.

Ratio est, quia nec justitia nec charitas jubet impediri utilitatem alienam ob damnum proprium respective nullum, prout fit in ejusmodi personis ignotis, de quibus nec habetur notitia nec fama. Ubi autem non est locus famæ, nec est locus infamiæ,

Quæritur 19. An manifestatio peccati occulti excusetur a vitio detractionis, si fiat viris prudentibus, aut amicis secreti tenacibus?

Respondeo negative. Nisi concurrant aliæ excusantes circumstantiæ, quæstiuncula nona & decima octava recensitæ. Id patet ex dictis, quia etiam apud viros prudentes, & secreti tenaces re vera fit diminutio famæ, saltem partialis, prout D. *Thomas* 2. 2. q. 73. a. 1. ad 2. his verbis observat: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte*. Accedit, quod talis manifestatio jam exponat famam alienam majori periculo, prout S. *Chrysostomus* Hom. 3. ad pop. Antioch. his verbis observat: *Hoc vero ridiculum magis est, quod, cum aliquid arcanum* (detractorium) *dixerint, rogant audientem & adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat, hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto sermonem habebas. Postquam illum prodidisti, tunc salutem illius curas. Si non vis efferri, nec alteri dicas. Postquam vero alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis & inutilia admonens & obtestans pro dictorum custodia*.

Quæritur 20. An peccet mortaliter, qui auditas graves detractiones refert aliis?

Respondeo. Distinguendum esse inter varios casus. Nam 1. si narret rem jam notoriam inter plures, ita ut credat, eam ob varia hominum dictamina proxime fore manifestam in magna parte communitatis, narrando certa ut certa, dubia ut dubia, non peccat, præsertim concurrente motivo procurandi bonum commune vel privatum necessarium, v. g. avertendi furta, scandala, seductiones a sua communitate, & præbendi per auctionem famæ publicæ occasionem ad inquisitionem publicam, nec peccat mortaliter nec venialiter.

Ratio est, quia ejusmodi objectum in æstimatione morali jam censeri potest notorium, utpote jam constitutum in actu primo proximo notorietatis, quæ fere semper solet consequi ad ejusmodi actum primum proximum. 2. Si narret rem certam solum auditam ab uno vel altero, ac necdum pluribus notoriam, ita ut dubitet, an sit divulganda in vulgus, eodem modo peccat, ac si ipse primus referret, nisi concurrant circumstantiæ excusantes a detractione, superius relatæ q. 9. 18. & 20. 3. Si narret rem ab aliis auditam, adhuc inter paucos occultam, eam referendo ut certam, vel ut probabilius veram, vel saltem ut stricte dubiam, cum tamen sit præcise late dubia ac probabilius falsa, talis referens peccat mortaliter.

Ratio est, quia in re gravi notabiliter lædit famam proximi, adjiciendo gradum certitudinis vel probabilitatis in re valde dubia ac probabilius falsa. 4. Si narret rem ab aliis auditam, adhuc occultam, & probabilius falsam, peccat mortaliter, etiamsi eam solum narret ut late dubiam cum addito, prout audivi ab hac vel illa persona.

Ratio est, quia narrando rem ut late dubiam, certus esse potest, rem ituram proxime in vulgus tanquam stricte dubiam, aut tanquam probabiliorem, vel omnino certam. Certum enim est, famam *crescere eundo*, prout experientia monstrat, & *Tertullianus* in *Apologetico* C. 7. his verbis declarat: *Cur fama malum? Quia velox, quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate*. Huic rationi accedit, quod sæpe fama sic causata præbeat Judicibus ansam Inquisitionis, etiamsi ignorentur primi authores, qua inquisitione facta, etiamsi inquisiti ab-

ſolvantur, nihilominus iis inhæret quædam macula perpetua, quod ipſum l. c. *Tertullianus* ait, dum addit: *Fama, quod ab uno aliquando principe exorta ſit, neceſſe eſt. Exinde in traduces linguarum & aurium ſerpat, & ita modici ſeminis vitium cætera rumoris obſcurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium ſeminaverit; quod ſæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio ſuſpicionis, aut non nova, ſed ingenita quibuſdam mentiendi voluptate.* Ex his omnibus ſequitur, graviter peccare eos, qui delicta probabilius falſa, etiamſi ea ſolum ut audita & tanquam valde dubia narrent, mediate vel immediate in vulgus ſpargunt. Nec excuſantur a peccato gravi per hoc, quod concurrant circumſtantiæ alioquin excuſantes a manifeſtatione peccati occulti; quia in hoc caſu non præciſe manifeſtant delictum occultum certo commiſſum, ſed augent gradum probabilitatis ac credibilitatis circa delictum probabilius falſum, utpote proximi authores famæ. 5. Idem dicendum, ſi quis rem ſtricte dubiam necdum pluribus notoriam ab aliis auditam in plures divulget, etiamſi dicat, rem eſſe dubiam.

Ratio eſt eadem ac in priori reſponſione, quia certum eſt, a fama rei dubiæ addendum fore gradum probabilitatis aut credibilitatis, quod incrementum graviter præjudicat famæ alienæ. Hinc plebi vehementer inculcandum eſt, ne diſſeminent res incertas, necdum notorias, ſed eas, ſi bono communi aut privato præjudicent, denuntient Judici, vel alteri Superiori immediato, ut inquiri, &, ubi opus fuerit, emendari valeant. Secus ſi fecerint, tanquam detractores a Confeſſario tractandi ſunt.

Quæritur 21. An peccet mortaliter, qui gravem injuriam ſibi illatam alteri narrat animo nocendi vel ulciſcendi?

Reſpondeo. Si injuria illata non ſit occulta, aut ſi occulta fuerit, ejus propalatio juxta æſtimationem moralem hominum non pariet gravem infamiam injurianti, non peccat mortaliter ſic propalans illatam ſibi injuriam peccato detractionis; peccat tamen peccato inimicitiæ ac ultionis. Quod ſi injuria fuerit occulta, ne ſic quidem propalando injuriam peccat peccato detractionis, ſi ea propalatio non inferat injurianti infamiam; aut certe, ſi infamia injuriantis non fuerit gravis, peccatum detractionis erit ſolum veniale, imo concurrente motivo ſic leniendi vel moderate extergendi acceptam injuriam, erit omnino nullum in genere detractionis.

Quæritur 22. An peccent graviter infamantes ſeipſos poſitive vel permiſſive?

Reſpondeo. Per ſe loquendo, ſi id faciant *permiſſive* absque ſpeciali inſtinctu divino, eoque certo, ex intentione procurandi majus augmentum gloriæ divinæ, peccant mortaliter. Si autem id faciant poſitive, ſemper peccant mortaliter.

Id *probatur* 1. ex Scriptura Eccleſ. 41. ubi dicitur: *Curam habe de bono nomine: id enim tibi magis permanebit, quam mille theſauri & magni.* Sicut ergo nemo jactare aut permittere poteſt malitioſis hominibus, ſed tenetur eos tanquam talentum a Deo concreditum applicare ad gloriam Dei, ita etiam de bono nomine tanquam talento divino diſcurrendum eſt.

Idem *probatur* 2. authoritate & rationibus S. *Auguſtini*, qui l. de bono viduitatis C. 22. ſic ſcribit: *Nec audiendi ſunt ſive viri ſancti, ſive fœminæ, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit, ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longe abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita Sanctorum, ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi bene facit: Quiſquis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra: & utique etiam, quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalu-*

 tem,

tem, ad nostram quoque redundat utilitatem: Unde non frustra Apostolus, Providemus (inquit) bona non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus. Item dicit: Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi utile est, sed quod multorum, ut salvi fiant. In quadam etiam exhortatione dicit: De cætero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque justa, quæcunque casta, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Cernis quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere: Quæcunque bonæ famæ; duobusque verbis cuncta concluserit, ubi ait: Si qua virtus, si qua laus. Ad virtutem namque pertinent, quæ antea memoravit, bona: fama vero ad laudem. Puto, quod non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus, alio loco dicens: Mihi autem minimum est ut a vobis dijudicer aut ab humano ore. Et alibi: Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Et iterum: Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sed illorum duorum, id est bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis & laudis, unum propter seipsum sapientissime retinebat; alterum propter alios misericordissime providebat. Sed quoniam quantalibet humana cautela suspiciones malevolentissimas non potest omni ex parte vitare, ubi pro existimatione nostra, quidquid recte possumus, fecerimus, si aliqui de nobis vel mala fingendo, vel male credendo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planeque etiam gaudium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen justeque viventibus. Illa enim merces tanquam stipendium est militantium per arma justitiæ, non solum dextera, verum & sinistra, per gloriam scilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.

Et Sermone 355. alias *de Diversis*, 49. qui primus est *de Vita & Moribus Clericorum suorum*, Cap. 1. *Propter nos*, inquit, *conscientia nostra sufficit nobis: Propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete, quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est: Maxime in loco isto positus, de quo dicit Apostolus scribens ad discipulum suum, circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum.*

Quæritur 23. An peccent graviter, qui famosis libellis aliorum delicta, præsertim Parochorum, Concionatorum, Episcoporum, aut Principum injuste traducunt?

Respondeo 1. Hoc genus detractionis esse gravissimum peccatum.

Probatur 1. *ex ex natura rei*, quia per libellos famosos fit, ut aliorum crimina, quæ paucis nota & excusabilia erant non solum in publicam omnium notitiam veniant, sed etiam perpetuo duret infamia.

Probatur 2. ex gravissimis pœnis, quas Ecclesia authoribus ejusmodi libellorum famosorum infligit. Nam in Decreto Gratiani *causa* 5. q. 1. C. *Si qui*, ex *Concilio Illiberitano* dicitur: *Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur*. Et l. c. C. *qui in alterius*, *Hadrianus* I. scribit: *Qui in alterius famam publice scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur; & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult authoris facti causam incurrere*. Ibidem C. *quidam*, S. *Gregorius* M. l. 5. Epist. 30. de quodam, qui in Urbe libellum famosum contra *Castorium* Notarium Apostolicum affixerat, loquens ait: *Quia, quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet, ut publice exeat, & quæcunque in sua constitutione* (libello famoso) *loqui præsumpsit ostendat. Quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit, qui hoc agere præsumpsit, vel qui consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & D. N. J. Christi spiritu definimus, ut sancti ejus corporis & Sanguinis participatione privatus sit; si vero, quia latet, etiam pro-*

prohibitus corpus ac sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis ultione percussus sit, & ut fallax ac pestifer ab Ecclesiæ corpore divisus. Si quis autem fortassis talis est, ad quem nos, authorem & participem facti nescientes, bona optantes Epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua. Verum quidem est, quod *Hadrianus* I. & *Gregorius* M. in adductis textibus eos solum præfatis pœnis afficiant, qui afferta sua non probaverint, & quod Concilium Illiberitanum solum eos puniat, qui in ipsa Ecclesia famosos libellos deposuerint, eoipso tamen, quod peccata occulta convincenter publice probari vix unquam possint, & sola circumstantia loci sacri non meretur in re alioquin solum venialiter peccaminosa excommunicationem, signum est, omnes libellos famosos injuste scriptos habitos fuisse pro gravissimo delicto.

Probatur 3. ex severissimis legibus Regum ac Imperatorum latis in authores & cooperatores talium libellorum famosorum; quæ leges citantur a *P. Natali* l. c. *Reg.* 22.

Respondeo. 2. Hoc genus detractionis omnium gravissimum est, si fiat erga Parochos, Concionatores, Episcopos, vel alios de Ecclesia bene meritos, aut erga Principes pro eradicandis abusibus sollicitos. Id *P. Natalis* l. c. probat ex variis textibus Patrum & Conciliorum.

Nam 1. in Can. *Deteriores causa 6.* q. 1. dicitur: Deteriores sunt, qui Doctorum vitam moresque corrumpunt, „ his, qui substantias aliorum prædiaque diripiunt, ipsi enim ea, quæ extra nos, licet nostra sint, auferunt: „ Nostri autem detractores & morum „ corruptores nostrorum, sive qui adversus nos armantur, proprie nos ipsos diripiunt: & ideo juste infames „ sunt, & merito ab Ecclesia extorres „ fiunt.

2. *S. Gregorius* Epist. 32. Libri 12. sic scribit: „ A nullis vita Præsulum „ perturbari debet excessibus; Quia valde indignum est, ut hi, qui throni „ Dei vocantur, aliqua motione a Regibus vel subditis turbentur. Quoniam si David Regum justissimus in „ Saul, quem constabat jam a Domino „ reprobatum esse, manum mittere non „ præsumpsit: Quanto magis cavendum „ est, ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis, aut „ dehonorationis quidam mittant in Unctum Domini, vel in Prædicatores „ Ecclesiæ sanctæ? Quia eorum vexatio „ sive detractio ad Christum pertinet, „ cujus vice in Ecclesia legatione funguntur. Unde summopere cavendum „ est omnibus Fidelibus, ne clanculum „ aut publice Episcopum suum, id est, „ unctum Domini, detractionibus aut „ vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ: Quia pro „ eo, quod Moysi famulo Dei propter „ Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ mulctata sit. Et illud Psalmistæ: „ *Nolite tangere Christos meos, & in* „ *Prophetis meis nolite malignari*. Et „ in lege divina legitur: *Diis non detrahes, & Populi tui Principi non* „ *maledices*. Unde valde prævidendum „ subditis tam Clericis quam Laicis, „ ne Episcoporum aut Præpositorum suorum vitam temere reprehendere audeant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala „ redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Lege „ & libri Pastoralis P. 3. Admonitionem Sextam. "

3. *Idem* confirmatur ex *Nicolai* I. Epistola ad *Michaelem* Græcorum Imperatorem: „ Si Cham videns Patris verenda, quia risit potius, „ quam (ut cæteri) cooperuit, maledictionem in filio percepisse legitur: Quando potius hi qui verecundiam Patris, non solum, si quælibet „ fuit, minime cooperuerunt, sed & „ riserunt, & falso ad subsannationem „ sui moris homines provocaverunt, atque, quod est deterius, patenter contra ipsum de pharetra iniquitatis suæ „ sagittam judicii produxerunt? Non sic „ econtra filii sobrii, non sic, sed aversi operuerunt. Quod moraliter egregius Doctor Papa Gregorius interpre- „ tatus

„ tatur ait: Averſari dicimur, quod re- „ probamus. Quid eſt ergo, quod filii „ verecunda Patris ſuperjecto dorſis pal- „ lio, averſi venientes operiunt; niſi „ quod bonis ſubditis ſic Præpoſitorum „ ſuorum mala diſplicent, ut tamen „ hæc ab aliis occultent? Operimen- „ tum averſi deferunt, quia dijudican- „ tes factum, & venerantes magiſte- „ rium, nolunt videre, quod tegunt. „ Sed hæc dicentes; nolite æſtimare nos „ cujuſcunque proximorum noſtrorum, „ quæ ſunt digna reprehenſione, velle „ defendere: ſed quod ita velim filios, „ circa Spiritualem Patrem, & diſcipu- „ los erga Magiſtrum devotos ac ſobrios „ eſſe, ut nulla penitus temeritate ad „ eorum vitam, ut non dicam, diju- „ dicandam, ſed ne ſaltem tenuiter re- „ prehendendam, proſiliant. " Idque rurſus confirmat ex *S. Gregorio*, Parte 3. *Paſtoralis*, Cap. 5. dicente: „ Fa- „ cta Præpoſitorum oris gladio ferienda „ non ſunt, etiam cum recte reprehen- „ denda judicantur. Si quando vero con „ tra eos vel in minimis lingua labi- „ tur, neceſſe eſt, ut per afflictionem „ pœnitentiæ cor prematur, quatenus „ ad ſemetipſam redeat; & cum præ- „ poſitæ Poteſtati deliquerit, ejus con- „ tra ſe judicium, a quo ſibi prælata „ eſt, perhorreſcat. Nam, cum in Præ- „ poſitos delinquimus, ejus ordinationi, „ qui eos nobis prætulit, obviamus. „ Unde Moyſes, cum contra ſe & A- „ aron conqueri Populum cognoviſſet, „ ait: *Nos enim quid ſumus? Nec con-* „ *tra nos eſt murmur veſtrum, ſed con-* „ *tra Dominum*.

4. Clericorum maledicentiam, præ- ſertim in Sacerdotes, coercuit *Concilium Carthaginenſe* quartum, Can. 57. *Cleri- cus maledicus*, (inquit) (*maxime in Sacerdotibus*) *cogatur ad poſtulandam ve- niam: Si noluerit, degradetur, nec un- quam ad Officium abſque ſatisfactione revocetur*.

5. Eos, qui defunctorum Epiſcopo- rum famæ detrahunt, pœnis mulctan- dos graviſſimis decrevit *Concilium Eme- ritenſe* anno *666*. Can. 17. „ Decerni- „ mus (*inquit*) ut nullus ſubjectus de- „ cedentem detrahat Epiſcopum, nullus „ de eo deroget, nec malum quidquam „ loquatur. Si quis talia deinceps facere „ præſumpſerit, ſi Presbyter fuerit, „ tribus menſibus ab Epiſcopo ſuo ſub „ Pœnitentia relegatus maneat: Si Dia- „ conus, quinque; ſi Subdiaconus, aut „ Clericus, vel quilibet Religioſus de „ majori gradu (quia conſtat ex his „ jam aliquos per bonam actionem eſſe „ venerandos) novem. Si minimi fue- „ rint, qui levi corde ſint, minimæque „ adhuc perſonæ, quinquagenis flagellis „ juſſione feriantur Epiſcopi. Quodſi „ Laicus, quamvis ingenuus, in domo „ Eccleſiæ tamen nutritus, & ab Ec- „ cleſiæ rebus dignitatis gratia prædi- „ tus, juxta quod dignitas ejus exege- „ rit, pro tali exceſſu Excommunica- „ tionis ſententia feriendus erit. Si ve- „ ro de familia Eccleſiæ fuerit quiſque, „ ſi major fuerit, qui dignitate polle- „ at, ſex menſibus Epiſcopo ſuo ex- „ communicatus manebit: Inferior ta- „ men aut minima perſona diſciplinam „ mereatur, juxta quod Epiſcopi ſui „ proceſſerit ſententia.

6. Eos, qui Principibus obloquuntur, Excommunicatione plectendos *Synodus Toletana* quinta decrevit, Can. 5. „ Sed „ & hoc (*inquit*) pro peſtilentioſis „ hominum moribus ſalubri deliberatio- „ ne cenſemus; ne quis in Principem „ maledicta congerat. Scriptum eſt enim „ a legislatore: *Principi Populi tui ne* „ *maledixeris*. Quod ſi quis fecerit, Ex- „ communicatione Eccleſiaſtica plecta- „ tur. Nam ſi *Maledici regnum Dei* „ *non poſſidebunt*, quanto magis talis ab „ Eccleſia neceſſario pellitur, qui divi- „ næ violator ſententiæ invenitur.

7. Pœnas omnes tam temporales quam Eccleſiaſticas per ſacras leges & Cano- nicas Sanctiones latas & promulgatas in eos, qui famoſos libellos, aut literas ali- cujus famæ & honori detrahentes, vera etiam exprimendo, ſcripſerint, dicta- verint, retinuerint, tranſmiſerint, & non laceraverint ignique tradiderint, innovavit & confirmavit Beatiſſimus Pon-

tifex *Pius* V. Constitutione 148. quæ incipit, *Romani Pontificis providentia*.

8. Nec vero minus crimen esse putandum est, cum ab iis, quorum famam impetunt, petulantes libelli, versus, aut cantilenæ contemnuntur; ut fit plerumque a Viris Principibus, illustribus & magnanimis. Cujus moderationis exemplum præbuit *Justinianus* Imperator, L. *Si quis*, Tit. *Si quis Imperatori maledixerit*, Lib. 9. Codicis, cujus hæc sunt verba: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto Nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum volumus sustinere: Quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est: Si ex insania, miseratione dignissimum: Si ab injuria, remittendum.* Quod tamen semper non expedit, ne impunitate crescat petulantium & maledicorum hominum improbitas & impudentia.

Quæritur 24. An & quomodo peccetur, libenter audiendo, vel non corripiendo detrahentes?

Respondeo. Distinguendos esse varios casus. Nam 1. potest contingere, quod audienti *non constet*, ea, quæ dicuntur, esse detractionem, v. g. si credat, ea, quæ sibi narrantur, esse vera & jam satis notoria; aut, etiamsi sint occulta, ea dici ex motivo legitimo excusante a vitio detractionis, puta, ut homo pestifer vitetur, ut homini malitioso sua authoritate damnificanti bonum publicum vel privatum non fidatur vel credatur, aut ea narrari, ut capiatur melior informatio, sicque sternatur via ad inquisitionem vel denuntiationem delinquentis &c. In ejusmodi ergo casu, quo non constat audienti de malitia detractionis, non tenetur corrigere loquentem, sed potest tuta conscientia audire narrata, præsertim si loquentes sint personæ prudentes & timoratæ conscientiæ.

Ratio est, quia, ubi non reperitur detractio, ibi non est locus obligationi impediendi detractionem. Et ubi non constat de detractione, proximus non est temere judicandus, quod ea, quæ narrat, narret *sine motivis excusantibus* a detractione. 2. Si audiens ex subjecta materia & ex circumstantiis credat, ea, quæ dicuntur, esse veram detractionem, sed existimet, se ob malitiam, obcœcationem, aut præjudicia hic & nunc irrefutabilia *nil profuturum*, satisfacit, non monstrando complacentiam, sed displicentiam de tali detractione per vultum gravem, ac tristem. Ita D. *Thomas* 2. 2. q. 73. a. 4. ad 2. ubi sic scribit: *Non semper debet quis resistere detractori arguendo eum de falsitate, & maxime si sciat verum esse, quod dicitur; sed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei, quia ut dicitur Prov. 15. Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* 3. Si audienti constet, rem narratam esse falsam, aut eam esse probabilius falsam; aut si vera vel stricte dubia sit, constet tamen, non reperiri ex parte detractoris ullum verosimile motivum excusans a peccato detractionis, tenetur sub peccato mortali impedire detractionem, quando id convenienter fieri potest sine suo periculo incurrendi detrimentum. Id

Probatur 1. Ex Apostolo ad Rom. 2. ubi dicitur: *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Probatur 2. Ratione & authoritate D. *Thomæ*, qui 2. 2. q. 73. a. 4. C. scribit: *Consentire contingit dupliciter; uno modo directe, quando scilicet quis inducit alium ad peccandum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirecte, scilicet quando non resistit, cum resistere possit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, sed propter aliquem humanum timorem. Dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractioni consentire. Unde fit particeps peccati ejus.* 4. Si audienti constet de malitia detractionis,

eam tamen non impedit ex timore, verecundia, vel negligentia seu incuria ac inadvertentia ad obligationem gravem impediendi, peccat plerumque solum venialiter. 5. Aliquando autem in hoc ipso casu peccat etiam mortaliter, videlicet in triplici casu. Primo, quando teneretur ex officio corrigere detrahentem. Secundo, quando ex neglectu correctionis redundat in quempiam grave damnum vel præjudicium. Tertio quando timor, a quo procedit neglectus correctionis, est tam magnus & radicatus, ut homo habitualiter ita constitutus seu paratus sit, ut vellet ex timoris habitu ponere graves transgressiones legum. Ita quoad has duas posteriores responsiones docet S. Thomas l. c. ubi sic scribit: *Si* (audienti) *non placeat detractionis peccatum, sed ex timore, vel ex negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse mortale vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit, detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum, quod audiens novit consequens; vel propter radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale.* Hunc timorem sic explicat D. Thomas 2. 2. q. 19. a. 3. & q. 125. a. 3. Cæterum, si audienti constat de malitia detractionis, Patres videntur audientem longe rarius excusare a peccato mortali, quam D. Thomas. Indiscriminatim enim damnant sic audientem sine resistentia. Hinc mens D. Thomæ videtur potius explicanda pro illo casu, quo audiens ex vano timore, inadvertentia, aut verecundia inani non audet loquentem judicare de gravi peccato, sed potius quamvis ignorantia vincibili judicare, eum habiturum motiva excusantia a gravi peccato detractionis. Textus Patrum a *P. Natali* l. c. Reg. 24. enumerantur sequentes: 1. *S. Bernardus* l. 2. de Consid. C. 13. ait: *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* 2. *S. Hieronymus* Epist. 11. sic *Nepotianum* suum alloquitur: *Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Sedens*, inquit, *adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum: Hæc fecisti, & tacui: Existimasti inique, quod ero tui similis: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Parce a detractione linguæ. Custodi sermones tuos: & scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conscientia judicaris; & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa justa est excusatio: Referentibus aliis injuriam facere non possum. Nemo invite audita libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum te videt, non libenter audire, non facile detrahere. Cum detractoribus*, ait Salomon, *ne misceearis: Quoniam repente veniet perditio eorum. Et ruinam utriusque quis novit? tam videlicet ejus qui detrahit, quam illius, qui accommodat aurem detrahenti.*

3. *Idem*, sive *S. Paulinus* in Epist. ad *Celantiam*, De Institutione Matrisfamilias: *Non modo* (inquit) *ipsa non detrahas, sed ne alii quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. Noli*, inquit *Scriptura, consentaneus esse cum derogantibus adversus proximum tuum, & non accipies super illum peccatum.* Et alibi: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Unde & B. David diversas innocentiæ species justitiæque dinumerans, de hac quoque virtute non tacuit, dicendo. Et opprobrium non accepit adversus proximos suos: Propterea quod ipse non solum aversatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim: Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Est sane hoc vitium quod vel inprimis extingui debeat, & ab eis, qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod tam mobilem mentem & levem faciat, quam facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones,*

ſiones, hinc odia injuſta naſcuntur. Hoc eſt, quod ſæpe de amiciſſimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem ſed credulas animas maliloqua lingua diſſociat. At contra, magna quies animi, magnaque eſt morum gravitas, non temere de quoquam ſiniſtri quid audire. Beatuſque eſt, qui ita ſe contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Quod ſi hæc in nobis eſſet diligentia, ne paſſim obtrectatoribus crederemus; jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam ſe ipſos, viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre eſt, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.

4. Hinc *Paulinus* alter, Forojulienſis Epiſcopus lib. *De Salutaribus Documentis* ſub S. Auguſtini nomine olim edito, Cap. 16. *Detrahentis* (inquit) *& audientis utriſque eſca mortis eſt animæ detractio. Et ut brevius concludam, Detractor & libens auditor Diabolum portat in lingua.* Et *S. Gregorius* Hom. 9. in Ezech. *Linguas detrahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant, ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum creſcat; aliquando autem etiam compeſcere, ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum, qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant.*

Quæritur 25. An liceat repellere detractionem alia detractione, & calumniam alia calumnia?

Reſpondeo Negative.

Ratio eſt, quia non licet facere malum, ſeu peccatum, ut veniat bonum. Hinc ab *Innocentio* XI. damnatæ fuerunt duæ ſequentes propoſitiones. 1. *Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* 2. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat. Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* His tamen non obſtantibus licet propalare crimen occultum detractoris, ſi ea propalatio ſerviat ad ſui defenſionem, ut calumniatoris deprimatur authoritas, ſicque detrahatur fides calumniæ. Si autem ea propolatio non ſervit ad ſui defenſionem, ſed tantum proficiſcatur ex motivo vindictæ, ne ſic quidem erit licita, quia juxta ſuperius dicta q. 9. & 18. propalatio occulti criminis non amittit naturam detractionis, nec excuſat, niſi ex motivo alicujus neceſſarii boni, videlicet ex motivo tuendi boni communis vel privati, in quantum fama aliena impedit tale bonum, ita ut ea efficaciter influat in nocumentum commune vel privatum, alioquin non ſecuturum.

Quæritur 26. An & quomodo detractor ſeu calumniator teneatur ad reſtitutionem famæ ablatæ?

Reſpondeo. Iterum diſtinguendum eſſe, an detractio conſiſtat in imputatione criminis aut vitii falſi, an vero in propalatione criminis ſeu defectus veri? *In caſu*, quo detrahens narrat de proximo *crimen ſeu vitium falſum*, datur jure naturali obligatio reſtituendi famam & retractandi narrata, ſive illud vitium fuerit grave, ſive leve; ſive a detractore fuerit habitum pro vero ſive pro falſo, ſive detractio contigerit cum culpa theologica gravi vel levi, aut omnino ſine ulla theologica culpa. *In caſu* autem, quo detrahens narravit crimen verum v. g. de principe, parocho, concionatore, magiſtratu, viro honorato, &c. inſpiciendum eſt, an fama ejuſmodi hominum ſit nociva aut periculoſa bono communi vel privato, & num diminutio honoris ſit allatura plus damni quam emolumenti pro gloria Dei, ſalute animarum, bono communi, &c. Si fama ſit nociva aut periculoſa bono communi vel privato, neque ex ejus diminutione ſequatur plus damni pro bono communi, non datur obligatio reſtituendi; quia in tali caſu res devolvitur ad circumſtantiam, in qua juxta ſuperius dicta in q. 9. 18. 24. diminutio alienæ famæ per manifeſtationem criminis veri ceſſat eſſe formalis ſeu injuſta detractio. At vero, ſi fama alterius non ſit nociva bono communi vel privato, aut ſi nociva quidem aliquantulum fuerit bono privato, ita tamen

ut

ut ex diminutione talis famæ notabile detrimentum patiatur gloria divina vel bonum commune, datur obligatio famam compensandi modo meliori, quo potest fieri.

Hæc responsio *probatur* 1. a pari, quia datur obligatio restituendi bona fortunæ injuste ablata; prout docet S. Augustinus Epist. 153. Ergo datur consimilis obligatio circa bona famæ. Verba S. Augustini l. c. sunt ista: *Si res aliena, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest.*

Probatur 2. ratione & authoritate *D. Thomæ*, *Gersonis*, *&* *Catechismi Romani*. *D. Thomas* 2. 2. q. 62. a. 2. sic scribit: „ Restitutio est actus justitiæ „ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideo restituere importat redditionem illius rei, quæ injuste ablata est. Cum ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis; consequens est, restituere id, quod injuste ablatum est, esse de necessitate salutis. *Et in responsione ad* 2. „ Aliquis (*inquit*) potest alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo, & juste, puta, cum aliquis crimen alterius prodit ordine debito servato, & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injuste, & tunc tenetur restituere famam, confitendo, se falsum dixisse. Tertio modo, verum dicendo, sed injuste, puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen: utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit. Vel si non possit famam restituere, debet ei aliter compensare. Et in *Responsione ad* 1. Quando id, quod ablatum est, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: Puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri.

Gersonius in Responsione ad Quæstiones quatuor Quæst. 1. sic habet: „ Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali, & furto, quam hujusmodi homicidio & furto spirituali; scilicet detractione: Quia in illis quantitas damni æstimari potest; & sic correspondens emenda subsequi: In istis autem nequit; cum non satis constare possit in quot hominum cordibus mediate & immediate detrahens bonam opinionem & famam ejus, cui detraxit, occiderit, atque furtive bonum famæ (quod inter omnia alia corporalia & hujus vitæ bona multum est pretiosum) subtraxerit: Unde & difficulter satisfacere ipse læso potest. Cum tamen, juxta Beatum Augustinum, Peccatum non dimittatur, nisi ablatum restituatur. Quomodo autem restituet, cum ignoret, quantum debet?

Denique *Concilii Tridentini Catechismus*, P. 3. cap. 9. §. 19. idem docet: „ Cum (*inquit*) peccatum, quod inferendo falso crimine, aut proximi famæ aut existimationi obtrectando, commissum sit, non remittatur, nisi calumniator ei, quem criminatus fuerit, satisfaciat injuriarum: id autem difficile fiat ab hominibus, primo, ut ante monuimus, pudore, & inani quadam dignitatis opinione deterritis: Qui in eo peccato sit, hunc addictum esse æternis inferorum pœnis, dubitare non possumus. Neque enim quisquam speret, se calumniarum, vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciat, de cujus dignitate, & fama, aut publice in judicio, aut etiam in privatis & familiaribus congressibus, aliquid detraxerit.

Quæritur 27. An is, qui de alio malitiose falsum crimen sparsit, aut falsum testimonium tulit, teneatur restituere cum jactura propriæ famæ, fortunæ, aut vitæ? Et quid circa crimen verum?

Re-

Respondeo, Esse distinguendum. Si damnum alteri per detractionem aut falsum testimonium illatum æquivaleat tantæ parti bonorum, ut propter illam liceat occidere injustum aggressorem, datur obligatio restituendi etiam cum jactura propriæ famæ, fortunæ, aut vitæ.

Ratio est, quia sicut læsus ob ejusmodi partem bonorum licite occidit injustum aggressorem, ita tamdiu potest esse rationabiliter invitus contra neglectum restitutionis, donec alter actu restituat, quamvis id fieri nequeat sine amissione propriæ famæ, fortunæ, aut vitæ. 2. Si autem damnum, quod læso per detractionem infertur, non sit tanti momenti, ut propterea liceret injustum aggressorem occidere, aut spoliare bonis omnibus, non datur obligatio restituendi cum amissione bonorum fortunæ aut vitæ.

Ratio est, quia læsus non potest esse rationabiliter invitus ad omissionem restitutionis stante tali jactura. 3. Si agatur de sola amissione famæ, detractor tenetur cum amissione propriæ famæ ad restitutionem alienæ famæ per imputationem falsi criminis ablatæ.

Ratio est, quia melior est conditio innocentis, qui potest esse rationabiliter invitus ad omissionem restitutionis in hoc casu. 4. Si crimen imputatum sit verum, non datur obligatio restituendi cum jactura famæ propriæ. Ita docet communis, & colligitur ex superius adducto textu D. Thomæ, Gersonis, & Catechismi Romani. Idem sentit *P. Natalis* l. c. Reg. 28. ubi sic scribit: „ „ Theologi censent; Calumniatorem „ seu detractorem, qui falsum crimen „ alteri imposuit, apud omnes, qui ca- „ lumniam seu detractionem audive- „ runt, eique crediderunt; seu ad quos „ falsus & improbus de proximo rumor „ eo pervenit auctore, palinodiam re- „ cantare debere, asserere, se fuisse „ mentitum vel deceptum; adhibitis, si „ necesse fuerit, testibus, præstito etiam „ juramento id confirmare; æquale fa- „ mæ propriæ detrimentum pati, si re- „ sarciri aliter non possit aliena, quia „ in pari periculo potior est conditio „ innocentis quam nocentis; Eum, „ qui crimen occultum alterius contra „ juris ordinem evulgavit, errorem pa- „ riter suum atque injustitiam fateri de- „ bere coram omnibus, apud quos pro- „ ximi famam pessumdedit aut extenua- „ vit: Si crimen nihilominus verum „ esse credatur, quia detractor non con- „ testatur, se falsum dixisse, teneri ad „ famam resarciendam exhibitione ho- „ noris, commendatione virtutum, fa- „ miliaritate quadam cum eo, cujus fa- „ mæ derogavit: Theologi pari con- „ sensu docent. Si sit impossibilis re- „ stitutio famæ alienæ, quam aliquis „ injuste violavit, aut fieri non possit „ sine jactura famæ propriæ longe præ- „ stantioris; v. g. si calumniator aut „ detractor sit persona valde celebris, „ & Ecclesiæ vel Reipublicæ necessaria: „ quæ autem læsa fuit, sit valde obscu- „ ra, minimeque necessaria: Tunc lo- „ cum esse, ajunt, compensationi, sa- „ tisque fore, si persona læsa laudetur „ in eo genere, in quo ejus famæ de- „ rogatum est, aut ejus infamia pecu- „ nia vel beneficiis compensetur; aut „ remissio restitutionis ab ea muneribus „ & gratiis impetretur.

Quæritur 28. Quales reperiantur modi restituendi famam indirecte, si directe restitui non possit sine jactura famæ proprie aut vitæ?

Respondeo. Si detractor est occultus & dives, poterit summa pecuniaria sufficiente conducere defensores infamati v. g. Advocatos, vel Emissarios, vel Scriptores, quorum opera innocentia infamati judicialiter declaretur, & de hac fama spargatur. Si autem detractor sciatur esse author infamationis, tenetur directe revocare, v. g. de hoc peccato agendo pœnitentiam publicam sponte coram tota parochia in Ecclesia tempore pœnitentiæ solennis aut festi primarii, faciendo hanc suam revocationem denuntiari ex cathedra ac postulando veniam, quo bono pœnitentiæ exemplo diminuet notam calumniatoris. Hujusmodi restitutionis exemplum illustre dedit *Megalius* Calamensis Episcopus Numidiæ

midiæ Primas, qui S. Augustinum ordinare noluerat in Coadjutorem *Valerii* Hipponensis Episcopi, effutiens & scribens, ab ipso *Augustino* amatoria maleficia data esse mulieri, marito non solum conscio sed & favente. Hujus enim detractionis pœnitens Megalius a Concilio Numidiæ veniam petiit & obtinuit, ut S. *Augustinus* refert l. 3. *contra litteras Petiliani* C. 16. & l. 3. *Contra Cresconium* C. 80. Si autem re vera per revocationem incurreretur periculum vitæ, hoc periculum evitari posset per fugam relinquendo vel mittendo litteras aut testes revocationis. Aliud medium suggerit P. *Natalis* l. c. Reg. 29. His verbis: „ Convenit inter Theologos, „ bona inferioris ordinis ab illo, qui „ injuste abstulit, vel retinet, non esse „ restituenda cum jactura bonorum su„ perioris ordinis. At exceptionem ad„ dunt. Si enim homicidium, aut aliud „ crimen capitale quis imposuerit alte„ ri, propter quod ille comprehensus & „ in carcerem conjectus, mox torquen„ dus est, & capitali supplicio plecten„ dus, contestari debet apud Judicem, „ se falso accusasse, aut falsum testi„ monium dixisse, & se periculo vitæ „ exponere, si liberari aliter non possit „ ille, quem calumnia sua, vel falso „ testimonio in extremum illud vitæ „ periculum conjecit. Alioquin Author „ esset necis innocenti inferendæ. Sed „ tamen aliæ viæ tentandæ sunt, quas „ Prudentia Christiana Confessario sug„ geret, antequam calumniatorem ad „ crimen suum prodendum, & ad fa„ mam alterius cum vitæ periculo re„ stituendam obliget & compellat. Adire „ potest Judicem, apud ipsum contesta„ ri, certo se scire, se ea via quam „ Lex naturalis & divina arcanam esse „ ac semper manere jubeant, hunc ho„ minem NB. talis criminis falso accu„ satum, & calumnia oppressum, in„ nocentem esse: ipsum proinde obse„ crare in Dei nomine, cujus Minister „ est, ut modis omnibus ipsum liberare „ conetur, caveatque ne damnetur in„ nocens, cujus Sanguinem de manu „ illius Deus requireret. Si tantæ non „ sit auctoritatis Confessarius„ ut speret „ Judicem contestationis atque obsecra„ tionis suæ rationem habiturum, Pœ„ nitentem calumniatorem mittat ad „ Episcopum, cui ut Patri & Pastori „ conscientiæ suæ arcanum, & extremas „ angustias aperiat. Episcopus vero suam „ apud Judicem auctoritatem & com„ mendationem interponet, ne damnet „ hominem, quem certo scit reum non „ esse, quamvis ejus innocentiam juri„ dicis & forensibus mediis probare non „ possit, quia id fieri non potest salva „ & inviolata religione arcani, quod „ Deus revelari vetat. Persuadeat inte„ rim calumniatori Pœnitenti, ut, quid„ quid ex parte sua conferre potest ad „ liberationem innocentis, illud confe„ rat. Idem esto judicium de illo, qui „ calumniis suis fax belli, aut seditionis „ incentor extitit, ex quibus multorum „ cædes probabiliter timentur: Debet „ (inquam) ille calumniator significare „ seu fateri Principi, qui bellum movet „ hujusmodi calumniis excitatus, vel se„ ditiosis aut conjuratis, se falsum di„ xisse, totisque studiis & viribus eniti „ ad abolendam infamiam aut rumores dis„ sipandos, qui bello vel seditioni occa„ sionem dederunt; & vitæ periculum „ etiam subire, si publicum malum, „ cujus ille causa est, aliter avertere „ non possit.

Quæritur 29. Ad quid obligatur, qui committendo homicidium vel aliud grave crimen prævidet, alium loco sui habendum authorem criminis, eumque extremo supplicio afficiendum?

Respondeo. Ad hunc casum P. *Natalis* sic respondet. „ Quid facto opus, si „ author criminis, cujus loco in suspi„ cionem venit innocens mox torquen„ dus, & morti addicendus, hoc ipsi „ crimen non affinxerit, sed usus sit „ occasione data, ut crimen præcogita„ tum patraret, cujus in suspicionem „ alterum sciret adducendum? v. g. Pe„ trus & Jacobus inter se rixantur pu„ blice, multis coram testibus, gravissi„ mis convitiis & contumeliis se mutuo „ afficiunt, alter forte pugnis & calcibus „ alterum aggreditur & lædit. Qui

„ gra-

„ gravius læſus eſt, alteri palam comminatur, aitque: Non ante dies craſtina præteribit, quam te pœniteat. Rixæ hujus teſtis *Martinus*, veteres cum Petro aggreſſore inimicitias gerens, odiumque diſſimulans, & ultionis occaſionem quærens opportunam, illius horreum vel domum clam incendit, aut illum occidit, certus, Jacobum, qui a Petro læſus eſt, ipſique minas atroces palam intentavit, in ſuſpicionem incendii, vel cædis adducendum, ſeque ab omni ſuſpicione ac pœna immunem fore. Scelus re vera, quod meditatus eſt, *Martinus* exequitur; publicus rumor, indicia vehementia, teſtes rixæ ac minarum, quas Petro Jacobus intentavit, Judicem cogunt, ut Jacobum velut reum in carcerem mitti decernat; ipſum habita quæſtione tormentis ſubjicit, cogentibus indiciis, teſtibusque malæ voluntatis, quam verbis minacibus ſignificavit, capite damnabit. *Martinus* incendii vel homicidii verus auctor, conſiderans, innocentem ſua culpa mox periturum, horrore ſceleris, ſtimulis conſcientiæ, divini judicii metu perculſus, Confeſſarium adit, ad ejus pedes advolutus, crimen confitetur, ſe domum vel horreum incendiſſe, aut cædem perpetraſſe, cujus in ſuſpicionem venit, aut falſo accuſatus eſt Jacobus, & propter quam, innocens licet, mox damnandus eſt. Quid, inquam, facto hoc in caſu opus? teneturne ſeipſum prodere *Martinus*, ſeque periculo capitis exponere, ut Jacobum, criminis, cujus ipſe auctor eſt, falſo accuſatum liberet?

„ Reſpondetur, non teneri, neque ad id compelli a Confeſſario debere, ſi prodere ſeipſum non poſſit abſque certo vel probabili periculo mortis: Quia ipſe non eſt cauſa infamiæ, vel periculi, in quibus verſatur innocens. Imprudentiæ ſuæ, rixæ, minis, infelicitati, periculum ſuum *Jacobus* tribuat, non *Martino*, qui ea quidem occaſione uſus eſt, ut inimicum ulciſceretur, ſed non eo animo, ut *Jacobum* in periculum conjiceret, in quod non minus incurriſſet, ſi quis alter penitus ignarus rixæ Jacobi cum Petro, ac minarum, quas Petro Jacobus intentavit, Petrum occidiſſet, vel ejus horreum aut domum incendiſſet. Hoc igitur in caſu prudens Confeſſarius, vel Epiſcopus, cujus in ſinu arcanum illud conſcientiæ depoſitum fuerit, apud Judicem agent eo modo, quem ſuperius indicavi, ut innocentem liberet: *Martino* vero perſuadebunt, ut damna Petro illata ipſi vel ejus hæredibus reſarciat & compenſet.

Ita P. Natalis. Cenſeo tamen, authorem mali occaſionati teneri ad liberationem innocentis cum jactura vitæ propriæ. Et ſic ante triennium contigiſſe refertur Mediolani, ubi, dum homicida ex carcere effugerat, & miles, qui reum cuſtodierat, condemnaretur ad mortem ob violentam præſumptionem colluſionis, in ipſa eductione militis ad mortem coram omnibus ſe ſtitit homicida, & clamans, militem eſſe innocentem, ſe in vincula Judici tradidit.

Quæritur 30. An etiam teneatur ad reſtitutionem famæ, qui alterum jam in uno genere vitii infamem, v. g. in luxuria, adhuc infamat in alio genere, v. g. in materia furti?

Reſpondeo. Affirmative. Ita Theologi communiter.

Ratio eſt, quia, ſicut ille, qui perdidit jus ad unum prædium vel marſupium non eoipſo amittit jus ad alterum, ita etiam, qui amiſit jus ad famam in uno genere virtutis, non amiſit laudem ex alio genere virtutis.

Quæritur 31. An ad reſtitutionem famæ teneantur, quando reipſa nullum præjudicium ex detractione ſecutum, aut vulnus jam oblivione deletum, vel alio modo ſanatum eſt?

Reſpondeo cum P. Natali l. c. ubi ſic ſcribit „ Detractores ad reſtitutionem non tenentur, cum eorum detractione nullum vulnus alienæ famæ inflictum eſt, cum ſcilicet ob notam eorum improbitatem, maledicendi libidinem, levitatem eorum, apud quos detraxerunt, æquitatem & pietatem eo-

„ eorum, quibus detrahere conati sunt „ bene ac firmiter stabilitam, omnibusque „ maledictis superiorem famam, fides „ hujusmodi Detractoribus non est ad „ hibita. A restitutionis obligatione pa- „ riter absolvuntur, cum infamia obli- „ vione deleta, aut alio modo abolita „ est, famaque recuperata. Cum enim „ restituere nihil aliud sit, quam *iterato* „ *aliquem statuere in possessionem vel do-* „ *minium rei suæ, ut æqualitas repa-* „ *retur* (inquit S. Thomas) non obli- „ gatur ad restitutionem, qui nullum „ damnum intulit, quamvis inferre vo- „ luerit, & conatus sit. Similiter, si „ rem suam recuperaverit proximus, „ obligatione restituendi solutus est, qui „ illam injuste eripuerat; siquidem ces- „ savit damnum, & reparata est æqua- „ litas justitiam constituens. Verum ta- „ men, si quos sumptus ad recuperan- „ dam famam proximus fecit, illos re- „ stituere tenetur Detractor: & ratione „ infamiæ, quam aliquandiu passus est, „ ipso auctore, tenetur aliquid restituere „ ad arbitrium viri prudentis, honoris „ & reverentiæ significatione, veniæ „ petitione, virtutum commendatione. „ Tandem, cum verisimile est oblivio- „ ne deletam infamiam, aut dubium „ est, an criminis olim injuste vulgati „ memoria manserit, maxima prudentia „ dirigendum ac gerendum est restitu- „ tutionis negotium. Si enim comper- „ tum sit, illos, quibus occultum illius „ personæ peccatum, v. g. si ingenuæ „ puellæ fornicationem olim revelavit „ obtrectator, prava etiamnum opinio- „ ne de illa imbutos esse, de illa velut „ de muliere impudica, vel parum ho- „ nesta loqui, nullo fultos argumento, „ præterquam præjudiciis ex veteri de- „ tractione conceptis, Detractor ad re- „ stitutionem omnino tenetur, & ad „ pravam opinionem ex illorum ani- „ mis, quoad ejus erit, delendam. Si „ vero compertum non habeat, quid de „ illa puella seu muliere sentiant, & „ an meminerint peccati, quod olim de „ illa narravit: Non est necessarium, „ imo nec prudentiæ legibus conveniens, „ ut ab ipsis petat, an recordentur, „ aut ea de re quovis modo cum ipsis „ loquatur, ne vulnus obductum ape- „ riatur & recrudescat: Sed satis erit, „ si occasione data de illa persona ho- „ norifice loquatur, ejusque commendet „ honestatem. Ita P. *Natalis*. Verum in ultimo casu de puella censeo, quod detractor, si narravit crimen falsum, stante dubio de recuperatione famæ, teneatur positive corrigere falsa circa eam in hac re præjudicia.

Quæritur 32. An detractor excusetur a restitutione titulo conpensationis, si etiam ipsemet ab infamato passus est in eodem genere delicti vel pari infamationem?

Respondeo 1. Non est locus compensationi, sive crimina impacta sint utrinque vera, sive falsa, sive sint paria, sive imparia.

Ratio est, quia, si delicta sint utrinque vera, solus primus aggressor est nocens, alter autem, qui manifestavit verum crimen sui aggressoris ad sui defensionem, est innocens. Ergo in hoc casu potius aggressor tenetur restituere famam a se injuste infamati, ac prius altero; cui si facta fuerit restitutio, tenebitur etiam ipse ad reciprocam restitutionem. Si autem delicta sint utrinque falsa, uterque tenetur ed restitutionem etiam non restituente altero.

Ratio est, quia per hoc, quod infamatus non restituat famam alteri, ipsemet non recuperat famam suam. Itaque, sicut ipsa reciproca infamatio erga infamantem habuit potius rationem vindictæ ac detractionis, & non solum rationem mendacii, prout damnata propositio voluit, ita etiam continuatio hujus infamationis, seu omissio restitutionis habet potius rationem continuatæ vindictæ, ac proin erit illicita, quæ ratio urget, sive delicta sint paria, siveimparia.

Nec obstat, quod P. *Natalis* l. c. Reg. 33. objicit, quod circa bona temporalia utrinque damnificata sit locus compensationi; quia in his per omissionem restitutionis vere tollitur damnum utriusque, non autem in materia detractionis per omissionem restitutionis circa impactionem criminis falsi. Multo

mi-

minus valet, quod P. *Natalis* objicit ex C. *tua fraternitas* de adulteriis. Ibi enim compensatio statuta est a lege, & quidem in bonum utriusque conjugis. Econtra hæc compensatio nec statuta est ab ulla lege, neque tendit in bonum utriusque infamati. Aliud tamen dicendum est, quando primus aggressor detraxit per manifestationem criminis veri, & infamatus reciproce suum aggressorem infamavit per publicationem criminis falsi. In hoc enim casu primus aggressor non tenetur restituere alterius famam, eo quod sit injuste nociva suo bono privato, nempe bono nomini per enormem excessum malitiæ, quam infamans commisit fingendo crimen; & quam prior teneretur tollere per restitutionem. Itaque hac restitutione omissa continuatur infamatio, contra quam infamatus licite se defendit continuando manifestationem veri criminis juxta dicta qq. 9. 18. 24.

Quæritur 33. An justa compensatio censeatur, si quis famam ejus, cui detraxit, in alio genere augeat, aut cum eo familiariter conversetur?

„ *Respondeo* Negative. Ita P. *Natalis* Regula 34. „ Nam si quem dixisti fornicarium, concubinarium, ebrietati „ deditum, laudes a liberalitate in pauperes, a justitia, a mansuetudine, infamiam ipsi illatam non delebis, sed „ ei continget, quod aliis frequenter accidit, ut homines bene de ipso loquantur, verumtamen cum adversativa particula *Sed*, dicendo, liberalis „ est in pauperes, justus, mansuetus; „ sed proh dolor! fornicator est, concubinarius, ebrietati deditus.

„ Quod familiaritatem spectat cum „ eo, cujus famæ derogatum est, censetur quidem, qui læsus est, remittere injuriam, si familiariter agat cum „ Detractore: Sed non ideo remittere censetur obligationem restituendi famam, „ si nondum sit recuperata, nisi illud factis aut verbis exprimat; Sicut nec „ alius creditor debitum remittere censetur, si familiariter agat cum debitore.

Quæritur 34. An detractor liberetur ab onere restitutionis, si infamatus ipsi condonet obligationem restituendi?

Respondeo. Distinguendum esse. Si infamatio non cesserat in ullius præjudicium, nisi solius infamati, per ejus condonationem detractor liberatur ab onere restitutionis. Si autem infamatio cesserat in aliorum præjudicium, v. g. Dei, salutis animarum, Ecclesiæ, Reipublicæ, communitatis, familiæ &c. per condonationem privatam ipsius infamati non cessat obligatio restituendi ex parte detractoris, nisi detractio versetur circa crimen verum ac simul concurrat particularis titulus excusans a restitutione. Ita respondet P. *Natalis* l. c. Reg. 35. his verbis: „ Justa condonatio Restitu- „ tionis Detractorem absolvit ab obliga- „ tione restituendi.

„ Sicut enim is, cui condonatum „ est, ut per furtum ablata non resti- „ tuat, obligatione restituendi solutus „ est; ita detractor, cui persona læsa „ obligationem restituendi remisit, lege „ restitutionis ligatus non manet. Potest „ autem privatus quisque famæ suæ re- „ stitutionem condonare justa de causa, „ præsertim ob bonum charitatis & pa- „ cis, utque Christianæ Patientiæ me- „ ritum consequatur. Sed justa condo- „ natio non est, si vergat in damnum „ aliorum, verbi gratia; si fama ejus „ sit aliis necessaria, qualis est fama Præ- „ lati, Concionatoris, Doctoris, Magi- „ stratus, Principis, qui munus suum „ recte gerere, & Ecclesiæ vel Reipu- „ blicæ, ut par est, prodesse non pos- „ sunt, nisi sint integræ famæ. Nec „ etiam justa est condonatio propter eun- „ dem rationem, si condonantis infamia „ redundat in alios, qualis est Religio- „ sorum Virorum, & Sanctimonialium „ infamia quæ in monasterium & ordinem „ redundat, infamia parentum, fratrum, „ & Sororum, quæ redundat in filios, fra- „ tres & Sorores, ipsisque vel aditum ad „ Officia, Beneficia, Honores, Nuptias „ conditioni suæ convenientes interclu- „ dit; vel graviter suspectos reddit. „ Quamombrem hujusmodi condonatio „ Detractorem non liberat ab onere re- „ stitutionis. Quamvis enim cedere quis- „ que possit jure suo, cessione tamen

„ sua

„ sua jus aliorum evertere aut prodere „ non potest. Hinc *Sanct. Thomas* 2. 2. „ q. 73. a. 4. ad 1. possunt (inquit) „ ad notitiam alicujus detractiones con„ tra ipsum factæ aliorum relationibus „ pervenire. Et tunc sui arbitrii est de„ trimentum suæ famæ pati, nisi hoc „ vergat in periculum aliorum. Cum „ vero alicujus infamia vergit in peri„ culum aliorum, famam suam tueri, „ & detractores modis legitimis com„ pescere tenentur, quod Apostoli in „ Epistolis suis, & SS. Patres editis „ Apologiis fecerunt. Hinc S. *Gregorius* „ Homil. 9. in *Ezech.* scribit: *Hi*, „ *quorum vita in exemplum imitationis* „ *est posita, debent, si possunt, detra*„ *hentium sibi verba compescere, ne eo*„ *rum prædicationem non audiant, qui* „ *audire poterant, & in pravis moribus* „ *remanentes, bene vivere contemnant.*

Quæritur 35. An Prælatus teneatur ad restitutionem famæ, qui non compescit detrahentem suo subdito, aut subditum detrahentem extero?

Respondeo Affirmative. Ita etiam respondet P. *Natalis* l. c. Reg. 36. his verbis: „ Prælatus sive Superior, qui „ Detractorem audiens Communitatis „ sibi commissæ, aut Subditorum suo„ rum famam dilacerantem; aut subdi„ tum suum alienæ famæ detrahentem, „ nec illos prohibet, ad Restitutionem „ tenetur. Famam enim Communita„ tis non minus, imo potiori jure, „ quam bona temporalia conservare te„ netur ex Officio, adeoque & famam „ subditi, cujus infamia in Communi„ tatem redundat. Ipsi etiam incumbit „ ex officio curare bona subditorum, „ non solum spiritualia, sed & tempo„ ralia, quæ ad spiritualium conserva„ tionem & profectum sunt necessaria, „ qualis est famæ laudabilis integritas. „ Tenetur etiam impedire, ne subditi „ sui aliis noceant, idque nisi prohibeat „ cum potest, subditumque coerceat, & „ ad restitutionem compellat, ipse ad „ restitutionem tenetur: Sicut Præ„ tor, qui raptorem, furem, incendia„ rium a damno aliis inferendo non „ prohibuit, aut illati damni reos non „ coercuit secundum Leges, nec dam„ num resarciri curavit, quoad ejus erat, „ ad restitutionem obligatur. Prælato„ rum igitur maxime interest, Detra„ ctores & Susurrones, qui sub pietatis „ specie & honesto Zelatorum pallio „ sæpe delitescunt, procul a se remo„ vere. Quos si libenter audiant fo„ veantque, inextricabilibus se laqueis „ implicant. Auscultent igitur Divina „ illa Præcepta Prov. 4. *Remove a te* „ *os pravum, & detrahentia labia sint* „ *procul a te*. Prov. 29. *Princeps, qui* „ *libenter audit verba mendacii, omnes* „ *Ministros habet impios*. Prudens illud „ S. *Bernardi* Monitum lib. 4. *De Consid.* „ *ad Eugenium* cap. 6. ad praxin revo„ cent: *Clandestinas & susurratas dela*„ *tiones non recipias, magis detractiones* „ *censueris. Et hanc velim generalem tibi* „ *constituas regulam, ut omnem, qui* „ *palam veretur dicere, quod in aure* „ *locutus est, suspectum habeas. Quod* „ *si te judicante dicendum coram illo renue*„ *rit, delatorem judices, non accusatorem*.

Quæritur 36. An detractor non solum teneatur ad restitutionem famæ, sed etiam omnium damnorum exinde secutorum?

Respondeo. Distinguendum esse. Detractor enim tenetur ad restitutionem non solum famæ, sed etiam omnium damnorum ex detractione *mortaliter peccaminosa* secutorum *per se*. Si autem illa damna non fuerunt ex detractione secuta *per se*, sed tantum *per accidens*, aut si damna illa tantum fuerunt secuta ex culpa Thologice levi, hoc est, ex detractione solum venialiter peccaminosa, non datur obligatio ad restituendum damnum vel excessum damni secutum per accidens.

Dicitur autem sequi per accidens, quod regulariter non est connexum cum tali causa, sed *tantum raro*, ac proin nec potuit nec debuit prævideri. Hæc Responsio *Probatur* partim ex dictis in *Tractatu de Jure & Justitia*, ubi ostensum est, non dari obligationem ex culpa theologice levi ad restituendum damnum grave vel excessum damni invincibiliter ignoratum grave vel excessum

damni

damni invincibiliter ignoratum, partim ex jure naturali declarato a Gregorio IX. in C. *si culpæ*, de Injuriis & damno dato, ubi sic habetur: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his te satisfacere oportet. Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

Quæritur 37. An & quomodo teneantur hæredes ad restitutionem famæ a testatore per detractionem ablatæ?

Respondeo, Distinguendum esse inter obligationem detractoris, *personalem* & *realem*, Si enim ex detractione infamato nullum est secutum damnum reale obligatio restituendi famam in detractore est solum *personalis*, & consequenter non transit ad hæredes. Econtra, si infamatus ex detractione passus est damnum reale, v. g. amissionem officii, depauperationem &c. obligatio restituendi in detractore est *realis*, & consequenter transit ad hæredes. Itaque hæredes detractoris in tali casu tenentur infamato restituere omnia damna realia, pretio æstimabilia in contractibus humanis; & si infamatus jam obierit, tenentur eam restitutionem facere hæredibus defuncti. Ita P. Natalis Reg. 38. 39.

Quæritur 38. An & quomodo is teneatur ad restitutionem, qui per detractionem alium impedivit a consequendo Beneficio?

Respondeo. Ad hoc D. Thomas respondet, talem detractorem, si beneficium jam fuerat *collatum* aut *destinatum*, teneri *ad restitutionem juris*, seu *valoris*; si autem beneficium necdum fuerit collatum aut designatum, detractorem teneri *ad compensationem spei*. *Aliquis*, inquit, *potest impedire aliquem, ne habeat Præbendam, multipliciter. Uno modo juste, puta, si intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ procuret, ut detur alicui personæ digniori, & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel aliquam recompensationem faciendam, Alio modo injuste; puta, si intendat ejus nocumentum, quem impedit, propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusm odi & tunc, si impedit, ne Præbenda detur digno, consulens, ut non detur, antequam sit firmatum, quod ei detur; tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotii, secundum arbitrium Sapientis: Non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero firmatum sit, quod alicui detur Præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret ut revocetur, idem est ac si habitam ei auferret: & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem.*

Quæritur 39. An teneatur ad restitutionem famæ, qui crimen in alio loco jam vulgatum narrat in alio loco, ubi nondum erat notum?

Respondeo. Si fama personæ in alio loco diffamatæ versatur circa personam ignotam in loco, nec verosimiliter a communitate unquam agnoscendam, non est detractio; quia ubi non reperitur fama & agnitio personæ, non datur diminutio famæ. At vero si persona foret in loco nota, & crimen alibi patratum jam esset notorium in alio illo loco, per extensionem notitiæ posset quidem peccari contra charitatem, privando personam forte pœnitentem suis amicis & refugio; sed contra justitiam non peccaretur, ac detractionem. Multo minus est locus detractioni, si in alio loco narretur de suppliciis, aut pœnis a Judice inflictis alicui personæ. Ipsa enim justitia hoc in partem pœnæ optat ac petit, ut tales pœnæ ubique publicentur, prout Genettus tr. 8. C. 5. q. 27. observat.

Quæritur 40. Quænam sunt causæ excusantes ab obligatione restitutionis in materia detractionis?

Respondeo. Causæ excusantes a restitutione famæ sunt tres. 1. *Impotentia respectiva*, qua stante infamatus non possit esse rationabiliter invitus ad omissionem restitutionis. v. g. si fama restitui nequeat sine mendacio, restrictione mentali, &c aut si per æquivocam revocationem nullus speretur fructus. 2. Cor-

Condonatio eorum, qui condonare possunt, *rationabiliter præsumpta*. 3. *Defectus materiæ*, seu *cessatio infamiæ* eo quod jam in oblivionem abierit, & infamia jam fuerit sufficienter purgata, aut fama ejus, cujus verum crimen propalatum est, cœperit culpabiliter fieri nociva aut periculosa bono communi vel privato, prout q. 9. 18. 24. &c. explicatum est.

Quæritur 41. Quid sit suspicio? Et quotuplex?

Respondeo. Suspicio est dubium cum suspensione omnis in alterutram partem judicii de prava alterius actione vel intentione. D. *Thomas* tamen 2. 2. q. 60. a. 3. C. definit suspicionem, quod sit *opinio*, quæ est formidolosum judicium. Verum inferius hanc opinionem sic describit, quod tunc ponatur, quando quis *incipit dubitare*. Dividitur in *temerariam* & *prudentem*. *Temeraria suspicio* est, quæ non nititur motivo sufficiente ad movendum prudens dubium de actione vel intentione alterius prava. *Prudens suspicio* est, quæ nititur motivo sufficiente ad movendum prudens dubium de actione vel intentione alterius prava.

Quæritur 42. Quid sit judicium temerarium?

Respondeo. Judicium temerarium est actus internus, quo homo sine sufficiente fundamento positive judicat, alterius intentionem vel actionem esse certo vel probabilius pravam. Differt temerarium judicium a suspicione temeraria per hoc, quod in suspicione suspendatur mentis judicium, ita ut actio vel intentio alterius nec judicetur bona nec mala, sed res relinquatur in dubio. Econtra, qui habet judicium temerarium, positive judicat, alterius actionem vel intentionem esse pravam.

Quæritur 43. An omnis suspicio de prava alterius actione vel intentione sit peccatum?

Respondeo 1. Non omnis suspicio de prava alterius actione vel intentione est peccatum; sed *sola suspicio temeraria* est peccatum; imo Superiores quandoque peccant, si nil habeant suspectum ad cautelam, & negligant omnem suspicionem etiam prudentem. Id probatur ex S. Scriptura, quæ tantum suspiciones *falsas* seu *malas* condemnat. Sic 5. Num. v. 14. dicitur. *Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem*. Et Tim. 6. v. 4. *Languent circa pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ*. De suspicione autem provida ac licita sermo est in Genesi C. 20. v. 11. ubi Abraham se excusans dicit: *Cogitavi mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto*. Sic etiam *Actorum* 9. v. 26. Discipuli christiani habebant ab initio suspectam conversionem D. Pauli. *Saulus, cum venisset in Jerusalem, tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes, quod esset discipulus*.

Respondeo 2. Suspicio temeraria, nisi longo tempore duret, aut transeat in actum externum suspecto graviter præjudiciosum, est per se tantum peccatum veniale.

Dixi, *per se*, nisi videlicet procedat ex passione invidiæ, odii, &c. graviter peccaminosa.

Responsio probatur ratione & authoritate D. Thomæ, in sequente quæstiuncula referendi, dum ipsum etiam *judicium temerarium* ex suspicione procedens, quando quis primum *dubitare incipit*, refert ad peccatum veniale.

Quæritur 44. An omne judicium temerarium sit peccatum mortale?

Respondeo. Omne judicium temerarium circa objectum grave, si hoc judicetur tanquam certum judicio firmo, est peccatum mortale. Si autem temerarie judicans non judicat objectum esse certum, sed tantum judicat ut dubium, aut si objectum judicat quidem ut certum, sed huic suo judicio non *firmiter seu diu post varias reflexiones* insistit, non est peccatum mortale sed tantum veniale.

Ratio est, quia judicium firmum de gravi alieno peccato ex sua natura ingenerat gravem internam vilipensionem

pro-

proximi, & parit connaturaliter periculum conformandi actus externos varios judicio firmo interno in præjudicium proximi. Ergo est grave malum proximi, ac consequenter, si temerarium sine sufficiente fundamento sit conceptum, graviter opponitur justitiæ & charitati, adeoque est peccatum mortale. Hinc Christus Matth. 7. talia judicia temeraria prohibet severe his verbis: *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare & non condemnabimini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* D. *Thomas* 2. 2. q. 60. a. 3. C. & ad 3. sic discurrit: „ „ Dicendum, quod, sicut Tullius dicit, suspicio importet opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit. Et contingit ex tribus: Uno quidem modo ex hoc, quod aliquis in seipso malus est, & ex hoc ipso, quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de aliis malum opinatur; secundum illud Eccl. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum: Cum enim aliquis contemnit vel odit aliquem, aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso; quia unusque faciliter credit, quod appetit. Tertio modo provenit ex longa experientia: Unde Philosophus dicit in 3. Rhet. quod senes sint maxime suspiciosi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifeste pertinent ad perversitatem affectus: Tertia vero causa diminuit rationem suspicionis; in quantum experientia ad certitudinem proficit, quæ est contra rationem suspicionis: Et ideo suspicio vitium quoddam importat; & quanto magis procedit suspicio, tanto magis est vitiosum. Est autem triplex suspicionis gradus. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: Et hoc est veniale & leve peccatum: Pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur; ut habetur in Gloss. super illud 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare.* Secundus gradus est, cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis: Et hoc si fit de aliquo gravi, est peccatum mortale; in quantum non est sine contemptu proximi: Unde Glossa ibidem subdit: *Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen (id est diffinitivas firmasque sententias) continere debemus.* Tertius gradus est, cum aliquis Judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum: Et hoc directe ad injustitiam pertinet: unde est peccatum mortale.

„ Et ad tertium dicendum, quod quia justitia & injustitia est circa exteriores operationes, ut dictum est (quæst. 59. art. 2.) tunc judicium suspiciosum directe ad injustitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit: Et tunc est peccatum mortale, ut dictum est: Judicium autem interius pertinet ad justitiam, secundum quod comparatur ad exterius judicium, ut actus interior ad exteriorem; sicut concupiscentia ad fornicationem, & ira ad homicidium.

Hanc sententiam D. *Thomas* sumpsit ex D. *Augustino*, qui tract. 90. in Joan. sic scribit: *In his tenebris rerum humanarum, hoc est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias continere debemus, ne ante tempus judicemus, quoadusque veniat Dominus.* Et ibidem. *Ignoscatur nobis, quod de occultis hominum aliquando, imo assidue, non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita. Quid enim tam humanum, quam non posse inspicere cor humanum, & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quam id, quod ibi agitur, suspicari.* In eandem sententiam se explicat D. *Gregorius* l. 19. Mor. C. 14. sic scribit: *Iob ait: Causam, quam nesciebam, diligentissime*

investigabam. Qua in re notandum video, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare pertimescimus, si authoris nostri (Dei) *subtilius facta pensamus. Ipse quippe, ut nos a præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est; peccatum eorum aggravatum est nimis; descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam. Omnipotens itaque Dominus & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quam probare.* Ita D. Gregorius solum improbans præcipitem sententiam, non prudentem dubitationem.

Quæritur 45. Ex quibus indiciis colligitur, an judicium temerarium *firmum* sit?

Respondeo. Ordinarie loquendo id colligi poterit ex diuturnitate temporis, & judicii sine variatione per duas v. g. vel tres hebdomadas constantia. Si enim judicium intra unam vel alteram horam transeat, aut per longius tempus continuatum variet, non est præsumendum, mentem ita fuisse obfirmatam in suo judicio, ut firmiter voluerit eidem insistere. In praxi autem a pœnitentibus, qui se de suspicionibus vel temerariis judiciis accusant, inquirendum est 1. utrum rem reliquerint in dubio? 2. an credant, se habere sufficiens fundamentum dubitandi circa determinatam personam? 3. an firmiter crediderint, talem personam ream esse? & quo fundamento? 4. an firmiter, & quamdiu huic judicio vel suspicioni inhæserint? Cæterum an ii, qui vincibiliter putant, se habere sufficiens fundamentum judicandi vel suspicandi de prava actione vel intentione alterius, cum re ipsa non habeant sufficiens fundamentum, excusentur coram Deo a gravi aut etiam levi peccato, relinquendum est soli judicio divino.

Quæritur 46. Quid sit mendacium, æquivocatio, & restrictio mentalis?

Respondeo. *Mendacium* est affirmatio vel negatio rei, in mente loquentis scienter falsæ, ex intentione fallendi audientem. *Æquivocatio* est affirmatio vel negatio per verba ad duplicem sensum indifferentia ex intentione fallendi audientem. *Restrictio mentalis* est affirmatio vel negatio per verba ad duplicem sensum minime indifferentia, quæ tamen loquens in alio sensu intus in mente accipit, quam verba in sensu obvio præseferunt, ex intentione fallendi audientem. Sic si quis rotunde dicat, se audivisse Missam, cum eam non audiverit, erit mendacium. Si dicat; se jam interfuisse Missæ, intelligendo nundinas, quæ in Germania vocantur Missa, erit æquivocatio vel amphibologia. Si autem dicat; se jam interfuisse Missæ subintelligendo *ante annum*, erit restrictio mentalis.

Quæritur 47. Quotuplex sit mendacium?

Respondeo. Dividitur mendacium 1. in perniciosum. 2. in officiosum. 3. in jocosum.

Mendacium perniciosum est, quod dicitur in alicujus damnificationem, v. g. si quis neget, se ab amico accepisse mutuum, quod re vera accepit.

Mendacium officiosum est, quod dicitur in alicujus utilitatem, v. g. si quis mentiatur, Petrum vel se esse Doctorem, ut obtineat pingue beneficium.

Mendacium jocosum est, quod dicitur solius oblectationis propriæ gratia, v. g. si quis mentiatur, se vidisse hominem sine capite.

Quæritur 48. An omne mendacium sit peccatum?

Respondeo. Omne mendacium est peccatum, ita ut in nullo unquam casu fiat licitum, etiamsi per illud totus mundus redimi posset.

Id *probatur* ex Scriptura. In Scriptura enim proponitur mendacium tan-

quam

quam objectum ex suo genere, ac intrinsece per legem naturalem illicitum. Ergo in nullo casu potest esse licitum, *ant. prob.* Sic *Levitici* 19. v. 11. dicitur: *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.* Ubi observo: hanc legem poni in medio aliarum legum, quæ omnes quoad substantiam sunt legis naturalis. Et Prov. 6. v. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. 1. Oculos sublimes, 2. linguam mendacem, 3. manus effundentes innoxium sanguinem. 4. cor machinans cogitationes pessimas; 5. pedes veloces ad concurrendum in malum. 6. proferentem mendacia testem fallacem. 7. & eum, qui seminat inter fratres discordias.* In hoc textu distinguuntur inter se tanquam duo objecta odii divini valde diversa: nempe lingua mendax, & testis fallax, proferens mendacia, ex quo colligitur, ipsam consuetudinem passim mentiendi etiamsi non habeat aliam malitiam diversæ rationis sibi adjunctam, esse objectum gravis indignationis divinæ. Quod ipsum confirmatur ex Prov. 22. v. 22. ubi dicitur generatim: *Abominatio est Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt, placent ei.* Et ibidem C. 13. v. 5. *Verbum mendax justus detestabitur. Impius autem confundit, & confundetur.* Et C. 30. v. 8. Salomon tanquam grave malum a se removeri rogat consuetudinem mentiendi, dicit enim: *Duo rogavi te, ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem & verba mendacii longe fac me: Mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* In eundem sensum dicitur Ecclesiastici 7. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium. Assiduitas, enim illius non est bona.* Et C. 20. v. 26. *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assidue erit.* Sic etiam Oseæ 4. v. 2. habetur inter gravissima scelera ex suo genere mendacium seu mendacitas, hoc est, habitus mentiendi. *Mendacium, & homicidium, & furtum innundaverunt.* Et in Apocalypsi C. 22. v. 15. scribitur: *Foris est omnis, qui amat & facit mendacium.* In his omnibus textibus carpitur tanquam grave vitium mendacitas, seu consuetudo passim mentiendi; Ea vero consuetudo infallibiliter sequeretur atque ad mendacia pernitiosa disponeret, si licitum foret mendacium jocosum & officiosum.

Confirmatur. Deus veritas est, & juxta illud Psal. 50. *veritatem dilexisti*, amat veritatem. Ergo est quædam deordinatio rationis, sectari & amare id, quod est e diametro oppositum ac contrarium objecto, quod amat Deus.

Probatur responsio 2. ratione & authoritate *D. Augustini*, qui in Enchiridio C. 22. sic scribit: *Cum verba propterea instituta sint non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat, verbis uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim & furando, si pauper, cui palam datur, sentit commodum, & dives, cui clam tollitur, non sentit incommodum; nec quisquam ideo tale furtum dixerit non esse peccatum.* In hoc textu S. Doctor attingit rationem fundamentalem, cur omne mendacium, etiam officiosum ac jocosum sit jure naturali prohibitum. Cum enim significatio verborum partim in creatione Adami & Evæ, partim in confusione linguarum sit *verbis addita, instituta, menti ingenerata*, atque *perpetuo ordinata ab ipso Deo*, & non ex institutione, prout Logici cum suo Aristotele garriunt, *ad ingenerandum audienti conceptum loquentis*, manifestum est, fieri contra hanc ordinationem divinam, si quis verbis utitur ad alium finem & contra institutionem divinam, ad non significandum conceptum loquentis, sed contrarium.

Nec obstat, quod linguæ nunc usitatæ non videantur esse institutæ a Deo in creatione mundi: Certum enim est, eas fuisse institutas a Deo in confusione linguarum, ita ut ipsa dispositio organorum vocis, & efformatio vocum, quæ est quædam motio aeris, ad tympanum auditus, & ipsa impressio significationis in animam fuerint, & etiam-

num sint operationes divinæ, nullam habentes inter se connaturalem connexionem, sed præcise ex arbitrio Dei, alligantis tali motui aeris talem conceptum in anima. Itaque, qui mentitur, cogit Deum moraliter ad ingenerandum audienti conceptum contrarium suæ institutioni ac ordinationi.

Nec obstat 2. quod mendacium aliquando videatur necessarium ad salutem animarum. Vel enim Deus voluntate *efficaci*, *particulari*, ac *consequente* vult salutem talium animarum, vel non? Si eam sic vult, etiam ordinavit media non peccaminosa ad hunc finem. Si tali voluntate *consequente* non vult, non est hominis, mediis illicitis velle extorquere hunc finem. Ita D. *Augustinus* l. contra mendacium C. 19. ubi sic discurrit: „ Si patienter me audiat turba „ mortalitatis, turba infirmitatis, re„ spondeo aliquid pro negotio veritatis. „ Certe pia, vera, sancta castitas non „ nisi ex veritate est, & quisquis ad„ versus eam facit, profecto adversus „ veritatem facit. Cum ergo & si non „ possit aliter periclitantibus subveniri, „ non committo stuprum, quod ideo est „ contrarium veritati, quia contrarium „ est castitati? Et ut periclitanti subve„ niatur, loquor mendacium, quod ipsi „ apertissime est contrarium veritati? „ Quid apud nos tantum promeruit ca„ stitas, & offendit veritas; cum om„ nis ex veritate sit castitas, & sit non „ corporis, sed mentis castitas, veritas„ que in mente habitet, sicut etiam „ corporis castitas.

„ Postremo quod paulo ante dixi, & „ iterum dico, quisquis mihi pro per„ suadendo & defendendo ullo menda„ cio contradicit, quid dicit, si verum „ non dicit? Si autem propterea est au„ diendus, quoniam verum dicit; quo„ modo me vult facere, verum dicen„ do, mendacem? Quomodo mendacium „ patronam sibi adhibet veritatem? An „ adversario suo vincit, ut a seipsa vin„ catur? Quis hanc absurditatem fe„ rat? Nullo ergo modo dixerimus, eos „ qui afferunt aliquando esse mentien„ dum, id asserendo, esse veraces; ne, „ quod est absurdissimum & stultissi„ mum credere, veritas nos doceat esse „ mendaces.

„ Quale est enim, ut esse adulterandum nemo discat a castitate, Deum „ offendendum nemo discat a pietate, „ cuiquam nocendum nemo discat a be„ gnitate, & esse metiendum discamus a veritate? Porro, si hoc non „ docet veritas, non est verum: si non „ est verum, non est discendum: si non „ est discendum, nunquam est igitur „ mentiendum.

„ Sed aliquando nobis ipsius quoque „ salutis æternæ periculum opponitur, „ quod nostro mendacio, si aliter non „ potest, depellendum esse clamatur: ve„ lut si quisquam baptizandus in potesta„ te sit impiorum atque infidelium consti„ tutus, ad quem perveniri non possit, „ ut lavacro regenerationis abluatur, „ nisi deceptis mentiendo custodibus. „ Ab hoc invidiosissimo clamore, quo „ cogimur non pro cujusquam opibus, „ vel honoribus in hoc sæculo transcur„ rentibus, non pro ipsa hujus tempo„ ris vita, sed pro æterna hominis „ salute mentiri, quo confugiam nisi „ ad te veritas? & mihi abs te propo„ nitur castitas.

„ Cur enim, si custodes isti, ut nos „ ad baptizandum hominem admittant, „ stupro illici possunt, non facimus con„ traria castitati: & si mendacio deci„ pi, facimus contraria veritati: cum „ procul dubio nulli esset amabilis ca„ stitas, nisi eam præciperet veritas? „ Proinde, ut perveniatur ad hominem „ baptizandum, fallantur mentiendo cu„ stodes, si hoc jubet veritas. Sed quo„ modo jubeat veritas, ut homo bapti„ zetur, esse mentiendum, si non ju„ beat castitas, ut homo baptizetur, „ esse mœchandum? Cur autem hoc „ non jubet castitas, nisi quia hoc non „ docet veritas? si ergo nisi quod veri„ tas docet, facere non debemus: cum „ veritas doceat, nec propter hominem „ baptizandum, facere, quod contra„ rium est castitati: quomodo nos docebit facere, propter baptizandum homi„ nem, quod ipsi contrarium est veritati?

„ Sed

„ Sed ſicut oculi ad intuendum ſo„ lem parum firmi, ea tamen, quæ a „ ſole illuſtrantur, libenter intuentur: „ ſic animæ jam volentes delectari pul„ chritudine caſtitatis, non tamen om„ nino per ſeipſam conſiderare verita„ tem, unde lucet caſtitas, poſſunt, ut „ cum ventum fuerit ad faciendum ali„ quid, quod adverſum eſt veritati, ita „ refugiant & exhorreant, quemadmo„ dum refugiunt & exhorrent, ſi fa„ ciendum aliquid proponatur, quod „ adverſum eſt caſtitati. Ille autem fi„ lius, qui verbum ſuſcipiens, a per„ ditione longe aberit, & nihil falſi ex „ ejus ore procedit, tam ſibi clauſum „ deputat, ſi ad ſubveniendum homini „ per mendacium, quam ſi per ſtuprum „ tranſire cogatur. Et pater exaudit „ orantem, ut valeat ſine mendacio „ ſubvenire, cui vult Pater ipſe, cujus „ inſcrutabilia ſunt judicia, ſubveniri.

Nec obſtat 3. quod aliquæ perſonæ etiam ſanctæ, v. g. Patriarcha Jacob, ex inſtinctu matris piæ, legantur fuiſſe mentitæ; & quod in obſtetricibus Egyptiacis legatur Deus remuneraſſe pium mendacium, quod ipſum obſervatur in meretrice Raab, quæ abſcondit exploratores.

Reſpondetur enim, Patriarcham Jacobum vere fuiſſe primogenitum Eſau jure divino ac humano ſubſtitutionis ac repræſentationis, ita ut ſpiritu prophetico tam ipſe quam ejus mater ſciverint, ſe adhuc in utero materno fuiſſe electum a Deo, ut loco ſui fratris participaret jure præſentationis ac ſubſtitutionis benedictionem Abrahæ ac ejus deſcendentibus promiſſam poſſidendi terram, & orituri ex ſe Meſſiæ. Remuneratio autem divina in obſtetricibus non reſpiciebat in mendacio pravitatem, ſed concomitantem aut præeuntem affectum miſericordiæ.

Nec obſtat 4. quod *Caſſianus* in *Collationibus Patrum*, & alii nonnulli ex antiquis Scriptoribus exiſtimaverint, licitum eſſe mendacium officioſum. Ergo ea ſententia eſt ſaltem probabilis. Ea enim ſententia ſolos ferme habuit in patronos fautores errorum Pelagii & ſemipelagianorum, qui metiebantur omnia juxta ſolam ferme rationem humanam; & hinc eorum authoritas in hoc etiam puncto omni authoritate exuta eſt per ſenſum unanimem Eccleſiæ & Doctorum poſterioribus ſæculis.

Quæritur 49. An ſit mendacium, quod quis abſolute affirmet, ſi dubitet, illud eſſe verum?

Reſpondeo. Affirmative.

Ratio eſt, quia affirmatio vel negatio abſoluta ingenerat ſenſum abſolutum, non vero ſuſpenſionem judicii. Ergo, ſi loquens in animo ita fuerit affectus, ut vel ſuſpendat ſuum judicium, vel tam hæſitanter aſſentiatur objecto, ut prudentius ſuſpenderet ſuum judicium, affirmando aut negando objectum, abſolute ingenerat in animo audientis conceptum a ſuo longe diverſum, utpote firmo cum aſſenſu & exemptum a dubio, adeoque mentitur. Imo, ſi agatur de objecto propria experientia ſenſuum percepto, & loquens non amplius certo ſaltem certitudine morali recordetur, ſe hoc audiviſſe, vidiſſe, vel percepiſſe, quod ſe audiviſſe, vidiſſe, vel percepiſſe affirmat, ejus teſtimoniuem erit mendacium, etiamſi intur in animo probabilius eſſe exiſtimet, ea a ſe audita, viſa, aut percepta eſſe.

Ratio eſt, quia ubi agitur de teſtimonio propriorum ſenſuum, affirmatio teſtantis ingenerat conceptum moraliter certum atque exemptum ab omni prudenti dubio; qualis non eſt in animo loquentis. Ergo jam committitur mendacium.

Quæritur 50. An ſint mendacia, quando matres, nutrices, &c. infantibus proponunt varias fabulas ſpe certa detegendæ ſuo tempore veritatis, quando ad maturiorem ætatem venerint?

Reſpondeo. Si tales locutiones recipiant ſenſum utilem allegoricum, metaphoricum, tropicum, myſticum, parabolicum, &c. ſuo tempore audienti aperiendum, ejusmodi locutiones non ſunt mendacia. Si autem non recipiunt ſenſum utilem allegoricum, parabolicum, metaphoricum, &c. ſunt mera mendacia.

Ratio eſt, quia infantibus etiam poſt

adeptum usum rationis inhærent ejusmodi fabulæ, quas aliquamdiu adhuc credunt vi narrationis præcedentis, quæ proin contra ordinationem divinam vi verborum ex institutione divina habentium suam significationem ad ingenerandum audienti conceptum loquentis est significativa falsi.

Quæritur 51. An vera sit sententia P. *Caroli Ambrosii Cattaneo* S. J. qui in suis Concionibus, seu ut vocantur, *Lectionibus*, scribit in casu maximæ necessitatis verba proferri posse *materialiter* sine ulla significatione formali?

Respondeo. Hæc sententia nec est vera, nec ulla ratione probabilis.

Ratio est 1. quia significatio verborum non est institutionis humanæ *ex beneplacito hominum*, ita ut verba sint præcise *signa ad placitum*, prout communiter supponitur; sed ea significatio quoad substantiam, ac voces primitivas seu radicales ex institutione divina ex beneplacito Dei, Adamo & ejus posteris in confusione linguarum infusa, atque ad ingenerandum audienti conceptum loquentis ordinata. Ergo corruit totum suppositum P. *Caroli Cattaneo*, quod Respublica humana, quæ vocibus significationem contulit, illam etiam in casu necessitatis possit adimere.

Ratio est 2. Cum significatio verborum quoad substantiam sit institutionis divinæ, consequitur, non esse licitum usum verborum, nisi eo fine & modo, quem Deus ipse in Scriptura & scriptis Doctorum Ecclesiæ verbis & exmplis, monstravit, permisit, approbavit, & docuit; atqui Deus nullibi suis & Sanctorum exemplis aut verbis hunc modum docuit, sed tantum usum amphibologiæ, æquivocationis sensibilis, & restrictionis *non pure mentalis* sensibilis, prout in sequente quæstiuncula monstrabitur. Ergo:

Ratio est 3. Si permissus foret iste usus materialis verborum, sequerentur prorsus iidem effectus *locutionis* hujusmodi *materialis*, quales sequerentur ex licentia mentiendi in casu maximæ necessitatis; quia sola intentio loquentis foret diversa, non autem effectus forent diversi. Sed hoc non potest dici, quia ubi sunt iidem effectus, datur etiam eadem ratio legis prohibentis vel permittentis. *Major patet*, quia sive faciant intentionem sumendi verba materialiter, sive formaliter, datur eadem deceptio audientium, eadem proclivitas abusuum, eadem inhonestas legis christianæ ac divinæ, &c.

Ratio est 4. quia D. *Augustinus* in plurimis locis ponit principia & argumenta e diametro huic doctrinæ de usu materiali opposita. Nam 1. in l. de mendacio C. 13. investigans, quid respondendum sit interroganti in judicio, vel extra judicium inquirenti ad mortem amicum nostrum nostræ fidei concreditum? resolvit quæstionem hoc modo, quod ad imitationem Firmi Episcopi respondendum sit: *Nec prodam*, *nec mentiar*. 2. In *Enchiridio* C. 22. scribit: *Verba propterea sunt instituta*, *non per quæ homines se invicem fallant*, *sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat*. *Verbis ergo uti ad fallaciam*, *non ad quod instituta sunt*, *peccatum est*. 3. Idem l. de mendacio C. 18. ait: *Si concesserimus*, *pro salute ægri de vita filii esse mentiendum*, *ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum*, *& breviter accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur*, *ut nunquam possit penitus inveniri*, *ubi tantæ pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti*. Hoc loco D. Augustinus loquitur de casu, quem hoc eodem capite recensuerat his verbis: *Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus*, *cujus vires jam ferre non possint*, *si ei mortuus unicus & charissimus filius nuntietur*. *Si a te quærit*, *an vivat*, *quem vitam finisse tu nosti*, *quid respondebis*, *quando quidquid aliud dixeris præter unum de tribus*, *aut mortuus est*, *aut vivit*, *aut nescio*, *nihil aliud credit ille*, *quam mortuum*, *quod te intelligit timere dicere*, *& nolle mentiri*. *Tantundem valet*, *etiamsi omni modo tacueris*. *Ex illis autem tribus duo falsa sunt*, *vivit*, *& nescio*, *nec abs te dici possunt*, *nisi mentiendo*. Hæc autem principia ac supposita S. Augustini repugnant,

gnant doctrinæ de usu materiali verborum; quia in casu, quo hostis occisurus meum patrem ingrederetur domum, & ex me quæreret, an Pater sit domi, absque ulla æquivocatione vel restrictione, juxta *P. Cattaneo* liceret rotunde dicere; *Non est hic*. Ex eadem doctrina sequeretur, quod verba non amplius ordinarentur ad cogitationes suas manifestandas alteri in ejusmodi casu; & nulli possent limites poni huic usui materiali, quin orbis repleretur verbis materialibus. Nec etiam potuisset D. *Augustinus* dicere, quod illa verba: *vivit*, vel *nescio*, non potuerint pronuntiari nisi materialiter. Hinc Apologista, qui defendit doctrinam P. Caroli Cattaneo, in sua *Confermazione Teologica*, edita contra P. Orsium sine nomine authoris, sine loco & sine anno impressionis, non respondet aliud, quam S. Augustinum non bene examinasse hanc materiam; adeoque ejus authoritatem non esse curandam. fol. 198. sic scribit: *Dimostro, che S. Agostino non ha giammai digeriti punti necessarj per decidere sulla maggiore opportunità di questo o di quell' altro significato delle voci ad assicurare il bene della umana società, e che però potevo in avvenire dispensarmi dalla pura autorità del medesimo in questa nostra formale quistione*. Profecto desperata responsio, quæ eoipso concedit, hunc novum modum vitandi mendacia nec Patribus, nec Ecclesiæ unquam fuisse cognitum.

Ratio est 5. quia si hic usus materialis verborum foret licitus, nec obstetrices Ægyptiacæ, nec Raab, & alii, de quibus Patres & interpretes semper supposuerunt, quod mentitæ sint, convincerentur esse mentitæ.

Ratio est 6. quia, si liceret hic usus materialis verborum, Christiani tempore persecutionum, quando interrogabantur de sacris vasis, de sacris libris, de conventibus celebratis, de christianis latentibus, &c. potuissent resolute respondere, se ista *non* scire. Sed hoc est contra sensum & praxin perpetuam Ecclesiæ. Ergo non datur hæc licentia a Deo, utpote tam necessaria Ecclesiæ, ac necessario illi promulganda per lumen rationis vel revelationem, quorum neutrum existit. De sensu enim & praxi Ecclesiæ antiqua documenta testantur. Sic 1. S. *Augustinus* l. de mendacio C. 13. scribit: *Episcopus Thagastensis Firmus nomine, cum ab eo quæreretur homo jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere; passusque tam multa tormenta corporis, (nondum enim erant Imperatores Christiani) perstabat in sententia*. 2. *Idem* in Breviculo collat. die 3. l. 13. narrans, quomodo Christiani se gesserint erga Gentiles, extorquentes traditionem librorum Sacrorum ait: *Secundus narravit, in Numidia persecutores quæ egerint, & qui comprehensi & Scripturas sanctas tradere nolentes & multa passi & gravissimis suppliciis excruciati & occisi sunt, eosque honorandos pro martyrii sui merito commendavit, laudans eos non tradidisse Scripturas sanctas: -- Scripsit etiam Secundus, ad seipsum missos, qui peterent divinos codices exurendos, eisque respondisse: Christianus sum, & Episcopus, non traditor; & cum eo vellent aliqua Ecbola, aut quodcunque accipere, neque hoc eis dedisse, exemplo Eleazari Machabæi, qui nec fingere voluit, suillam carnem se manducare, ne aliis præberet prævaricationis exemplum*: Ex hoc textu apparet; quod in hac materia traditionis librorum non fuerit actum aut quæsitum de professione Religionis; aperte enim profitebantur, se esse Christianos. Itaque fuisset locus usui materiali verborum juxta doctrinam *P. Cattaneo*, qua in praxin deducta a Christianis abfuisset etiam scandalum, utpote sic instructis per Episcopos, si eo tempore *P. Cattaneo* fuisset Episcopus. Verum D. Augustinus l. c. C. 15. testatur Christianos nescisse hanc doctrinam; ait enim; *Secundus non dixit centurioni, se Scripturas non habere, sed respondit, se omnino non tradere: Idem Secundus non quoslibet infimos, sed etiam patres familias, cum hoc idem persecutoribus respondissent*,

dixissent, *crudelissimis mortibus dixit esse occisos*. Similia plura exempla recenset P. Josephus Augustinus Orsius, nunc S. Palatii Apostolici Magister, in suis libris contra doctrinam de usu materiali verborum editis, quorum hi sunt tituli: 1. *Dissertazione contro l'uso materiale delle parole*. In Roma 1727. 2. *Dimostrazione Teologica*, &c. In Milano 1729. 3. *La Causa della verità sostenuta*. In Firenze 1729.

Quæritur 52. An aliquando & in quibus circumstantiis licitæ sint æquivocationes, aut amphibologiæ, aut restrictiones non pure mentales, sed sensibiles?

Respondeo 1. Æquivocatio seu amphibologia sensibilis licita est ex causa gravi ac justa.

Respondeo 2. Etiam restrictio non pure mentalis sensibilis licita est, sed tantum in casu gravissimæ damnificationis injustæ propriæ vel alienæ alioquin moraliter inevitabilis.

Dixi 1. *Æquivocatio*, seu *amphibologia*. Nam ista duo solent ab authoribus distingui, quod in æquivocatione ambiguitas sermonis ac indifferentia ad duplicem sensum fundetur in uno vel altero verbo, v. g. si dico; vidi canem, intelligendo stellam aut piscem; econtra in amphibologia ambiguitas sermonis ac indifferentia ad duplicem sensum fundetur vel in constructione verborum vel in modo proponendi, vel in circumstantiis subjectæ materiæ, cujus rei varia in argumento probationis subjicientur exempla.

Dixi 2. Æquivocatio, Amphibologia, aut restrictio non pure mentalis *sensibilis*, ita ut ab attento audiente ex circumstantiis absolute possit formari saltem prudens dubium seu suspicio, an verba a loquente sumantur potius in hoc vel illo sensu; vel utrum in illis non subintelligatur tacite *modus* vel *conditio*, hic & nunc ab audiente ex causa rationabili sufficiente absconditus. His ita explicatis.

Probatur Responsio 1. ab exemplis in Scriptura approbatis, in quibus intercessit vel æquivocatio vel amphibologia, vel omnino restrictio non pure mentalis sensibilis.

Sic 1. Gen. 12. de Abrahamo Patriarcha viro sanctissimo scribitur: *Dixit uxori suæ; novi, quod pulchra sis mulier, & quod, cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt; uxor ipsius est, & interficient me, & te reservabunt; dic ergo, quod soror mea sis*. Eo autem tempore hic terminus erat æquivocus, utpote indifferens ad significandam sororem germanam & neptem.

2. Idem Patriarcha immolaturus in monte suum filium Isaac jussit ad pedem montis exspectare famulos dicens: *Exspectate hic cum asino: ego & puer* (Isaac) *illucusque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*. In hac propositione Abraham necessario debuit subintelligere tacitam conditionem: Si Deus a mandato immolandi filium dispensaverit.

3. Samuel Propheta 1. Reg. 16. uncturus Davidem in regem, ne occidatur a Saule, jubetur sumere prætextum. *Vitulum tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni*. In hoc casu responsio erat amphibologica; poterat enim extraordinario modo loquendi significare finem adventus sui primarium potius, quam secundarium, saltem juxta mentem & exspectationem interrogantis.

4. In l. Tobiæ C. 5. Tobias senior ad Angelum Raphaelem, quem existimabat mercenarium, ait: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Angelus dixit: Ne forte sollicitum te reddam; ego sum Azarias Ananiæ magni filius: Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu*. In hoc casu Angelus non solum rebus, nempe specie virili, ad aliquod tempus ingenerat conceptum, vulgaris mercenarii, sed etiam verbis dat ansam formandi conceptum erroneum, de ejus genere, quamvis uterque conceptus esset allegoricus, suo tempore aperiendus.

5. In l. 4. Reg. 8. v. 10. Elisæus Propheta nuntio regis Syriæ dicit: *Vade, dic ei; sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*. In hoc

casu

casu Propheta loquitur de recuperanda sanitate spectato cursu morbi, quamvis rex statim altero die post adventum nuntii ab eodem nuntio violenta morte occisus sit.

6. Jonæ 3. Propheta absolute dicit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*. Et tamen subintelligebatur tacite conditio; nisi dignam pœnitentiam egerint.

7. Christus Matth. 24. v. 36. loquens de tempore extremi judicii ait: *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater*. In Marco 13. v. 32. habetur: *De die autem illa, vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque filius, nisi Pater*. In hac locutione Christus aut tacite subintelligit modum; *scientia communicabili*, aut loquitur de notitia quoad humanitatem, dum tamen Apostoli interrogaverint & exspectaverint responsionem de notitia personali.

8. Joannis 7. v. 8. dicentibus ejus propinquis ad Christum: *Vade in Judæam, ut & discipuli videant opera tua, quæ facis; manifesta teipsum mundo*: respondit: *vos ascendite ad diem festum hunc; ego enim non ascendam ad diem festum istum. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto*. In hoc textu prævidebat Christus, propositum suum indefinitum non ascendendi ad diem festum facile posse intelligi etiam de ascensu non solenni; nec tamen voluit præcavere eam interpretationem.

9. Christus Joa. 21. Petro interroganti de futuris contingentibus circa Joannem Apostolum, respondit: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Hanc propositionem Apostoli cæteri sic interpretabantur, quod Joannes non moriatur; nec tamen propterea, quod prævideret falsam suorum verborum interpretationem, abstinuit modo loquendi amphilogico.

10. Christus Joan. 10. v. 35. non dedignatur Judæis ostendere, quod si etiam foret solum participatione quadam & improprie Deus, non tamen haberent causam se lapidandi ob assumptum titulum Dei. *Responderunt Judæi; de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem pater sanctificavit, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* Nemo non videt, ex hoc ambiguo loquendi modo Judæis potuisse venire in mentem, quod Christus solum prætendat titulum filii per participationem, quamvis re vera hæc illius mens non fuerit, sed tantum ad ostendendam iniquitatem Judæorum, etiamsi foret sola participatione & similitudine quadam Deus.

11. Isaias C. 38. regi Ezechiæ ægrotanti dicit: *Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; licet Propheta sciverit, eum restituendum sanitati. Plura de hac re videri possunt in *P. Orsii* demonstratione Theologica par. 3. Proposit. 9. & 10.

Dices 1. Malitia mendacii consistit in eo, quod quis alium velit decipere. Sed hoc etiam contingit in amphibologiis, & restitutionibus non pure mentalibus.

Respondeo. In hoc casu loquentem non intendere, sed solum permittere alterius deceptionem ex intentione suæ propriæ indemnizationis. Ita respondet P. Orsius l. c. Propos. 9. his verbis: *Unde patet, quod possimus æquivocatione sensibili uti sine intentione seu animo proximum decipiendi, sed tantum permittendi*.

Dices 2. Etiam hi modi æquivocationis, amphibologiæ, & restrictionis non pure mentalis erant D. Augustino & primis Christianis incogniti. Ergo ex eo præcise capite non debuisset rejici usus materialis verborum.

Respondeo. *Nego antecedens*. De his enim modis sæpius loquuntur Patres interpretando Scripturæ textus superius adductos. Cur autem æquivocatione aut restrictione non pure mentali uti noluerint,

rint, in causa est, quia aut timuerunt scandalum gentilium, qui Christianos forte proclamassent tanquam mendaces, aut quia apertiorem modum respondendi judicarunt esse magis idoneum ad commendandam generositatem animi in Ecclesia christiana.

Dices 3. Nisi licitus sit usus materialis verborum, Deus & Respublica non providit de sufficienti remedio ad contegenda secreta. Plerique enim homines sunt incapaces ad faciendam æquivocationem vel restrictionem licitam.

Respondeo. *Nego antecedens*. Patebit ab exemplis proferendis, modos dari faciles, & omnium captui proportionatos.

Quæritur 53. Quid requiratur ad licitam æquivocationem, amphibologiam, aut restrictionem non pure mentalem, seu sensibilem?

Respondeo. Requiruntur tria. 1. ut propositio in aliquo sensu, vel cum aliquo addito sit vera. 2. ut ille sensus verus, vel additum mentale sit aliquo signo externo saltem dubio ac sensibili expressus. 3. ut detur causa occultandæ veritatis sufficiens negotio proportionata.

Ratio est, quia uno horum requisitorum deficiente tollitur sinceritas & veracitas e mundo.

Quæritur 54. Qualis amphibologia, aut restrictio sensibilis licita sit Confessario, uxori, reo vel cuivis alteri, injuste interrogatis de peccato, crimine, vel argento occulto?

Respondeo. Generalis formula restrictionis sensibilis traditur ista: *Nil horum scio*, *nil feci*, *nil habeo*, *scientia communicabili*, *ita ut tenear tibi dicere*, vel *id præstabo*, *in quantum me obligatum agnovero*; vel *nisi hoc juramentum mihi fuerit solutum*. Hanc formulam approbari ab ipsomet *P. Orsio* in ultimo suo opere de hac re contra *P. Cattaneum* cum approbatione Romana anno 1729. Mediolani sub titulo: *Dimostrazione Teologica* &c. edito, patebit ex his ejus verbis, ex Italico in latinum traductis. Part. 3. Proposit. X. fol. 91. sic scribit: „ Aliquando potest esse licita restrictio improprie dicta, in-
„ telligibilis, & non pure mentalis ...
„ Per æquivocationem & restrictionem
„ intelligibilem, non pure mentalem
„ intelligo unam vel plures voces, quarum sensus, quamvis de se ambiguæ
„ & obscuræ sint, nihilominus est moraliter & practice intelligibilis per
„ aliquam circumstantiam sensibilem &
„ apparentem; intelligibilis, inquam,
„ non absolute; ac etiam quoad illam
„ partem, quæ debet remanere occulta,
„ sed tantum quantum ad illam partem, ad quam per circumstantiam
„ externam, vel per aliquod signum
„ sensibile limitantur sensus propositionis. Sic in illis verbis Redemptoris:
„ *Ego autem non ascendo ad diem festum istum*, una res erat intelligibilis
„ & clara, hoc est, quod Christus nollet ascendere ad primum & solennissimum diem hujus festi, ad quem a
„ suis propinquis expresse fuerat invitatus, & ad quem per varias circumstantias debebat limitari sensus illius
„ propositionis: *Non ad hunc*, id est,
„ prout explicat S. Augustinus, *ad quem vos vultis*, *primum vel secundum diem*.
„ Hoc, inquam, erat intelligibile &
„ clarum; econtra erat obscurum &
„ incertum, quod Christus volebat tenere occultum, nempe an vellet in
„ templo comparere in aliquo dierum
„ subsequentium ad istam solemnitatem.
„ Sic etiam in casu, in quo Confessarius illegitime interrogatus recte respondet: *Ego hoc nescio*, una res est
„ intelligibilis & clara, quod nempe
„ illud non sciat ut homo; econtra est
„ obscurum & incertum sicut prius erat,
„ id, quod debet remanere occultum,
„ nempe quod hoc sciat, in quantum
„ Deus. Sic etiam in verbis Judicis,
„ qui sedens in Tribunali declarat Petrum ab homicidio innocentem, ea
„ res est intelligibilis & clara, quod
„ Petrus sit innocens *secundum allegata & probata*; nihilominus potest remanere obscurum & incertum hoc, cujus declaratio non pertinet ad Judicem, nempe utrum Petrus sit, vel
„ non sit absolute innocens. Denique
„ sic etiam in verbis Abrahami & Isaci

„ erat

„ erat una res clara & intelligibilis, quod Sara & Rebecca fuerint propinquæ in eo gradu, in quo juxta usum illorum temporum & illarum regionum poterant sine mendacio vocari sorores; at vero erat obscurum & incertum hoc, quod volebant remanere absconditum, nempe, quod essent uxores. Ex hoc arbitror fieri manifestum, quod usus æquivocationis intelligibilis & restrictionis non pure mentalis possit non esse conjunctus cum desiderio decipiendi proximum, & cum periculo manifestandi injuste secretum. Ille, qui utitur talibus æquivocationibus vel restrictionibus, primario non intendit decipere proximum; cum etiam desideret, ut is non decipiatur sumendo propositionem absolute; propterea enim apponit signa vel circumstantias modo tam sensibili & apparente, ut audiens facta exigua reflexione eam sumere possit in sensu limitato ac restricto, a loquente intento. Sed quantum ad eam partem quæ manere debet occulta, nil aliud intendit, quam ut audiens maneat in sua priore incertitudine. Hinc si audientes ex inadvertentia nimis præceps ferant judicium sumendo absolute, quod non deberent sumere nisi limitate, loquens ingenuus non vult, sed permittit deceptionem; suæ enim obligationi satisfactum existimat, quod modo loquendi usus sit, idoneo ad non decipiendum proximum, & simul ad custodiendum secretum. Itaque hic usus æquivocationis aut restrictionis consistit in artificio respondendi circa unam rem, & tacendi circa alteram . . . Nec Salvator, nec Abraham, nec Isaac, nec Samuel ad consequendum suum finem nempe occultationem veritatis conjunxerunt sua verba cum desiderio decipiendi proximum, hoc est, cum spe, quod is parum attentus formaret suum judicium dependenter a solis verbis, in quibus continetur falsum. Itaque nec tali desiderio aut spe ad consequendum suum finem opus habent confessarius ex Judex. Ad consequendum enim effectum abscondendi secretum nil aliud requiritur, quam ut audiens quoad eam partem, quæ revelanda non est, suspendat suum judicium, atque in priori incertitudine remaneat. Sic enim Christus, Abrahamus, & Isaac, & Samuel in adductis exemplis ad abscondendum, quod non erat revelandum, nil aliud debebant desiderare, quam ut Judæi, Ægyptii, Palæstini, & Betlehemitæ suspenderent suum judicium, atque remanerent in sua priori incertitudine. “ Ita P. *Orsius*.

Quæritur 55. An nunquam liceat uti restrictione pure mentali?

Respondeo. Nunquam licet uti restrictione pure mentali. Id

Probatur 1. quia restrictio pure mentalis, prout ex dictis patet, est proprie dictum mendacium, cum nec verbis, nec signis, nec circumstantiis purgetur aut limitetur falsa significatio propositionis.

Probatur 2. Ex tribus sequentibus propositionibus ab Innocentio XI. damnatis, quæ licet potissimum loquantur de æquivocationibus & restrictionibus mentalibus juratis, in secunda tamen propositione videntur loqui etiam de non juratis. *Propositio* 26. sic habet: *Si quis vel solus vel coram aliis sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, re vera non mentitur, nec est periurus. Propositio* 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa. Propositio* 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad*

intene

intentionem exigentis, *quia non tenetur fateri crimen occultum*.

Quæritur 56. An teſtis in judicio poſſit teſtari, aut jurare in favorem rei cum æquivocatione vel reſtrictione ſenſibili?

Reſpondeo. Id non licet.

Ratio eſt, quia prout ex q. 7 patet æquivocatio ſolum licet ex cauſa gravi ac juſta. Sed in hoc caſu non reperitur cauſa juſta, utpote repugnans rectiſſimo ordini conſtituto per leges in bonum commune, cui debet cedere bonum privatum. Similiter ex ibidem dictis conſtat, reſtrictionem non pure mentalem ſenſibilem tunc ſolum eſſe licitam, quando agitur de graviſſima damnificatione injuſta incurrenda. Sed in hoc caſu damnificatio, quæ reo imminet, non eſt injuſta.

Quæritur 57. An licitum ſit juramentum cum reſtrictione non pure mentali, quando alioquin evitari non poteſt injuſta gravis damnificatio a latrone, tyranno, vel principe inferenda?

Reſpondeo. Si juramentum extorquetur vi *manifeſta* ac *evidenter* injuſta, licita eſt talis non pure mentalis Reſtrictio.

Ratio eſt, quia injuſte extorquens præſumere poteſt, tale juramentum, quod jure naturali aut eſt nullum, aut annullationi obnoxium, non edi, niſi cum *addito*; ſi me obligatum agnovero, aut nullam irritationem juramenti obtinuero. Itaque hæc additio mentalis ex ipſa evidentia & notorietate injuſtitiæ eſt ſenſibilis. Si autem injuſtitia exactionis non eſſet evidenter & notorie injuſta, non foret licita reſtrictio, quantumvis non pure mentalis.

Quæritur 58. An reus in judicio poſſit ſe liberare a pœna mortis vel alio graviſſimo malo per negationem vel juramentum ſub reſtrictione non pure mentali, vel æquivocatione?

Reſpondeo. Si contra reum habeantur indicia vel teſtimonia moraliter certa, ſufficientia ad torturam, non licet ipſi uti reſtrictione mentali ſenſibili, aut æquivocatione. Si autem non habeantur indicia moraliter certa ſufficientia ad torturam, id licet. Quoad 1. *memb. reſponſ.*

Ratio eſt, quia in tali caſu non reperitur juſta cauſa æquivocandi, utpote repugnans rectiſſimo ordini divinitus conſtituto; & per leges in bonum commune declarato. Multo minus hic reperitur injuſta damnificatio, qualis requiritur ad licitum uſum reſtrictionis non pure mentalis. Vide in Tract. *de obligatione diverſorum ſtatuum* §. 7. q. 9. 10. 11. ubi dehac re fuſe egi.

SECTIO X.

De præceptis Eccleſiæ, in ſpecie Jejunandi & dandi Decimas.

QUamvis in Decretis Conciliorum Generalium & in Conſtitutionibus Summorum Pontificum reperiantur complura præcepta Eccleſiæ, in Cathecismis tamen annotari ſolent tantum quinque aut ſex, notatu digniora, quia *magis generalia* per ſui extenſionem ad omnes ferme ſtatus laicorum, & *in praxi uſitatiora*, utpote frequentius recurrentia. P. *Petrus Caniſius* in ſuo Catechiſmo parvo poſuit quinque præcepta ſequentia. 1. Ut obſerventur feſta de præcepto. 2. Ut in diebus feſtis de præcepto audiatur devote Sacrificium Miſſæ. 3. Ut obſervetur jejunium quadrageſimale, & quatuor temporum, & aliorum dierum jejunalium. Item ut die Veneris & Sabbati abſtineatur ab eſu carnium. 4. Ut quilibet annuatim ſemel confiteatur proprio Sacerdoti, & tempore Paſchali Sacram communionem accipiat. 5. Ut diebus prohibitis non celebrentur nuptiæ. *Bellarminus* in ſuo Catechiſmo addidit ſextum præceptum, videlicet *ut dentur fideliter decimæ*. Quia autem *de primo & ſecundo* præcepto jam actum eſt in tertio præcepto Decalogi; *de quarto* autem agitur in Tract. de Euchariſtia; & *de quinto* in Tract. de Sacramento matrimonii, reſtat ſolum agendum *de jejunio* & de decimis. Sit igitur

§. I.

§. I.

De Jejunio.

QUæritur 1. Quid sit jejunium? Et quotuplex?

Respondeo. Jejunium Ecclesiasticum est abstinentia ab esu carnium, & refectione duplici. *Dividitur* in naturale & Ecclesiasticum quod modo descriptum est. Jejunium autem naturale est abstinentia ab omni usu esculentorum vel poculentorum.

Quæritur 2. Utrum ad substantiam Jejunii pertineat potius abstinentia a duplici refectione, quam abstinentia ab esu carnium?

Respondeo Ad substantiam jejunii potius pertinet abstinentia a duplici refectione, quam abstinentia ab esu carnium.

Ratio est, quia illud pertinet ad substantiam legis, ad quod legislator respicit, tanquam medium primarium in ordine ad obtinendos a potiori in majori parte communitatis subditæ fines intentos a lege. Atqui hoc magis fit per abstinentiam a secunda refectione, quam a nuda abstinentia a carnibus.

Quæritur 3. An dispensati ad esum carnium censeantur etiam dispensati ad secundam refectionem?

Respondeo 1. Si dispensatio sit personalis ratione infirmitatis, dispensatio ad esum carnium in dubio præsumenda est fuisse concessa etiam ad secundam refectionem.

Ratio est, quia ea intentio dispensantis præsumenda est, quæ est prudentiæ legibus conformior.

Respondeo 2. Si dispensatio sit personalis tantum ratione indispositionis respectivæ ad cibos esuriales, dispensatus ad esum carnium, non est dispensatus ad secundam refectionem.

Ratio est, quia hanc exceptionem a lege generali Ecclesiæ non petunt nec permittunt leges prudentiæ.

Respondeo 3. Si dispensatio sit localis ratione motivi generalis obtinibilis absque secunda refectione, dispensato esu carnium nec præsumitur esse dispensatum, nec licite potest dispensari ad secundam refectionem.

Ratio est, quia nec Episcopi nec Papa sine casu extraordinario gravis necessitatis potest dispensare quoad substantiam circa legem Institutionis Apostolicæ, qualis est lex Jejunii quadragesimalis, prout patebit ex dicendis.

Quæritur 4. An peccent mortaliter, qui dispensato in Quadragesima esu carnium pro consuetudine diœcesana inolita sumunt secunda refectionem?

Respondeo. Tales peccant mortaliter.

Ratio est, quia ejusmodi consuetudo semper fuit & manet irrationabilis, utpote repugnans substantiæ legis universalis ab Apostolis constitutæ, a qua nec Papa licite dispensat generaliter sine motivo gravi generali exigente non solum dispensationem ad esum carnium, sed etiam ad secundam refectionem.

Quæritur 5. An dispensatus ad esum carnium in quadragesima possit in Dominicis bis sumere refectionem in carnibus?

Respondeo. Censeo, in Dominicis Quadragesimæ dispensatos ad esum carnium posse sumere duplicem refectionem in carnibus.

Ratio est, quia intentio dispensantis regulatur legibus prudentiæ, quæ potius exigunt, in clausula dispensationis, qua præscribitur dispensatis una refectio, non respici ad diem Dominicum, sed tantum ad alios dies, in quibus etiam per cibos esuriales prohibetur secunda refectio, nisi aliud dispensans exprimat.

Quæritur 6. Quinam dispensentur ratione laboris a lege jejunii?

Respondeo. Dispensantur ratione laboris omnes illi & soli, qui per unam refectionem non possunt sine notabili debilitatione virium animi vel corporis decenter obire suos labores urgentes vel imminentes, ex obligatione sui status debitos.

Dixi, *debitos*; si enim ultro velint subire labores nulla ex causa utilitatis vel necessitatis ex obligatione seu lege decentiæ debitos, tenentur iis abstinere, aut nihilominus jejunare ex intentione Ecclesiæ.

Ratio est, quia tales nec exemit vetus Ecclesia, nec eos prudenter eximeret nostro tempore Ecclesia a lege Apo-

stoli-

ſtolica tam utili & neceſſaria ex ejuſmodi motivo inutili ad bonum privatum aut publicum. Hinc merito damnata eſt ab Alexandro VII. illa propoſitio 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati a lege jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

Quæritur 7. Quinam excuſentur a lege jejunii ratione itineris?

Reſpondeo. Illi omnes & ſoli excuſantur ratione itineris a lege jejunii, qui ſub una refectione non poſſunt ſine notabili debilitatione virium animi vel corporis decenter obire ſua negotia urgentia vel imminentia, ex obligatione ſui ſtatus debita.

Dixi, *debita*. Si enim ſuſciperentur tantum itinera voluptuaria, ex hoc motivo inutili ad bonum publicum vel privatum imprudenter diſpenſaret Eccleſia a lege Apoſtolica omnibus fidelibus & toti Eccleſiæ tam utili ac neceſſaria. Hinc merito damnata eſt ab Alexandro VII. illa propoſitio 31. *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

Quæritur 8. Quinam excuſentur a lege jejunii ratione ætatis?

Reſpondeo 1. Excuſantur a lege jejunii juvenes & puellæ ante annum ætatis vigeſimum primum completum.

Ratio eſt, quia, licet antiquitus quoad obſervantiam hujus legis nullum factum ſit ætatum diſcrimen, & adhuc Sæculo XIII. variaverint Authores quoad conditionem ætatis pro obſervatione jejunii requiſitam, unis annos duodecim, aliis ſedecim requirentibus, prævaluit tamen a Sæculo XIV. eorum ſententia, qui annum 21. completum requirunt, cui in re quoad modum obligationis dependente a judicio ſeu determinatione Eccleſiæ, merito aquieſcendum eſt; quamvis, ſi per me ſtaret, pro initio obligationis potius ſtatuerem annum ætatis in puellis duodecimum, in pueris Decimum quartum, niſi ob imbecillitatem judicii, & famis ante annos conſiſtentiæ pruriginem, timenda foret nimis frequens obligationis tranſgreſſio. Incumbit tamen parentibus & Præfectis, ut juniores aſſuefaciant legi prius obſervantia neceſſitatis, antequam urgeat obſervantia virtutis.

Reſpondeo 2. Annus ætatis ſexageſimus, vel alius quiſcunque, non excuſat ab obſervatione jejunii, nullo alio concurrente particulari motivo excuſante laboris, vel infirmitatis.

Ratio eſt, quia, prout recte monſtravit *P. Concina* in obſervationibus ad *Pontaſium* editionis Venetæ, necdum in hanc legis Apoſtolicæ limitationem abiit major pars Eccleſiæ, aut integræ nationis quoad Doctores pietate, eruditione, authoritate, & numero potiores uniforme judicium, quale requireretur ad derogandum legi Apoſtolicæ prius tam univerſali, ac tam utili & neceſſariæ.

Quæritur 9. An lex Jejunii Eccleſiaſtici obliget ſub peccato mortali?

Reſpondeo Affirmative.

Ratio eſt, quia, ſi a fidelibus per tot ſæcula non fuiſſet agnita obligatio gravis, ſed nulla aut levis, non potuiſſet Eccleſia obtinere tam conſtantem & uniformem obſervantiam.

Idem probatur ex 23. propoſitione ab Alexandro VII. damnata, quæ eſt iſta: *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu vel inobedientia hoc fiat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.*

Quæritur 10. Quænam materia ſit gravis vel levis circa fractionem Jejunii? Et quæ licita?

Reſpondeo. Illa eſt *materia gravis* circa fractionem jejunii, quæ in æſtimatione morali æquivalet juſtæ ac temperatæ refectioni alioquin ordinariæ. *Levis autem materia eſt*, quæ extra *refectionem unicam ita excedit neceſſitatem naturæ ad decenter obeundos labores ex obligatione ſui ſtatus debitos, ut tamen in æſtimatione morali non pertingat ad juſtam ac temperatam refectionem alioquin ſibi vel ſui æqualibus ordinariam*. Licita autem materia eſt, quæ extra refectionem unicam non excedit neceſſitatem naturæ ad decenter obeundos labores ex obli-

obligatione sui status debitos. Hæc regula facilis & discreta est, ac praxi & sensui primitivæ Ecclesiæ conformis, prout fuse ostendi in *Theol. Ecclec.* in Tract. *de præceptis*. Si quis autem habere cupiat regulam mechanicam, approbarem potius eam, quam tradit La Croix h. l. n. 1299. his verbis: *Videtur probabilius; quod quantitas* (collationis licita) *restringi debeat ad quartam circiter vel quintam partem prandii, uti habet Busenbaum*. Et num. 1300. *Si quis ad duas uncias tantum excedat quantitatem in collatione permissam, non peccat mortaliter; nam duæ unciæ non sunt materia gravis. Vivaldus, Leander, Tamburinus, aliique cum Diana. Addit Sporer, tertiam partem collationis non fore mortale, quia talis quantitas videtur parva*. Hæ regulæ mechanicæ sunt quidem adhuc moderatæ comparatim ad aliam, quæ in collatione universim permittit octo uncias, hoc est, dimidiam libram pondere pharmacoceutivo, quæ profecto aliena est a sensu & praxi Ecclesiæ veteris. Verum omissis his regulis mechanicis, respectu quorundam ad decenter obeundas suas functiones majori alimento indigentium nimium scrupulosis, respectu aliorum vero ad decenter obeundas suas functiones ea quantitate non indigentium nimium laxis, censeo omnino insistendum *Regulæ* datæ; *quod in collatione cuivis liceat duntaxat eam sumere quantitatem, quæ ad decenter obeundas sui status functiones requiritur & sufficit*.

Hæc Regula probatur 1. ex *S. Hieronymo*, qui in Epist. ad Nepotianum hunc illi jejuniorum modum præscribit: *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes*.

Probatur 2. ex *D. Leone Papa*, qui Serm. 3. de Jejunio septimi mensis sic scribit: *Amplectamur, dilectissimi, beatam vitam sacratissimæ unitatis* (qua tota Ecclesia unanimiter jejunat) *soliditatem; & solenne jejunium concordante proposito bonæ voluntatis ineamus. Nihil a quoquam arduum, nihil asperum quæritur; nec aliquid, quod vires nostras excedit, in dicitur sive in abstinentiæ castigatione, sive in eleemosynæ largitate. Sciunt singuli, quid possint, quidve non possint. Ipsi modulum suum pendant; ipsi justa & rationabili taxatione se censeant. -- Ea vos regula generaliter cohortamur, ut mandatum Dei secundum possibilitatis vestræ mensuram operemini.*

Idem loc. cit. serm. 2. cap. 3. dicit: *In hac observantia* (jejunii) *quamvis omnes nos unanimiter oporteat esse devotos; siqui tamen sunt, quorum voluntati aliqua obsistat infirmitas, laborem*, (jejunii) *qui supra vires est corporum, redimant impendiis facultatum. Dignum est, ut in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo: Quod ergo quis in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat, & propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus, a quo cibum accipit pauper esuriens.*

Circa hunc & priorem textum Divi Leonis observo, quod neuter seorsim accipiendus sit sine temperamento alterius. In sermone 2. moderationem jejunii relinquit cujusvis propriæ discretioni, ac virium propriarum æstimationi. Ne autem judicium intellectus in causa propria excœcaretur ab amore proprio, in sermone 3. addit limitationem, dum vires intendi jubet juxta moralem possibilitatem.

Quæritur 11. An tempore jejunii in collatione prohibeatur non sola ciborum nimia quantitas, sed etiam refectionalis qualitas?

Respondeo. Nisi in casu vel individuo particulari excuset necessitas, non licet sumere cibos refectionales, hoc est, præparatos modo ordinario, quo præparari solent in convivio vel mensa ordinaria.

Ratio est, quia hic modus collationandi refert in communi æstimatione hominum quandam speciem refectionis ordinariæ saltem imperfectæ; hinc iste modus collationandi a plerisque authoribus habetur pro illicito, ut testatur La Croix. h. l. n. 1302 Ex horum proin authorum longe probabiliori sententia sequitur, eos peccare venialiter, qui *ordinarie sine causa speciali excusante* vescuntur ci-

bis calidis refectionalibus, in mensa ordinaria apponi solitis, v. g. offa, piscibus coctis, placentis recentibus, &c.

Nec obstat consuetudo contraria in quibusdam locis introducta, aut probabilitas oppositæ sententiæ extrinseca quorundam authorum. Ista enim probabilitas extrinseca vincitur probabilitate extrinseca opposita, seu numero quadruplo majore authorum nostræ sententiæ; & consuetudo illa, quæ est paucissimorum locorum particularium, ita ut inter decem millia fidelium eam sectetur in plebe jejunantium vix unicus, spectanda semper est tanquam irrationabilis, utpote sublativa magna ex parte difficultatis jure naturali, divino, & Ecclesiastico annexo jejunio placativo, satisfactorio, præservativo, & expurgativo, &c. ex mente Ecclesiæ; adeoque repugnat finibus generatim ab Ecclesia intentis non tantum in casu particulari, sed etiam a potiori respectu plerorumque hominum spectata eorum dispositione communi seu ordinaria. Causæ autem excusantes enumerantur infra q. 26.

Quæritur 12. An licitum sit, pro collatione permiscere panem & vinum vel alium liquorem, & inde coquere velut offam?

Respondeo. Hoc non est illicitum, nisi panis vino aut alteri liquori immixtus simul cum vino constituat unum totum excessivum in quantitate alioquin licita ad comestionem. Ita *Azor*, *Bossius*, & *Diana*.

Nec obstat, quod La Croix h. l. n. 1303. sententiam oppositam dicat esse probabiliorem; quia hic author supponit, ejusmodi mixtum ex pane & vino excedere *consuetam quantitatem comestibilem* in collatione. Unde, ne ejusmodi offa ex vino & pane constituat cibum solidum, qui excedat quantitate limites necessitatis ad obeundos decenter labores ex obligatione status a quovis debitos, curandum est.

Quæritur 13. An licitum sit, in Vigilia Nativitatis Dominicæ, Paschatis, & Pentecostes sumere collationem solito lautiorem?

Respondeo. Id non licet sine speciali dispensatione Pontificia, aut consuetudine notoria integræ alicujus religionis.

Ratio est, quia indecens est, ut *loci particulares* recedant aut discordent ab observantia tam sancta totius reliquæ Ecclesiæ. La Croix h. l. n. 1301. scribit: *Attendenda est consuetudo locorum; hinc Tamburinus & Mendo, negant licere, quia nempe in suis patriis necdum erat ista consuetudo, ut nec in his*. (nempe Coloniæ in Germania, ubi scripsit La Croix.)

Quæritur 14. An peccetur graviter, si sæpius per diem sumantur esculenta in parva quantitate?

Respondeo. Si materiæ parvæ successive excrescant in quantitatem sufficientem ad fractionem jejunii, repetitæ ejusmodi comestiones constituunt peccatum mortale.

Ratio est, quia coalescunt in suo effectu, hoc est, in esse exsatiativo naturæ, in unum totum accidentale graviter repugnans intentioni & finibus Ecclesiæ infra q. 29. referendis. Idem probatur ex propositione 29. damnata ab *Alexandro VII.* quæ sic sonat: *In die Jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium*.

Quæritur 15. An ille, qui semel fregit jejunium, possit illo die licite sæpius comedere?

Respondeo. Talis peccat mortaliter, quoties extra unam refectionem justam eodem die sumit alias refectiones plenas.

Ratio est, quia quælibet refectio plena extra refectionem justam est contemptus formalis aut interpretativus legis Ecclesiæ. Ergo est peccatum mortale. *ant. prob.* a pari. Si princeps aulico ob graves causas sub pœna capitis prohiberet egressum ex urbe vel convivationem cum Petro, vel gestationem armorum &c. non solum primus actus, sed etiam singuli actus subsequentes essent contemptus formalis aut interpretativus principis; imo indignatio ad secundum actum esset eo major, quo actus secundus est inexcusabilior. Et ita teste *La Croix* h. l. n. 1265. docent *Major*, *Medina*, *Montesinos*, *Covarruvias*, *Molanus*, *Sylv.* *Loth.* & alii.

Quæ-

Quæritur 16. An dispensati ad esum carnium possint simul cum carnibus comedere pisces, vel carnes non salubres, v. g. porcinas?

Respondeo. Quando ea dispensatio conceditur ratione valetudinis, & debilis stomachi, ad concoquendos cibos esuriales minus idonei, peccat graviter, qui sibi cum carnibus simul apponi jubet vel sinit pisces aut carnes non salubres.

Ratio est, quia hoc modo agendi exponit dispensationem periculo nullitatis sine causa necessitatis vel utilitatis legitima. Idem *confirmatur* ex declaratione SS. D. N. *Benedicti XIV.* qui declaravit, dispensatis ad esum carnium non esse licitam simultaneam comestionem piscium, aut carnium non salubrium. Hæc declaratio subjicietur.

Quæritur 17. Ad quid obligetur, qui ex causa rationabili transit in aliam Diœcesin, ubi Pascha ac dies Cinerum ob diversitatem calendarii observatur octiduo citius vel tardius?

Respondeo. Taliter transiens animo contrahendi quasi domicilium in aliena Diœcesi in casu favorabili potest, & in casu non favorabili tenetur se conformare observationi illius Diœcesis, in quam transit.

Ratio est, quia hæc est intentio generalis legislatorum, ut quilibet se conformet observantiis ac legibus locorum, in quæ transeunt animo ibi habitandi per majorem anni partem, prout ostensum est Tract. *de Legibus*. Si autem sic transiens solum transit per talem Diœcesin sine animo ibi constituendi quasi domicilium, nec potest gaudere favore loci, nec tenetur ejus observantia; quia lex jejunii quadragesimalis potius est personalis quam localis, utpote inhærens personæ etiam peregrinanti in terras hæreticorum vel gentilium.

Quæritur 18. Quandonam celebrandum jejunium vigiliæ S. Matthiæ, si incidat festum in die Cinerum vel in die Martis præcedentis?

Respondeo. P. Meratus refert duo decreta de 23. Jan. 1694. & 11. Jul. 1699. in quibus fuit responsum, jejunium esse celebrandum in ipsis Bachanalibus. Verum nisi proferantur decreta Generalia a Summo Pontifice edita pro tota Ecclesia, relinquitur Episcopis libertas ordinandi, quod in Domino visum fuerit. Videantur, quæ scripsi *de Rubricis* in fine Tract. de Ordinibus.

Quæritur 19. An sit certa hora præscripta pro refectione tempore jejunii?

Respondeo 1. Non reperitur certa hora præscripta per Constitutiones Ecclesiæ, sed tamen consuetudo Ecclesiæ primis decem sæculis refectionem usque ad tempus vespertinum distulit, donec tandem Ecclesia connivente illud tempus promotum fuerit usque ad meridiem, aut horam undecimam. Cum ergo ea anticipatio refectionis fundetur potius in conniventia Ecclesiæ, quam in lege, habet aliquo modo naturam Privilegii.

Respondeo 2. Licitum est, in meridie sumere collationem, & vespere prandium. Ita P. Sanchez, & Tamburinus cum aliis.

Ratio est, quia, cum anticipatio Refectionis ante vesperam se habeat per modum privilegii, quo nemo tenetur uti, non est ex suo genere malum, sed potius bonum, si refectio more veteris Ecclesiæ differatur in vesperam, nisi hoc ipsum fiat ex motivo majoris ac liberioris voracitatis.

Respondeo 3. Foret tamen peccatum veniale, si quis sine rationabili causa anticiparet notabiliter tempus refectionis ante horam undecimam.

Ratio est, quia Ecclesia hactenus sua conniventia solum indulsit, ut vespertina refectio possit cum Vesperis promoveri ad horam undecimam, non ultra.

Quæritur 20. Quousque liceat potrahere prandium?

Respondeo. Non licet in Quadragesima convivia protrahere notabiliter ultra duas horas. Ita *La Croix*, *Fagundez*, & *Tamburinus*.

Ratio est, quia conviviorum protractio tempore solennis pœnitentiæ repugnat honestati nostræ Religionis coram exteris, ædificationi plebis, & finibus jejunii intentis ab Ecclesia, inferius q. 29. ex D. Leone recensendis. Consuetudo

autem apud Germanos, quam *Gobat* allegat, protrahendi in Quadragesima talia convivia ad quatuor vel quinque horas, nisi concurrat *titulus magnificentiæ* in supremo principe vel magistratu ratione solennitatis concernentis bonum publicum, ac proin *tacita dispensatio* Legislatoris rationabiliter præsumpta, est potius corruptela notoria, quam consuetudo, utpote in personis privatis, præsertim Clericis vel religiosis manifeste irrationabilis.

Quæritur 21. An & quomodo liceat interrumpere prandium tempore jejunii?

Respondeo 1. Si prandium comprandentium in æstimatione morali jam fuerit clausum, non licet ordinare nova fercula, pro continuatione convivii.

Ratio est, quia in tali casu novorum ferculorum importatio haberet speciem novæ refectionis, & cederet in contemptum atque sordidam, ne dicam scurrilem, elusionem legum sacratissimarum Ecclesiæ.

Respondeo 2. Si quis interrumpat prandium causa obedientiæ vel alterius necessarii negotii, recte redit ad perficiendum prandium.

Ratio est, quia non censetur finitum, quod tantum fuit sepositum animo, illud statim finito negotio resumendi & complendi. Nec interest, etiamsi negotium duret per duas vel tres horas.

Respondeo 3. Si quis completa justa refectione surgat e convivio facta declaratione aut capta firma resolutione non redeundi, non licet redire ad convivium post notabile temporis spatium, quia in æstimatione morali hominum censeretur inchoare novam refectionem. Notabile autem temporis spatium censetur apud authores spatium semihoræ.

Respondeo 4. Si prandium differendum sit in longius tempus, licet sumere parum aliquid cibi, si id exigat necessitas ad decenter interea obeundas suas functiones. Ita communis.

Quæritur 22. An liceat dividere justam refectionem pro prandio & collatione?

Respondeo 1. Id per se non licet.

Ratio est, quia illa divisionis licentia vergeret in praxin communem repugnantem perpetuæ observantiæ, intentioni, ac finibus Ecclesiæ, infra in q. 29. ex *D. Leone* recensendis. Tolleretur enim præcipua arduitas jejunii satisfactoria, placatoria, expurgatoria & præparatoria.

Respondo 2. Aliud dicendum, si accedat rationabilis causa, v. g. itineris, in quo non habetur commoditas sumendi vel inveniendi unam justam refectionem.

Respondeo 3. Ob hanc causam etiam excusari possunt homines pauperis conditionis, aut talis status, inter quos ob rationabilem causam non datur simul ac semel justa refectio, prout solet fieri apud rusticos, in quibus prandium & cœna non solet æquare unam refectionem divitum. In tali enim casu domestici, etiam patres & matres familias alioquin non assueti mensæ separatæ, possunt se ex conniventia Ecclesiæ conformare domesticis, etiamsi illis alioquin non tam stricte æquentur laboribus.

Respondeo 4. In casu extraordinario, quo sumendum est mane jentaculum ex causa rationabili, non licet in prandio sumere refectionem ordinariam, nisi excuset necessitas ad decenter obeundos labores. Præsumendum enim potius est, eam esse mentem ac intentionem Ecclesiæ, ut in ejusmodi casu potius refectionis justæ divisio, quam finium legis frustratio.

Quæritur 23. An frangat jejunium sumptio poculentorum?

Respondeo 1. Sumptio poculentorum *per se juxta exigentiam naturæ facta* non est illicita. Ita ferme omnes.

Ratio est, quia sola potatio sine sumptione esculentorum respectu plerorumque hominum, & via ordinaria, ad quam leges respiciunt, non tollit vacuum stomachi sani & arduitatem jejunii. Poculenta enim proprie dicta ex stomacho celerrime transeunt in viscera, & venas lacteas &c.

Respondeo 2. Si tamen quis frequenter

ter per diem sumeret poculenta valde nutritiva & satiativa absque exigentia naturæ ad eludendam arduitatem legis Ecclesiasticæ, peccaret mortaliter.

Ratio est, quia sapit magnam irreverentiam, inobedientiam & defectum amoris erga matrem Ecclesiam, si quis studiose intendat eludere arduitatem legis Ecclesiasticæ tam utilis ac necessariæ ad expurgationem, ac sanctificationem fidelium per fines ab Ecclesia intentos, infra ex D. Leone recensendos.

Respondeo 3. Hinc frequens sumptio chocolatæ extra tempus refectionis & collationis non caret peccato; &, si jejunii legem quoad substantiam frustret finibus ab Ecclesia intentis, illud erit peccatum mortale. Frustra in excusationem a talibus ostenditur jus ad poculenta. Hoc enim genus, cum sit verissima offa, in stomacho non instar aliorum poculentorum cito transiens, sed hærens, ibique digerenda, imo sit in materiam priorem comestibilem facta præcipitatione partium facile reducibilis, non participat proprie naturam rei poculentæ, sed potius sorbitiunculæ, & rei medicatæ, cujus partes solum ope liquidi facilius deferuntur in stomachum ibique parietibus stomachi instar pulveris inhærent, ac divisim minori labore digeruntur. Idem sentiendum de aliis ejusmodi sorbitiunculis electuariorum idoneis ad nutritionem. Cæterum, si potus Chocolatæ sumatur mane a personis ex motivo juvandi debilitatem stomachi, vel ex motivo necessitatis ad decenter obeundos labores capitis, culpa vacat.

Quæritur 24. Quantum liceat sumere panis, vel alterius electuarii ad potum?

Respondeo. Præcise tantum, quantum sufficit ad hoc, ne noceat haustus. Hic enim finis solus pro excusatione prætenditur.

Quæritur 25. An liceat tabacum fumare, aut poma, limonia, uvas, &c. sumere pro sedanda siti, aut fame?

Respondeo 1. De fumigatione tabaci omnes conveniunt, quod liceat tempore jejunii; quia tabaci salia volatilia non nutriunt, sed tantum excitant activitatem partium nutritioni inservientium.

Respondeo 2. Uvas tamen, poma, & limonia comedere non licet pro sedanda siti; licet eorum succum exprimere, & in defectu alterius poculenti sumere liceat in modica quantitate, si ex siti timeretur nocumentum sanitati. Cessante autem periculo nocumenti, aut præsente alio idoneo poculento, nec sumptio hujus succi licita est, quousque in æstimatione morali potius spectatur tanquam pars rei comestibilis, quam potabilis.

Quæritur 26. Quales personæ excusentur vel non excusentur a lege jejunii?

Respondeo 1. Excusantur generatim 1. *pauperes*, qui regulariter non habent esculenta sufficientia ad honestam refectionem unicam. Id enim ipsis indulgere censeo piam matrem Ecclesiam. 2. Idem extendi oportere censeo ad *incarceratos*, quibus non præbetur justa refectio. 3. *Periclitantes de gravi damno* sanitatis vel alterius boni ex jejunio. Huc referunt authores illas personas, quæ non possunt dormire sine refectione vespertina; quæ habent duo cauteria; quæ exercent laborem conjunctum cum magna agitatione corporis, v. g. arando, fodiendo, secando lapides, portando onera, texendo pedum adminiculo, remigando, urbem percursando, &c. 4. Uxores gravidæ jam expleto mense quinto gravidationis, & lactentes.

Respondeo 2. Non excusantur autem 1. puellæ nubiles ex jejunio timentes quandam transitoriam deformationem vultus. 2. Nec barbitonsores non excurrentes. 3. Nec scribæ. 4. Nec fatigati ex opere illicito, aut voluptuario. 5. Nec conjuges præcise titulo exigendi debitum. 6. Nec vacantes exercitio pietatis alioquin indebito, v. g. flagellationi, aut crucis bajulationi. 7. Nec monachi aut musici ratione chori, &c. Hæc enim omnia motiva, nisi cum opere alioquin honesto & ex obligatione debito concurrat periculum lædendæ sani-

ſanitatis aut incurrendæ impotentiæ ad decenter obeundos labores ſui ſtatus, non prudenter ſpectatis finibus ab Eccleſia efficaciter intentis inferius ex D. Leone recenſendis acceptantur ab Eccleſia.

Quæritur 27. An detur obligatio, abſtinendi a lacticiniis tempore jejunii Eccleſiaſtici? & qualibus?

Reſpondeo. Datur hæc obligatio in omnibus provinciis, in quibus primæva ſuſceptione Chriſtianiſmi introducta, aut per Conſtitutiones ſupervenientes Eccleſiaſticas pro lege poſita ac reſpecta eſt. Intelliguntur autem per lacticinia omnes cibi provenientes ex animalibus, nempe ova, lac, butirum, caſeus. Id *probatur* ex propoſitione 32. ab Alexandro VII. damnata, quæ ſic habet: *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget*.

Dixi, ubi ea conſuetudo a prima ſuſceptione Chriſtianiſmi ſuſcepta, vel per legem introducta eſt. *In* Germania enim eam conſuetudinem non viguiſſe teſtatur ſæculo nono *Æneas* Epiſcopus Pariſienſis in Apologia contra Græcos, ut habetur in Fleuryo ad annum 868. niſi quoad perſonas quaſdam particulares ex devotione.

Quæritur 28. An, & quomodo graviter peccetur vel non peccetur contra legem abſtinentiæ a carnibus? vel lacticiniis?

Reſpondeo 1. Peccant graviter, qui comedunt tempore jejunii in notabili quantitate lacticinia, aut *carnes* animalium *non aquatilium*, niſi quoad lacticinia gaudeant immunitate locali, nationali, vel perſonali. *Aquatilia* autem animalia ſunt, quæ aut perpetuo vivunt in aquis, aut maxima parte nutriuntur ex aquis, nempe ex piſcibus. *Carnes* autem vocantur partes comeſtibiles animalium præditorum ſanguine communiter dicto.

Reſpondeo. 2. Peccant graviter, qui ſcienter ſine ullo motivo alio rationabili aut paſſionis impulſu parum carnis comedunt. Id enim ſapit contemptum formalem legis. Si autem ex paſſione gulæ parum carnis comedat, peccat venialiter. Parum voco circiter quartam juſtæ refectionis partem. Si autem ex cauſa rationabili parum comedat, omnino non peccat. Imo, ſi commode non poteſt habere alios cibos, v. g. in itinere, & concurrat magna difficultas ope aliorum ciborum decenter obeundi ſua negotia, recte petit aut ſupponit diſpenſationem. Eandem recte ſupponunt pauperes in die cinerum quoad reliquias carnium, ubi ea conſuetudo ex conniventia Epiſcoporum vel aliorum Superiorum Eccleſiaſticorum diſpenſantium aut ex Epikia declarantium viguerit; quibus tamen incumbit invigilare, ut omnis abuſus tollatur, aut quantum fieri poteſt reſtringatur admonendo divites, ut adhuc in die Martis pauperibus finita mature cœna reliquias diſtribuant. Cæterum ſuadeo, ut Confeſſarii circa ejusmodi leges Eccleſiaſticas ultra limites veri cultus divini & honeſtatis publicæ in Eccleſia Dei non ſint ſuperſtitioſi.

Quæritur 29. Quales requirantur cauſæ ad licite urgendam & conferendam generalem diſpenſationem in Quadrageſima a lege jejunii?

Reſpondeo. Pro diſpenſatione generali ad eſum carnium ſtante obligatione ad unam refectionem requiritur cauſa gravis; ſed pro diſpenſatione generali ad duplicem refectionem requiritur *graviſſima & urgens neceſſitas*. Ita declarat SS. D. N. *Benedictus XIV.* in ſua Bulla: *Non ambigimus* edita anno 1741. ad omnes Epiſcopos.

Ratio autem hoc aſſerendi, quam Summus Pontifex aſſignat, eſt triplex. Nam 1. Jejunium Quadrageſimale eſt ab ipſis Apoſtolis traditum, a Conciliis ubique præſcriptum, & ab Eccleſia per modum legis ſacratiſſimæ ſemper cuſtoditum. 2. Praxis diſpenſandi generaliter ad duplicem refectionem eſt novella, & perpetuæ obſervantiæ omnium Eccleſiarum uſque ad Sæculum XVII. contraria. 3. Hæc praxis tam faciliter ac generaliter diſpenſandi repugnat finibus a Chriſto ad ſanctificationem ſuæ Eccleſiæ intentis, quæ deſtructio generalis tot ac talium finium non eſt leve peccatum.

catum. Fines vero, quos *S. Leo* in variis suis Sermonibus Quadragesimalibus enumerat, sunt sequentes.

1. Jejunio mente pura & serena propinquatur Deo.

2. Per jejunium vitia blanda carnis superantur.

3. Per jejunium excoquuntur castæ cogitationes, & sana consilia, & voluntatis bona proposita.

4. Concupiscentia innata moritur aut notabiliter edomatur.

5. Spiritus innovatur virtutibus.

6. Parsimonia victus præbetur facultas subveniendi pauperibus, viduis, pupillis, peregrinis, nudis, ægris, &c.

7. Jejunio fit animus adversus peccata fortior.

8. Motus concupiscentiæ vincuntur.

9. Tentationes repelluntur.

10. Superbia humiliatur.

11. Ira mirigatur.

12. Bonæ voluntatis affectus ad maturitatem virtutis enutriuntur.

13. Contracta ex innumeris tentationibus vulnera sanantur.

14. Innumera peccatorum debita redimuntur.

15. Mens a strepitu cupiditatum corporalium liberatur, sicque fit idonea, ut vacet sapientiæ divinæ ac delitiis lætetur æternis.

16. Per jejunium purificatur mens a culpis, & affectibus terrenis, sicque præparatur ad digne recipiendam S. Communionem paschalem.

17. Boni contrahunt jejunio bonam consuetudinem, fortius resistendi vitiis & melius insistendi virtutibus.

18. Conjugati aquirunt potentiam servandi leges matrimonii, ne excedant aut in peccata mortalia, aut in innumera venialia circa usum matrimonii incidant.

19. Satisfit pro peccatis.

20. Obligatio tendendi ad perfectionem Christianam cujuslibet statui congruam, quam habet quilibet, magna parte urget ad jejunium, utpote quo intellectus perficitur, & purificatur conscientia.

21. Jejunium plurimum valet ad promerendum divinum auxilium, contra hostes animæ necessarium.

22. Aliquod genus dœmoniorum, præsertim eorum, qui vim & dominatum suum in homine exercent per concupiscentiam, non ejicitur, nisi per jejunium junctum orationi. Sic enim constitutum est justo judicio Dei.

23. Deus iratus, dum exercet vindictam in populos immissis plagis publicis, non placatur nisi jejuniis communibus & publicis.

24. Abstinendo a licitis contrahitur facilitas abstinendi ab illicitis.

25. Jejunio disponitur animus ad gaudendum in solo Deo, suo summo bono, & in divinis.

Hi ergo sunt fines a Deo & Ecclesia præstabiliti atque intenti, qui generaliter atque a potiori in hac providentia non possunt a Deo sperari atque exspectari sine lege jejunii. Si ergo Deus & Ecclesia efficaciter volunt hos fines, utpote necessarios ad finem primarium seu sanctificationem Ecclesiæ, non possunt non velle medium ad illos fines necessarium, nempe obligationem quadragesimalis jejunii. Videant ergo Episcopi, quomodo rationem dare poterunt Deo, si dispensationes a lege jejunii non solum quoad esum carnium, sed etiam quoad refectionem secundam concedant generaliter ob motivum commoditatis temporalis, quasi vero in statera æstimationis divinæ non plus valeant fines enumerati, qui frustantur, quam fines per dispensationem intenti. Quoad dispensationem ad secundam refectionem non poterunt prætendere ignorantiam invincibilem, cum tam aperte reclamet Summus Pontifex, non novam legem statuendo, sed divinam & Ecclesiasticam declarando. In hoc genere præceptorum ad omnibus præ oculis habenda est illa regula generalis, quæ continetur in Epistola D. Barnabæ Apostoli, ubi num. 21. sit scribit: *Etiam atque etiam postulo a vobis, ut sitis vobismetipsis boni legislatores, & ut perseveretis vobismet ipsis esse consiliarii fidi.* Ἔτι καὶ τι ἐροτῶ ὑμᾶς, ἑαυτῶν γίνεσθε νομοθέται ἀγαθοὶ. μένετε ἑαυτῶν σύμβουλοι πιστοὶ.

Itaque in iis, quæ a lege quoad modum præcepti determinata non ſunt, tenetur quilibet ſuus eſſe legislator. Et cum legislatoris ſit, ordinare leges ab bonum commune, id eſt media neceſſaria ad fines generales præſtabilitos, ſequitur, eum modum jejunii a quovis ſibimetipſi imperandum eſſe, quem judicat neceſſarium ad obtinendos, ut a potiori ac ut in pluribus fines primarios Jejunii ſupra recenſitos. Hoc præſuppoſito principio quis adeo cœcus eſt, ut non videat, plures modos jejunandi qui uſu vigent, non eſſe natos aptos, ſpectata communi natura hominum, a potiori ac in pluribus ad obtinendos illos fines Jejunii a Legislatore intentos? Hæc autem cum propria cuivis dictet conſcientia, non eſt veroſimile, transgreſſores excuſandos ex conſcientia aliena.

§. II.

De Decimis.

QUæritur 1. Quid ſint Decimæ?

Reſpondeo. Decimæ ſunt *decima pars fructuum, vel animalium, Dei benedictione obvenientium, proprio Sacerdoti perſolvenda.* Hæc eſt natura decimarum. Hinc illæ decimæ, quæ non ſolvuntur propriis Sacerdotibus, vel amiſerunt ſuam naturam retenta ſolum quadam analogia cum primæva ſua natura, vel ſunt in perpetuo ſtatu violento. Quidam inter decimas etiam computant decimam partem *lucrorum* ex opificio obvenientium; ſed Conciliorum antiqui Canones non faciunt mentionem de lucris, ſed de fructibus, & animalibus.

Quæritur 2. Quotuplex eſt genus decimarum?

Reſpondeo. Eſt multiplex. Dividuntur enim 1. in *Eccleſiaſticas* & *Laicales* 2. In *Reales*, *Perſonales*, & *mixtas*. 3. In Decimas *majores* & *minores*. 4. In Decimas *novalium* & *antiquas*.

Decimæ eccleſiaſticæ ſunt, quæ ex primæva ſua inſtitutione pendebantur proprio Sacerdoti intuitu miniſterii ſacri ad ejus ſuſtentationem, nunc autem etiamnum ad ſuſtentationem perſonarum Eccleſiaſticarum ordinantur.

Laicales decimæ ſunt, quæ ex ſua quidem primæva inſtitutione pendebantur proprio Sacerdoti intuitu miniſterii ſacri ad ejus ſuſtentationem, injuria autem temporum venerunt in manus laicorum. Hæ decimæ laicales, quando *Dominium* earum *directum* translatum eſt in laicos, dicuntur *ſæcularizatæ*, ſeu *mere laicales*. Quando autem earum ſolum *Dominium utile* translatum eſt in laicos, Dominio directo adhuc remanente apud perſonas Eccleſiaſticas, vocantur tantum ſimpliciter *laicales*.

Decimæ reales, ſeu prædiales dicuntur, quæ penduntur ex fructibus, quos natura vel ſua ſponte, vel per humanam induſtriam adjuta profert. Tales ſunt decimæ ex fructibus agrorum, pratorum, vinearum, arborum, olerum, &c. aut ex fœtibus animalium.

Perſonales decimæ dicuntur, quæ penduntur ex lucro animalium aut fructuum principaliter humana induſtria parto. Tales ſunt decimæ animalium captorum ex venatione, aucupio, piſcatione. Huc etiam referuntur *decimæ impropriæ dictæ* ex lucro per negotiationem, artificium, officium, ſtipendium &c. parto. Sed hæ præſtationes merentur potius nomen *penſionis*, *collationis*, aut *decimæ ſimilitudinariæ*, quam decimæ ſimpliciter dictæ.

Decimæ mixtæ ſunt, quæ penduntur ex rebus partim beneficio naturæ, partim induſtria humana æquo Jure partis. Tales ſunt decimæ ex caſeo, & butyro, &c. in quibus æquale Jus natura & humana induſtria ſibi vendicant.

Decimæ majores nominantur, quæ penduntur ex fructibus communiter pretio & dignitate potioribus, puta ex frumentis, vino oleo, &c.

Decimæ minores dicuntur, puæ præſtantur ex rebus pretio & dignitate vilioribus. Tales ſunt decimæ ex fructibus hortorum, leguminum, arborum; ex fœno, lino, cannabe, rapis, cepis, milio, lupinis, piſis, ciceribus, lana, caſeo, butyro, item decimæ *carnaticæ*, Blut-Zechend/ ex partu animalium, puta

ex

ex agnellis, vitulis, pullis gallinarum, ſuculis, &c.

Decimæ novalium vocantur, quæ penduntur ex fructibus terræ noviter coli cœptæ.

Decimæ antiquæ dicuntur, quæ penduntur ex fructibus terræ jam ab antiquo coli cœptæ.

Quæritur 3. An ſolutio decimarum ſit Juris naturalis, divini, vel poſitivi?

Reſpondeo. Solutio decimarum eſt *quoad ſubſtantiam* Juris naturalis & divini, *quoad modum* vero eſt Juris poſitivi partim Civilis partim Eccleſiaſtici.

Probatur 1. Juris naturalis ac divini eſt, impendere partem tantam bonorum benedictione divina ſibi obvenientium in cultum Dei publicum per ejus miniſtros decenter obeundum, qua Deus poſſit & velit eſſe contentus. Sed hæc eſt pars decima fructuum divina benedictione homini obvenientium. Ergo *min. prob.* Deus ipſemet ſæpius in lege naturæ, ſcripta, & chriſtiana per ſuos prophetas & Doctores Eccleſiæ luminibus ſupernis præditos ac conſtitutos in candelabro Eccleſiæ declaravit, ſe fore contentum decima parte ejusmodi bonorum. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione. Sic 1. Abraham, adhuc conſtitutus in lege naturæ, cum ſciret, a Caino cultum Deo impenſum eſſe per oblationem frugum, ab Abele vero per oblationem primogenitorum gregis ſui, veroſimiliter ex traditione Noemi aut inſpiratione divina edoctus cenſuit, Deum ſecum contentum fore, ſi ſaltem decimam bonorum a Deo acceptorum partem impenderet in cultum Dei publicum per ejus ſacerdotes eximios ex profeſſo actibus religionis incumbentium decentiſſime obeundum. De illo enim Gen. 14. v. 18. ſcribitur: *Melchiſedech rex Salem* (Jeroſolymæ) *proferens panem & vinum; erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei* (Abrahamo) *& dedit ei* (Abrahamus) *decimas ex omnibus*. Ad quem locum Apoſtolus ad Hebræos C. 7. ſic ſcribit: *Hic Melchiſedech, rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde regum, & benedixit ei; cui & decimas omnium diviſit Abraham. Intuemini, quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* 2. Patriarcha *Jacob* Gen. 20. v. 22. licet, excepta ſola lege circumciſionis, adhuc eſſet conſtitutus in lege naturæ, nihilominus tanquam rem, qua Deus poſſet & vellet ex ſuis bonis eſſe contentus, dicit: *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſusque fuero proſpere ad domum patris mei, cunctorum, quæ dederit mihi decimas offeram tibi*. 3. In lege Moſaica multæ extant leges de ſolvendis Decimis pro ſuſtentatione tribus ſacerdotalis ſeu Leviticæ, cui Joſue in diviſione terræ nullam aſſignavit portionem, quia illi aſſignavit Decimas ex omnibus aliis tribubus, ſub titulo; quod Decimæ ſint pars, ſeu portio bonorum. Deo & ejus miniſtris communis, ac proin titulo reſervationis jure naturæ Deo debita. Ob eam communionem bonorum inter Deum & ejus Miniſtros, quod pars tribus Leviticæ Deus ſit & Sacerdotium Joſ. 18. v. 6. 4. Chriſtus in nova lege confirmavit hanc legem ſolvendi decimas. Matthæi 23. dicit: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Loquitur hoc loco Chriſtus de dantibus, non de accipientibus decimas. 5. Hunc morem ſolvendi decimas ex parte aliqua ſaltem quoad ſubſtantiam manſiſſe apud Chriſtianos ex Judaiſmo converſos, eumque ſenſim tranſiiſſe ad Chriſtianos ex gentibus converſos, colligitur *primo* ex *Conſtitutionum Apoſtolicarum* l. 7. C. 30. ubi dicitur: *Dabis ſacerdotibus omnes primitias torcularis & areæ & vindemiæ & meſſis, boum atque ovium; dabis omnem decimam pupillo & viduæ t pauperi, & proſelyto. Dabis etiam ſacerdotibus primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum, ſive baccarum, uvæ, aut aliorum fructuum. Secundo*, Patres tam Græci quam Latini hortantur fideles ad dandas decimas, quamvis tantum ultro offerendas ob quandam

con-

convenientiam exempli veteris in lege naturæ & ſcripta approbati a Deo. *Irenæus* l. 4. C. 34. *Judæi decimas habebant conſecratas . Qui autem libertatem aſſecuti ſunt, omnia, quæ ſunt ipſorum, ad Dominicos decernunt uſus, hilariter & libere dantes ea.* *Juſtinus* Martyr in Apologia II. *Qui copioſiores ſunt & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt, & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur, atque inde opitulatur pupillis & viduis.* *Cyprianus* ſerm. de Eleemoſ. ait: *Qui poſſeſſor in terris reditus ac fructus ſuos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac juſtus eſt, Dei imitator eſt.* Et l. 1. Epiſt. 9. *Qui ad ordinationem Clericalem promoventur, in honore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes ab altaribus non recedant*]. *Tertullianus* in Apologetico. *Modicam unusquisque ſtipem menſtrua die vel cum velit, & ſi modo poſſit, apponit; nam nemo compellitur, ſed ſponte confert; hæc quaſi depoſita pietatis ſunt.* Verum quia hæc liberalis ſpecies decimationis non ſemper ſuffecerat, Concilium *Illiberitanum* Can. 19. anno 300. & *Carthaginenſe* tempore S. Auguſtini adhuc permittunt, opificio vel negotiatione intra provinciam victum quærere, quod non contigiſſet, ſi gaviſi eſſent jure decimandi ſeu exigendi decimas tanquam ex obligatione jam declarata & menſura determinata debitas. *Tertio*, *D. Chryſoſtomus*, *D. Hieronymus*, *D. Auguſtinus*, *Leo & Anthemius Imperatores* ſæculo quarto exeunte, & ſæculo quinto jam agnoſcunt ac urgent in fidelibus conſuetudinem & obligationem ſolvendi decimas, licet hi Imperatores prohibuerint, eas decimas exigi ſub cenſura excommunicationis vel ſub denegatione Sacramentorum in diſtrictu Patriarchatus Conſtantinopolitani. Cum ergo Clerici decimas tanquam jure debitas exegerint, & nulla monſtretur origo tam univerſalis conſuetudinis in ulla lege Imperatoria, veroſimile eſt, ad obligationem decimarum primo ſub hoc modo determinandam ac fundandam concurriſſe tria principia. 1. *Obligationem juris naturalis ac divini* ex fructibus primario ex benedictione divina perceptis recognoſcendi authorem conteſtatione publica per oblationem portionis notabilis, arbitrio divino ſignis aut verbis divinis, aut Vicariorum Dei ſententiis declarato acceptabilis, ad cultum Dei publicum per ejus miniſtros, aliosque ſervos Dei ad ſervitium Dei ſolenne adſcriptos obeundum. 2. *Eccleſiæ declaratio*, qua portione fructuum Deus in conteſtationem ſuæ beneficentiæ ſibi reſervatorum poſſit convenienter & velit eſſe contentus 3. *Conniventia, permiſſio, ac conceſſio* Imperatorum, Regum, ac Ptincipum. Hæc omnia probantur ex teſtimoniis coævis, nam *Leo & Anthemius* Imperatores jam anno 460. ſupponunt introductam conſuetudinem decimandi & obligationem, dum præciſe prohibent, ne decimarum exactio fiat a Clericis ſub cenſuris, & quidem in ſolo Patriarchatu C. P. ubi contra contumaces poterat facilis haberi recurſus ad Imperatorem: imo ſic ſtatuendo tacita conniventia, permiſſione, ac conceſſione confirmat obligationem. Imperatores præfati C. l. 39. l. 1. Tit. 3. de Epiſcopis & Clericis ſic habent: *Non oportet, Epiſcopos aut Clericos cogere quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare, quamvis uſus ita obtinuerit. Transgreſſor cadit ab Eccleſia & adminiſtratione ipſius, & dat decem libras. Hæc vero obtinent in ſola Imperatrice* (civitate) *& territorio ejus, & locis ad eos, qui a Patriarcha ordinantur, pertinentibus, aut ad ordinatos ab his Epiſcopis.* Similem conſuetudinem & obligationem etiam recognovit, eidemque ſolam *conceſſionem*, ſeu permiſſionem confirmatoriam anno 560. addidit Chlotharius Rex Galliæ, dum in ſua conſtitutione num. 11. ſic habet: *Agraria, paſcuaria, vel decimas porcorum Eccleſiæ pro fidei noſtræ devotione concedimus, ita ut actor vel decimator in rebus Eccleſiæ nullus accedat.* De obſervantia autem ſolvendi decimas jam ſæculo quarto &

quinto

quinto Thomassinus Tom. 3. vet. Discipl. l. 1. C. 4. & 5. varia adducit testimonia. Sic *Epiphanius* Hæresi. 80. C. 5. & 6. quosdam Sacerdotes laudat, qui *primitias & oblationes* cum pauperibus partiuntur. *Concilium Grangense Sæculo IV.* can. 7. & 8. quosdam monachos carpit, quod *sibimet vindicent primitias frugum Ecclesiasticas, & oblationes eorum, quas veterum institutio Ecclesiis tribuit*. *Gregorius Naz.* Epist. 80. *Quemadmodum areæ & torcularis primitias Deo consecrare justum ac pium est, quoniam ab ipso & ipsi & nostra omnia sunt, ita novæ quoque hæreditatis*. *Chrysostomus* in Acta Hom. 18. suadens exstructiones Ecclesiarum parochialium cum collatione decimarum pro sustentatione sacerdotis pro motivo allegat, quia sic Deus obligatur fundatori, & quia hoc est solatio magno. *Parumne est, Deum ex omnibus frugibus tuis partem & primitias frugum primum accipere*. *Idem* in Epist. ad Ephes. Hom. 5. *Si tunc* (apud Judæos) *erat periculum, decimas non relinquere, cogita, quantum nunc sit*. Ex hoc textu patet, a D. Chrysostomo timeri, ne graviter Deo displiceat tenacitas eorum & avaritia vel irreligiositas, qui recusabant dare decimas. Itaque infero, non extitisse legem positivam Ecclesiæ; alioquin contravenientes scivissent, se peccare graviter, sed tantum legem naturalem ac divinam & sensum communem Ecclesiæ, contra quæ ex falso dictamine operari periculosum est. *D. Augustinus* Hom. 48. inter 50. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Majores nostri copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant; modo autem, quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo, modo autem totum tollitur*. *Idem* l. 2. quæst. Evang. C. 34. *Quisquis operatur in Christi Ecclesia abundat justitia ejus super Scribarum & Pharisæorum, ut cum illi decimas darent, isti dimidias dent. Aut certe duplicent decimam, & duas decimas dando superet impendia Judæorum*. Et Serm. 219. de temp. *Jam prope sunt dies, in quibus messes colligere debemus, de offerendis, imo de reddendis decimis cogitemus. Deus enim, qui dignatus est totum dare, NB. decimam dignatur a nobis repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam: Quod si Decimas non habes fructuum terrenorum, quodcunque te pascit ingenium, Dei est. Inde decimas expetit, unde vivis. De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Primitias rerum & decimas dignatur petere & negas avare? Quid faceres, si partibus* (novem) *sibi sumptis tibi Decimam reliquisset?* Idem in Psal. 146. docet, Christum esse Imperatorem, cujus fisco saltem per decimas satisfaciendum est: *Nunquam*, inquit, *hoc facietis* (ut debita vestra apud hunc Imperatorem expungatis) *nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, quod cuique placet pro necessitate rei familiaris suæ tanquam debitum quasi fisco reddendum. Si* (an) *non habet Rempublicam suam Christus? Non habet fiscum suum? Præcidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris. Exime aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis? Decimas exime; quanquam parum est. Dictum est enim, quia Pharisæi Decimas dabant. Et Dominus ait: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et ille, super quem debet abundare justitia tua, Decimas dat, tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum, cui nec æquaris?* Ibidem S. Doctor testatur, Decimas ejusmodi non fuisse determinate exactas a Clero, sed relictas esse discretioni fidelium: *Efficite, ut vos ipsos exigatis, efficiemini exactores vestri, Christus exigit tacitus*. Hinc S. Augustinus Serm. 219. solum hortando petit. *Qui sibi aut premium comparare, aut peccatorum desiderat indulgentiam promereri, reddat Decimam, & de novem partibus studeat eleemosinam dare pauperibus*. *Cassianus* collat. 21. C. 2, & 3. refert quendam sermonem Joannis monachi ad plebem, afferentem decimas ad monachos, forte quia in vicinia non erat alius parochus, eum sic perorantem inducit: *Gratanter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigen-*

digentium usibus profuturas, velut sacrificium Domino bonæ suavitatis offertis. Quam devotionem fideliter exequentes, scitote vos legis antiquæ justitiam consummasse, sub qua tunc positi & transgredientes reatum inevitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem nihilominus pervenire non poterant. Justi autem (in nova lege) *quibus lex non est posita, sic probantur non esse sub lege, ut justitias legis non solum implere, verum etiam superare contendant, sitque devotio eorum legali major imperio, quæ observantiam cumulans præceptorum voluntaria addat ad debita.* D. *Hieronymus* in Epistola ad Nepotianum vitam Clericorum exprimens scribit: *Si ego pars Domini sum* (sicut in V. T. tribus Levi Josuæ 18.) *& funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras Tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & Altari serviens Altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum his contentus ero. Idem* in C. 3. Malachiæ. *Quia Decimas & Primitias Levitis populus non reddebat, seipsum dicit Dominus fraudem sustinere, cujus Ministri fame coacti & penuria templum deseruerint. Quia fraudastis me parte mea, hortor vos, ut inferatis decimas in thesauros templi. Si enim per alios visitatur in carcere & ægrotus suscipitur, & esuriens, sitiensque cibum accipit atque potatur, cur non in Ministris suis ipse Decimas accipiat,* (hoc est, accipere dici possit) *& si non dentur, parte sua ipse privetur?* (hoc est privari dici possit?) *Quod de Decimis Primitiisque diximus, quæ olim dabantur a populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligitur; quibus præceptum est, non solum Decimas dare & Primitias, sed & vendere omnia, quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere nolumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum referamus.*

Hæc omnia *confirmantur* ex praxi Gentilium, qui & ipsi solvebant Sacerdotibus decimas. Apud Babylonios omnium, quæ inferebantur, solutas fuisse Decimas, testatur *Aristoteles* l. 2. œconomicorum. Veteres Diis vovisse Decimam, habetur l. 2. ff. de pollicitationibus. Ex his ergo Patrum textibus duo inferuntur magni momenti documenta. *Primo*, quod obligatio solvendi Decimas sit *quoad substantiam* juris naturalis ac divini. *Secundo*, quod obligatio solvendi decimas non sit *aggravatio* sed *alleviatio* juris naturalis ac divini. Cum enim jure naturali ac divino Deo deberetur non solum major pars bonorum sed etiam totum nostræ sustentationi residuum, prout D. Augustinus ratiocinatur, Deus onus indeterminatum hujus gravissimæ obligationis alleviare cupiens se decima parte contentum esse velle in Lege Mosaica professus est. Et cum hæc declaratio Dei nec pertineat ad præcepta *cæremonialia*, utpote allegorica seu præfigurativa futurorum adimplendorum in Christo & ejus corpore, quod est Ecclesia; nec ad præcepta *judicialia*, utpote non directa immediate ad plebem, sed ad Judices, consequitur, eam legem de reddendis Decimis esse *declarativam* legis naturalis, & divinæ anterioris, adeoque eam ex sua natura esse *perpetuam*.

Quæritur 4. Quo tempore obligatio reddendi Decimas *quoad modum* præsentem cœperit esse Juris positivi? Et cujus? Civilis vel Ecclesiastici?

Respondeo. Obligatio solvendi Decimas *quoad modum* coaluit per leges Conciliorum particularium *declarativas*, & Regum compulsivas sæculo sexto, septimo & octavo. Talis lex declarativa legis naturalis ac divinæ habetur in Concilio *Turonensi* celebrato anno 567. ubi dicitur: „ Illud instantissime commonemus, ut Abrahæ documenta sequentes Decimas ex omni facultate non „ pigeat Deo pro reliquis, quæ possidetis, conservandis offerre. Si quis in „ Abrahæ collocari vult gremio, ejusdem non repugnet exemplo, & solvat eleemosynæ pretium, quisquis optat „ regnare cum Christo. " Concilium Matisconense II. celebratum anno *627.* ait: „ Leges divinæ consulentes Sacerdotibus ac Ministris Ecclesiarum pro „ hære-

„ hæreditatis portione omni populo præ„ ceperunt, Decimas fructuum suorum „ sacris locis præstare, ut nullo labore „ impediti spiritalibus possint vacare mi„ nisteriis. Quas leges Christianorum „ congeries longis temporibus custodivit „ intemeratas. Nunc autem paulatim „ pene Christiani omnes, quæ divinitus „ sancita sunt, adimplere negligunt. „ Unde statuimus ac decernimus, ut „ mos antiquus a fidelibus reparetur, & „ Decimas Ecclesiasticis famulantibus „ cæremoniis populus omnis inferat, „ quas Sacerdotes aut in pauperum usum „ aut in captivorum redemptionem præ„ rogantes suis orationibus pacem po„ pulo ac salutem impetrent." Ad has leges Conciliorum particularium accessit tandem etiam lex civilis Pipini Regis Galliæ, Belgii, Ripuariorum ad Rhenum, Sueviæ, & Bavariæ, &c. Is in capitulari Metensi anno 756. C. 4. sic mandat: *Qui res Ecclesiasticas per verbum Domini regis tenent, illos census vel illas Decimas ac nonas dare pleniter debeant, prout eis ad vernum ordinavimus.* Loquitur hoc loco Pipinus de bonis Ecclesiasticis Ecclesiæ per testamentum relictis, quæ, ut verosimile est, a Chilperico rege Ecclesiis subtracta & laicis in beneficium commissa fuerant. Idem in constitutione generali, quam affert Baluzius in Capitularibus Regum Francorum, anno 764. sic statuit: *Prævidere faciatis & ordinare de verbo nostro, ut unusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam Decimam donet.* Idem confirmat Carolus Magnus in capitulari edito anno 779. pro Gallia, Germania, & Italia, ubi C. 7. sic jubet: *De Decimis, ut unusquisque suam Decimam donet, atque per jussionem Pontificis* (hoc est, Episcopi) *dispensentur.*

Quæritur 5. Quæ sit origo Decimarum laicalium?

Respondeo. Origo est triplex. 1. *Assignatio Decimarum in partem salarii*, facta *Advocatis nonnullis* Ecclesiarum per specialem contractum, ab Imperatoribus vel Regibus approbatum vel confirmatum. Hujus rei exempla affert *Muratorius Antiquitatum Italicarum medii ævi* Tomo quinto Tit. *de Advocatiis*. Qui tamen hunc vel sequentem titulum allegant, eum tenentur probare. 2. *Alienatio* juris decimandi ab Ecclesia in laicos authoritate legitima Ecclesiastica facta. Hoc modo tempore belli sacri & in variis aliis Ecclesiarum necessitatibus sæculo duodecimo Episcopi, cum nondum ad solennitatem alienationum Ecclesiasticarum requireretur licentia Papæ, multas Decimas alienarunt in Nobiles Defensores Ecclesiæ, vel euntes cum comitatu militum ad bellum sacrum. 3. *Usurpatio iniqua* quorundam Nobilium vel Principum rapientium Decimas Ecclesiasticas; cujus rei tristia habentur in Germania exempla ex sæculo decimo. 4. Forte etiam *primæva competentia Fundatoris*, de qua reperitur exemplum in Capitulari *Dagoberti* Regis Galliæ, edito anno 630. ubi C. 2. *in Legibus Alamannorum* sic habetur: *Si quis liber res suas ad Ecclesiam dederit, & per chartam firmitatem fecerit, & post hæc a Pastore Ecclesiæ in beneficium susceperit ad victualem necessitatem conquirendam diebus vitæ suæ, quod spondit, persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra.* Sicut ergo talis sibi omnia reservat præter censum, ita poterat etiam fieri pactio valitura pro hæredibus.

Quæritur 6. An decimæ ex primæva sua institutione sint tantum ordinatæ ad sustentationem Clericorum?

Respondeo. Decimæ ex primæva sua institutione non fuerunt ordinatæ tantum ad sustentationem Clericorum, sed etiam in sustentationem pauperum, & fabricæ, &c. Id patet ex constanti testimonio Patrum & Scriptorum veterum, qui de oblationibus primævis fidelium, & de succedentibus in vicem oblationum Decimis sic loquuntur. 1. *S. Cyprianus* Serm. de Eleemos. *Cum universa, quæ dantur, & pupillis & viduis conferantur, sciamus, quæ pœna divitem sterilem* (non facientem oblationes ad Ecclesiam) *maneat.* 2. *Justinus* M. in Apologia 2. *Qui copiosiores sunt & volunt, pro arbitrio suo quisque, quod visum est, contribuunt; & quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur, atque*

inde

inde opitulatur pupillis & viduis , & his, qui propter morbum vel aliam caussam egent . 3. *Tertullianus* in Apologetico . *Modicam unusquisque stipem menstrua die apponit ; Inde alendis egenis , & pueris ac puellis , re ac parentibus destitutis , ætateque domitis senibus , item naufragis, & si qui in custodiis causa Dei alumni confessionis fiunt , dispensatur* . 4. *Author Constitutionum Apostolicarum* l. 7. C. 30. *Dabis omnem decimam pupillo, & viduæ ; pauperi & proselyto.* Et l. 2. *Tametsi vos Deus a vinculis* (Mosaicæ legis) *liberarit ; non tamen a pensionibus liberavit , quas Sacerdotibus debetis , & quas egentibus benigne largiri oportet* . 5. *S. Augustinus* Serm. 219. *Decimæ tributa sunt egentium animarum . Redde ergo tributum pauperibus, offer libamina sacerdotibus* . 6 *Concilium Matisconense II.* Can. 5. *Statuimus , ut Decimas populus omnis Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis inferat , quas Sacerdotes aut in pauperum usum , aut in captivorum redemptionem prærogantes populo salutem impetrent* . 7. *Othlonus* presbyter in vita S. Bonifacii M. *Apostoli , omnesque eorum vestigia sequentes Decimas in quatuor portiones dividentes, unam sibi , alteram Clericis , tertiam pauperibus , quartam reparandis Ecclesiis dabant . Nunquid avaritiæ suæ tantummodo consulentes in distributione Decimarum obliti sunt pauperum, reparationisque Ecclesiarum , sicut modo , proh dolor ! cernimus agi ? Canones enim sancti , ex quorum authoritate colliguntur decimæ, non solum decimas dari , sed etiam inter varios jubent distribui , ut in urbibus quibuslibet & vicis Xenodochia habeantur , ut pauperes & peregrini alantur . Sed tam sanctum, tam necessarium præceptum in plurimis locis non solum minime curatur, sed etiam pene ignoratur . Nam solummodo illud legitur , quod Decimæ Episcopis sint tribuendæ ; quid vero exinde agendum sit, vel si quidpiam aliud curandum sit circa monasteria &c. ignorantiæ commendatur* .

Quæritur 7. Utrum administratio omnium Decimarum per totam Diœcesin ex primæva earum institutione & ex observantia Ecclesiæ primis decem sæculis pertinuerit ad solum Episcopum ?

Respondeo . Affirmative .

Id probat *Thomassinus Vet. discipl.* Tom. 3. l. 2. Sic 1. in *Concilio Romano* VI. sub Symmacho Papa Collat. 7. dicitur : *Oblationes fidelium a nemine præsumantur absque consensu & voluntate Episcopi , in cujus dignoscuntur esse parochia* , (hoc est Diœcesi) . 2. *Concilium Agathense* Can. 22. *Civitatenses sive Diœcesani Presbyteri vel Clerici salvo jure rem Ecclesiæ , sicut permiserint Episcopi , teneant , vendere aut donare non præsumant* . 3. *Concilium Aurelianense* I. C. 15. *De his , quæ parochiis in terris , vineis , mancipiis , atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta serventur, ut omnia in Episcopi potestate consistant . De his tamen, quæ in Altario accesserint , tertia fideliter Episcopis deferatur* . 4. In *Concilio Francofurtensi* , celebrato sub Carolo M. Can. 48. *De oblationibus, quæ in Ecclesia vel in usus pauperum conferuntur, Canonica observetur norma , & non ab aliis dispensentur , nisi cui Episcopus ordinaverit* . Et 5. *Capitularium Caroli* M. l. 5. C. 123. *de Decimis* ; *ut unusquisque suam Decimam donet , atque per jussionem Episcopi dispensentur*. Hæc omnia fuisse illo tempore intellecta de obligationibus Decimarum per totam Diœcesin , patet ex *Concilio Troslejano* , celebrato anno 909. quod priores Canones explicans, C. 6. ait : „ Ab antiquo „ tempore constitutum est a Sanctis Pa„ tribus , sicut habet Episcopus in sua „ ordinatione omnem generaliter paro„ chiam cum omnibus rusticanis paro„ chiis, quas per triennium inconcusse „ possedit ; ita & unusquisque presbyter „ in sua ordinatione ac dispensationis „ cura habeat parochiam suam cum do„ te & decimis Ecclesiæ , videlicet „ cum sui Episcopi consilio ac dispositione secundum regulas antiquitus & „ divinitus constitutas. *Dein recitatis his* „ *Concilii Toletani III. verbis* . Dotem „ Ecclesiarum , & omnia juxta consti„ tutionem antiquam ad Episcopi ordi„ nationem & potestatem pertinere, *sic*

„ *ulterius pergit*: Quod si quæritur, quæ „ dicat *omnia*, procul dubio Decimas, „ primitias fructuum & oblationes eo„ rum, & ea quæ parochiis in terris, „ vineis, mancipiis, seu pecuniis, seu „ quibuslibet rebus, quæcunque fideles „ obtulerint, quæ omnia sub potestate, „ ut diximus, & dispositione Episcopo„ rum regimine, ac dispensatione pres„ byterorum manere debent inconcussa.

Quærritur 8. An peccent mortaliter, qui in notabili quantitate defraudant Decimas? Etiam pure laicalas?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia hæc obligatio *quoad substantiam* est juris naturalis ac divini circa Decimas Ecclesiasticas. Circa Decimas autem laicales, ubi de usurpatio ne iniqua non constat, præsumendum est, eas fundari vel in *Reservatione*, vel in *Contractu*; quo casu peccatur saltem contra justitiam defraudatione Decimarum.

Quæritur 9. An graviter peccent, qui in dandis Decimis eligunt viliora?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia id sibi graviter displicere Deus testatur Levitici 27. v. 33. *Non elegetur nec bonum, nec malum*, (hoc est, nec meliora, nec deteriora) *nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur*.

Quæritur 10. An peccent, qui in agris Decimam messis partem numerant in singulis sulcis, non autem continuative per omnes sulcos continuos?

Respondeo. Peccant graviter.

Ratio est, quia nec Dominu Decimarum laicalium hoc toleraret sine gravi indignatione; nec ab initio sibi Decimas sub isto modo reservaret. Ergo nec id sine gravi indignatione tolerat Deus circa Decimas Ecclesiasticas sibi debitas.

Quæritur 11. An parochiani quoad Decimas animalium teneantur computare numerum animalium decimabilium anno præterito incompletum?

Respondeo. *Per se* ad hoc non tenentur.

Ratio est, quia Deus in Scriptura hanc annexionem non præcipit, nec etiam videtur, esse conveniens, ut præcrpiatur. Levitici 27. præcise dicitur: *Omnium Decimarum bovis & ovis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino*.

Nec obstat, quod alioquin mulri, quibus annuatim vix septem, octo, aut novem partus veniunt, transirent sine decimatione. Hujusmodi enim homines sunt sæpe pauperes; quos Deus non vult gravari Decimis, cum hæ in subsidium potius pauperum ordinatæ sint. Quia tamen etiam non pauperes sæpe abutuntur illa licentia, praxis passim induxit observantiam oppositam, quæ ubi viget, observanda est.

Quæritur 12. An liceat Parochis, obligare parochianos ad præstandas Decimas jam desuetudine exoletas?

Respondeo. Si consuetudo solvendi certum genus Decimarum nondum exolevit in tota ferme communitate, & in reliquis plerisque partibus communitatis desuetudo non est uniformis, aut continua a tempore immemoriali, ac de anteriori observatione constat, ita ut in plerisque primis hujus desuetudinis authoribus possit præsumi mala fides, licite urgent reductionem ad observantiam pristinam. Si vero desuetudo jam est cenrenaria, uniformis, ac continua; non urgetur reductio licite, quia jam præscripta est ab ultimis a tempore immemoriali possessoribus immunitas ab eo genere Decimarum, nisi constet defuisse bonam fidem, vel aliud requisitum præscriptionis legitimæ. Reliqua pertinent potissimum ad forum externum Canonicum.

SAN-

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

TRIA BREVIA APOSTOLICA

De una refectione in casu dispensationis ad esum carnium, ab omnibus observanda.

CAPUT PRIMUM.

SS. D. N. Benedictus XIV. declarat, dispensatos ad esum carnium obligari ad comestionem unicam, nisi periculosa affectæ valetudinis ratio in casu particulari aliud exigat.

CUM in Italia vehementi animorum æstu agitaretur illa controversia; an dispensati ad esum carnium in quadragesima aliisve diebus præcepti jejunii obligentur ad refectionem unicam, SS. D. N. Benedictus XIV. litibus illis Theologorum positurus finem duobus Brevibus Apostolicis ad omnes Episcopos totius Ecclesiæ editis declarat, dispensatos ad esum carnium obligari ad sumendam unicam refectionem. Tenor Brevium Apostolicorum est sequens.

BREVE I.

„ Venerabilibus Fratribus Patriarchis, „ Primatibus, Metropolitanis, Archie„piscopis & Episcopis universis, gra„ tiam & communionem Sedis Aposto„ licæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

„ NON ambigimus, Venerabiles „ Fratres, quin universis Catho„ licæ Religionis cultoribus notum sit, „ a tota per Christianum Orbem Ec„ clesia *inter præcipua orthodoxæ disci„ plinæ capita* perpetuo adnumeratum „ retineri Quadragesimale jejunium, „ quod olim in lege & Prophetis pri„ mitus adumbratum, ipsius Domini „ nostri Jesu Christi exemplo veluti con„ secratum, ab Apostolis traditum, a „ sacris Canonibus ubique præscriptum, „ & *ab universali Ecclesia ab ipso sui „ primordio retentum* & observatum est. „ Hoc nimirum, ut veteres tradidere „ Patres, nobis quotidie peccantibus „ communis pœnitentiæ constituto re„ medio, per consortium crucis Christi „ nos etiam aliquid in eo, quod ipse „ propter nos præstitit, agimus; simul„ que ad recolenda sacratiora Redemp„ tionis nostræ mysteria, quæ per Do„ minicæ Passionis ac Resurrectionis „ memoriam, Quadragesimali potissi„ mum tempore solennius celebrantur, „ purificatis jejunio corporibus & ani„ mis dignius paramur. *Hoc veluti no„ stræ militiæ tessera ab inimicis crucis „ Christi secernimur*, flagella divinæ ul„ tionis avertimus, & cœlesti præsidio „ in dies adversus principes tenebrarum „ munimur. Hoc despectui habito non „ contemnendum divinæ gloriæ detri„ trimentum, non leve Catholicæ Re„ ligioni dedecus, nec dubium anima„ bus Christi fidelium periculum obori„ tur: nec aliunde populis calamitates, „ rebusque publicis & privatis cladem „ exitiumque importatum esse constat. „ Ab hac vero insita inhærentique in „ omnium Catholicorum hominum ani„ mis de sacratissima Quadragesima, „ aliisque diebus jejunio consecratis per„ suasione & reverentia *quam aliena, „ quam discors, quam absona sit ho„ dierna jejunantium consuetudo*, quan„ tum ab ipsa jejuniorum institutione, „ & servata semper, ubique, & ab om„ nibus disciplina quam longissime dif„ fert; Vos, Venerabiles Fratres, qui „ populorum curæ vestræ commissorum „ mores, & usus probe nostis, pro sin„ gulari sapientia vestra præ cæteris cla„ rius intelligitis. Nos sane quibus in „ hac, sublimi Apostolicæ procurationis

„ spe-

„ cula constitutis undique gentium nun-
„ tii afferuntur, lachrymis satis deplo-
„ rare non possumus augustissimam Qua-
„ dragesimalis jejunii observantiam *ob*
„ *nimiam nullis legitimis urgentibus cau-*
„ *sis ubique indiscriminatim dispensandi*
„ *facilitatem* plane sublatam esse; ita
„ ut orthodoxæ quidem Religionis cul-
„ tores merito querantur, hæresum ve-
„ ro sectatores illudant & exultent.
„ *Pernitiosæ huic corruptelæ* plurimorum
„ insuper licentiam adjunctam esse gra-
„ viter dolemus; quæ usque adeo inva-
„ luit, ut nulla Apostolici Instituti sa-
„ cratissimique præcepti habita ratione
„ jejuniorum tempore palam & impune
„ ab iisdem *agitentur convivia, & epu-*
„ *læ interdictæ promiscue inferantur*. Ea
„ propter quemadmodum quibus curis,
„ solicitudinibus, & angoribus urgea-
„ mur, cum Fraternitatibus Vestris
„ communicamus; ita facere non pos-
„ sumus, quin pro injuncto Nobis su-
„ premo Sacrosancti Apostolatus Offi-
„ cio, & ardentissimum Fraternitatum
„ Vestrarum zelum ad opportunum his-
„ ce malis adhibendum remedium ex-
„ citemus, & ad congruentes hujusmo-
„ di abusibus penitus extirpandis præ-
„ scribendas regulas meditemur. Inte-
„ rea, Venerabiles Fratres, gaudium &
„ corona nostra, nobiscum consideran-
„ tes, nihil Deo acceptius, nihil pa-
„ storali ministerio nostro dignius, ni
„ hil gregibus curæ nostræ commissis
„ utilius, quam ut verbo & exemplo
„ præeuntes, Christi fideles, ad tam sa-
„ lutarem Christianæ pœnitentiæ & pie-
„ tatis exercitationem alacrius suscipien-
„ dam, constantissime retinendam, &
„ ea, qua instituta fuit, disciplina per-
„ agendam vehementius inflammemus,
„ omni opera atque industria studea-
„ mus, ut fideles in conspectu Dei per
„ austeriorem jejuniorum observantiam
„ tales permaneant, quales in ipso Pa-
„ chali festo dignum est inveniri. De-
„ bitum igitur Paternæ uniuscujusque
„ Vestrum sedulitatis & charitatis offi-
„ cium jure postulat, ut omnibus no-
„ tum faciatis & annuntietis, neminem
„ quidem sine legitima causa, & de

„ utriusque Medici consilio; multitudi-
„ ni vero, veluti populo aut civitati,
„ aut genti indiscriminatim integræ,
„ non nisi gravissima & urgente neces-
„ sitate, & in casibus per sacra Cano-
„ num Statuta præscriptis cum debita
„ Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reve-
„ rentia a Quadragesimali jejunio dis-
„ pensationem toties, quoties opus fue-
„ rit, concedendam, nec audacter fi-
„ denterque usurpandam, nec superbe
„ & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi
„ in more positum esse accepimus, esse
„ postulandam. Gravissimam vero ur-
„ gentemque necessitatem, etsi non est,
„ cur Vobis explicemus, nolumus ta-
„ men Vos ignorare, *cum hujusmodi*
„ *necessitate & servandam esse potissimum*
„ *unicam comestionem*, sicut alias hic
„ Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgen-
„ tibus causis dispensantes expresse præ-
„ scripsimus, & illicitas atque interdi-
„ ctas Epulas promiscue minime appo-
„ nendas. Porro, quemadmodum de
„ ejusmodi Indulgentia tam caute im-
„ pertienda, si secus fieret, Nos per-
„ suasum habemus, districtam supremo
„ divino Judici redditum iri rationem,
„ ita conscientiam uniuscujusque Ve-
„ strum onerandam esse ducimus. In-
„ simul Fraternitates Vestras rogamus,
„ & in Domino exhortantes obsecra-
„ mus, ut populos, qui communem
„ omnium Christi fidelium pœniten-
„ tiam, ac disciplinam servare neque-
„ ant, commonere satagatis, ne per
„ alia pietatis opera, ut sua cuique de-
„ votio suggeret, peccata sua expiare,
„ & Deo satisfacere negligant, quini-
„ mo sanandis vulneribus, quibus hu-
„ mana infirmitas sauciatur, diligentem
„ adhibere studeant curationem, ut cul-
„ pas de mundano pulvere contractas,
„ dum casta jejunia decoquere non pos-
„ sunt, pia opera, orationum suffra-
„ gia, & eleemosynæ munera redimant.
„ Interim solatium & levamen non le-
„ ve mœrori nostro a pastorali vigilan-
„ tia, & charitate vestra præstolantes;
„ ac certo Nobis pollicentes, Apostoli-
„ cam Benedictionem cum uberi cœ-
„ lestium charismatum copia conjun-

„ ctam in eosdem populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impartimur. Volumus autem, ut præsentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur & adhiberi posset, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesima Mensis Maji millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno primo.

D. Cardinalis Passioneus.

BREVE II.

„ Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis & Episcopis universis, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

„ IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam ut Orthodoxæ fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ custodes ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim jejunium, quod *inter præcipua Orthodoxæ Disciplinæ capita semper & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum* esse nemo ex Catholicis inficiatur, *ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam*, quantum benedicente Domino fieri posset, *observantiam revocare cupientes*, per alias nostras in simili forma Brevis litteras ad Fraternitates vestras die XXX. proxime elapsi mensis Maji currentis anni datas eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte & optatum Apostolicæ nostræ solicitudinis angoribus levamen, & salutare *abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ* remedium deesset. Quoniam autem paternæ pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus; *ita inter cætera præscripsimus unicam comestionem servandam*, & illicitas atque interdictas epulas minime esse apponendas. *Hinc factum esse accepimus, quod non defuerunt, qui per humanas & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes sibi aliisque persuadeant*, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas illicitas & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam & de utriusque medici consilio dispensatur. *Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam*, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscunque quacunque occasione sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam & de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ, aliisque anni temporibus & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, *unicam comestionem servandam*, & illicitas atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus & edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus Christi fidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in

„ sa-

„ ſacratiſſima Quadrageſima , aliiſque „ jejunio conſecratis diebus veſcendi prohibitis licentiam dantes , unicuique „ *expreſſe præſcribimus atque præcipimus*. „ Ea propter Fraternitates veſtras rogamus, atque in Domino obſecramus, „ ut populos veſtræ curæ commiſſos ad „ tam opportunum ſanandis vulneribus, „ quibus per humanam infirmitatem „ quiſque ſauciatur, ſanctiſſimi jejunii „ remedium alacriter adhibendum cohortantes ſedulo ac paterne moneatis, „ rem agi non quidem exiguam, ſed „ longe graviſſimam de obſervando ſuſtinendoque Jejunio purificandis animis „ corporibuſque ſalutari. In ſpem igitur „ illos erigite cœleſtium prœmiorum, „ quibus aſſequendis non ſunt condignæ „ paſſiones hujus temporis, imo leve „ ac momentaneum non tribulationis, „ ſed modicæ abſtinentiæ noſtræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in cœlis. Ab omnibus ſe abſtinent, qui in agone contendunt, „ ut corruptibilem coronam accipiant; „ pudeat tam imbelles ac delicatos Chriſtianæ militiæ milites refugientes a „ conſortio crucis Chriſti, qui coronam legitime certantibus propoſitam „ ſperare præcipit incorruptam; ad cujus auſpicium & pignus Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem iiſdem etiam populis veſtris noſtro nomine impertiendam peramanter „ elargimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii „ publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ „ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ „ munitis eadem prorſus ubique fides „ adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur & adhiberi poſſet, ſi forent „ exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ „ apud Sanctam Mariam Majorem ſub „ Annulo Piſcatoris die vigeſima ſecunda menſis Auguſti milleſimo ſeptingeſimo quadrageſimo primo Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

B R E V E III.

Declarantur Quæſtiones circa jejunii leges a Summo Pontifice inſtauratas propoſitæ.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

„ SI Fraternitas tua ſecum reputabit, „ quot graviſſimis & maximis curis „ propemodum obruamur, quantumque, hoc præſertim difficillimo tempore, prorſus Nos teneat impoſita „ tenuitati noſtri ſolicitudo omnium „ Eccleſiarum, non ſane mirabitur tamdiu ſibi procraſtinatum fuiſſe reſponſum ad eas Litteras, quibus Apoſtolica auctoritate diſſolvendas rogaſti obortas in Hiſpania diſputationes „ aliquas, e duabus noſtris Epiſtolis „ ad omnes Epiſcopos ſuperioris Anni „ MDCCXLI. XXX. Maji, & XXII. „ Auguſti, quibus intra legitimos fines „ coercuimus invaleſcentem Eccleſiaſtici „ jejunii relaxationem. Potius tibi in „ mentem veniet cogitare de ſingulari „ noſtro in religioſiſſimam Hiſpanam „ Eccleſiam amore, unde Nos immenſa licet rerum mole fatigatos ad expediendum ſibi in omni ſua perplexitate ſalutis iter opem noſtram præſto habet.

„ §. I. Quamquam igitur, dum prænuntiatas conſtitutiones edidimus, non „ aliud propoſitum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui „ opinionum novitate gaudent; nec „ otium, nec animus Nobis fuerit definire, quicquid ſubtili indagatione deduci poſſit ex propoſita a Nobis jejunandi regula; tamen eximia paterna caritate complectimur adeo obſervantiſſimos Romanæ Sedis Hiſpanos, „ tantique facimus obſecrationes tuas, „ ut occurrere anxietati veſtræ libenter „ adjecerimus animum, & Nos ipſi „ quæſtiones abs te propoſitas dirimendas

„ constituerimus. Sic autem se habent.

I. *Utrum, quæ in antedictis nostris litteris in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis, præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula, ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?*

Respondemus, non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

III. *An, qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica commessatione uti debent, horam jejunantibus præscripta servare opus habeant?*

Edicimus, observandam iis esse.

IV. *Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?*

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur?*

Affirmatur complecti.

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?*

Rescribimus: Nihil in prænuntiatis nostris Apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus.

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?*

Respondetur: urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ comestionis, cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis; & alterum non promiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

„ §. II. Habes, Venerabilis Frater, „ penitus explicatum, quicquid apud „ vos ex nostris sæpius nuncupatis Apo„stolicis litteris dubitationem attulisse „ scribis. Qua quidem in re laudavimus „ consilium tuum interrogandæ supremæ „ Romanæ Sedis, ut libero, & non va„cillanti gressu ad oves sana doctrina „ imbuendas incedere Pastores queant, „ in istoque tuo suscepto consilio agno„vimus Hispanam religionem, nihil sibi „ tutum, nisi e Divi Petri Cathedra „ acceptum, reputantem; qua splendi„dissima gloria tantum nomen, & in„corruptæ Fidei fructum Hispania sibi „ peperit.

„ §. III. Cavendum autem vobis est „ (idque plurimum ad te pertinet, qui „ illustris Archiepiscopi & Inquisitoris „ geris præcipuum munus) ne in ex„pendendis Apostolicæ Sedis Constitu„tionibus, pro nimia exhauriendi ar„gumenti solicitudine, nullus fiat dis„ferendi ambigendique modus. Sedula „ deinde opera conferenda, ut istiusmo„di dubia, quæ facile, pro ingeniorum „ varietate, disputando emergunt, pe„nitus inter vos dirimantur, ne diutur„na unquam disceptatione fluctuent ani„mi; præsertim, cum Constitutiones „ ipsæ Apostolicæ scopum, quo ten„dunt, aperte demonstrent, & illic „ prompte dirigi potest, quicquid dubi„tando interturbare videatur. Id si ani„madvertissent, qui de præsenti nego„tio plura dubitarunt, nodum sibi ex„solvissent. Patebat enim, nihil aliud „ Nobis in animo fuisse, quam cohibere „ vivida nonnullorum Theologorum in„genia, qui nimium sacri jejunii fi-

„ nes

„ nes prætergreſſi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus inſtitutum, hoſti huic ſpiritus infenſiſſimo blandiebantur. Statim ſiquidem comperiſſent, quid in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet; nec tibi moleſtiam exhibuiſſent, nec Nobis, quos graviſſimæ undique circumſtant curæ, non parum temporis occupaſſent: quod tamen pro ſingulari noſtro in veſtram gentem ſtudio, atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monſtrandum, in poſterum ſimul præcaventes, quomodo in hujuſmodi quæſtionibus firmare greſſus veſtros in promptu ſit.

„ §. IV. Reliquum eſt, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, in præcipuæ benevolentiæ noſtræ pignus Apoſtolicam benedictionem peramenter impertiamur. Datum Romæ ad S. Mariam Majorem die VIII. Julii MDCCXLIV.

TRACTATUS IV.

De Virtutibus in genere; & in ſpecie de Fide, Spe, & Charitate.

§. I.

De Virtutibu in genere.

In hoc Paragrapho reſolventur ſuccincte ſequentes Quæſtiones.

1. Quid ſit virtus?
2. Quotuplex ſit virtus?
3. Quid ſit virtus Moralis?
4. Quid ſit virtus Theologica?
5. Quæ ſit differentia inter virtutes *naturales* & *ſupernaturales*?
6. Quodnam ſit diſcrimen inter virtutes *aquiſitas* & *infuſas*?
7. In quo conſiſtat diſcrimen inter virtutem *Theologicam* & non Theologicam?
8. Quænam ſint virtutes *Cardinales*, aut *tranſcendentales*? Et quomodo ab aliis virtutibus differant?
9. In quo differant virtutes *Morales*, ſeu *Ethicæ*, ac *Philoſophicæ* a virtutibus *Chriſtianis*?

10. Quid intelligatur per virtutes *innatas*, ſeu *congenitas*?
11. Quid ſint virtutes *Purgatoriæ*, *Animi purgati*, & *Exemplares*?
12. In quo conſiſtant virtutes *aquiſitæ* & *infuſæ*, *phyſice* loquendo.
13. Unde deſumatur differentia ſpecifica virtutum?
14. An virtutes Morales ſint connexæ inter ſe?
15. An etiam virtutes Theologicæ ſint connexæ inter ſe?
16. An omnis virtus conſiſtat in medio?

QUæritur 1. Quid ſit virtus?

Reſpondeo. Virtus eſt recta diſpoſitio cujuslibet rei ad ſuum finem. Sic recta diſpoſitio oculi ad videndum vocatur virtus viſiva: recta diſpoſitio equi ad currendum vel trahendum vocatur virtus curſiva vel tractiva. Pari in ſenſu dicitur dari *virtus motrix* in bruto, *virtus uſtiva* in igne, *virtus medica* in herbis &c. Hoc modo loquendi etiam in Scriptura dicitur: *Virtutes cœlorum commovebuntur*. Matth. 24. *Dereliquit me virtus mea*. Pſ. 37.

Quæritur 2. Quotuplex ſit virtus?

Reſpondeo. Virtus dividitur 1. In Moralem, & Theologicam. 2. in naturalem & ſupernaturalem. 3. in aquiſitam, & infuſam. 4. in Cardinalem & Tranſcendentalem. 5. in philoſophicam & chriſtianam. 6. in aquiſitam & innatam. 7. in purgatoriam, animi purgati, & exemplarem. 8. in ſpeculativam & practicam.

Quæritur 3. Quid ſit virtus Moralis?

Reſpondeo. Virtus Moralis eſt recta diſpoſitio animi ad vivendum juxta rationem in ordine ad finem hominis ultimum. Ita quoad rem D. *Thomas* 1. 2. & 2. 2. in locis variis. Talis virtus eſt v. g. *Temperantia*, *juſtitia* &c.

Quæritur 4. Quid ſit virtus *Theologica*?

Reſpondeo. Virtus Theologica eſt, quæ pro ſuo immediato objecto tam materiali quam formali habet Deum tanquam finem hominum ſupernaturalem ultimum. Tales virtutes ſunt tantum tres; nempe *fides*, *ſpes* & *charitas*.

Quæritur 5. Quid ſit virtus naturalis & ſupernaturalis?

Reſpondeo. *Virtus naturalis* eſt, quæ *non ordinatur intrinſece & efficaciter* ad finem ſupernaturalem. Econtra *virtus ſupernaturalis* eſt, quæ *intrinſece & efficaciter ordinatur* ad finem ſupernaturalem. Juxta hanc definitionem virtutes naturales non ſolum ſunt omnes virtutes morales gentilium, v. g. reverentia erga parentes, temperantia, juſtitia &c. quæ *ex ſuo genere* non reſpiciunt finem ſupernaturalem, ſed etiam virtutes ex ſuo genere Theologicæ v. gr. fidei, ſpei, & amoris in hæreticis; quia licet ab hæreticis ordinentur ad finem ſupernaturalem, atque ex ipſo modo tendendi intrinſeco reſpiciant finem ſupernaturalem intrinſece, in individuo tamen ſpectatæ ob defectum principii ſupernaturalis, puta habituum infuſorum fidei, ſpei &c. non ordinantur efficaciter ad finem ſupernaturalem neque efficacia proxima tribuente rationem meriti, neque efficacia remota tribuente Catholico jus ad uberiores gratias, præſertim Sacramentales.

Queritur 6. Quid ſit virtus *aquiſita* & *infuſa*?

Reſpondeo. Virtus *aquiſita* eſt habitus animi difficulter mobilis ad operandum virtuoſe, aquiſitus per actus frequentatos. Virtus autem *infuſa* eſt habitus animi firmus ad operandum virtuoſe primario cauſatus & conſervatus per gratiam, conſentiente in adultis libero arbitrio. Ita quoad rem D. Bonaventura, & D. Thomas. Nam D. *Bonaventura* in virtutibus infuſis, v. g. fidei, duo diſtinguit, nempe ipſum *materiale* earum, & inſum *formale*. Materiale eſt ab homine: Formale eſt a Deo. *Materiale* eſt operatio humana; *formale* eſt purum donum Dei, actionem humanam inſpirantis, cauſantis, & corroborantis, ac firmiter conſervantis in eſſe habituali. In 3. diſt. 23. a. 2. q. 2. ſic ſcribit: ***Si loquimur de fide*, *quantum ad illud*, *quod eſt materiale in ea*, *videlicet quantum ad cognitionem illam*, *qua cognoſcimus*, *qui ſint articuli fidei*, *ſic concedendum eſt*, *quod fides eſt per aquiſitionem ſecundum legem communem*. *Si autem loquimur de fide*, *quantum ad formale*, *videlicet quantum ad illud*, *quod facit aſſentire*, *quidam enim aſſentiunt veritati propter divinam illuſtrationem*, *in talibus fides eſt per infuſionem***. Textum hunc D. Bonaventuræ integrum exhibeo in *Theol. Eclect. de Spe & Char. Part.* 3. quæſt. de virtutibus infuſis. Textus autem D. *Thomæ* 1. 2. q. 55. a. 4. eſt iſte. *Virtus eſt bona qualitas mentis*, *qua recte vivitur*; *qua nullus male utitur*, *quam Deus in nobis ſine nobis operatur*. Dein a. 6. format ſibi hanc objectionem: *Homo per virtutem juſtificatur*. *Sed Auguſtinus dicit*: *Qui creavit te ſine te*, *non juſtificabit te ſine te*. *Inconvenienter ergo dicitur*; *quod virtutem Deus in nobis ſine nobis operatur*. Ad hanc objectionem *ſic reſpondet*: *Dicendum*, *quod virtus infuſa cauſatur in nobis a Deo ſine nobis agentibus*, *non tamen ſine nobis conſentientibus*. *Et ſic eſt intelligendum*, *quod dicitur*, *quam Deus in nobis ſine nobis operatur*. *Quæ vero per nos aguntur*, *Deus in nobis cauſat*, *non ſine nobis agentibus*. *Ipſe enim operatur in omni voluntate & natura*. Per to *agens S. Thomas* hoc loco intelligit cauſam *principalem*, ac *primo determinantem*; per to *operans* vel *conſentiens* intelligit cauſam *ſecundariam*, ac *determinatam* a cauſa principali.

Quæritur 7. In quo conſiſtat diſcrimen inter virtutem *Theologicam*, & non Theologicam?

Reſpendeo. *Virtus Theologica* eſt virtus infusa, quæ ex dono ſupernaturali efficaciter ordinat hominem ad Deum, ut fruitive poſſidendum, eumque ſic reſpicit tam ex parte objecti materialis quam ex parte objecti formalis. Virtus autem non Theologica eſt, quæ vel ex parte objecti materialis, vel ex parte objecti formalis non attingit Deum ut fruitive poſſidendum, vel ſaltem hominem non efficaciter ordinat ad Deum ut fruitive poſſidendum.

Dixi Ex parte objecti materialis & formalis. In virtutibus enim Theologicis Deus non ſolum eſt objectum formale, ſeu motivum, ſed etiam objectum materiale. Non enim tantummodo verum

rum est, quod ideo credamus, speremus, amemus, *quia* Deus est verus, fidelis, bonus; sed etiam verum est dicere, quod *Deus trinus* sit idipsum, *quod* credimus, *quod* speramus, *quod* diligimus. *Ex hoc patet;* quod virtutem Theologicam non efficiat sola ordinatio ad finem supernaturalem. Potest enim etiam quævis alia virtus non Theologica ab operante ordinari ad finem supernaturalem, sicut etiam artefactum artis potest ab operante ordinari ad finem supernaturalem vel naturalem, *extrinsecum* artefacto; ita tamen ut ille sit finis potius operantis, quam artis. Sic etiam in aliis virtutibus physice potest dari ordinatio actui entitative intrinseca ad Deum; ita tamen, ut in consideratione metaphysica illa relatio actui individuali tantum adveniat ex ordinatione operantis, non ex natura actus, ex suo genere spectati. Sic homo actum *temperantiæ* & *justitiæ* ordinat quidem ad Deum fruitive possidendum, ipse tamen actus temperantiæ non habet pro objecto Deum ut possidendum. Econtra hæ tres virtutes fides, spes, charitas, non solum habent pro suo objecto formali seu motivo credendi, sperandi, & amandi Deum, ut *verum*, *fidelem*, *bonum*, sed etiam ex parte ipsius objecti materialis, *quod* creditur, & *quod* speratur, & *quod* amatur, reperitur ac importatur formaliter ordo efficax ad Deum ut fruitive possidendum. Quod virtutes Theologicæ Deum immediate respiciant ex parte objecti formalis, seu motivi, concedunt omnes. Quod vero etiam Deum attingere debeant ex parte objecti materialis, & quidem ut fruitive possidendum, ac præterea id fieri debeat ordine efficaci per donum supernaturale.

Probatur 1. ex D. *Thoma*, qui 2. 2. q. 1. a. 1. C. sic scribit: *In fide, si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur tanquam medio. Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia, quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte objectum fidei est quodamodo veritas prima, inquantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum; sicut etiam objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem.* Et 2. 2. q. 17. a. 2. ad 2. ubi objicitur quod homo petat & speret non solum beatitudinem æternam, sed etiam bona præsentis vitæ, respondet: *Dicendum, quod quæcunque alia bona non debemus a Deo petere, nisi in ordine ad beatitudinem æternam. Unde spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia vero quæ petuntur a Deo, respicit secundario in ordine ad beatitudinem æternam, sicut & fides principaliter respicit Deum & secundario respicit ea, quæ ad Deum ordinantur, ut supra dictum est.* Et a. 5. ad 1. *Quæcunque spes adipisci exspectat, sperat in ordine ad Deum.*

Quæritur 8. Quænam sint virtutes *Cardinales*, aut *Transcendentales?* & quod sit earum virtutum ab aliis discrimen?

Respondeo. Virtutes Cardinales sunt quatuor; videlicet *Prudentia*, *Justitia*, *Temperantia*, *Fortitudo*. Vocantur Cardinales, quia in iis omnis virtus vertitur, & ab iis ita dependet, ut non possit ulla virtus poni sine actuali exercitio harum virtutum. Omnis enim virtus est exercitium *prudentiæ*, quæ est *ordo mediorum ad finem ultimum*. Est etiam actuale exercitium *Justitiæ;* quia omnis virtus *tribuit Deo, aut proximo, quod suum est*. Omnis etiam virtus *temperat* ab omni bono creato virtuti opposito & *fortiter vincit difficultatem*, quæ victoria reperitur in temperantia. Virtus autem *transcendentalis* vocatur; quæ non solum concomitatur omnem virtutem, sicut virtutes Cardinales, sed etiam formaliter involvitur in quavis virtute tanquam *genus in specie*. Tales virtutes transcendentales sunt *obedientia erga Deum*, *amor necessarius summi boni*, contractus ac specificatus libere ad speciem virtutis, v.g. temperantiæ, actus fidei, amoris

ris erga Deum &c. quia ut D. Augustinus l. 15. de Civit. c. 22. observat: *Definitio brevis & vera virtutis ordo est amoris*, & c. 5. de moribus Ecclesiæ. *Nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei*, seu quendam amorem *generalem Boni*; eo quod omnis virtus nos ad beatam vitam ducat, prout hoc loco explicat.

Quæritur 9. In quo differant virtutes *Christianæ*, & *Philosopichæ*?

Respondeo. Virtutes *Philosophicæ* vocantur, quæ discuntur solo ductu & lumine rationis naturalis, v. g. *justitia*, *temperantia*, *reverentia* erga parentes. *Christianæ* autem virtutes dicuntur, quæ discuntur solo lumine fidei, v. gr. *paupertas voluntaria*, *castitas perpetua*, *obedientia ultronea*, *abnegatio honorum*, *humilitas*, *amor crucis & persecutionum*, *mortificatio sui* &c. quibus Deus voluit alligare suas selectas gratias. Quamvis autem hæ virtutes sint *supra rationem* naturalem; non sunt tamen *contra rationem* aut *sine ratione*. Diligenter enim inspicienti patebit has virtutes merito placere Deo; quia exprimunt ac protestatur fovent contemptum omnium bonorum creatorum præ amore unius summi Boni.

Quæritur 10. Quid intelligatur per virtutes *innatas*?

Respondeo. Intelligitur quædam recta dispositio hominis ad actus virtutum, ex speciali providentia divina quibusdam hominibus congenita v. g. ad mansuetudinem, ad temperantiam, castitatem &c.

Quæritur 11. Quid sint virtutes *purgatoriæ*, *animi purgati*, & *Exemplares*?

Respondeo. Virtutes *Purgatoriæ* vocantur, quæ reperiuntur in iis qui cum passionibus & pravis suis concupiscentiis etiamnum fortiter colluctantur. *Purgati animi* vocantur, quæ reperiuntur in homine jam sopitis passionibus ac concupiscentiis, ita ut vel non oriantur, vel faciliter superentur. *Exemplares* vocantur, quæ reperiuntur in Deo, & in iis hominibus, qui modo simplicissimo deiformiter operantur. Ad *virtutes purgatorias* potissimum pertinent mortificatio omnium sensuum, studium orationis, Lectio sacra de Novissimis & aliis primariis veritatibus christianis, Meditatio, opera misericordiæ, actus humiliationis & pœnitentiæ. Ad *virtutes animi purgati* pertinent imitatio Christi, diligens consideratio morum & attributorum & consiliorum divinorum, zelus animarum, amor crucis, studium veræ sapientiæ divinæ &c. Ad *virtutes exemplares* pertinent perpetua unio ad Deum, purissima intentio Deiformis, quies mentis in Deo, conformitas cum divina voluntate, desiderium agendi & patiendi pro Deo, imitatio Dei. Ita quoad rem D. *Thomas* in 3. dist. 33. q. 1. a. 4.

Quæritur 12. In quo consistant virtutes *physicæ*.

Respondeo. Virtutes *aquisitæ* consistunt in coordinatione specierum, & inclinatione potentiarum, ad promptum virtutis exercitium idonea. Virtutes autem infusæ consistunt in hac ipsa coordinatione & dispositione a Deo ut authore gratiæ collata vel aucta cum ordine efficaci ad finem supernaturalem. Si *quæras*, quid sit ille ipse ordo efficax ad finem supernaturalem? *Respondeo*; eum consistere vel in relatione identificata cum termino conservationis, quam suppono esse iteratam productionem rei, vel in qualitate activa coordinativa specierum accedente dispositione ex parte liberi arbitrii, vel quod mihi est verosimilius, in speciali unione *Verbi* aut *Spiritus Sancti* ad animam aut animam opportune accedentibus dispositionibus tanquam rem sibi propriam ad actus salutares moventis, prout contingit in habentibus informem habitum infusum fidei, & spei, vel animam specialiter eum amore amicitiæ inhabitantis, prout contingit in habentibus gratiam sanctificantem, seu parvulis, seu adultis, ita tamen ut in adultis ille amor reciprocus Spiritus Sancti inhabitantis dari non possit sine amore prævio hominis moti ad hoc ab ipso Spiritu Sancto in ipso instanti infusionis. Vide dicenda in Tractatu de *Pœnitentia*. Disp. 3. qq. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Et infra Parte 3. *De Spe & Charitate* in *Theol. Eclect.*

Quæ-

Quæritur 13. Unde desumatur differentia specifica virtutum?

Respondeo. Desumitur a diversitate objecti formalis vel materialis secundum æstimationem humanam vel divinam notabili. *Probatur* ex eo; quia actus charitatis erga proximum per diversa genera misericordiæ spiritualis vel corporalis exprimuntur *specifice* tanquam specie diversa, licet in omnibus sit idem objectum formale seu motivum, videlicet subventio indigentiæ alienæ. Sic etiam *Gal.* 5. v. 22. enumerantur *fructus Spiritus* Sancti tanquam specie diversi, quamvis non differant in objecto formali, sed tantum in objecto materiali. *Fructus*, inquit, *Spiritus est charitas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *longaminitas*, *bonitas*, *benignitas*, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas*. *Si autem quæras*; unde desumatur diversa æstimatio hominum quoad diversitatem objectorum? *Respondeo;* eam desumi 1. ex diversa arduitate seu difficultate in ejusmodi objectis reperibili, quæ merito possit substare attentioni divinæ vel humanæ in ordine ad diversas gratias, præmia, jura, supplicia, damna. 2. ex libera voluntate Dei aut hominum, quod actu velint referre suam & aliorum attentionem ad ejusmodi diversitates, in ordine ad diversa præmia vel supplicia. Quia autem hæc libera voluntas Dei aut hominum contingens est, non sufficit ad constituendam diversitatem specificam virtutum diversa arduitas in objectis materialibus, quantumvis notabilis; quia hoc non obstante potest negligi, nec substat necessario attentioni divinæ vel humanæ in ordine ad diversa præmia, encomia, supplicia, vel vituperia. Vide dicta in Tr. *de actibus humanis* Disp. 1. §. 4. qq. 3. & 4. in *Theol. Eclect.*

Quæritur 14. An virtutes morales sint connexæ inter se?

Respondeo. Virtutes morales ita sunt connexæ inter se, ut non possit dari una secundum perfectam rationem virtutis sine altera.

Probatur ratione, quam affert *Aristoteles* Eth. 6. & D. *Thomas* 1. 2. q. 65. a. 1. C. nulla virtus potest secundum rationem adæquatam virtutis dari sine prudentia; ergo nec potest dari sine cæteris virtutibus. *Ant. patet*; quia virtus est *habitus secundum rectam rationem electivus*, prout definitur ab Aristotele l. 4. *Rhetoricocum*; non potest autem esse electivus secundum rectam rationem sine prudentia; ergo *c. prob.* Prudentia est generatim *recta ratio agibilium* seu *recta ratio mediorum ad finem*; non potest autem recta dispositio mediorum ad finem, saltem perfecta & adæquata dari, nisi recte ordinet omnes potentias hominis ad finem ejus ultimum, & quidem per omnia genera mediorum de se expetibilia, & viribus congrua.

Probatur 2. ratione D. *Gregorii* M. l. 1. Mor. C. 1. Quatuor virtutes Cardinales secundum perfectam earundem rationem sunt connexæ inter se; ergo & reliquæ virtutes, *c. patet* ex paritate rationis. *Ant. prob.* ex ejus verbis: *Virtutes, si sunt disjunctæ, non possunt esse perfectæ; quia nec prudentia vera est, quæ justa, temperans, & fortis non est, sicut & firmitas non habet laudem virtutis, si sit sine moderatione, vel rectitudine, aut discretione.* Et l. 22. Mor. C. 2. *Una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta.*

Probatur 3. authoritate Patrum & Philosophorum. S. *Ambrosius* in C. 6. Lucæ ait: *Connexæ sibi sunt, & concatenatæ virtutes, ut qui unam non habet, plures habere non possit.* Et S. *Augustinus* l. 6. de Trin. *Virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo separantur ab invicem.* Idem docet *Aristoteles* Eth. 6. *Cicero* l. 2. Tuscul. quæst. ait: *Si unam virtutem confessus est, se non habere, nullam necesse est se habiturum.*

Quæritur 15. An etiam virtutes Theologicæ sint connexæ inter se?

Respondeo. Etiam virtutes Theologicæ sunt ita connexæ inter se, ut una non habeat perfectam seu adæquatam rationem virtutis sine altera. Unde nec *fides* nec *spes*, licet remaneant in homine sine charitate, prout patet ex propositione 7. inter damnatas ab *Alexandro* VIII. *Quando in peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; &*

etiamsi videntur credere, *non est fides divina*, *seu humana*; ex quo patet, remanere in peccatoribus etiam fidem divinam, ea tamen non habet rationem perfectam & adæquatam virtutis. Vide Responsionem ex D. Thoma ad *Object.* 1. in *Theol. Eclect.*

Dixi, rationem *perfectam*, seu *adæquatam*, quia ejusmodi tota moralia dicunt complexum plurium partium, quarum una deficiente nihilominus ponitur intentionaliter totum, sed imperfectum, sicut corpus humanum sine pedibus, manibus, & oculis. Deest autem ejusmodi fidei aut spei informi hoc, quod sit *dispositio efficax* & *proxima* ad finem, ut deberet esse.

Probatur 1. Fides & spes sine prudentia non habet adæquatam rationem virtutis; ergo nec sine charitate. *c. patet*; quia prudentia dari nequit sine recto ordine mediorum ad finem ultimum, inter quæ media haud dubie est charitas.

Probatur 2. ex S. *Augustino* qui l. 2. de arbit. ait: *Virtus est id*, *qua recte vivitur*. Non autem recte vivitur sine amore Dei. Et l. 4. de Civit. C. 9. *Omnis rectus motus ex recto amore procedit*. Et C. 5. de Moribus Ecclesiæ. *Si virtus ad beatam vitam nos ducit*, *nihil omnino virtutem esse dixerim*, *nisi summum amorem Dei*. Vide etiam dicta in Responf. ad Object. 1. *l.* cc.

Quæritur 16. An omnis virtus consistat in medio?

Respondeo. Omnis virtus consistit in medio, sed in *medio rationis*, non in *medio rei*. Ita D. *Thomas* 1. 2. q. 64. a. 1. & 2. C. Sensus est; quod nulla virtus circa suum objectum tendat ad extrema, humanis viribus, aut fini improportionata, sed sese contineat intra sphæram prudentiæ & limites rationis. Sic v. g. virtus misericordiæ non profundit in egenos omnes divitias, nec virtus temperantiæ abstinet ab omnibus terrenis, nec virtus religionis semper se exercet in oratione præsertim perfectissima contemplationis, sed juxta ordinem rationis, & harmoniam cum aliis virtutibus.

§. II.

De natura & divisione fidei.

QUæritur 1. Quid sit fides?

Respondeo. Fides est assensus objecto præstitus ob authoritatem attestantis.

Quæritur 2. Quotuplex sit fides?

Respondeo. Fides dividitur. 1. in *divinam* & *humanam*. 2. in *Theologicam* & *non Theologicam*. 3. in *Naturalem* & *Supernaturalem*. 4. in *historicam* & *Ecclesiasticam*. 5. in *universalem* & *particularem*. 6. in *elicitam* & *imperatam*. 7. in *puram* & *mixtam*. 8. in *immediatam* & *mediatam*.

Quæritur 3. Quid sit fides *divina*? aut *humana*?

Respondeo. Fides *divina* est assensus objecto præstitus ob authoritatem Dei attestantis. Econtra fides *humana* est assensus objecto præstitus ob authoritatem hominis attestantis.

Quæritur 4. Quid sit fides *Theologica*?

Respondeo. Fides *Theologica* est assensus objecto præstitus ob authoritatem Dei attestantis circa ea quæ sunt de Deo, & ad Deum, tanquam finem supernaturalem totius generis humani ultimum. *Dicitur* 1. *circa ea*, *quæ sunt de Deo*, *& ad Deum*. Si enim Deus revelaret v. gr. Salomoni abscond ita arcana naturæ, non daretur in Salomone fides Theologica; quia illa, quæ revelantur, nec principaliter tractarent de Deo, nec etiam per se ex sua natura ducerent ad Deum. *Dicitur* 2. *tanquam finem supernaturalem*. Si enim Deus in statu puræ naturæ aliqua eximiis suis cultoribus revelaret etiam de Deo, vel dirigentia ad Deum, tanquam finem hominis naturalem, non daretur fides Theologica in eo sensu, quo sumitur antonomastice in Scriptura & Theologia pro assensu circa mysteria supernaturalia, ordinato ad finem supernaturalem hominis. *Dicitur* 3. finem supernaturalem *totius generis humani*. Si enim Deus alicui personæ piæ per revela-

velationem privatam revelaret aliqua solum pertinentia pro directione propria ad finem supernaturalem, ne sic quidem foret Theologica fides, quia fides, de qua tractatur in Scriptura & Theologia, est aliquod *donum divinum*, ex ipso suo genere ordinatum *pro salute communi* generis humani.

Quæritur 5. Quid sit fides *Historica*?

Respondeo. Fides historica est assensus objecto præstitus ob authoritatem historici.

Quæritur 6. Quid sit fides *Ecclesiastica*?

Respondeo. Fides Ecclesiastica est assensus objecto præstitus ob authoritatem Ecclesiæ circa rem nec directe nec indirecte pro indubia definitam. Ista fides plerumque locum habet circa Conclusiones Theologicas, quas Ecclesia vel Summus Pontifex deducit ex una præmissa revelata, & altera solum moraliter aut physice certa, prout contingit v. g. circa venerationem talium Reliquiarum, Lectiones Breviarii, Martyrologia &c.

Quaritur 7. Quale sit *objectum* fidei Theologicæ?

Respondeo. Objectum fidei theologicæ est duplex, videlicet *materiale*, & *formale*. *Objectum materiale* est *illud*, quod *creditur*; nempe ipse Deus trinus & unus, & ea quæ sunt ad Deum. *Objectum formale* vocatur illud *motivum*, *propter quod creditur*; nempe authoritas Dei attestantis, seu potius *veritas prima Dei falli & fallere nescii*.

Quæritur 8. Quodnam est *motivum* seu *objectum formale* fidei?

Respondeo. *Motivum seu objectum formale* fidei est *summa veracitas Dei falli & fallere nescii*. Utrum autem exacte loquendo pro motivo formali assignari debeat ipsa *revelatio Dei*, aut prima *veritas in essendo*, aut prima *veritas in loquendo*, examinavi in *Th. Eclect.* in hoc *Tract. Disputat.* 2. *Quæst.* 1.

Quæritur 9. Quid sit fides *supernaturalis* aut *naturalis*?

Respondeo. Fidem *supernaturalem* solere definiri eam, *quæ nititur motivo supernaturali; naturalem* vero esse eam; quæ nititur motivo naturali. Verum quia hæc definitio non satis clare exprimit causam, cur fides hæreticorum sit mere naturalis, licet etiam ipsi assentiantur variis articulis seu objectis ob testimonium Dei falli & fallere nescii; rectius traditur sequens definitio, dicendo: *Fides Naturalis* est, *quæ caret ordine efficaci ad finem supernaturalem ultimum*, seu fruitionem Dei perfectam. Econtra *fides supernaturalis* est, *quæ habet ordinem efficacem ad finem supernaturalem ultimum*. Censetur autem fides habere ordinem efficacem ad finem supernaturalem ultimum, quæ habet saltem ordinem efficacem ad media supernaturalia perveniendi ad finem supernaturalem ultimum; qualia media sunt Sacramenta Ecclesiæ. Hinc Catholici, quamvis non sint in statu gratiæ habitualis, seu amicitiæ divinæ, habent tamen fidem supernaturalem, quia eorum fides habet ordinem practicum ad Sacramenta Ecclesiæ, & alia salutis media. Econtra fides Hæreticorum, etiamsi multos articulos fidei credant ob authoritatem Dei attestantis, non est supernaturalis, quia eorum fides non habet ordinem practicum, seu efficacem ad necessaria media salutis a Deo ordinata, *collective* sumpta. Ponitur enim, quod hæretici, puta *formales*, vincibiliter aliquos articulos a Deo revelatos excipiant, & a Sacramentis Ecclesiæ se ultro excludant. Consimiliter foret tantum fides naturalis existentium in statu puræ naturæ, etiamsi Deo cum ipsis loquenti crederent ob ejus infallibilem authoritatem circa finem & objecta præcise pertinentia ad statum puræ naturæ.

Quæritur 10. An, & in quo sensu, fides supernaturalis sit *donum Dei*?

Respondeo 1. Fidem Theologicam ac supernaturalem esse *donum dei*, patet ex variis textibus Scripturæ, v. g. *Phil.* 1. v. 29. *Vobis donatum est, non tantum ut in eum* (Christum) *credatis, sed etiam, ut pro illo patiamini*. Et Matth. 11. Christus de incredulis loquens ait: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.*

Nemo

Nemo patrem novit, nisi cui voluerit filius revelare. Et Matth. 13. v. 11. *Vobis datum est, nosse mysteria regni cœlorum; illis autem non est datum*. Similibus textibus plenum est Novum Testamentum. R. 2. Fides dicitur *donum dei* ex *Triplici* causa. *Primo*; quia homini venit ex speciali providentia Dei, hoc est, ex præparatione ac ferie causarum secundarum, quarum dispositio, seu electio ex infinito possibilium, est specialis providentiæ divinæ, ac prædestinationis gratuitæ ad Ecclesiam effectus. *Secundo*; quia talis fides habet ordinem practicum tam ad finem supernaturalem, quam ad media supernaturalia, qui ordo in ipso actu fidei comprehensus ac inclusus illi non advenit ex principiis naturæ, sed *ex dono Dei*, ejusmodi media supernaturalia *præparantis præmonstrantis*, & ipsum esse respectivum actus ad media supernaturalia operantis. *Tertio*; quia, prout in *Theol. Ecl.* monstravi *disp.* 2. *Quæst.* 3. fides dependet a supernaturali lumine fidei *suasivo*, *impulsivo*, & *collativo* firmitatis quoad adhæsionem.

Quæritur 11. Quid sit fides *universalis*, *&* *particularis*?

Respondeo. Fides, seu *actus fidei universalis* est assensus generalis circa omnes articulos fidei. v. g. dum quis dicit: *Credo omnia*, quæ Deus falli & fallere nescius per Ecclesiam Catholicam credenda proponit. Fides autem, seu *actus fidei particularis* est assensus circa unum vel alium articulum particularem, abstrahendo ab articulis cæteris, v. g. si quis accedens ad sumptionem Eucharistiæ eliciat actum fidei circa hoc particulare mysterium?

Quæritur 12. Quid sit actus fidei *elicitus* & *imperatus*?

Respondeo. Actus fidei *elicitus* est, qui *immediate* elicitur ex motivo formali fidei, v. g. si dico: Christus est præsens in omni Hostia vere consecrata: Omnis Hostia consecrata est adoranda: Omnis verus Sacerdos est veneratione dignus. Omnis parens est a filiis amandus & honorandus; quia hoc Deus revelavit falli & fallere nescius. Econtra actus fidei *imperatus* est, qui elicitur dependenter a motivo fidei solum mediate, interveniente alio actu intermedio nec elicito ex motivo fidei, nec metaphysice certo. Sic in datis exemplis, si *ex fide jubear adorare Christum* in *hac hostia*, vel venerari *hunc Neomystam*, vel honorare pro parente *hunc hominem* &c. id totum pertinebit ad actum fidei imperatum; quia motivum fidei non determinat ad actualem *fidem*, *adorationem*, *venerationem*, ac *honorationem* determinati individui, nisi mediante actu, quo judicem, hanc hostiam esse vere consecratam, hunc Neomystam esse rite ordinatum; hunc hominem esse meum parentem; quamvis neutrum horum sit de fide, nec metaphysice certum.

Ratio ita sumendi hos terminos patet ex eo, quia conclusio deducta ex una præmissa revelata, & altera solum moraliter vel physice certa non est absolute infallibilis, prout ostensum est in *Theol. Eclect. de fide* Disputat. 1. Quæst. 2.

Quæritur 13. Quid sit actus fidei *purus* & *mixtus*?

Respondeo. Actus fidei *purus* est, qui præter motivum formale fidei nullum respicit aliud commotivum. Econtra actus fidei *mixtus* est, qui præter motivum formale fidei simul respicit aliud commotivum. Tale actus fidei mixtus esset, si quis diceret: *Credo existentiam Dei*, *&* *animæ immortalitatem; quia hoc Deus revelavit*, *&* *ratio demonstrat.* Id autem duplici modo fieri potest; uno quidem, dum actus fidei respicit aliud commotivum tanquam *partiale*; & alio modo, dum respicit aliud commotivum tanquam *totale* per modum causæ totalis, quod se solo sufficiat ad impetrandum assensum, sicque actu moveat ac respiciatur, ac si solum moveret.

Quæritur 14. Quid sit actus fidei *immediatæ*, & *mediatæ*?

Respondeo. Actus fidei *immediatæ* est, qui ita procedit ex motivo fidei, ut non assentiatur objecto mediante ratiocinio humano, fundato in propositione non revelata. Econtra actus fidei *mediatæ* est, qui assentitur quidem objecto

ex

ex motivo fidei, sed mediante ratiocinio humano, partialiter fundato in propositione non revelata, attamen metaphysice certa. Talis actus fidei est omnis conclusio Theologica, deducta ex duabus præmissis, quarum una est revelata, & altera metaphysice certa. Exemplum fidei mediatæ habetur in hoc Syllogismo: *Omnis homo habet animam rationalem; sed Christus est homo; ergo Christus habet animam rationalem*. Ratio sic sumendi hos terminos, patet ex dictis l. cc.

Quæritur 15. Quomodo potest elici actus fidei?

Respondeo. Actus fidei potest elici hoc modo: *Mi Deus; quia es ipsa veritas falli & fallere nescia, credo omnia, quæ nobis per Ecclesiam Catholicam credenda proponis. Primarium autem, quod credo, tu ipse es, unus & trinus, & Mediator omnium D. N. J. Christus, passus pro me.*

§. III.

De obligatione fidei,

QUæritur. 1. Quænam tenetur homo scire & credere necessitate medii?

Respondeo. Homo tenetur necessitate medii explicite scire ac credere, quod Deus existat, & quod sit vindex malorum, ac remunerator bonorum.

Ratio est, quia illud dicitur necessarium necessitate medii, quo etiam invincibiliter ignorato non potest obtineri salus, seu beatitudo æterna, consistens in visione intuitiva Dei. Hanc autem nemo obtinere potest sine notitia de existentia & justitia Dei, cum in homine rationis moralis compote ne quidem possit dari invincibilis ignorantia Dei sub prædicato supremi Legislatoris, cujus est prœmiare bonos, & vindicare malos. Dantur tamen authores etiam graves, qui censent, necessitate medii ad obtinendam beatitudinem supernaturalem requiri fidem explicitam de Mysterio SS. Trinitatis & Incarnationis, ita ut Gentiles & Turcæ, quamvis eorum nonnulli hæc mysteria invincibiliter ignorarent, æternum excludantur a regno Dei. In qua re nihil aduc definivit Ecclesia.

Quæritur 2. Quos a ticulos fidei quilibet homo teneatur scire necessitate præcepti?

Respondeo. Quilibet tenetur scire 1. *Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis* juxta explicationem Ecclesiæ, quæ continetur in Symbolo *Nicæno*, & *Athanasiano*, prout vocari solet. 2. Omnia, quæ continentur in Symbolo Apostolico. 3. Orationem Dominicam. 4. Septem Sacramenta. 5. Omnia quæ continentur in formula Professionis fidei Catholicæ. 6. Decem præcepta Decalogi. 7 Præcepta Ecclesiæ generalia, ac etiam particularia cujusvis statui propria. Hæc omnia fideles omnes tenentur discere ac scire saltem *quoad substantiam*. Ex quo proin sequitur; etiam Parochos & Magistros sub peccato mortali obligari ad *moralem diligentiam* adhibendam *in instruendo*; & eorum curæ concreditos ad parem diligentiam adstringi *in discendo*. *Dixi*, *quoad substantium*. Neque enim requiritur; ut omnes fideles hæc omnia noscant *memoriter* recitare; requiritur tamen, ut si interrogentur, sciant de singulis apte respondere.

Respondeo 2. Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & articulos primarios, quorum notitiæ in actiones primarias cujuslibet Christiani influunt, quilibet tenetur scire explicite. Tales articuli sunt circa Sacramentum Pœnitentiæ, Sacrificium Missæ, cultum Sanctorum &c.

Probatur autem utraque Responsio ex D. *Thoma* 2. 2. q. 2. a. 6. C. *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem. Quantum autem ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere, sed solum implicite, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet*. Idem docet *Catechismus Romanus* de Symbolo Apostolico n. 4. ubi ait: *Cum multa fidelibus proponan-*

ponantur, quorum singillatim vel universe fidem habere oportet, illud primo ac necessario omnibus credendum est, quod veluti fundamentum Deus ipse docuit.

Quæritur 3. Quinam articuli fidelibus frequentius explicandi & inculcandi sint?

Respondeo. Explicari & inculcari frequentius per iteratas Conciones & Catecheses suadeo sequentes articulos. 1. *Existentiam & perfectiones Dei*. Sic enim homines concipient magnum timorem & amorem Dei, & aquirent contemptum bonorum temporalium præ æstimatione & desiderio Summi Boni, finis nostri ultimi; in quo solo beatitudo, & vita hominis æternum beata consistit. 2. *Existentiam, perfectiones, opera, & doctrinam Redemptoris*, præsertim, quod ab ejus passione, bene ac digne participata, omnes gratiæ, tota nostra justificatio, perseverantia & salus dependeant. 3. *Existentiam & operationes Spiritus Sancti*, præsertim quod ab eo tota infallibilitas & directio Ecclesiæ & dispositio mirabilis omnium Justorum inter tot tribulationes & scandala hujus mundi dependeat. 4. *Signa & credibilitatem veræ Ecclesiæ*. 5. *Necessitatem amoris veri & practici erga Deum & proximum* per studium bonorum operum. 6. *Naturam veræ pœnitentiæ*. 7. & *Sacrificii* Christiani. 8. *Gravitatem pœnæ* peccatorum, ac vincibilis ignorantiæ.

Quæritur 4. An sint capaces absolutionis, qui ignorant Symbolum Apostolicum memoriter?

Respondeo. Qui hoc Symbolum ignorant ex defectu debitæ diligentiæ, non debent absolvi, nisi spondeant, se quamprimum illud disciturus: & si dubitetur de efficacia hujus propositi, differenda illis est absolutio.

Probatur 1. Ex propositione damnata ab Innocentio XI. n. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.* Jam vero indicium valde probabile ejusmodi ignorantiæ est, si quis Symbolum nesciat memoriter

Probatur 2. In Synodo Mediolanensi XI. celebrata a D. *Carolo*, dicitur: *Quisquis ad usum rationis pervenit, tenetur sub pœna peccati mortalis scire omnes illos Symboli Apostoli articulos, qui solenniter ab Ecclesia celebrantur, saltem quoad substantiam, & præcepta Dei & Ecclesiæ, ad quæ tenemur sub pœna peccati mortalis*. Atqui, si quis non conetur hoc Symbolum memoriter discere, verosimiliter nec sciet illud quoad substantiam; ita ut de singulorum articulorum sensu & comprehensione interrogatus apte sciat respondere.

Quæritur 5. Quoties in vita homo teneatur elicere actum fidei?

Respondeo 1. Distinguendum esse 1. inter *actum fidei generalis*, & *particularis*. Per actum fidei generalis assentitur homo omnibus articulis fidei simul sumptis, seu toti Religioni, idque ex motivo generali. Per actum autem fidei particularis homo assentitur articulo particulari, quod potest fieri ex motivo particulari, videlicet ex verbo divino specialiter ac explicite applicato ad talem articulum. Distinguendum est 2. inter actum fidei in *actu exercito*, & in *actu reflexo*. Sic enim qui Deum invocat, genua coram Sanctissimo flectit, Sacramentum pœnitentiæ suscipit, haud dubie in actu exercito credit, Deum posse juvare, præsentem esse, veniam dare, &c. Distinguendum est 3. inter actum fidei *elicitum & imperatum*. His prænotatis.

Respondeo. *Ad actum fidei generalis* tenetur homo initio fidei, dum eligit unam religionem præ altera, *secundo* in gravi tentatione contra fidem; ac *tertio* in articulo mortis, in quo solent esse graviores tentationes dœmonis de fide. Tenetur proin homo, se ad eas tentationes præarmare firma adhæsione ad veram Ecclesiam, prout ostensum est *de peccatis in genere*, quod non liceat se habere negative ad graves tentationes internas, nec se temere exponere gravi periculo lapsus.

Respondeo 2. *Ad actum fidei particularis* obligatur homo in susceptione Sacramentorum, & in quovis actu religionis; non tamen obligatur ad ejusmodi

di actum fidei in *actu reflexo*, sed sufficit, si exerceatur in *actu exercito*, prout recte *Lugo Cardinalis* advertit in Tract. *de fide* h. l. n. 44. 46. 51. Hinc dupliciter errant quidam ; Catechistæ, & Ascetæ, qui tanquam specialem obligationem fidelibus inculcant; quod v. g. in susceptione Eucharistiæ homo teneatur elicere actum fidei *generalem*, *formalem*, *explicitum*, ac *reflexum*, quo homo advertit se credere, & satisfacere huic obligationi. Formulæ fidei, quas præscribunt, continent actus fidei generalis, quos falsum est requiri in susceptione Sacramentorum, nisi inquantum per se virtualiter continentur in actibus omnibus fidei particularis.

Respondeo 3. Ad actum fidei imperatum v. g. adorationem hostiæ, invocationem aut cultum Sancti, toties datur obligatio, quoties Ecclesia obligat ad aliquid essentialiter connexum cum tali actu imperato, ita ut intentio Ecclesiæ ex suo genere obtineri nequeat sine ejusmodi actu fidei interno imperato. Tale connexum est, si præcipitur devota auditio Saeri, recitatio Lytaniæ de omnibus Sanctis, paritio præstanda Papæ neoelecto, &c.

Responsiones autem probantur ex Propositionibus damnatis. Inter damnatas ab Alexandro VII. *prima* hæc ait: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. *Secunda* inter damnatas ab Innocentio XI. 17. *Satis est, actum fidei, semel in vita elicere*. *Tertia* inter easdem 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se*, *Quarta* inter easdem 65. *Sufficit mysteria SS. Trinitatis & incarnationis semel credidisse*.

Quæritur 6. An hæreticus possit pro suo libitu manere in sua religione, aut nostram amplecti, eo quod credat, utramque esse probabilem?

Respondeo. Negative. Ratio est, quia perpensis indifferenter motivis credibilitatis est impossibile, ut homini adulto, maturo, & bene instructo invincibiliter absque influxu passionum religio Catholica non appareat evidenter credibilior; & hoc semel posito est impossibile, ut lumen fidei ac etiam naturale non dictet, religionem evidenter credibiliorem non esse unice veram; prout ostensum est in *Theol Eclect.* disput. 4.

Probatur 2. ex propositione damnata ab Innocentio XI. n. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*, & n. 21. *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, quo quis formidet, ne non sit locutus Deus*.

Quæritur 7. An detur obligatio profitendi veram Religionem inter hæreticos vel gentiles?

Respondeo 1. Datur obligatio profitendi veram Religionem magistratu legitimo publice inquirente in religionem subditorum. Id *Probatur* inprimis ex verbis Christi Math. 10. *Omnis, qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. *Probatur* 2. ex severitate primitivæ Ecclesiæ in eos, qui fidem Ecclesiæ abnegarunt, ut patet ex Canonibus pœnitentialibus.

Respondeo 2. Nunquam licet uti signo externo ex communi acceptatione hominum protestativo religionis erroneæ, quale foret sumptio boli lutherani. Ratio enim est eadem, sive ea abnegatio fidei verbo fiat aut facto. Hinc antiquitus tempore D. *Cypriani* etiam *libellatici*, qui se redimebant pecuniis, ne traherentur ad quæstionem, & *traditores* vasorum, vel librorum sacrorum, subjiciebantur severis pœnitentiis.

Respondeo 3. Datur etiam obligatio veram religionem profitendi, quando id exposcit gloria Dei, salus proximi, aut salus propria. *Probatur* ex verbis Christi Lucæ 9 *Qui me erubuerit & meos sermones; hunc filius hominis erubescet*, & Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem*.

Respondeo 4. Quando professio veræ religionis cederet potius in detrimentum divinæ gloriæ & in pernitiem animarum nec sit publica inquisitio ac personalis in-

interrogatio legitima a magiſtratu licet ſuam religionem ſervare occultam. Id patet ab exemplo *Nicodemi*, qui erat diſcipulus occultus Chriſti propter metum Judæorum. Sic etiam D. *Sebaſtianus* in aula Imperatoris, & innumeri alii, tegebant religionem Chriſtianam.

Reſpondeo 5. Nunquam tamen licet uti ſigno religionis ambiguo, quando occultatio veræ religionis cedit in præjudicium divini honoris, aut ſalutis animarum. *Probatur* ex natura amoris divini, qui obligat ad præferendum commodum divinæ gloriæ commodo proprio.

Quæritur 8. An pueri & puellæ impuberes poſtulanes recipi ad veram Eccleſiam poſſint excludi ob Statutum Magiſtratus hæretici ne tranſeuntes ab una religione ad aliam recipiantur ante annos pubertatis?

Reſpondeo. Non poſſunt excludi. Poſſunt tamen ſufficienti tempore probari de conſtantia propoſiti, an non procedat ex levitate animi, vel ira, vel metu verberum apud ſuos. *Probatur* ex verbis Chriſti Math. 19. *Sinite parvulos & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt enim regnum cœlorum*. *Dixi*, quod debeant tentari de conſtantia, quia experientia docuit, ejuſmodi pueros, ſi apud Catholicos commode non poſſint vivere, aut ſi, ubi opus fuerit, in morum diſſolutione corrigantur, facile ad ſuam ſectam redire. Debet itaque ipſis dici, ut interea parentibus circa res indifferentes obediant, & ab actibus proteſtativis ſectæ abſtineant; aut, ſi ad eos compellantur etiam verberibus, aperte profiteantur, ſe agnoſcere, veram eſſe religionem catholicam, & in ea velle perfectius inſtrui. Quod ſi ea de cauſa violentis mediis, v. g. verberibus compellantur, adeant Magiſtratum, & conquerantur. Si vero ſolum cogantur interea uſque ad pubertatem abſtinere a conſortio Catholicorum, adire conciones hæreticorum, excipere privatas adhortationes Prædicantium, comedere carnes diebus abſtinentiæ, ferre quotidianas increpationes aut ficto titulo quæſito caſtigationes, in his omnibus ſi metus ſit gravis malorum gravium, ſalva fide parentibus obſequi poſſunt, niſi aufugere malint, ſeque exponere aliis incommodis.

Quæritur 9. Utrum infideles non ſubditi temporali dominio principis v. g. regis Hiſpani poſſint cogi ſaltem ad audiendam fidem aut amplectendam?

Reſpondeo 1. Cum *Suarez*, *Hurtado*, & *Lugone* diſt. 19. l. 2. n. 54. contra non paucos; id non licere principibus Chriſtianis aut Catholicis.

Ratio eſt, quia non licet facere mala inferendo injuriam, ut eveniat bonum.

Reſpondeo 2. Multo minus licet, eos directe cogere ad amplectendam fidem. Ratio enim eſt eadem. *Confirmatur* 1. Nemo poteſt jure naturæ ſine ſpeciali permiſſione divina cogi ad id, ad quod per ſe non tenetur jure naturæ. Sed jure naturæ non tenetur amplecti aut diſcere religionem, cujus credibilitatem nondum agnovit. Ergo. *Confirmatur* 2. Illa licentia non datur, cujus generalis uſus vergeret in generalem pernitiem generis humani. Sed hoc fieret, ſi quælibet religio prædominans cogere poſſet non ſubditos ad exacte diſcendam vel amplectendam ſuam religionem.

Reſpondeo 3. Armis tamen compelli poſſunt infideles ad ceſſandum a perſecutione veræ religionis violenta, atque ad relinquendam naturalem libertatem commercio humano. Ratio eſt, quia jure naturæ licet propulſare injuriam, qualis eſt perſecutio violenta, commercii interdictio, aut quivis alius actus, ne ipſis quidem Catholicis licitus erga exteras religiones.

Reſpondeo 4. Si tamen in aliquo caſu moraliter certum fuerit, infideles non ſubditos jam ſufficienter de præcipuis motivis credibilitatis veræ religionis inſtructos eſſe, eoſque jure naturæ obligari ad melius indagandam religionem, poſſent ad hoc cogi, ſi fieri poſſit ſine violatione juris tertii.

Ratio eſt, quia quilibet a quolibet poteſt cogi ad hæc obſervandum, ad quod certe jure naturæ tenetur, ſi id fieri poteſt ſine præjudicio tertii, aut violatione legum ſuperiorum, ſeu altiorum

tiorum; quivis enim tenetur in proximo præcavere injuriam Dei, si id sine periculo majorum malorum fieri potest.

Quæritur 10. An saltem subditi gentiles vel hæretici possint a Domino territoriali cogi ad audiendam vel amplectendam veram Religionem?

Respondeo 1. Possunt cogi ad audiendam veram religionem. *Probatur* 1. ex praxi Romanorum Pontificum, qui cogunt Judæos Romæ sub pœna pecuniaria, ut singulis Sabbatis certus quidam eorum numerus compareat in determinata Ecclesia ad concionem Catholicam, in qua refutatur religio Judæorum. *Probatur* 2. In ejusmodi territoriis Catholicorum principum moraliter certum est, subditis heterodoxis jam ex conversatione nota esse præcipua motiva credibilitatis & signa veræ Ecclesiæ; Ergo cum jure naturæ teneantur, ad melius indagandum religionem, notis veræ religionis characteristicis lumine naturæ impressis tam conformem, possunt obligari ad hoc, ad quod sua sponte jure naturæ præsumptive tenentur.

Respondeo 2. Ad fidem tamen amplectendam mediis violentis cogi non possunt. Ita *D. Thomas* 2. 2. q. 10. a. 8. *Palud. Durand. Richard: S. Antonin. Abul. Sylvester. Cajetanus. Suarez. Probatur*. Non licet adhibere media violenta, æquivalentia torturæ, aut omnino capitali supplicio, nisi erga reos jam convictos. Sed tales gentiles, etsi jam instructi sint de motivis credibilitatis, nondum sunt convicti de hoc, quod coram Deo nulla laborent ignorantia invincibili. Ergo.

Respondeo 3. Neque hæretici violentis mediis ad amplectendam veram religionem cogendi sunt, nisi jam prius veræ Ecclesiæ personaliter addicti fuerint, aut nisi ex aliis criminibus ejusmodi graviora supplicia promeriti sint. *Probatur*. Capitali supplicio, tortura, aut pæna æquivalente nemo afficiendus est, nisi convictus de gravi crimine; sed hæretici ab infantia, qui personaliter nunquam fuerunt addicti veræ Ecclesiæ, non sunt convicti de gravi crimine, in particulari singillatim, individualiter, ac personaliter, quod determinate hunc vel illum nulla invincibili ignorantia excusari constet. Ergo.

Respondeo 4. Hæretici tamen, qui in matura ætate personaliter jam semel fuerunt addicti veræ religioni, eaque relicta apostatarunt ad aliam, non solum possunt cogi ad veram fidem amplectendam, sed etiam extremo supplicio affici. *Probatur*. Tales in foro externo sunt convicti de gravi crimine, quod est capitali supplicio dignum. Ergo eo possunt affici. *Ant. prob.* Ex una parte certum est, quod violaverint suam promissionem aut promissionis factæ ratihabitionem; ex altera vero parte moraliter certum est; eos semel agnito vero lumine fidei nulla ignorantia invincibili a crimine apostasiæ excusari posse. Ergo gravi supplicio affici & ad resumendam veram religionem cogi possunt. Quia licet absolute possibile sit, in iis intervenisse ignorantiam invincibilem, ea tamen excusatio, nisi consideratis circumstantiis probabilis sit, in foro externo nec solet nec potest attendi, ut patet ex aliis criminibus v. g. homicidii, perduellionis, rebellionis, desertionis militaris.

Dixi. Qui in matura ætate semel addicti fuerunt veræ Ecclesiæ. Si qui enim jam seducti fuerunt in pueritia nondum matura ætate, cum in talibus locum habeat saltem prudens dubium de ignorantia invincibili, non æstimo eos extremo supplicio affici, aut violentis mediis ad reassumendam veram religionem cogi posse.

Quæritur 11. An licita sit captio Maurorum Sylvaticorum sub motivo ut instruantur in fide Christiana?

Respondeo. Ea captio nisi motivum illud sit inanis prætextus & concurrant aliæ injustitiæ, vel violentiæ contrariæ charitati, speculative ac in Thesi, ut jacet, est licita. *Ratio est*, quia possunt a quocunque compelli ad hoc, ut agant, ad quod jure naturæ obligantur, sed, cum sint homines sylvatici, sint homines sine ulla vera religione, jure naturæ obligantur ad quærendam veram religionem. Ergo. *Dixi*, hoc verum

ritatis est *Deus summum bonum*. Consi- esse *speculative*, quia si experientia monstret, in iis negligi instructionem in fide, eosque tractari non ut homines, sed ut belluas, manifestum est, neminem cooperari posse ad ejusmodi captionem, cum spes nulla finis prætensi appareat. Aliud est, si rex eam instructionem & humanam tractationem ordinet ac prudenter speret, sed crudelitate præcise & avaritia officialium negligatur ipso id ignorante.

Quæritur 12. An servanda sint pacta cum hæreticis & gentilibus inita?

Respondeo. Si inita sint accedente potestate legitima, & si ipsimet ea pacta servent, nec machinentur contraria juribus confœderatorum sacris aut profanis, servanda sunt. *Probatur* ex dictis. Solus titulus religionis non est sufficiens ad compellendos hæreticos vel gentiles pro suscipienda religione catholica. Ergo multo minus erit titulus sufficiens ad violanda pacta & aggrediendos bello. *Ant. prob.* Non sunt in individuo convicti, quod laborent ignorantia vincibili, sicque sint hostes formales Dei. Ergo non constat de voluntate Dei permissiva eos compellendi ad veram Religionem, aut de nullitate pactorum. Jus enim naturæ, & lex divina tantum ea pacta irritat, quæ sunt manifeste ac formaliter contraria legi divinæ, & solum permittit plecti eos, qui formaliter ac scienter delinquunt in Deum, quales erant hostes Dei declarati ab ipso Deo, aut gentes barbaræ, aperte repugnantes legi naturali.

§. IV.

De Spe.

QUæritur 1. Quid sit Spes?

Respondeo. Spes, quatenus est virtus Theologica, ab antiquis Theologis recte definitur, quod sit *secura exspectatio futuræ beatitudinis*. Dicitur *secura*, inquantum nititur promissis divinis, quæ non fallunt, si homo agat, quod suum est. Dicitur etiam, *futuræ beatitudinis*, quia per hanc virtutem nihil speratur temporale, nisi inquantum consideratur tanquam medium ad futuram hominis beatitudinem, quæ est solus Deus.

Quæritur 2. An Spes idem sit, ac amor concupiscentiæ, quo homo amat Deum ut sibi bonum?

Respondeo. Spes non est idem ac amor concupiscentiæ quo homo Deum amat ut sibi bonum, potest enim quis Deum concupiscere ut sibi bonum, quin eum *secure exspectet*, utpote vel diffidens de obtinendis a divina misericordia necessariis auxiliis gratiæ, vel de sua cooperatione ob sibi notam propriam ignaviam. Præsupponit tamen spes amorem concupiscentiæ vel tanquam prærequisitum, vel quod verius est, tanquam materiam seu tanquam sui constitutivum materiale. Quia nemo secure exspectat, quod non prius ardenter concupiscit.

Quæritur 3. Quodnam sit objectum materiale Spei?

Respondeo 1. Objectum materiale primarium spei est *Deus*. *Probatur*. Illud est objectum materiale, quod speratur; Sed hoc est Deus. *Min. prob.* ex illis verbis Dei ad Abraham Gen. 15. *Ego ero merces tua magna nimis*. Et ex illis verbis Christi Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*. Et Apoc. 1. & 22. *Ego sum α & ω principium & finis*, hoc est terminus omnium desideriorum.

Respondeo 2. Objectum materiale secundarium sunt præmia accidentalia, & media salutis.

Quæritur 4. Quodnam est *objectum formale* Spei?

Respondeo. Objectum formale, seu motivum formale spei est *fidelitas divina in servandis promissis*. Ea autem fidelitas dicit simul aut formaliter, aut per connexionem veracitatem in promittendo, justitiam in servandis pactis, & potentiam in exequendo. *Probatur*. In Scriptura habentur varii textus, in quibus spes modo refertur ad motivum fidelitatis divinæ, modo ad motivum veracitatis, aut justitiæ, aut potentiæ. *Confirmabit vos in finem fidelis Deus*. 1. Cor. 1. v. 9. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari ultra id, quam potestis*. 1. Cor. 10. *Abraham non hæsitavit*

ſitavit diffidentia, *ſciens*; *quia quæcunque Deus promiſit*, *potens eſt & facere*. Rom. 4. *In ſpem vitæ æternæ*, *quam promiſit*, *qui non mentitur Deus*. Tit. 1. *Deus interpoſuit jusjurandum*, *ut per duas res immobiles*, *quibus impoſſibile eſt mentiri Deum*, *fortiſſimum ſolatium habeamus*. Heb. 6. *Repoſita mihi eſt corona juſtitiæ*, *quam reddet mihi juſtus judex*. 2. Tim. 4.

Quæritur 5. In quo ſenſu Spes dicatur *certa*, ac *ſecura*?

Reſpondeo. Spes dicitur certa relative ad media ſalutis, quæ conferuntur homini a Deo, non vero relative ad media ſalutis, quæ determinative applicantur ab homine: ſpes enim credit & fidit Deo; non credit & fidit ſibiipſi. In quantum enim ſpes participat aliquid de fide, credit Deo promittenti; & inquantum ſcit Deum fidelem, fidit ejus promiſſis etiam per tranquillam ac quietam adhæſionem voluntatis: Attamen ſibi met ipſi promittenti perſeverantiam nec infallibiliter credit, nec ſine formidine oppoſiti tranquillo ac quieto animo fidit. Ita docet *D. Thomas* 2. 2. q. 18. a 4. & inſinuat *Tridentinum* Seſſ. 6. c. 13. ubi ait: *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debent*. Item *Albertus M.* in 3. diſt. 26. a 4. c. ubi ſibi contra definitionem ſpei ex S. Auguſtino de Civitat. ſumptam, reſpondet: *Dicendum*, *quod ipſe loquitur de certitudine ſperantis magis quam ſpei*.

Quæritur 6. Quoties homo in vita teneatur elicere actum Spei?

Reſpondeo 1. Tenetur homo elicere actum ſpei quamprimum incipit aquirere moralem uſum rationis, hoc eſt, quamprimum incipit agnoſcere Deum, tanquam regulam actionum humanarum vindicativam & remunerativam. 2. In quavis gravi tentatione oppoſita ſpei. 3. In ſuſceptione Sacramentorum. 4. In quovis actu religonis ex obligatione debito. 5. In articulo mortis.

Ratio eſt, quia natura dictat, in hujuſmodi circumſtantia obligationem recte adimpleri, aut grave periculum peccandi evitari non poſſe ſine actu ſpei.

Reſpondeo 2. Initio vitæ moralis, in gravi tentatione, in ſuſceptione Sacramenti mortuorum juſtificativa peccatoris, in contritione juſtificativa, & in articulo mortis tenetur homo elicere actum ſpei formalem ac univerſalem; in ſuſceptione vero Sacramentorum quæ vocantur vivorum, aut in actu religionis ſufficit actus ſpei particularis in actu exercito, ſicut dictum eſt de fide.

Quæritur 7. Qualis poſſit eſſe formula eliciendi actum Spei?

Reſpondeo. Brevis formula poterit eſſe hæc: *Mi Deus quia es ipſa fidelitas*, *ac proin es fideliſſimus in ſervandis tuis promiſſis*, *ſpero omnia*, *quæ promiſiſti*; *primarium autem quod ſpero*, *tu es ipſe Deus meus*, *ſummum bonum meum & omnia*. Fuſiores actus Spei reperies in meo *Devotionali piorum Sacerdotum*.

§. 5.
De Charitate.

Quæritur 1. Quid ſit Charitas?

Reſpondeo. Charitas eſt amor amicitiæ, quo Deus tam ut in ſe bonus, quam ut & nobis bonus diligitur ſuper omnia. *Dicitur* 1. amor amicitiæ, juxta illud Joa. 15. *Sicut dilexit me Pater*, *& ego dilexi vos*. *Vos amici mei eſtis* - *jam non dicam vos ſervos*; *vos autem dixi amicos*. Eſt autem amor amicitiæ eſſentialiter reciprocus, ac proin eſſentialiter præſupponens ac reſpiciens amicum ut reciproce benevolum ac bonum erga ſe. *Dicitur* 2. *ut in ſe & nobis bonus*. Quamvis enim prius ſit, Deum eſſe in ſeipſo bonum, quam eſſe nobis bonum, & amans poſſit Deum amando *abſtractive* conſiderare modo ut in ſe bonum, modo ut nobis bonum, in amore tamen amicitiæ neutra bonitas poſitive excludi poteſt: quia Deus nec eſſet nec conſiderari poſſet ut nobis bonus, niſi realiter præſupponatur in ſeipſo bonus; neque eſſet bonus in ſe, niſi realiter eſſet communicativus ſui ac bonus creaturis rationalibus, ſuppoſito quod aliquas produxerit.

Quæritur 2. Quodnam ſit objectum materiale Charitatis?

Reſpondeo. Ojbectum materiale charitatis

derari autem potest Deus, tanquam summum bonum sub duplici consideratione. Nam inprimis consideratur ut *Summum bonum in seipso omni amore & honore dignum*; & sic Deum charitas respicit per affectum benevolentiæ. Dein consideratur, ut *nostrum summum bonum*, seu *beatitudo æterna* ac finis ultimus, & sic Deum charitas respicit per affectum concupiscentiæ. Ex quo consequitur, amorem benevolentiæ & amorem concupiscentiæ includi in amore amicitiæ, prout expresse docet S. *Thomas* in tertium sententiarum Dist. vigesima septima quæst. secunda articulo primo.

Quæritur 3. Quodnam sit objectum formale seu motivum charitatis?

Respondeo. Objectum formale seu motivum charitatis est *bonitas Dei adæquata*, hoc est, *tam absoluta quam respectiva*, qua Deus non solum est in seipso bonus, sed etiam nobis bonus præsertim ea supernaturali bonitate, qua nos facit amicos, & filios adoptivos, immo qua & animas nostras sibi æternum desponsat ac intime unit. Deum enim tanquam ens præcise in se summe bonum etiam Gentiles lumine naturali cognoscere possunt, & sic non esset objectum virtutis Theologicæ supernaturalis.

Ratio est, quia Charitas est amor amicitiæ, qui essentialiter est reciprocus, & essentialiter præsupponit amorem benevolentiæ reciprocum, atque essentialiter petit reciprocam communicationem bonorum. *Confirmatur* ratione D. *Francisci Salesii*, qui l. 10. C. 10. *De amore*, recte observat; Si Deus esset tantum sibi bonus, non autem nobis, bonus, nos erga eum quidem habituros quendam affectum benevolentiæ, non tamen amorem amicitiæ. *Si*, inquit, *per imaginationem rei impossibilis esset aliqua infinita bonitas, cum qua nequiremus habere unionem, neque communicationem, faceremus certe illam pluris, quam nos ipsos. Nam cognosceremus, quod ea existens infinite pluris esset æstimanda & amanda, quam nos ipsi; & quod hinc sequitur, possemus facere simplicia quædam vota de eadem amanda; sed proprie loquendo eam non amaremus; amor enim respicit unionem. Multo autem minus possemus habere charitatem erga illam. Charitas enim est amicitia; amicitia autem non potest esse, nisi reciproca, habens pro fundamento communicationem, & pro fine unionem.* Ita S. Salesius.

Quæritur 4. An charitas sit amor mixtus ex amore benevolentiæ, & concupiscentiæ?

Respondeo. Charitas includit simul amorem benevolentiæ & concupiscentiæ, ita tamen, ut uterque iste amor sit tantum materiale charitatis.

Ratio est, quia charitas est una virtus, non duæ virtutes. Unius autem virtutis est tantum unum motivum, unum objectum formale, seu unum constitutivum formale, solæ autem partes materiales, quamvis sub sua propria forma partiali, possunt esse plures. Itaque dicendum, quod hi duo amores in charitate tanquam partes ejus materiales uniantur ab una tendentia ad reciprocam communionem & unionem, quæ tendentia est formale constitutivum amicitiæ seu charitatis. *Confirmatur* hæc responsio authoritate D. Thomæ, & *Sorbonæ*, quæ anno 1716. die 16. & 23. Julii teste *Wittassio* Tom. V. Theologiæ in fine edidit hanc declarationem, *Sacra facultas declarandum duxit, Amorem Dei ferri in Deum, tum ut in se summe bonus est, tum ut est summum bonum nostrum, quæ duo complectitur charitas inter virtutes Theologicas tertia, sicut ex Sacris litteris liquet, & Sancti Patres docuerunt. S. Thomas* vero in 3. Sent. Dist. 27. q. 2. art. 1. sic scribit: *Amor unit quodamodo amantem amato; & ideo amor includit concupiscentiam amati, qua desideratur ejus præsentia. Secundo. Secundum quod ad amatum afficitur, amor benevolentiam includit, secundum quam aliquis amato bona desiderat. Tertio secundum hoc, quod ad alium exercetur, beneficentia in amore includitur. Quarto amor concordiam includit, secundum quam aliquis consentit in his, quæ amico videntur. Amicitia* (supra amorem) *addit duo, quorum unum est societas quædam amantis & amati in amore*

amore, ut scilicet se mutuo diligere sciant, aliud est, ut ex electione operentur, non tantum ex passione. Sic ergo patet, quod amicitia est perfectissimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens. Unde in genere hujusmodi ponenda est charitas, quæ est quædam amicitia hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit, & Deus hominem, & sic efficitur quædam associatio hominis ad Deum. Et l. 11. ad 1. *Dicendum, quod qualibet amicitia concupiscentiam seu desiderium includit, & aliquid super eam addit.*

Quæritur 5. An charitas obliget ad actus practicos distinctos ab observatione aliorum mandatorum?

Respondeo. Affirmative. Dico enim, quod charitas ultra observantiam aliorum mandatorum obliget ad actus practicos sibi proprios, ex suo genere gratuitos, & vi aliorum mandatorum indebitos.

Ratio est, quia charitas est amor amicitiæ. In amicitia autem includitur *benevolentia*, *beneficentia*, & *concordia*, seu unum velle & nolle in practicis, prout patet ex textu D. Thomæ proxime allegato. Hæc autem requirunt & necessario imperant actus practicos aliunde indebitos. Quis enim eum dicet esse suum amicum, qui pluribus annis in omnibus occasionibus recuset exhibere ullum actum benevolentiæ vel beneficentiæ gratuitum aliunde titulo justitiæ indebitum? Qui tibi diceret. Non te occidam, non rapiam tua bona &c. de cætero obsequium indebitum nunquam a me exspectes? *Conarmatur*. Charitas ergo proximum obligat ad actus practicos sibi proprios, vi aliorum mandatorum indebitos prout docet S. *Jacobus* in Ep. c. 2. v. 15. & 16. Ergo etiam charitas erga Deum. Alias probationes ex Scriptura & Patribus vide in mea *Theologia Eclectica de Charit. quæst.* 4.

Quæritur 6. Quales sunt illi actus practici, ad quos charitas obligat?

Respondeo. Eos esse duplicis generis. Aliqui enim actus charitatis sunt *essentiales*, quibus non positis non ponitur vel tollitur charitas. Alii vero actus charitatis sunt accidentales, quibus in individuo seorsim non positis non eoipso tollitur charitas: pertinent tamen ad perfectionem charitatis, ita ut homo velit agere quod est in se, & ex toto corde ac ex omnibus viribus diligere Deum, cui perfectæ charitati Deus ex promisso confert infallibilem justificationis gratiam. Actus vero essentiales charitatis consistunt in eo, quod homo in rebus magni momenti, in quibus gloria Dei maximum emolumentum vel detrimentum recipere potest, præferat emolumenta divinæ gloriæ emolumentis vel commodis propriis comparative exiguis. Hoc enim exigit quilibet amicus a suo amico, ita ut recusato ejusmodi officio amicitiæ eum neutiquam amplius in amicorum numero intus in corde numeret. Exempla dedi §. ult. *de Legibus*, & in Tract *de Decal. Disput.* 5, *quæst* 1. *qq.* 12. Item in proxime *sequenti qq. Respons.* 6.

Quæritur 7. Quoties homo teneatur elicere actum dilectionis erga Deum?

Respondeo 1. Ad hanc quæstionem jam fuisse responsum summarie *in Tract. de Decalogo* quæst. 1. qq. 7. Nunc denuo dico, in primis certum esse, hominem sæpius teneri ad eliciendum actum dilectionis erga Deum, quam singulis quinqueniis. Id colligitur ex quatuor sequentibus propositionibus damnatis.

1. *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi preceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Alexand. VII. 1666.

2. (Præceptum charitatis) *tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.* Innoc. XI. 1679.

3. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Innoc. XI. 1679.

4. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Innoc. XI. 1679.

Ratio vero intrinsece est, quia in *Deut*. C. 6. Deus vult frequentius exercitium dilectionis erga se. Ibi enim dicitur:

citur : *Audi Israel, quæ præcepit tibi Dominus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos: scribesque ea in limine & ostiis domus tuæ*. Dum hoc loco Deus requirit, ut mandatum dilectionis perpetuo oculis & menti obversetur, non potest reddi ratio, nisi dicatur, a Deo requiri frequens exercitium dilectionis erga Deum.

Respondeo 2. Quilibet homo statim primo momento, quo incipit habere usum rationis moralem, tenetur sub peccato mortali elicere actum dilectionis.

Ratio est, quia tunc incipit usus rationis moralis, quando homo incipit agnoscere, se, & rationem suam subordinari alicui legislatori superiori invisibili seu enti supremo ac Domino, remuneratori bonorum & vindici malorum, in quo nullos limites potestatis agnoscit. Ergo statim tenetur, se & rationem suam ei perfecte submittere, seu quod æquivalet, ei servire corde perfecto, ejus voluntati in omnibus obsequi, ei in omnibus suis actionibus velle placere, ei exhibere omnem honorem, timorem & amorem debitum, ei præstare actus omnes obedientiæ, reverentiæ & amoris tali Patri, ac Domino suo supremo, bono & justo debitos. Atqui hoc primum exercitium creaturæ rationalis est actualis dilectio Dei, ac virtus charitatis. Sicut enim justitia nil aliud est, quam *constans & perpetua voluntas tribuendi cuique jus suum*, ita etiam de virtute qualibet alia v. g. misericordiæ, temperantiæ &c. duci potest, quod sit *constans & perpetua voluntans exercendi actus misericordiæ, temperantiæ &c.* praticos. Itaque pari modo verum erit, quod in quovis homine, qui obtinet usum rationis moralis prima illa *constans & perpetua voluntas exhibendi Deo actus amoris practicos* sit actualis amor], atque ipsissima virtus charitatis. Confirmatur ex *D. Thoma*, qui in puero ad obtinendam remissionem peccati originalis nullum alium actum amoris requirit, prout patet ex textu inferius quæst. nona referendo.

Respondeo 3. Quilibet peccator, in peccato mortali existens, tenetur elicere actum amoris erga Deum, quandocunque illi occurrit cogitatio practica de sui conversione ad Deum, cogitationem autem *practicam* voco, quæ mentem admonet, ut se ad Deum convertas.

Probatur 1. a pari. Puer tenetur, se statim convertere ad Deum amore. Ergo etiam peccator.

Probatur 2. authoritate *D. Thomæ*, qui docet, peccatorem obligari, ad eliciendam contritionem, quo nomine intelligit profectam ex amore Dei, prout ostendam in Tract. *de Pœnit.* Disput. 3., quamprimum illi occurrit cogitatio practica de peccatis. In 4. dist. 17. q. 3. a. 1. qq. 4. C. sic scribit: „ Cum propositum „ confitendi sit annexum contritioni, tunc „ tenetur aliquis ad hoc propositum, quan„ do ad contritionem tenetur; scilicet, „ quando peccata memorię occurrunt, cum „ præcipue in periculo mortis existit, „ aut in aliquo articulo, in quo sine „ peccati remissione oporteat eum pec„ catum incurrere, sicut cum tenetur „ ad celebrandum, si desit copia sacer„ dotis, saltem tenetur conteri.

Respondeo 4. Datur obligatio gravis, etiam eliciendi actum dilectionis erga Deum in articulo mortis.

Probatur. Homo tenetur in articulo mortis tendere ad proximam unionem cum Deo, non nisi posita conformatione affectuum obtinendam, & purificatis omnibus conditionibus ac dispositionibus congruis conferendam, prout per se patet ex dictamine naturæ, & essentiali totius humanæ vitæ in finem ultimum ordinatione divina. Ergo. *Confirmatur*. Homo in ea circumstantia, in qua cessant alia negotia, & urget unum negotium salutis, tenetur attentione speciali suam salutem reddere moraliter certam in aditu æternitatis. Sed hoc non fit sine actu dilectionis. *Maj. prob.* ex

S. Au-

S. Augustino, qui scribit : *Pœnitentiam autem certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei*. Vide dicenda in Tractatu *de Pœnitentia*.

Respondeo 5. Homo tenetur sub mortali, elicere actum dilectionis erga Deum, quotiescunque tenetur sub peccato mortali suscipere Sacramentum pœnitentiæ, prout fit per præceptum confessionis annuæ.

Probatur. Sacramentum pœnitentiæ probabilius non confert gratiam sine conversione peccatoris ad Deum per dilectionem saltem initialem, quæ non differt ab amore perfecto quoad substantiam physicam, prout ostensum est Tr. de pœnit. Disp. 3. in *Theol. Eccl.* Ergo, quando urget præceptum confessionis, etiam urget præceptum dilectionis.

Respondeo 6. Homo tenetur sub peccato mortali elicere actum charitatis, quando in re gravis momenti ordo charitatis exigit, ut commodum divinæ gloriæ præponatur commodo aut lucro proprio.

Probatur. Inter essentiales actus amoris amicitiæ est, ut bonum Dei grande consistens in notabili augumento divinæ gloriæ præferatur commodo proprio levioris momenti, præsertim non necessario. Ergo, quando urgent circumstantiæ occurrentes, dabitur gravis obligatio eliciendi talem actum dilectionis. *Antecedens* jam fuit probatum Quæst. 6. & explicatur hic exemplis v. g. si paterfamilias sciat, impediri posse in suis liberis, aut servis & ancillis multa pericula gravium peccatorum, eaque removere negligat ob expensas, quas facere deberet in aliter ordinandis cameris, vel ob metum, ne discedant e servitio cum suo aliquo dispendio vel incommodo. Si Magistratus aut princeps nocivos saluti animarum & gloriæ Dei v. g. tolerat varios abusus in propinis, in luxu vestium, in moribus subditorum, in licentiis evagandi nocturnis; in negligenda coercitione petulantium, in socordia inquirendi in meretrices &c. in centum hujusmodi occasionibus, etsi non peccent in bonum temporale reipublicæ, & in leges justitiæ, peccant tamen graviter, quia agunt contra ordinem charitatis Deo debitæ. Idem committunt illi, qui promovent ad parochias, officia publica, aut dignitates Ecclesiasticas ejusmodi candidatos, ex quorum promotione præ aliis apparet, cultum divinum, & morum disciplinam notabile passuram periculum. In hoc etiam impingunt Superiores Ordinum, & Religiosi, qui intuitu temporalis commodi, aut amore libertatis resistunt optimis legibus, ex quarum stabilitione eminenter promoveretur magis cultus divinus, honestas, & perpetuitas disciplinæ in Ecclesia Dei. Idem peccatum committitur, si parentes vel communitates negligant instructionem juventutis ob expensas in ludimagistros, aut scholas. Quod ipsum locum habet in Prælatis Regularium, si ob expensas studia non colant in subditis, aut ob incommodum negligant præscriptas conferentias. Idem fit, si Clerici in vestitu, conversatione, & libertate agendi negligant ædificare populum, & procurare gloriam Dei & Ecclesiæ. Omnes enim isti, nisi laborent ignorantia invincibili, experientur severum judicium Dei, præcise ex eo solo titulo, quia non amant Deum.

Respondeo 7. Homo tenetur sub peccato mortali elicere actum charitatis, quando ex iteratis omissionibus vel commissionibus directe charitati contrariis, utut solum venialiter peccaminosis in se advertit vel advertere tenetur, notabiliter frigescere charitatem.

Probatur. Datur aliqua refrigescentia, seu tepescentia amoris, quæ est objectum gravis indignationis divinæ. Ergo ubi eam homo in se advertit, vel advertere debet, obligatur ad hoc periculum gravis indignationis divinæ præcavendum renovando serium actum charitatis. *Ant. prob.* In Evangelio Matth. 24. Christus statum pessimum ultimorum temporum descripturus etiam hoc ponit; quod ob abundantiam impiorum etiam charitas proborum sit refrigitura, *Refrigescet charitas multorum*. Et in Apocalypsi c. 3. dicitur : *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Dicis : dives sum, & nullius egeo ; &* ne-

nescis, quia es miser, cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum (haud dubie fervidæ charitatis). *Confirmatur* 1. Amicitiæ humanæ dissolvuntur ex continuatis diu omissionibus aut commissionibus amicitiæ veræ oppositis, utut de se levibus; ergo idem fit circa amicitiam Dei. Et consequenter ingruente vel animadverso gravi periculo datur obligatio illud avertendi per renovationem seriæ charitatis.

Cæterum, quanto tempore opus sit ad constituendum hoc periculum, non dependet a certa mensura temporis, sed a complexo innumerarum circumstantiarum personalium, propriarum cuivis individuo. Sic si quis præditus multis inspirationibus, excitatus frequentibus cohortationibus, affectus iteratis a Deo beneficiis, &c. nihilominus negligat actus amoris, preces, exercitia sacra, conciones, pias consuetudines, cultum Dei publicum in conventibus plebis solitis &c. Si non curet peccata venialia & offensas Dei leves; si negligat cooperari ad augumenta divinæ gloriæ oblatis opportunis occasionibus; si tepide fungatur officio Ecclesiastico, si conciones & Catecheses tantum obiter vel raro habeat; si ægrorum, miserorum, rudium ex amore Dei curam nullam suscipiat, nisi ubi cogit evidentia peccati mortalis &c. ex aggregato talium negligentiarum revera resultat tanta diminutio charitatis, ut incipiat fieri objectum gravis indignationis divinæ.

Confirmatur 2. In materia charitatis proximi, & justitiæ, multæ transgressiones leves, directe legi oppositæ, & in æstimatione morali coordinatæ, coalescunt in unam summam gravem; ergo idem fit in charitate Dei. *Ant. prob.* ab inductione. Sic multæ inhonorationes parentis, multæ injuriæ leves, multæ inobedientiæ, multæ fractiones promissorum; multæ negligentiæ famulorum, custodum, tutorum, Magistrorum, Magistratuum, Parentum, Patrumfamilias, Parochorum &c. multæ ablationes rei alienæ, multæ scandalizationes, multi actus prodigalitatis, avaritiæ, luxus, immisericordiæ &c. quamvis in individuo tantum sint leves, coalescunt tamen in unam summam gravem.

Confirmatur 3. Etiam in materia virtutis Religionis iteratæ negligentiæ coalescunt in summam gravem; ergo idem fit in præcepto charitatis. *Ant. prob.* Sic coalescit negligentia continuata Regularium quoad usum mediorum ordinariorum perfectionis; negligentia continuata Episcopi, Prælati, aut Superioris in habendis vel ordinandis exactis visitationibus; continuata negligentia in procuranda munditie templorum, ac divinorum; multæ inhonorationes festorum, multæ fractiones jejunii, continuata irreverentia in legendo Sacro, & recitando Breviario &c. Quamprimum enim hujusmodi transeunt in consuetudinem, aut summam, quæ merito possit esse objectum gravis displicentiæ divinæ, aut incipiat graviter opponi generali fini legis; eoipso jam incipit peccatum grave, a quo nemo excusatur nisi per ignorantiam aut inadvertentiam invincibilem, de qua solus potest judicare Deus. Itaque ingruente periculo tam gravis peccati directe oppositi amicitiæ ad Deum &c. datur obligatio, illud præcludendi per serium actum practicum charitatis.

Si dicas. Potest contingere, ut integro quinquennio nec occurrat articulus mortis, nec casus necessitatis ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, utpote si quis habeat tantum peccata venialia, vel careat occasione confitendi, nec grave negotium, in quo urgeat ordo charitatis, nec circumstantia gravis negligentiæ. Ergo si non est assignabile aliud tempus eliciendæ charitatis, sequeretur, actum charitatis differri posse usque & ultra quinquennium, quod est damnatum.

Respondeo. n. a. q. 2. & 4. m. Obligantur enim ad confessionem annuam etiam illi, qui habent sola peccata venialia; prout dicetur in Tr. *de pœnit.* Disp. 4. Pariter manifestum est; gravem fore negligentiam ac tepescentiam, si quis constitutus in gratia per integrum quinquennium recurrentibus tot officiis divinis, solennitatibus, Sacrificiis Missæ,

ſæ, adorationibus Chriſti, concionibus, & beneficiis divinis, & variis incitamentis ad amorem, nunquam elicuiſſet actum charitatis. Sed quandonam in quovis particulatim incipiat dictamen, & cogitatio practica de eliciendo actu charitatis, aut excutiendo tandem tepore vitæ, dependet a complexo circumſtantiarum, & a propria cujusvis experientia interna.

Reſpondeo 8. Datur obligatio ſaltem ſub peccato veniali, eliciendi *actum* dilectionis erga Deum ſingulis diebus Dominicis & Feſtis.

Probatur 1. Cultus religionis in diebus Dominicis & feſtis Deo exhibendus debetur quoad ſubſtantiam Deo non ſolum titulo ſupremi Dominii in omnes creaturas, ſed etiam titulo paternitatis; ergo connaturaliter petit exhiberi Deo non ſolum ex motivo religionis cum affectu venerationis, ſed etiam ex motivo amoris filialis cum affectu dilectionis. *Ant. prob.* Malachiæ 1. Deus dicit: *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum; ſi ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?*

Probatur 2. In diebus Dominicis & Feſtis omnes fideles per manus Sacerdotis offerunt idem in Miſſa Sacrificium, quod oblatum eſt in cruce pro redemptione generis humani; ſed offerre hoc tremendum Sacrificium ſine affectu amoris videtur poſitive indecens; ergo. *Min. prob.* partim ex illo D. Pauli 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum Jeſum, anathema ſit*; quod ſaltem ſub peccato veniali expoſcere actualem amorem videtur, dum actu Deo Patri ab audiente Sacrum offertur: partim ex illa indignatione divina erga Sacerdotes Veteris Teſtamenti, qua Deus iraſcitur Sacerdotibus, quod non *gratuito*, hoc eſt ultro cum affectu amoris offerrent. *Quis eſt ex vobis*, inquit Malach. 1. *qui incendat altare meum gratuito? Non eſt voluntas mea in vobis*. *Maj. patet* partim ex dictis in Tract. *de Sacramento Ordinis* & ex Secreta, quæ habetur Dominica 9. poſt Pentecoſten, ubi dicitur: *Quoties hæc Hoſtia offertur, opus redemptionis exercetur*.

Probatur 3. Eſt moraliter impoſſibile, ut aſſiſtenti cum attentione debita ad Sacrificium Miſſæ non occurrat cogitatio practica de eliciendo ſaltem implicito actu amoris; ergo tenetur exhibere hunc cultum ex affectu amoris. *Ant. patet* conſideranti cæremonias & ſcienti naturam hujus ſacrificii, ubi fit confeſſio & deteſtatio peccatorum, laus Dei, rememoratio beneficiorum Dei, reciproca apprecatio pacis & unionis cum Deo &c.

Probatur 4. Leges naturales poſitivæ, indeterminatæ loco & tempore, obligant pro caſu emergentis occaſionis, motivi, & materiæ; ſed talis eſt lex primi mandati, & in diebus Dominicis ac Feſtis ponitur ejus occaſio, motivum & materia, ut patet conſideranti; ergo. *Maj patet* ex natura aliarum ejusmodi legum indeterminatarum v. g. juſtitiæ, miſericordiæ, fortitudinis, religionis. Et probatur ex eo. Lex eſſentialiter indeterminabilis pro caſu urgentis obligationis eſt ridicula, & conſequenter nulla. Sed foret ſic eſſentialiter indeterminabilis, niſi obligaret pro caſu & circumſtantia emergentis occaſionis, motivi, & materiæ præ aliis dignæ obligationis.

Probatur 5. Lex primi mandati ex ſua natura petit impleri continuo continuitate moraliter obſervabili & prudenter intendibili a lege; ſed hæc ſola continuitas eſt poſſibilis & prudenter intendibilis a lege, ut diebus feſtis ponatur dilectio Dei actualis ſaltem ſub obligatione veniali, reliquis autem diebus virtualiter; ergo. *Maj prob.* Ubi Deus inculcat legem amoris, præcipit, eam continuo haberi præ oculis; ergo etiam vult continuam ejus obſervantiam; quia fruſtra haberetur perpetua memoria præcepti poſitivi & affirmativi, v. g. obſervationis Sabbati &c. *Ant. prob.* Deuteron. 6. ſic habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua: eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua; eruntque & move-*

movebuntur inter oculos tuos ; scribesque ea in limine atque ostiis domus tuæ. *Confirmatur* ratione *D. Thomæ*. Vi primi mandati dilectio Dei debet esse perpetua. Ergo cum non possit esse perpetua actualiter, debet saltem esse perpetua virtualiter. Jam sic. Dilectio Dei debet esse perpetua virtualiter; ergo debet dari actualiter statis temporibus, ut possit perennare virtualiter. Atqui alia stata tempora assignari non possunt, nisi dies festi; ergo.

Probatur 6. SS. Patres passim docent, amorem Dei ex obligatione primi mandati debere esse perpetuum in omni opere: Et hæc doctrina non potest intelligi de actu, quia sic incideret in errorem Quesnelli, nec de habitu, quia de habitibus non dantur præcepta, nec iis congruit tenor mandati *diliges* &c. Ergo est intelligenda de actibus amoris imperatis, seu de dilectione virtuali reperibili in actibus imperatis. Atqui dilectio virtualis perpetua moraliter & generaliter spectata communi dispositione hominum non potest sperari ac præcipi, nisi saltem singulis septimanis semel oblata quiete animi renovetur actu. Ergo. *Ant. prob.* ab inductione ejusmodi textuum. 1. S. *Augustinus* l. 1. de doct. Christ. c. 22. explicans præfatum textum Deuteronomii. *Meditaberis in eis sedens in domo tua &c.* ait: *Non cessatio sedentis ab hoc amore debet cessare; non quies dormientis ab hoc amore quiescere; non vigiliæ consurgentis neglecto hoc amore aliis intendere: non labor itinerantis ab hoc amore discedere; sive domi, sive foris; quocunque loco, quocunque tempore, quocunque in opere homo fuerit, Dei amator esse debet. Hæc regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas. Cum autem ait: Toto corde &c. nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat* (a dilectione Dei) *sed quidquid aliud diligendum occurrerit, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. 2. D. *Basilius* in Reg. fus. Interrog. 195. *Omnia propter Deum ex Dei mandato facienda sunt*. 3. S. *Bernardus* in l. de modo bene vivendi c. 5. *Debemus Deum diligere ex toto corde &c. ut omnem intellectum, & omnes cogitationes, & omnem vitam nostram ad eum dirigamus, a quo omnia bona habemus, ut nulla pars vitæ nostræ otiosa relinquatur, sed quidquid in animum venerit, illuc dirigatur, ubi impetus dilectionis currit*. Hi & plures hujusmodi textus non possunt salvari, nisi dicendo, quod opera omnia & semper debeant saltem virtualiter procedere ex amore Dei. Idem *confirmatur* ex *D. Thoma*, qui 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. dicit: *Sub hoc præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis homo implere non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus* (quarti) *præcepti; Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Hæc autem de virtuali dependentia ex charitatis actu præcedente intelligenda esse, manifestum est ex eo, quia expresse addit; non esse necesse, ut tunc, quando quis honorat parentes actu diligat Deum. Idem S. *Doctor* explicat Opusc. 18. de *perfectione*, ubi affert tres modos dilectionis divinæ erga Deum. *Unus* horum trium modorum competit soli Deo, inquantum amat seipsum. *Secundus* competit solis beatis in cœlo. *Tertius* modus convenit hominibus viatoribus. De hoc tertio modo c. 5. sic scribit: *Ex toto corde, mente, anima, & fortitudine Deum diligimus, si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu vel habitu* (virtualiter influente) *in Deum non referamus; & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto. Primo quidem, ut homo omnia in Deum referat, sicut in finem, sicut Apostolus dicit* 1. *Cor.* 10. *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod quidem impletur, cum aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, & per consequens omnia, quæ per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum. Secundo, ut intellectum suum Deo subjiciat ea credens, quæ divinitus traduntur, secun-*

ſecundum illud Apoſtoli 2. *Cor.* 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Et ſic Deus diligitur ex tota mente. Tertio, ut quæcunque homo amat, in Deo amet; & univerſaliter omnem ſuam affectionem ad Dei dilectionem referat. Unde dicebat Apoſtolus* 2. *Cor.* 5. *Sive enim mente excedimus Deo, ſive ſobrii ſumus, vobis* (abſtinendo a contemplatione, & tranſeundo ad vitam activam) *charitas enim Chriſti urget nos. Et ſic Deus ex tota anima diligitur. Quarto, ut omnia exteriora noſtra, verba, & opera ex divina charitate firmentur, ſecundum illud Apoſtoli. Omnia enim veſtra in charitate fiant. Et ſic Deus ex tota fortitudine diligitur. Hic eſt ergo tertius perfectæ dilectionis divinæ modus, ad quem omnes ex neceſſitate præcepti obligantur.* Ita D. Thomas. Cum ergo virtualis operatio ex charitate, ſaltem initiali, prout S. Doctor 1. 2. q. 100. a 18. C. explicat, debeat eſſe perpetua, & virtualis illa dependentia diu nequeat continuari, niſi exerceantur actus charitatis, veroſimile eſt, hos ultra ſeptimanam differri non poſſe.

Probatur 7. Præceptum ſanctificandi diem Sabbati jure naturali exigit actum dilectionis erga Deum; ergo cum dies Dominicus ſubſtitutus ſit diei Sabbati, in illum tranſiit omne onus & obligatio jure naturali annexa Sabbato veteri. *Subrogatum enim ſapit naturam illius cui ſubrogatur*; & cum obſervatio Sabbati quoad ſubſtantiam ſit juris naturalis, ea obligatio quoad ſubſtantiam ab Eccleſia tolli aut mutari eſſentialiter non potuit. *Ant. prob.* Requies Sabbati a Deo inſtituta eſt, ut eſſet perpetua figura ac admonitio quietis in altera vita in ipſo Deo quærendæ, quod fieri nequit ſine actu concupiſcentiæ & benevolentiæ erga Deum; ergo Deus obligando ad obſervationem Sabbati eoipſo obligavit ad ejusmodi actum charitatis. *Ant. prob.* ex Epiſtola ad Heb. 3. & 4. ubi dicitur: *Dicit Spiritus Sanctus: nolite obdurare corda veſtra, ſicut Patres veſtri, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. -- Timeamus proin, ne relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe. Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis. -- Itaque relinquitur Sabbatiſmus populo Dei.* Ex hoc textu ergo patet, Sabbatum fuiſſe monitorium de quærenda requie in Deo. Hanc autem per amorem quæri, Probatur ex D. Auguſtino, qui in Epiſt. 55/185 ad Januarium ſic ſcribit: *Sabbatum commendatum eſt priori populo, ut figura eſſet ſanctificationis in requie Spiritus Sancti. Amant enim requiem ſive piæ animæ, ſive iniquæ, ſed qua via perveniant ad illud, quod amant, plurimæ neſciunt. Cum ergo anima Deo delectatur, ibi veram, certam, æternam invenit requiem. Illam æternam requiem ubique amamus, ſed niſi Deum amando non invenimus. Ad ipſum autem ignem amoris nutriendum, & flandum quodammodo, iſta omnia pertinent, quæ nobis figurate inſinuantur. Unde non inconvenienter intelligimus, ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia, quæ figurate in Scripturis dicuntur. Quandoquidem in Decalogo* (in tertio præcepto) *id ſolum figurate præcipitur, ubi requies commendatur, quæ ubique amatur, ſed in ſolo Deo certa & ſancta invenitur.*

Probatur 8. SS. D. N. *Benedictus* XIV. in Bulla: *Etſi minime*, non obſcure inſinuat, dari obligationem, ſingulis Dominicis & Feſtis eliciendi actum dilectionis; reprobat enim eorum ſententiam, qui docent, ſingulis annis tantum aliquoties eſſe eliciendum actum amoris, & præcipit, ut ubique locorum diebus Dominicis & Feſtis populo poſt Miſſam prælegantur actus fidei, ſpei, & charitatis. Sic habet: *Quia Chriſtianam Religionem profitenti maxime neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus* (fidei, ſpei, & charitatis) *idcirco, ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus & exiguo numero a quibusdam ſingulis annis præfinito; Epiſcopus ſuæ non minus quam alienæ ſalutis ſtudioſus provide ſtatuat, ut in Parochiis tum Urbis, tum Diœceſis Rectores animarum poſt Miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante aram provoluti clara & intelli-*

telligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & praeire satagant populo, verba ab ipsis prolata devote redditura. Hoc enim pacto fideles sensim illos memoriæ mandabunt, & assuescent, nedum festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione versari. Datum Romæ 7. Februarii 1742.

Quæritur 8. Utrum ad implendum mandatum dilectionis requiratur actus amoris reflexus, quo homo per aliquam amoris formulam reflexe sciat, vel dicat, se amare?

Respondeo Negative. Sufficit enim quod homo actu aliquo interno Deum amet, quin reflexe sciat, se amare; nec requiritur, ut sub præscripta verborum formula dicat: *O Deus ego amo te* &c. Quod ipsum etiam circa obligationem eliciendi actus fidei & spei docendum est, quamvis usus talium formularum utilis sit, dummodo homines moneantur, mandato non satisfieri nudis verbis, sed seriis animi actibus.

Probatur 1. SS. Patres inculcando primum mandatum non urgent ejusmodi amoris reflexi formulas; ergo non requiruntur.

Probatur 2. Qui scit, vere scit, etsi non sciat vel reflexe advertat, se scire, ergo etiam vere amat, etsi non reflexe dicat vel advertat se amare.

Probatur 3. Nullum in Scriptura aut traditione habetur argumentum pro obligatione hujus advertentiæ reflexæ; ergo non debet admitti talis obligatio, licet optime faciant, qui etiam reflexe id præstant.

Quæritur 9. Utrum ad implendum mandatum dilectionis requiratur actus amoris *explicitus*?

Respondeo. In iis, qui Deum clare ac distincte sub explicito conceptu summi boni agnoscere possunt, ad implendum mandatum dilectionis non sufficit actus amoris tantum implicitus, vel æquipollens, quo aliquis v.g. dicat: *volo servare omnia mandata Dei, volo agere, quæ Deus requirit, volo servire Deo*, &c. Sed etiam requiritur actus amoris explicitus, quo explicite ea velit, quæ sunt essentialia amoris. *In iis vero*, qui absque sua gravi culpa Deum sub conceptu summi boni amirabilis explicito invincibiliter non agnoscunt, sufficit actus amoris implicitus. *Quoad primam partem* id probatur ex eo, quia Deus in Scriptura iteratis vicibus tam *specificis terminis* inculcat præceptum dilectionis, ut intentio obligantis necessario etiam feratur ad specificam tendentiam actus, qui præcipitur, nempe ad tendentiam amorosam erga Deum. Si enim intentio legislatoris quiesceret in modo generico servitii, vel obedientiæ sibi exhibendo, frustra toties urgeretur in specie dilectio. *Quoad secundam partem* quod Deus in personis rudioribus contentus sit *actu implicito* amoris, vel practice *æquipollente*, responsio

Probatur 1. *D. Thomas* a puero initio usus rationis non exigit explicitum actum amoris ob imperfectionem cognitionis. Ergo etiam in adultioribus per accidens sufficiet amor implicitus ob eandem rationem. *Ant. prob.* ex ejus terminis. Nam 1. 2. q. 89. art. 6. sic scribit: *Dicendum, quod cum usum rationis* (homo) *habere incæperit, primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso; & siquidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, consequetur remissionem originalis peccati. Si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, NB. secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens, quod est in se*. Et ex tunc non erit in eo peccatum veniale sine mortali.

Et *ad* 3. *Dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer incipiens habere usum rationis per aliquod tempus abstinere; sed a peccato omissionis prædicto non liberatur, nisi quam cito potest se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de se ipso cogitet; ad quem alia ordinet sicut ad finem; finis enim est prior in intentione; & ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Zach. 1. In hoc textu *seipum ordinare ad debitum finem, juxta modum discretio-*

tionis, & facere, quod est in se, non dicit explicitum actum amoris.

Probatur 2. In Scriptura sæpe tota obligatio aut perfectio exprimitur per terminos solum implicitos amoris. Ergo sufficit saltem per accidens. *Ant. prob.* Sæpe in Scriptura omnis perfectio exprimitur per hoc, quod quis *ambulaverit coram Deo; quod fecerit placitum in conspectu Dei, quod dilexerit justitiam, quod fuerit secundum cor Dei, quod fecerit voluntatem Dei &c.*

Probatur 3. Christus ipsemet Joa. 14. v. 21. observationem mandatorum pro dilectione sufficere testatur his verbis: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et c. 15. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut & ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione.* Ubi tamen per mandatorum observationem intelligit observationem etiam eorum, quæ Deus requirit præcise *signo beneplaciti, & titulo amicitiæ*, qui modi tendendi solum dicunt amorem *implicitum* contentum in termino generali.

Quæritur 10. Qualis possit esse formula pro eliciendo actu perfectæ charitatis?

Respondeo. Brevis formula perfectæ charitatis potest esse iste: *Mi Deus, cujus natura & voluntas bonitas est, qua etiam ab æterno dilexisti me; ego vicissim te reciproco amore tanquam summum bonum ex toto corde amo super omnia, nec aliud cupio, nisi te, vel quod ducit ad te. Spondeo etiam firmiter, me in omnibus meis actionibus quæsiturum majorem tuam gloriam, ac præstiturum omnia, quæ tibi gratiora esse manifeste agnovero.* Hanc formulam voco formulam *perfectæ* charitatis, quia se extendit ad præstanda ex amore Dei omnia, quæ sunt moraliter homini possibilia, ita ut dubitandum non sit, hujusmodi actum dilectionis *extensive* perfectum *semper & infallibiliter* acceptari a Deo ad conferendam homini justificationis gratiam, quamvis de pietate ac misericordia divina sperari possit, non omnino raro acceptari ex bonis cordibus actum charitatis minus perfectum, qui se extendit ad actus amoris essentiales, & alios supererogatorios juxta æstimationem divinam cujusque meritorum & virium sat multos, cujus formulam tradidi in *Tract. de Decalogo Sect.* 1. §. 1. *qq.* 7.

TRACTATUS V.

De Jure & Justitia in genere.

§. I.

Quid & Quotuplex sit Jus, Justitia, ac Dominium?

Q*Uæritur* 1. Quid sit Justitia?

Respondeo. Justitia communiter definitur, quod sit constans ac perpetua voluntas tribuendi cuique jus suum.

Dicitur 1. *Voluntas*, nempe vel actualis, vel habitualis.

Dicitur 2. *Tribuendi cuique jus suum*, hoc est, cuilibet conferendi aut relinquendi ea bona fortunæ, famæ, & corporis, quorum dominium vel usum cuivis lex naturalis, divina, aut humana concesserit. Justitia sic descripta *dividitur* in *commutativam*, & *distributivam*, in *Legalem*, & *Vindicativam*.

Quæritur 2. Quid sit Jus?

Respondeo. Jus, prout hic sumitur, est *concessio bonorum facta a lege, prout per exæquationem commodorum & onerum in membris communitatis bono communi congruit.*

Dicitur 1. *Concessio*, nempe vel *activa* ex parte legis concedentis usum bonorum, vel *passiva* ex parte recipientis bona.

Dicitur 2. *a lege*, nempe a naturali, divina, humana, consuetudinali, vel mixta. Unde & *Jus dividitur* in Jus naturale, & positivum.

Quæritur 3. Quid sit Jus naturale & positivum?

Respondeo. *Jus naturale* definitur ab *Aristotele* 5. *Eth.* c. 7. *esse illud, quod ubique eandem vim habet, & non quia videtur aut non videtur*. Rectius definitur, esse *lex Dei, ut Authoris naturæ, fundata in connaturali convenientia rerum, ad conservandum bonum commune mora-*

moraliter necessaria per lumen naturale cuivis homini promulgata.

5. *Jus positivum est lex humana circa ea quæ* (ut Aristoteles 5. Eth. c. 7. dicit) *a principio*, *antequam lex statuatur*, *nihil refert*, *sic an aliter fiant*, v. gr. occidere, mentiri, adulterari dicuntur jure *naturali* prohibita, quia etiam antequam lex Decalogi dicat : *non occides*, jam exigit bonum commune, talia prohiberi, ita ut his legibus non positis bonum commune generis humani grave detrimentum acciperet, quod nullo majori bono compensaretur. E contra abstinentia a carnibus determinate in die Veneris aut Sabbati, Cæremoniæ Sacræ, habitus Clericalis, nullitas matrimonii clandestini, numerus testium in testamento sunt juris *positivi* ; quia, si non daretur lex, nihil magnopere, ac eoipso interesset generis humani, ut ejus bonum commune sine gravi detrimento incompensabili salvari non posset.

Quæritur 4. Quotuplex sit Jus positivum?

Respondeo. *Jus positivum* est duplex, nempe *Divinum* & *humanum*. *Jus vero humanum* est triplex, nempe *Jus Gentium*, *Jus Civile*, & *Jus Canonicum*. Quodlibet vero horum Jurium *dividitur* in *Jus in re*, & in *Jus ad rem*.

Quæritur 5. Quid sit *jus in re* & *jus ad rem* ?

Respondeo. *Jus ad rem* est illud, quo alicui devincitur alia persona ad rem sibi concedendam. Sic emptori devincitur seu obligatur venditor ad rem venditam emptori extradendam, v. g. emisti equum, jam ante traditionem habes jus ad alligandum equum, abducendum, & in tuos usus reservandum. Idem fit in omni alia re, ad quam habes titulum ; hujus enim possessionem ac quasi alligationem in tuos usus lex permittit.

Jus in re est illud, quo res ipsa homini in suos usus moraliter ita alligata est, ut nec valide nec licite ipso invito alienari possit. Sic qui emit equum, habet *jus in re* post traditionem : quia equus tunc jam ad suos usus si non physice, saltem moraliter ita *devinctus* & *alligatus est*. Similiter creditor habet *jus in re* in pignore vel hypotheca ; quia licet non habeat actuale dominium, pignus tamen jam sibi *devinctum est*, ita ut debito non soluto cedat in suum commodum & dominium.

Quæritur 6. Quid sit justitia commutativa & distributiva?

Respondeo. *Justitia commutativa* est virtus ad alterum quæ versatur in permutationibus & aliis contractibus reddendo par pari. Ita quoad rem S. Thomas 2. 2. q. 61. a. 2. v. gr. cum pro mercibus solvitur pecunia ejusdem valoris in æstimatione morali.

Justitia distributiva est, quæ distribuit onera & commoda in communitate juxta proportionem virium & meritorum, v. gr. cum Princeps Præfecto exercitus in præmium obtentæ victoriæ donat Provinciam, gregario autem militi tantum aureum. Ita rursum quoad rem D. Thomas, qui l. cc. a. 2. c. sic habet : *In justitia distributiva non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas ; ut scilicet sicut una persona excedit aliam, ita res quæ datur uni personæ, excedat rem quæ datur alii. Et ideo dicit Philosophus* (5. Eth. c. 3.) *quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem ; sicut si dicamus quod sicut se habent sex ad quotuor, sic se habent tria ad duo ; quod utrobique est sesquialtera proportio, in qua majus habet totum minus, & mediam partem ejus. - - Sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem ejus, quæ accepta est ; ut maxime patet in emptione & venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adæquare rem rei. - - Et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem :* Huc usque D. Thomas.

Quæritur 7. Quid sit Justitia *Legalis* & *Vindicativa*?

Respondeo. Justitia *Legalis* est in Legislatore constans & perpetua voluntas per leges exæquandi in membris communitatis commoda & onera servato bono

no congruente totius & singulorum. Justitia *Vindicativa* est constans & perpetua voluntas puniendi juxta meritum delictorum, & exigentiam boni communis.

Quæritur 8. Quid sit Dominium?

Respondeo. Dominium est facultas, de re sua nomine proprio, loco, tempore, & modo a Legibus indulto valide disponendi. Alii quidam brevius definiunt Dominium, quod sit *facultas disponendi de re sua ad omnem usum lege non prohibitum*. Prior tamen definitio videtur exactior.

Dicitur 1. *de re sua*, abstrahendo, an dicatur sua titulo possessionis, administrationis, usus, vel proprietatis, quia & religiosi dicunt suam togam, suum pallium, suam portionem, licet tantum habeant usum rei.

Dicitur 2. *nomine proprio*: quia etiam Tutores, & Curatores, & Prælati de rebus suæ administrationi concreditis disponunt, licet non habeant earum dominium.

Dicitur 3. *loco*, *tempore*, *& modo a Legibus indulto*, quia etiam pupilli, Minorennes, Scholastici Societatis, Alienigenæ, Mulieres, & quivis alii, licet habeant rerum dominium, non possunt disponere valide tempore minorenni durante, sine consensu Superioris, extra provinciam suam, sine authoritate Magistratus in certis contractibus, sine Notario, sine septem testibus &c.

Quæritur 9. Quotuplex est Dominium?

Respondeo. Dominium dividitur 1. in Dominium *Jurisdictionis & Proprietatis*. Dominium vero Jurisdictionis subdividitur in *Divinum*, *Ecclesiasticum* & *Politicum*, quod iterum distinguitur in *Imperium merum*, & *Imperium mixtum*. 2. in Dominium *Bassum*, Dominium *Altum*, & Dominium *Excellentiæ*, & in Dominum utilitatis. 3. in Dominium *directum*, & Dominium *utile*. 4. in Dominium *plenum* & *non plenum*. [5. in Dominium *perfectum* & *imperfectum*. 6. in Dominium *ligatum*, & *non ligatum*.

Quæritur 10. Quid sint hæc varia Dominia?

Respondeo. 1. *Dominium jurisdictionis* est potestas legitima disponendi de persona in utilitatem ipsius vel totius communitatis, cujus illa persona pars est. Tale dominium habet Princeps in subditos, & consistit in jure eos gubernandi, defendendi, & ab eis emolumenta percipiendi.

2. *Dominium proprietatis* est potestas legitima disponendi de re aliqua corporea in suam disponentis utilitatem. Res corporea hic dicitur, quæ vel in *se* est corporea, vel ad rem corpoream pertinens.

3. *Dominium jurisdictionis divinum* vocatur, quod competit Deo in creaturas. *Ecclesiasticum* est, quod competit Superiori spirituali in subditos in ordine ad spirituale bonum & ad finem supernaturalem. *Politicum* seu *civile* est, quod per se ordinatur ad temporale subditorum bonum, præsertim ad pacem ac tranquillitatem publicam. Idem vocari solet *Imperium Magistratus*. *Imperium merum* vocatur sola potestas inquirendi & animadvertendi in facinorosos sine jurisdictione circa personas & bona subditorum. *Imperium mixtum* vocatur potestas animadvertendi in facinorosos simul cum jurisdictione in personas subditas. *Imperium merum* habent *Inquisitores* seu *quæsitores*. *Imperium mixtum* habent Magistratus supremi. Ita definit Ulpianus l. 3. ff. de jurisdictione v. *Kahlium*.

4. *Dominium Bassum jurisdictionis* seu *subditum* est dominium jurisdictionis civilis, quod alterius Superioris dominio subditur in ordine ad actorum revisionem, & in casu legis dubiæ authenticam interpretationem, aut etiam sic exigente bono publico legis mutationem, vel dispensationem. Sic dominium jurisdictionis, quod habet nobilis in suos subditos, subjicitur dominio Principis.

5. *Dominium altum jurisdictionis*, seu quod evehitur super alia dominia est, quod habet subdita aliorum inferiorum dominia etiam ad libere de iis disponendum pro casu publicæ necessitatis manifestæ & urgentis, non ultro contra-

tractæ.]. Et tale habet Princeps supremus.

6. *Dominium excellentiæ* est, quod ordinatur ad illius, qui illo gaudet, gloriam ac excellentiam demonstrandam, ita ut commodum ex dominio redundans sit sola extrinseca commendatio excellentiæ propriæ. Tale dominium habet Deus in creaturas.

7. *Dominium utilitatis* est, quod ordinatur ad illius qui illo gaudet, utilitatem, a gloria extrinseca distinctam; & tale dominium habent creaturæ.

8. *Dominium directum* est jus in actu primo disponendi de re, cujus usus & administratio in alium translata est. Tale dominium datur in Domino emphyteuseos seu feudi. Vocatur etiam *dominium proprietatis sine usufructu*.

9. *Dominium utile* est jus utendi & fruendi re aliena, salva tamen ipsius substantia. Hoc vocatur etiam *ususfructus*, qualis in emphyteuta vel feudatario reperitur.

10. *Dominium plenum* est, quod datur in totam rem cum exclusione omnis alterius con-domini.

11. *Dominium non plenum* est, quod datur in re cum associatione alterius condomini, v. g. si plures sint hæredes ejusdem totius v. g. agri, & singuli hæredes sint domini omnium fructuum agri, sed nondum facta divisione fructuum, vel bonorum hæreditariorum.

12. *Dominium imperfectum* est, in quo potestas disponendi in suum commodum in æstimatione morali notabiliter restringitur per legem irritantem. Ea autem restrictio facta per legem irritantem potest fundari vel in *natura contractus*, vel in *conditione personarum*, vel in *dependentia a consensu alieno*, vel in *exigentia boni communis*. Exempla ejusmodi dominiorum imperfectorum habemus in sequentibus exemplis. 1. *Ex natura contractus* dominium imperfectum habent, qui emerunt rem subjectam pacto familiæ, vel juri retractus, vel pacto legis commissariæ, vel fideicommisso, vel pacto retrovenditionis, vel addictioni in diem, vel conditioni reluibilitatis. 2. *Ex conditione personarum* dominium imperfectum habent, qui ob conditionem status non possunt disponere, ut vellent. Tales sunt servi, banniti, rei læsæ majestatis, usurarii manifesti, excommunicati ob crimen hæresis, rei criminis repetundarum, religiosi post emissum votum paupertatis, condemnati ob libellum famosum, impuberes etiam cum consensu tutoris, Contrahentes incestuosas nuptias relate ad propinquos collaterales ultra secundum gradum & in linea recta ultra tertium gradum &c. qui omnes non possunt valide disponere per testamentum. Sic etiam prodigi declarati, & banniti non possunt valide disponere. 3. *Ex dependentia* a consensu alieno dominium imperfectum habent, qui non possunt valide disponere sine consensu alieno. Sic juxta Suarez, Layman, Lugo, & alios *Scholastici Societatis Jesu* nec valide disponunt de rebus, quarum habent dominium, sine consensu Superioris; filii familias invalide disponunt de bonis adventitiis & profectitiis sine consensu patris; fœminæ invalide donant ultra 500. solidos sine consensu magistratus; conjuges pariter invalide faciunt sibi invicem donationes mere liberales sine authoritate Magistratus; pari modo nec emphitevtæ, nec feudatarii, nec habentes majoratum, aut bona gentilitia, vel fideicommissum, possunt disponere valide sine interessatorum consensu. Idem fit in bonis confusis vel commixtis, quæ fiunt communia, saltem jure naturæ, aut certe subjiciuntur unius dominio tantum imperfecto. 4. *Ob exigentiam boni communis* accedente lege irritante habent dominium imperfectum alienigenæ in Gallia, qui nisi fuerint naturalizati, non possunt valide testari etiam in liberos, sed omnia cedunt fisco; item subditi in illis regionibus, ubi viget lex *amortizationis*, ne bona immobilia transferantur ad Ecclesias; ne pecuniæ evehantur extra provinciam, ne celebrentur contractus sine forma requisita ad valorem v. gr. per Scripturam coram Notario; ne testamenta, & legata fiant sine certo numero testium. &c. In his omnibus manifestum est, repe-

reperiri reipsa *dominium imperfectum*, saltem *respective* ad aliorum dominium, qui ejusmodi limitationibus non restringuntur. Quodnam autem ex his dominiis debeat dici *simpliciter imperfectum*, & quodnam dicendum sit tantum *respective imperfectum*, pertinet ad quæstionem nominis.

§. II.

De Jure & obligatione Clericorum circa bona Ecclesiastica.

HOC loco a Theologis & Canonistis examinari solet an Clerici sint Domini bonorum Ecclesiasticorum. Verum cum hæc quæstio magna ex parte dependeat a modo loquendi, & a definitione Dominii perfecti ac imperfecti, ab hac quæstione abstrahendum, solumque Quæstiones practicas examinandas duxi. Itaque

Quæritur 1. An Clerici jure naturali & divino teneantur bona Ecclesiastica erogare in causas pias?

Respondeo. Clerici tenentur bona Ecclesiastica erogare in causas pias jure divino directe, jure vero naturali indirecte. Sensus responsionis est, quod Christus in ipsa Clericatus institutione & in Clericorum vocatione declaraverit, Clericatum non esse *opificium* de pane lucrando, nec officium *mercenarium* ac *lucratorium*, sed ministerium gratuitum, unice susceptum *causa Dei*; unde etiam in susceprione Clericatus expresse protestantur; *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*. Quibus verbis declarant ex sensu constanti Ecclesiæ: se ex suo servitio Ecclesiastico nullum aliud emolumentum temporale quæsituros, sed solum Deum. Itaque eoipso profitentur, se ex bonis Deo & Ecclesiæ oblatus nil prætensuros, nisi alimenta & regumenta, hoc est, ea, quæ ad honestatem sui status Clericalis exiguntur. Hac ergo natura status Clericalis, quod illi ex institutione divina repugnet, *esse opificium mercenarium & lucratorium*, præsupposita; eoipso indirecte sequitur, nullam Clericis a jure naturali facultatem concedi, bona Ecclesiastica ad honestam vitam Clericalem superflua expendendi ad quosvis usus profanos, hoc est, eos, qui nec *materialiter* ex natura actus, nec *formaliter* ex circumstantia notoria pii finis causæ piæ dici possunt. Statui autem Clericali ex institutione divina repugnare intentionem lucri temporalis, manifestum est iis, qui doctrinam Christi & Apostoli continue ex fontibus bibunt. Christus Matth. 10. de potestate prædicandi & aliis functionibus apostolicis loquens ait: *Gratis accepistis, gratis date*, nec iis aliam labori in mundo mercedem assignat, nisi congruam sustentationem addens. *Nolite possidere aurum, nec argentum: dignus est enim operarius cibo suo*: quibus verbis Christus Clericis possessionem *stricte & illimitate proprietariam*, relate etiam ad Christum sic *stricte* acceptam, cujus sunt administratores, inhibere, finemque bonis Ecclesiasticis præstituendum præmonstrare voluit. Apostolus vero 1. Tim. 6. v. 3. & 5. *Si quis non aquiescit sanis sermonibus D. N. J. Christi, & ei, quæ secundum pietatem* (εὐσέβειαν, Christianam religionem) *est, doctrinæ, superbus est, languens circa pugnas verborum, ex quibus oriuntur conflictationes hominum existimantium quæstum esse pietatem*. (Opificium esse functiones Clericales ad cultum religionis publicum ac pietatem fidelium ordinatas). *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia; habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*. *Idem* eos Clericos *inimicos crucis Christi*, hoc est, osores difficultatum Clericalium appellat, qui sua lucra quærunt, quia non gratis amore Dei ad salutem animarum & gloriam Dei laborare constituerunt, sed causa lucri, quo cessante nihil ardui in se suscipiunt, nisi metu coacti. Ad Phil. 2. v. 21. de operariis Evangelicis loquens ait: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* - . & C. 2. v. 18. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui ter-*

rena sapiunt. Cæterum ita docent Theologi insignes fere omnes. *Vasquez* Opusc. de eleemosyna, c. 12. n. 12. testatur, se nullum legisse, qui assereret Clericos ad id teneri tantum jure *humano*. *Christianus Lupus* in Can. 12. Concil. Antioch. hanc doctrinam ait esse *lucidum dogma Apostolorum*, omnium SS. Patrum, cunctarumque sub cœlo Ecclesiarum. Hinc *P. Georgius* de *Rhodes* merito mirandum asserit; solos *Dianam* & *Hurtadum* ausos fuisse contrarium asserere contra unanimem omnium Theologorum & Canonistarum sententiam. Ita ille *de virtute justitiæ* q. 3. Sect. 3. § . 4. Imo magis ego mirandum censeo, quod hi duo Authores jam tertiam fere traxerint secum stellarum in Theologia partem. *Petrus* de *Soto* in Instit. Sacerd. Part. II. Lect. 3. ait: *Constat ex decursu totius Ecclesiæ ab Apostolis, & ipso jure divino bona omnia Ecclesiarum, cum Christi sint, merito etiam pauperum esse, nec ulla potestate humana fieri posse, ut licite in alios usus quam Ecclesiasticos & pauperum expendi possint, & contrarium credimus errorem gravissimum saltem contra bonos mores & justitiam*. Cæterum argumentum in promptu est: jure *naturali* quisque tenetur satisfacere justitiæ, intentioni fundatorum & dominorum; ergo cum Clerici obligentur *ex justitia* bona Dei expendere in usus divinos, etiam tenebuntur jure *naturali*. Si *dicas*: quid interest in praxi, utrum teneantur jure *naturali* vel *humano*? *dico*, multum plane interesse, ad hoc videlicet, ne laxi Theologi leges *divinas* sub prætextu, quod sint leges *humanæ*, per consuetudinem abrogent; prout re vera sub hoc prætextu jam actu abrogarunt ferme ambas tabulas Moysis.

Quæritur 2. Quodnam sit illud *superfluum*, quod Clerici tenentur erogare in causas pias?

Respondeo 1. Omne illud indubitato censendum esse superfluum, quod nec requiritur ad *personæ*, nec ad *status* decentiam in ordine ad finem supernaturalem. *Personæ* nihil conducit, quod nec servit ad tuendam vitam & sanitatem corporis, nec ad conservandam promptitudinem mentis in ordine ad actiones Clericales. *Statui* nihil conducit, quod non servit ad eam status decentiam, quæ apta est ingenerare populo reverentiam salutarem erga statum Clericalem in ordine ad supernaturalem finem.

Respondeo 2. Posse aliquid dici superfluum *de præsenti*, quod tamen non est superfluum *in futurum* secundum leges sanæ providentiæ. Hoc autem modo superfluum est etiam *in futurum*, quo verosimiliter nunquam indigebit Clericus; ad casus enim prorsus extraordinarios absolute possibiles, qui vix ulli hominum contingunt, prudenter respectus haberi nequit. Cæterum non est necesse, ut bona superflua actu impendantur in causas pias, dummodo actu & secure destinentur in causas pias, si videatur, ea melius collectim in aliquam eximiam causam suo tempore destinari posse, quam tempore præsenti. Ex hoc autem patet; plura in Clericis tam sæcularibus quam regularibus dari superflua. Si in specie aliqua superflui exempla desideras, audi S. Bernardum in Epist. 2. ad Fulconem non Ascetice, ut multi putant, sed Theologice perorantem: *Conceditur tibi, ut si bene deservis, de Alteri vivas; non autem ut de Alteri luxurieris, ut de Altari superbias, ut inde compares tibi frœna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea, ornatu purpureo diversificata &c. Denique quidquid præter necessarium victum aut simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina st, sacrilegium est*. Idem Epist. 42. c. 2. ad Henricum Senonensium Archi-Episcopum, ait: *Clamant nudi, clamant famelici; conqueruntur & dicunt: Dicite Pontifices & respective Clerici, in frœno quid facit aurum? nunquid aurum a freno repellit frigus vel famem? nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis: .. nostris necessitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus vestris ..*

stris. -- jumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura caligulis nuda: annuli, catenulæ, tintinnabula, corrigiæ, multaque talia tam speciosa coloribus quam ponderibus pretiosa multorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes opponitis -- Et hæc pauperes modo quidem coram Deo tantum loquuntur, nec enim audent aperte causari adversum vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potius supplicare. Cæterum in futuro judicio stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, stante pro eis patre orphanorum & viduarum. Plura similia occurrunt in S. Bernardo.

Quæritur 3. Quanta summa ex redditibus Ecclesiasticis in usus profanos expensa requiratur ad constituendum peccatum mortale?

Respondeo. Eandem sufficere quantitatem, quæ alioquin sufficit ad constituendum peccatum mortale *furti*. Ratio est; quia Clerici non sunt domini bonorum Ecclesiasticorum saltem dominio perfecto, prout in Theol. Eclect. ostensum est, & ex dictis q. 1. erui potest, adeoque committunt peccatum *injustitiæ* ac *furti* proprie dicti; sicut autem in furto major vel minor requiritur quantitas pro diversa conditione personæ, cui fit furtum, ita etiam pro diversa conditione Beneficii major vel minor quantitas assignari debet. Verum ut sciamus quid intersit, utrum in hac re Clerici obligentur ex *justitia*, an vero ex virtute *religionis* aut *fidelitatis*, juvat apponere aliorum opiniones. *Hurtadus* & *Diana* pro constituendo peccato mortali videntur requirere, ut *dimidia* pars fructuum superfluorum impendatur in usus illicitos ac profanos. *Conink*, *Molina*, *Palao* & alii requirunt, ut saltem *quinta* pars superfluorum male expendatur. *Lugo* de Just. disp. 4. Sect. 3. n. 42. *Haunoldus* & alii censent, quod si tota summa redditunm superfluorum ascendat ad numerum millenarium, requiratur plus, quam saltem *vigesima* pars. Ratio horum posteriorum Authorum est, quod qui ex tota summa solum vigesimam partem expendit in usus profanos, in æstimatione morali censeatur omnes vel quasi omnes redditus expendisse in causas pias. Hoc approbant *Ilsung* & alii, si summa superfluorum non sit nimis magna. Nam alias sequeretur, quod si redditus ascendunt ad viginti millia aureorum, non peccaret mortaliter expendens mille aureos in luxum; quod grande absurdum Lugo quidem agnoscit, attamen devorat. Sed Illsungio bolus merito nimis magnus est. Verum cum in horum omnium sententia, adeo varia, & ob ipsam varietatem suspecta, tanta sequantur absurda, optime statuitur, eam materiam sufficere, quæ sufficit ad gravitatem peccatis mortalis in materia *furti*.

Quæritur 4. Quid intelligatur nomine *piarum causarum*, in quas Beneficiatus tenetur expendere superflua?

Respondeo. Intelligi quodvis opus religionis tendens ad promovendum cultum Dei, ad fidei propagationem ac conservationem, ad peccatorum fugam, virtutumque exercitium, tum etiam quodvis opus charitatis ac misericordiæ erga pauperes. Porro *pauperum* nomine hoc loco veniunt non tantum illi, quibus desunt necessaria ad vitæ sustentationem, sed etiam illi, quibus desunt necessaria ad conservationem sui status, ad decens connubium, ad studia litterarum, aut ingressum Religionis. *Sanchez*, *Lugo* & alii concedunt. quod Beneficiatus etiam sibi ipsi ex redditibus Ecclesiæ per modum eleemosynæ possit succurrere, si aliunde non possit dissolvere contracta a se debita; sed in hac re cavendum, ne quilibet suus sit legislator sine consilio viri probi ac docti indifferentis, sed consulat confessarium doctum & indifferentem, qui judicet in ea re, designando debitum ordinem charitatis.

Quæritur 5. An Clericus teneatur unam piam causam præferre alteri?

Respondeo. Omnino Clericum ad id teneri. Sicut enim datur ordo charitatis erga proximum, ita etiam datur ordo charitatis erga Deum in promovendo ejus cultu: & sic consideratis omnibus Clericus tenetur ad id, quod hic & nunc ad promovendum cultum divinum est ap-

tius ac convenientius. Vide dicta in Tract. *de Virtutibus*, de objecto charitatis.

Quæritur 6. Quandonam Beneficiatus teneatur superfluos redditus erogare in causas pias, an scilicet adhuc in vita?

Respondeo. Quoad determinationem temporis iterum cavendum, ne quisque sit privative suus legislator, ne vincibiliter recedat ab ordine charitatis; consulat proin virum doctum, qui tanquam œconomus Dei judicet, quid ad fines a Deo intentos sit evidenter ac notabiliter conducibilius. Hinc sequitur, quod regulariter Beneficiatus non teneatur statim omnia expendere, sed possit aliquid reservare futuris necessitatibus. Imo etiam præscindendo ab ista providentia futuri pro se ipso, si speret opportuniorem occasionem præstandi aliquid majus pro cultu divino, nec urgeat gravis indigentia proximi ad celerem sublevationem, poterit reservare redditus per plures annos vel usque ad mortem, ut exinde faciat aliquam fundationem, si habeat potestatem testandi. Principium omnium obligationum est fidelitas cœnomi & charitas erga Deum, quæ semper procurat cultum Dei modo meliori quo est possibjle: si quis non diligit Deum, nec servit Deo ex ejus bonis, anathema sit; & quid opus est cum ejusmodi homine disputare de obligationibus? Si quis vero diligit & servit fideliter, quid opus est aliis legibus, cum juxta S. Paulum *justo* (videlicet amanti & fideli servo) *lex non est posita*?

Quæritur 7. An obligatio expendendi redditus ad causas pias etiam se extendat ad *distributiones* quotidianas, aut *pensiones*, quas aliqui percipiunt ex alieno beneficio?

Respondeo. *De distributionibus* dico, cum sint pars redditu um, quod Clerici non sint illarum domini, adeoque non eximuntur ad obligatione eas expendendi in causas pias. *De pensionibus* sentio cum *Molina*, *Sanchez*, *Palao*, *Ilsung* & aliis conrra *Vasquez*, *Azor*, *Lugo*, *Haunoldum* & alios, pariter iisdem consimilem inhærere obligationem, eo quod revera sint bona Ecclesiastica, patrimonium proin pauperum ac res Dei, quæ non nisi pro bono Dei applicari possunt tanquam directi domini talium pensionum. Idem dici debet de bonis Vicariorum ac Capellanorum ob paritatem rationis, cum utique etiam istorum Officium Clericale repugnet jure divino esse mercenarium.

Dice. Aliqui Pontifices dispensarunt cum quibusdam Clericis, ut bona Clericalia possint per Testamentum vel Legatum relinquere in causas profanas. Eandem licentiam Episcopi & conconsuetudo passim concedunt.

Respondeo dist. concedunt hoc in causas *materialiter* profanas. c. etiam *formaliter* profanas. n. Concedunt enim interdum Summi Pontifices, & communiter Episcopi ut bona Ecclesiastica, quæ prius semper debebant expendi in causas non solum formaliter sed etiam materailiter pias, hoc est, ex suo genere & ex sua natura pias v. g. in pias fundationes Eclesiarum, Missionum, Seminariorum, Hospitalium, &c. dispensari possint in causas ex suo genere quidem profanas, v. g. in consanguineorum sub sidium, in ornatum urbis Romanæ, in adjumentum nobilitatis Catholicæ in Germania versantis inter Protestantes semper in sua incrementa intentos, ita tamen ut Clericorum sic dispensatorum relinquant. conscientiis obligationem juris naturalis & divini, ejusmodi bona expendendi in causas *formaliter pias*, hoc est, tales, in quibus habetur principaliter motivum pium vel Religionis, vel misericordiæ Christianæ, vel virtutis alterius in bonum Ecclesiæ vel fidelium excolendæ, in quare, utrum semper observetur rectissimus ordo charitatis, quisque rationem reddet Deo.

§. III.

De Dominio hominum in homines.

QUæritur 1. An unus homo in alium habeat verum dominium, non tantum *jurisdictionis*, sed etiam *proprietatis*?

Respondeo. Unum hominem in alium non

non habere dominium *proprietatis perfectum*, ſed *imperfectum*. *Probatur*. Dominium *perfectum* ac *plenum* eſt poteſtas diſponendi de re in ſuum commodum ad *quemcunque* uſum lege irritante non prohibitum; ſed hanc non habet unus homo in alium; ergo. *Min. prob.* Nulla unquam lege licet occidere alium hominem eo fine, ut v. gr. dominus paſcatur ex carnibus ſui mancipii, prout contingit in Braſilia & in Africa; ergo cum implicet lex permittens uſum *quemcunque*, etiam implicat dominium perfectum. *Ant. patet* ex lege naturali deſcripta in Decalogo præcepto: *non occides*, & ex conſenſu gentium non barbararum. Sic & Exodi 21. prohibetur occiſio mancipii, ut dicetur Q. 15.

Quæritur 2. Quotuplex ſit dominium unius hominis in alium?

Reſpondeo triplex. 1. Dominium *jurisdictionis*, quod eſt poteſtas regendi ſubditos. 2. Dominium *legale*, quod eſt poteſtas utendi alterius opera & labore in ſuum commodum; tale datur in ſervos proprie dictos. 3. Dominium *civile*, quod eſt poteſtas utendi alterius opera & labore ad uſus ex contractu placitos. Tale datur in famulos & ancillas mercede conductos.

Quæritur 3. An detur *jure naturæ* dominium *juriſdictionis* unius hominis in alium?

Reſpondeo. Quod ſic. Ita Ariſtoteles obſervat 1. Polit. c. 3. & 4. ubi dicit, hanc ſervitutem eſſe naturalem, qua hebetiores & rudiores, corporeque robuſtiores, ſuapte natura aptiores ad parendum, gubernentur ab aliis.

Quæritur 4. An Sapientiores atque ad regendum aptiores habeant a natura jus ad ſumendum ſibimet ipſis regimen?

Reſpondeo 1. Ineptiores obligari, ut ſinant ſe regi a peritioribus. Ratio eſt; quia tales obligantur ad id, ſine quo bonum commune generis humani obtineri nequit.

Reſpondeo 2. Sapientiores in tali caſu nullum habere jus ad aſſumendum ſibi ipſis regimen. Ratio eſt; quia illud jus nulli a Deo conceditur, quod eſt cauſa plurium ac majorum malorum, quam bonorum, commodo fere nullo; ſed tale eſſet iſtud jus controverſum; ergo. *Min. prob.* quia dum judicium de peritia ſua cujuslibet relinqueretur judicio, orirentur facile perturbationes maximæ in Republica.

Quæritur 5. An licitum ſit dominium *proprietatis* imperfectum unius hominis in alium?

Reſpondeo. Quod ſic. Ratio eſt; quia illud approbatur a Scriptura & Conciliis. Levit. 25. dicitur: *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſervitute famulorum; ſed quaſi mercenarius & colonus erit: usque ad annum Jubilæum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & revertetur ad cognationem & ad poſſeſſionem Patrum ſuorum; mei enim ſervi ſunt, & ego eduxi eos de terra Egypti; non veneant conditione ſervorum. -- -- Servus & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt, & de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos, & hæreditario jure transmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum*. Ergo licita eſt ſervitus ſaltem reſpectu eorum, qui non ſunt Religionis Chriſtianæ, ſeu divinæ, ubi datur lex fraternæ charitatis.

Quæritur 6. An etiam apud Chriſtianos poſſit eſſe licita talis ſervitus in Chriſtianum?

Reſpondeo 1. Morem hunc ex ſuo genere eſſe diſconvenientem & abhorrentem a lege Chriſtiana. Ratio eſt eadem, quam Deus addidit in Veteri Teſtamento; quia ipſius Dei judicio 1. Corinth. 7. non decet, ut illi ſerviant ſervis Dei, qui ſunt ſervi Dei; adeoque ſequitur, eos peccare mortaliter, qui introducerent hunc morem dudum antiquatum. Ex quo rurſus ſequitur, quod ſi infidelis convertatur ad fidem Chriſtianam, *per ſe* debeat manumitti.

Reſpondeo 2. Si jam introducta ſit conſuetudo talis ſervitutis, eam non eſſe illicitam. Ratio eſt 1. quia convenientia intrinſeca in oppoſitum aut inconvenientia tanta non eſt in præſenti caſu, quæ cedere non debeat aut poſſit genera-

nerali convenientiæ, qua decet legislatorem indulgere consuetudini. 2. quia in primitiva Ecclesia nunquam invenimus factam esse aliquam inhibitionem dominis Christianis respectu talium servorum, quos retinebant. D. *Paulus* 1. Tim. *6.* ait: *Quicunque sunt sub jugo servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur. -- Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed, magis serviant, quia fideles sunt.* Item ad *Philem.* scribens rogat, ut *Onesimum* servum fugitivum & in fuga ad fidem conversum, atque a Paulo ad dominum suum remissum reciperet ut fratrem, & non ut servum; ergo D. *Paulus* sentit, *Philemonem* in hoc nullum habere præceptum manumittendi *Onesimum*, sed consilium tantum. Sic ait: *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo. -- sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, se voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem.*

Quæritur 7. Quot modis aquiratur dominium in alium hominem?

Respondeo quatuor modis. 1. nativitate. 2. Jure belli. 3. justa condemnatione. 4. emptione & venditione. *Nativitate* fit quis servus, dum nascitur ex parentibus conditionis servilis. *Jure belli*, dum quis capitur in bello justo. *Justa condemnatione*, dum propter crimen a legitimo Judice alteri condemnatur in servum. *Emptione vel venditione*, dum servus alteri venditur, vel dum liber se ipsum vendit in servum.

Quæritur 8. Qua ratione contrahatur servilis conditio *ex nativitate?*

Respondeo. Servilem conditionem contrahi, si quis nascatur ex *matre* ancilla, sive *Pater* sit liber sive non, & sive quis nascatur ex matrimonio legitimo sive non; quia jam consuetudine receptum est, *ut partus sequatur ventrem*. Ita etiam habetur l. *partum* 7. C. de R. V. & alibi. *Molina* testatur, id communi usu in Hispania esse comprobatum. Si tamen mater, quando concepit vel tempore partus vel tempore intermedio, libera fuerat, etiam proles nascitur libera. Ratio iterum est consuetudo, quæ pro regula assumpsit istud, ut in favorem prolis & libertatis partus sequatur ventrem, pro quocunque tempore hic liber fuerit, dum intra eum fœtus contineretur. Ita habetur §. *sed & si quis*. J. de ingenuis. Traduntque Doctores communiter; bene tamen addit *Molina* Disp. 33. ubi id in favorem libertatis constitutum non esset, naturam rei potius postulare, ut exspectetur solum tempus partus, standumque esset Juri ac consuetudini cujusvis loci. Quod si alicubi consuetudo vellet; ut proles sequatur Patrem, requireretur ad servitutem contrahendam, utrumque parentem esse servum. Hæc inquam bene addit *Molina*; quia licet intrinseca convenientia faveat consuetudini modernæ, & per se sic loquendo faciat legem, tamen ea convenientia tanta non est, quanta est illa generalis, ut legislator indulgeat, & subditus se conformet introductæ semel consuetudini. Cæterum convenientia intrinseca consistit in hoc, quod 1. rationi consentaneum sit partum sequi ventrem; quia de Matre certius constat. 2. quia mater periclitatur in partu, non Pater. 3. quia tam per educationem quam per nutritionem ac gestationem liberorum mater magis impeditur a servitio dominis præstando, cui proin per prolem debeat fieri compensatio.

Quæritur 9. Qua ratione quis servilem conditionem contrahat *jure belli?*

Respondeo 1. Id fieri, dum quis in bello justo capitur. Ratio est; quia ita Jure Gentium receptum est, ut captus fiat mancipium capientium, morte in perpetuam servitutem commutata.

Respondeo 2. Ab hoc jure excipi Christianos captos a Christianis. Ratio est; quia intrinseca convenientia hoc exigit, aut certe consuetudo, quæ legitime præscripta facit jus inter Christianos.

Respondeo 3. Si tamen Christiani capiuntur in bello justo ab infidelibus, vere essent illorum mancipia, eo quod jus Gentium sit reciprocum ac commune, & commutatio mortis in servitutem sit justa

justa ab infidelibus facta in quocunque bello justo,

Respondeo 4. Etiam infantes & quosvis alios, qui sunt membrum Reipublicæ, in bello justo captos fieri mancipia. Ratio est; quia non iniquum est, ut Respublica in omnibus suis membris puniatur quoad omnia bona fortunæ, inter quæ numeratur etiam libertas, idque usu receptum esse testatur Molina Disp. 33.

Quæritur 10. Qua ratione contrahatur servilis conditio *ob crimen?*

Respondeo. Id fieri posse per sententiam Judicis, qui reum ob crimen tanta pœna dignum condemnat ad servitutem. Hanc pœnam constituendi potestatem habet quilibet supremus Judex, qui est simul legislator. Exstant in Jure aliquot crimina, quibus jam a Jure ea pœna statuta est. 1. Urbanus II. Can. *eos qui* d. 32. concedit sæcularibus Principibus facultatem, ut servituti subjiciant fœminas, quæ cum Clericis jam initiatis SS. Ordinibus attentarunt contrahere matrimonium, si illi admoniti a suis Prælatis non destiterint. 2. In Concilio Toletano 9. anno 655. relato in c. *cum multæ* causa 11. q. 8. sancitum est, ut filii, qui ex nefario matrimonio cum Clericis inito suscepti fuerint, servi sint in perpetuum ejus Ecclesiæ, ad quam Clericus pertinuit. 3. Alexander III. c. *Ita quorundam* De Judæis in Concilio Lateran. 3. 1179. statuit, ut Christiani deferentes arma ad Saracenos aut cum iis piraticam exercentes servi fiant capientium. 4. L. *si manumissus* C. de libertis, statuit, ut manumissus, si manumittenti graviter ingratum se exhibuerit, denuo redigatur in servitutem. 5. C. de raptoribus, causa 36. q. 1. constituitur, ut si raptor cum rapta ad Ecclesiam confugerit, constiteritque raptam violentiam pertulisse, rapiens servituti subjiciatur, aut se redimendi liberam habeat facultatem. 6. In Regno Granatensi dum sæculo undecimo illi, qui a Saracenis originem trahebant, & a fide apostatando rebellarunt, in apostasiæ & rebellionis pœnam nihil impediente baptismo, quem antea susceperant, ad servitutem perpetuam damnati sunt. Philippus II. Hispaniæ Rex statuit quidem, ut rebellantium filii tanquam innocentes libertate donarentur; sed pietate non lege permotum fuisse asserit *Molina*, quia juste etiam filios innocentes potuisset servitutis pœna afficere; prout probat pluribus hic Disp. 33. Adverto tamen, Christianos Dominos obligari sub peccato mortali per legem charitatis & misericordiæ christianæ, ut innocentibus liberis ac nepotibus rebellium, jugum servitutis eousque leniant, quatenus a perpetua miseria liberi instar famulorum sine desolatione hilariter Deo & suis Dominis serviant.

Quæritur 11. Qua ratione contrahatur servilis conditio *emptione* & venditione?

Respondeo 1. Licitum esse se ipsum ex rationabili causa vendere alteri in servum. Id *probatur* ex Deut. 15. & Exod. 21. ubi de servo Hebræo, qui anno septimo dimittendus erat, additur: *Si autem dixerit: nolo egredi; eo quod diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat; assumes subulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & serviet tibi usque in æternum*. Idem probatur ex praxi usitata etiam piorum v. g. D. *Paulini* se vendentis in servum pro filio viduæ.

Respondeo 2. Jure Cæsareo, l. 1. & 4. ff. *quibus ad libertatem proclamare non liceat*, ad validam emptionem & venditionem requiruntur sex conditiones, puta in locis, ubi tam emptor quam venditor judicio Cæsareo subjectus est. 1. ut is qui venditur, sit major 20. annis. 2. ut quando venditur, sciat se esse liberum. 3. ut si permittat se ab alio vendi, de pretio participet. 4. ut revera assequatur pretium. 5. ut is, qui illum vendit, sciat eum esse liberum. 6. ut is, qui emit, putet esse servum.

Respondeo 3. Jure naturæ licitum esse parentibus in gravissima ac perpetua sua necessitate vendere liberos. Hoc colligitur ex Cap. 21. Exod. Hinc Jure Cæsareo l. 1. & 2. C. *de Patribus, qui filios suos distraxerunt*, talis venditio tantum permittitur, si *nimia egestate &*

paupertate parentes coacti fuerint. Sed tamen *Molinæ* videtur ea lex per Epiikiam extendenda ad alios casus, ubi par aut major ratio est; quia si legislatori ejusmodi casus occurrissent, illos procul dubio expressisset. Ex quo sequitur in Æthiopia & aliis locis insistendum esse huic juri naturali, ubi fas est parentibus propter egestatem aut aliam similem causam filios vendere. Illud tamen observandum, Christiano nunquam esse licitum, suos liberos vendere exteris nationibus incredulis, v. g. Judæis, Turcis, quia etiam Judæis id prohibitum erat Exodi 21. ubi dicitur: *Populo autem alieno vendendi non habebit potestatem*. Ob paritatem rationis idem dicendum de illis Dominis, qui nimis dure tractant sua mancipia.

Respondeo 4. Etiam fas esse, hominem ab hostibus occidendum redimere sibi in servum, & quidem si juste occidendus sit, poterit redimi in servum *perpetuum*; si vero injuste occidendus sit, posset præcise ab illo exigi tantum pecuniæ aut servitutis, quantum pretio redemptionis æquivaleret.

Quæritur 12. An liceat servis a domino suo fugere?

Respondeo 1. Eos qui *sine titulo justo* captivi detinentur, fugere posse ad suos, aut quo voluerint. Hinc quando Turcarum & Maurorum bellum contra nos ex eorum parte est *evidenter injustum*, poterunt Christiani ab illis capti aufugere clam aut publice, etiam adhibita vi, poteruntque alii quicunque licite eorum fugam adjuvare; imo etiam licitum illis erit in compensationem damnorum, quæ acceperunt, & obsequiorum quæ præstiterunt, non solum ab eis accipere competentem recompensationem damnorum, a suis dominis illatorum, eo quod in illis locis sit nullus, qui illis jus dicat, sed etiam ex præsumpta nostrorum Principum voluntate accipere quæcunque poterunt.

Respondeo 2. Eos, qui *titulo justo* aut certe ex titulo non manifeste iniquo in servitutem redacti sunt, non posse a dominis suis aufugere. *Probatur* ex regula generali S. Pauli 1. Cor. 7. *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber, magis utere*. Idem S. *Apostolus* universaliter servis præcipit *dominis suis obedire*, eos honore afficere: *Quicunque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. Item ex *Concilio Gangrensi* in Paphlagonia anno 324. c. Si quis servum 37. c. 17. q. 4. ubi his verbis præcipitur servis obedientia: *Si quis servum alienum occasione religionis docet dominum suum contemnere, & ejus ministerium destituere, & non potius docuerit eum suo domino bona fide ac cum omni honorificentia deservire, anathema sit*. Idem statuitur in mox sequente *c. si quis servum* 38. desumpto ex Conc. Martini I. circa 650.

Quæritur 13. An justa sit negotiatio nostrorum Europæorum, de quibus constat, quod tantum lucri gratia a Principibus barbaris vel ab ipsis Europæis captos emant in servos?

Respondeo. Circumstantias talis negotiationis nobis parum esse cognitas. Plures tales circumstantias refert *Molina* Disp. 34. Id solum scio, hanc negotiationem prout hic jacet, damnatam esse tanquam iniquam a *Sorbona*; & merito, si barbaris præbet ansam prædationis hominum injuste. Aliud dicendum, si ejusmodi barbari aut se ultro venderent, aut se ultro subjicerent Principi, quem sciunt circa subditos suos exercere talia mercimonia, aut si ejusmodi Principi jam ab antiquo fuissent mancipati juste conditione servili: *Molina* Disp. 35. Conclus. 4. recte censet, eos esse in statu damnationis æternæ, qui emunt mancipia ab infidelibus aut aliis mercatoribus capta in bello, quod ex utraque parte inter barbaros, & quidem inique gestum est, scilicet animo se invicem spoliandi.

Quæritur 14. Quot modis liberentur mancipia a servitute?

Respondeo. Septem modis 1. *Manumissione*, sive ea fiat gratis, sive interveniente pretio, aut cum alio gravamine. 2. Si dominus aut alius domino sciente nec contradicente infantem ex paren-

parentibus servis natum *exponat*, aut si dominus *expositionem* se inscio factam postea approbet, talis enim infans manet liber. Idem fit si dominus servo ægrotanti deneget alimenta, aut eum exponat; talis enim servus habetur pro re derelicta. Ita habetur Cap. un. *de infantibus & languidis expositis*. Item l. 2. C. eodem tit. 3. Si dominus exponat ancillam in domo publica; ea enim implorato Episcopi auxilio liberatur a servitute, ut habetur *l. si lenones* 12. *C. de Episcopali audientia*. 4. Si Judæus, paganus aut hæreticus subjectus quoad temporalia jurisdictioni Principis Christiani, servum jam Christianum possideat. Ita habetur l. *Deo nobis* 56. §. *his ita*, C. de Episcopis & Clericis. 5. Si Judæus mancipium suum infidele circumciderit; eo ipso enim in delicti pœnam debet illum dimittere liberum. l. 1. & 2. *C. ne Christianum mancipium*. 6. Si vir solutus suam ancillam habuerit concubinam, & cum ea perseveravit usque ad mortem; post mortem ejus tam ancilla quam filii manent liberi, leg. Ult. *C. Communia de manumissionibus*. 7. Si persona libera contrahat cum serva, ignorans servitutem, & dominus vel illam tradat in matrimonium non detegendo servitutem, vel sciens contractum non contradicat. His additur, si quis suum servum instituat in hæredem, aut si quis proprium mancipium adoptat in filium §. Ult. J. de adoptionibus.

Quæritur 15. Quodnam sit jus dominorum & mancipiorum?

Respondeo 1. Generalem regulam esse, quod *servus quidquid aquirit, domino aquirat* §. 1. J. *de his, qui sui vel alieni juris sunt*. Hinc omnia emolumenta, quæ servo vel donatione vel testamento, vel ab intestato, vel alia ratione obveniunt, cedunt domino.

Respondeo 2. Dominum non habere jus in vitam, membra & salutem tam corporalem quam spiritualem mancipii; quia hoc dominium solus Deus habet. Quare si domini aliquod membrum servo eripiant, vel immoderatis laboribus, inedia, nuditate, vel injusto supplicio valetudini & corpori noceant, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem in æquivalenti vel juxta æstimationem prudentum. Exod. 21. dicitur: *Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. -- Si percusserit quispiam oculum servi aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos*. Hæ leges licet sint abrogatæ, nituntur tamen æquitate naturali, & eatenus dominos ad compensationem obligant.

Respondeo 3. Dominus non habet jus ad prohibendum servis conjugium; quia hoc cuivis jure naturæ licet, neque jure gentium, quo servitus fuit introducta, tolli aut impediri potuit. C. 1. *de conjugio servorum*. Ita *Molina* Disp. 39. puto tamen hoc intelligendum esse, si non timeretur ex multiplicatione prolium damnum familiæ aut Reipublicæ; in tali enim casu censeo legem prohibentem matrimonia justam esse, & tam subditos quam Clericos ob æquitatem naturalem teneri ad legem respective conservandam ac tuendam. Ratio est; quia matrimonium tantum introductum est pro bono generis humani & Reipublicæ. Ergo si vel Princeps vel Superior alius declaret, hic & nunc id potius vergere in damnum Reipublicæ, tenentur Clerici huic declarationi Principum credere, & subditi obedire, nisi in casu particulari Epikiæ locus sit.

Respondeo 4. Servos posse lucrari etiam sibi ipsis. 1. si interveniat pactum, vi cujus servo liceat quotidie aut singulis hebdomadibus aliquam laboris partem in proprium commodum impendere. 2. si dominus servo concedat id, quod ex alterius donatione aut ludo obtinuit. 3. si aliquid lucretur ex ludo aut negotiatione sine detrimento obsequiorum non qua servus sed qua homo. 4. Si aliquid ei donatum vel relictum sit ea expressa vel tacita conditione, ut sit servi, non domini. 5. Quando servo aliquid vel a domino vel ab alio restituitur in compensationem illatæ injuriæ in iis, quæ potestati domini non subsunt. Ita Molina.

Quæ-

Quæritur. 16. An liceat, integras legiones vendere potentiis exteris?

Respondeo. Id non licet sine consensu liberrimo, tacito vel expresso singulorum militum. *Ratio* est; quia si milites libere dant nomen ad militiam, ille contractus est contractus locationis, adeoque est contractus bonæ fidei, in quo primarius obligans, cujus est interpretari suam mentem in dubio, est ipse *locans*, nempe miles, qui scire poterit, an intentionem suam locandi seipsum voluerit aut voluisset aligare ad determinatum dominum. Si autem miles est feudatarius, aut principis subditus vi ad militiam tractus, reditur denuo ad quendam originarium contractum bonæ fidei, nempe ad primævam constitutionem feudi, vel ad primævam erectionem Principatus, & capitulationem reciprocam inter Principem & subditos, in quibus primæris fontibus si nil reperitur certi pro jure vendendi legiones ex parte Principis, in dubio non poterit scribere jus certum in vitam ipsam subditi. Aliud vero dicendum, si non intercedit Legionum *venditio*, sed tantum *commodatio in fœderatos* sub imperio Principis proprii; vel generalis proprii, nec ejurato priori juramento militari, nec emisso novo, in quo casu consulenda sunt jura particularia cujuslibet regni, vel principatus.

§. IV.

De Dominio in feras.

QUæritur 1. Quomodo a Theologis dividantur animalia?

Respondeo 1. Ea dividi *in fera* & *non fera* seu *mansueta*. *Fera* vocantur, quæ feritatem sylvestrem præseferunt, ut apri, cervi, lepores, grues &c. *Mansueta* vocantur, quæ cum hominibus conversantur, ut oves, gallinæ, anseres &c.

Respondeo 2. Animalia *fera* dividi in *cicura* & *non cicura* &c. *Cicura* sunt, quæ aut propter complexionem specificam, aut propter educationem exuerunt feritatem sylvestrem. Primi generis sunt anseres, columbæ &c. dum interim aliæ ejusdem speciei feræ sunt, v. g. columbæ sylvestres & anseres sylvestres. Posterioris generis sunt, quæ per educationem cicurantur, ut cervi, accipitres &c.

Respondeo 3. Dari alia animalia, quæ dum ex suo genere mansueta sunt, in sylvis tamen efferantur, ut sues, capræ &c.

Quæritur 2. Quorum sit dominium in animalia mansueta?

Respondeo 1. Dominium illorum pertinere ad eos, qui habent jus in re, scilicet possessionem rei ut suæ, lege irritante non prohibiti.

Respondeo 2. Hoc dominium non amitti, etiamsi talia animalia longe aberrent, aut ab aliis animalibus rapacibus auferantur; adeo, ut si a quocunque recuperantur, ille teneatur restituere animal suo domino, quamvis de faucibus lupi ereptum; nec aliud poterit exigere nisi pretium sui laboris & industriæ, quatenus utiliter domini negotium gessit.

Quæritur 3. Quid dicendum de animalibus cicuris v. gr. de cervo cicurato?

Respondeo. Earum ferarum, quæ educatione cicuratæ sunt, quæque solent abire & redire domum, tamdiu retinetur dominium, quamdiu consuetudinem redeundi retinent; statim vero ac consuetudinem illam amittunt, earum quoque amittitur dominium, fiuntque primo occupantis, esto facilior aliquantulum sit earum comprehensio, eo quod de pristina mansuetudine aliquid retineant. Ita habetur l. *naturalem* 5. §. *pavonum*. ff. *de aquirendo rerum dominio*. *Quod si quæras*, quamdiu non redire debuerint, ut revertendi consuetudinem amisisse censeantur? *Respondet Navarrus*, sufficere, si bis ea redire non contingat diebus & horis consuetis. Alii melius censent, relinquendum esse prudentum arbitrio, cujus hæc est regula; quod tunc censeantur amisisse consuetudinem, quando ponderatis circumstantiis prudens spes haberi non potest reditus consueti.

Quæ-

Quæritur 4. Quid dicendum de falconibus?

Respondeo. Falcones & similia animalia aucupio & receptui ad aucupis manum assuefacta, quamdiu consuetudinem ad manum aucupis redeundi non amittunt, etiamsi extra custodiam sint, perseverant esse in dominio aucupis; quod si vero illam consuetudinem amitterent, & ad suam naturalem feritatem redirent, fierent primo capientis, etiamsi haberent impressa stigmata ac notas, ut cujus fuerint, agnoscerentur; quoniam regula illa universalis est: *tunc ferarum amitti dominium, quando ea ad suam libertatem ac feritatem redeunt*. Quia tamen ejusmodi animalia semel assuefacta raro amittunt consuetudinem revertendi ad manum, in dubio præsumendum, eam non amisisse, ac proin in dubio quærendi sunt proprii domini, illisque fera restituenda.

Quæritur 5. Quid dicendum de columbis?

Respondeo 1. Earum columbarum, quę in columbario commorantur, tamdiu retinetur dominium, quamdiu eo redire consueverunt. Quod si domicilium mutent, continuo earum dominium amittitur.

Respondeo 2. Hinc consequi, quod illicitum sit aucupium columbarum, quæ a dominis particularibus in columbariis detinentur, quamdiu non constat, eas amisisse consuetudinem redeundi; & qui eas capit, tenetur ad restitutionem. Ita communis.

Respondeo 3. Eos, qui columbaria habent, licet possint uti illis cibis & seminibus, quæ columbarum sustentationi aptiora sunt, peccare tamen mortaliter ac teneri ad restitutionem, si uterentur illis cibis vel odoribus aliisque artificiis, quibus columbas aliorum columbariorum attrahant, vel quibus alienæ columbæ inescatæ consuetudinem amittant redeundi ad proprium columbarium; quia talis *per fraudem* aliis aufert suarum columbarum dominium. Ita *Palao*, *Lugo*, *Lessius*, *Layman* & alii. Secus vero dicendum, si alienas columbas attrahat *sine fraude*, v.g. si melius eas alat, vel meliorum stationem aptet, vel alio quodam utatur medio communiter ab industriis usitato.

Respondeo 4. In hoc genere hanc posse dari regulam: illud est licitum in foro interno, quod non censetur iniquum aut omnino pœna dignum in foro externo, si fiat publicum.

Respondeo 5. Jure naturali licitum esse occidere columbas & alias feras, si inferant aliquod *notabile* damnum satis, agris &c. ita tamen, ut servetur moderamen inculpatæ tutelæ, & damnum passo fiat compensatio, quantum id convenienter fieri potest.

Respondeo 6. Non licere alere columbas & alias feras, quæ *notabile* aliis damnum inferant, quia communitates tantum censentur se obligasse ex tacito consensu ad ferendum reciproce damnum *modicum*.

Quæritur 6. An licitum sit habere numerosa columbaria?

Respondeo. Abstrahendo a consuetudine, pacto aut lege locorum particularium, licitum illud esse, quamdiu non constat *de notabili* damno proximo inferendo. Ratio est; quia a priori nulla est generalis præsumptio, quod sint illatura *notabile* damnum proximo, quia 1. agrorum domini communiter non solent graviter de iis conqueri. 2. si non essent columbaria, darentur plures columbæ sylvestres, quæ longe gravius damnum inferrent. 3. quia columbæ Reipublicæ sunt utiles ratione cibi & lucri, neque datur alia via sine levi proximorum damno eas domi alendi, utpote cum expensæ alimentorum majores forent lucro, si domi deberent ali. 4. quia mala semina consumunt, quæ si remanerent, magis fortasse nocerent tritico quam columbæ; devorant enim *lolium*, *nigellam*, *vitiam sylvestrem*, quæ est quasi connatum columbarum pabulum, aliaque hujusmodi; unde in causa sunt, ne inter segetes nascantur tot herbæ, quibus alioquin suffocarentur, *Molina* Disp. 48. testatur, se a fide dignis accepisse; in locis ubi multum est *milii* (Hirsen) utilissima esse columbaria, eo quod devorent grana vento de spicis excussa, quæ nisi de-

devorarentur, perderent fata. 5. quia dicunt, innatam effe hanc columbis fimplicitatem, ut neque fpicas, dum calami erecti funt, attingant, neque femina terræ mandata difcooperiant, fed folum devorent grana, quæ alioquin peritura erant. *6.* quia aliqui teftantur apud *Mol.*, non minus colligi ex agris, qui columbariis vicini funt, quam qui remoti. 7. quia ob utilitatem columbarum & decorem in Rempublicam redundantem videntur homines jam renuntiaffe *tenui* detrimento; & videtur quafi mutuo data effe licentia fingulis refarciendi fibi illud damnum, erigendo in fuo folo fimilia columbaria. Illud tamen concedendum videtur; tenentes numerofa columbaria obligari ad detinendas columbas domi eo tempore, quo in agris confitis femina necdum per pluviam, aut occafionem fatis terræ a potiori commendata funt.

Quæritur 7. Quid dicendum de apibus?

Refpondeo 1. Dominium apum remanere apud eum, in cujus alveario commorantur. Quod fi examen totum ex alveario convolet alio, dominium illius retinetur quamdiu eft in confpectu fui domini, & difficilis non eft illius confecutio ac comprehenfio. Statim vero ac difparet, & difficilis illius fit confecutio, dominium illius amittitur.

Refpondeo 2. Nova examina, quæ certis temporibus ex alveariis egrediuntur, illius funt, cujus erat examen, a quo funt progenita; ferarum namque fructus & partus titulo originis illius funt, cujus erant feræ, ex quibus funt progeniti, ut colligitur ex §. *apium* 14. Inftit. *de rerum divifione*. Eft tamen etiam in his examinibus fervanda prior regula, ut fcilicet quamprimum difparent, difficilifque eft eorum comprehenfio, cenfeatur amitti eorum dominium.

Refpondeo 3. Examina quæcunque domino carent, fiunt primo occupantis, etiamfi in alieno agro arboreque conceperint, aut omnino ibi favos confecerint; tam favi enim quam agmina funt primo occupantis. Si autem dominus fundi jam prior illa inveniffet, & fponte in tali loco tanquam opportuno reliquiffet, tunc jam illorum dominium fibi comparaffet.

Refpondeo 4. Ubi mos eft alvearia conftituendi in locis defertis, fi forte aliquod peregrinum examen in ea confluat, efficitur illius, qui dominus eft alvearis, nifi forte dominus apum examen perfequeretur. Ifta habentur ex §. *apium* 14. citat. item l. *naturalem* 5. §. *apium* 2. ff. *de aquirendo rerum dominio*. Item ex l. 3. §. *nerva* 13. & fequent. ff. *de aquirenda poffeffione*.

Quæritur 8. An peccent, qui venantur vel pifcantur in loco interdicto, ubi fera eft adhuc in fua naturali libertate? Et ad qualem reftitutipnem teneantur?

Refpondeo. 1. Qui venantur vel pifcantur in loco interdicto non claufo, aquirunt dominium feræ vel pifcis, quem capiunt.

Probatur 1. Authoritate Theologorum & Doctorum, qui funt os Reipublicæ transferentis dominium in privatos, adeoque audiri debent, inquantum non manifefte repugnant declarationi Principum & dominorum. De qua re videri poffunt *Molina* & *Vafquez*.

Probatur 2. Authoritate legum tale dominium primo occupanti afferentium. §. *feræ*. 12. J. *de rerum divifione*. fic habetur: *Feræ igitur*, *beftiæ*, *& volucres & pifces & omnia animalia*, *quæ mari*, *cœlo & terra nafcuntur*, *fimul atque ab aliquo capta fuerint*, *jure Gentium ftatim illius effe incipiunt*; *quod enim ante nullius eft*, *id naturali ratione occupanti conceditur*. *Nec intereft*, *feras*, *beftias & volucres utrum in fuo fundo quis capiat an in alieno*. *Plane qui alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia*, *poteft a domino fi is præviderit*, *prohiberi ne ingrediatur*; *quidquid autem eorum ceperis*, *eoufque tuum effe intelligitur*, *donec tua cuftodia coercetur*; *cum vero tuam evaferit cuftodiam*, *& in libertatem naturalem fefe receperit*, *tuum effe definit & rurfum occupantis fit*. *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur*, *cum vel oculos tuos effugerit*, *vel*

ita

ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio. Ita lex præfata.

Respondeo 2. Ejusmodi venantes aut piscantes nunquam excusari a peccato saltem veniali.

Ratio est, quia semper lædunt, minusque utile reddunt jus alienum pretio æstimabile. Ita etiam teste La Croix l. 3. p. 2. n. 262. docent communius Doctores.

Respondeo 3. Taliter venantes aut piscantes peccant etiam mortaliter, si inferant grave damnum habenti jus venandi vel piscandi; quod tamen damnum non est æstimandum ex pretio feræ, sed ex *valore spei* ad feram, si hoc *jus spei* non fuisset læsum ab alio. Hæc Responsio probatur ex eo, quia in Jure datur *jus rigorosum spei* ad rem incertam; Ergo qui hoc jus graviter lædit, peccat mortaliter; *ant. prob.* ex l. *nec emptio* ff. *de contrah. empt.* ubi dicitur, quod etiam *jactus aleæ*, & *captus piscium*, *vel avium*, vel *Missilium*, seu donariorum, quæ Imperatores projicere solebant in populum, *emi possit*, *quia & spei emptio est*. Idem jus spei emitur & venditur, quando venduntur *actiones* a Negotiatoribus in Anglia, Gallia, & aliis regionibus. Item quando emitur schedula ex Lotaria publica, vel speratus partus animalis necdum concepti, vel fructus speratus ex agro vel arbore in annum sequentem. In omnibus his peccatur graviter vel leviter ab eo, qui violat jns spei, & actione prohibita *valorem spei* incorporatæ actioni externæ reddit minus æstimabilem leviter vel graviter. Hinc & P. Gichler l. 3. tit. 17. de Empt. & Vendit. n. 23. dicit. *Etiam res non existens, quæ tamen ut futura vel expectatur vel speratur, emi vendique potest.*

Probatur responsio 2. Princeps potest & vult obligare titulo justitiæ, ne quis violet ejusmodi jura spei, præsertim respectu eorum, qui tale jus notabili pretio emunt, vel quibus illud concessum est titulo compensationis aut commutationis pro aliis expensis vel juribus realibus, prout in Bavaria ferme universim fit. Ergo peccant contra justitiam sic venantes aut piscantes: *antecedens quoad* 1. *membrum* conceditur ab omnibus, *quoad* 2. *membrum* probatur. Nisi princeps obliget titulo justitiæ sequentur multa & gravia damna Reipublicæ. Si enim non obliget titulo justitiæ, licitum erit in conscientia occulte sic venari & piscari. Itaque 1. Regio inevitabiliter privatur copia ferarum, dum alioquin daretur earum abundantia; & hoc damnum v. g. Duci Bavariæ antiquitus, dum adhuc vigebant venationes utiles, attulisset per annum detrimentum circiter ducentorum millium florenorum, prout patet ex observationibus Historicorum recentiorum & veterum Bavariæ. 2. Privati qui habent jus venandi partim in dotem fundationis, partim pro remuneratione militiæ, partim in sustentationem Nobilium, partim sub titulo oneroso per contractum emptionis, privantur commodo & utilitate, quod damnum sæpe non est leve.

Respondeo 4. Tantum esse restituendum Domino juris quantum ejus interest, animalia in eo genere vel numero non esse capta. In praxi vero Confessarii regulariter pro restitutione recte injungent dimidiam summam pretii animalis venatione aut piscatione capti. Ratio est; quia spes obtinendi quamcunque determinatam in individuo eram non prorsus erraticam major est in domino saltus, ubi actu moratur fera, quam in quocunque alio domino vicini saltus; ergo ut habeatur certa regula, recte determinatur dimidium pretii ipsius animalis. In aliis casibus extraordinariis, ubi spes obtinendi feram major aut minor est, etiam æstimatio spei & restitutionis ultra vel infra dimidietatem pretii collocari debet a Confessario, cujus arbitrio ea taxatio relinquitur. Cæterum *residuum pretii & lucri* a feripeta capti *expendendum est in pias causas*, utpote ex injusta actione obtenti, quamvis restituendum non sit domino saltus. Hæc est enim praxis Pœnitentialium veterum, v. g. Halitgarii Tit. Perjurium, furtum, & Theologorum Veterum, ut in Confessionali injuste parta, si domino restitui non possint, vel debeant,

in eleemosinas erogari jubeantur, imo hanc obligationem esse juris naturalis dicetur infra de *Restitutione*.

Dices. Doctores graves docent, licitam esse ejusmodi venationem vel piscationem.

Respondetur dist. docent hoc Doctores, ubi talia jura venandi vel piscandi usurpantur a principibus vel magnatibus causa recreationis c. ubi tenentur titulo oneroso, vel jure utili. n. Authores, qui dicunt, feripetas non obligari nisi ad restituendum damnum *valde enorme*, loquuntur in ea hypothesi; quando Princeps aut Magnates Reipublicæ ex venatione potius quærunt *recreationem* quam *utilitatem*; aut quando non volunt sibi reservare in aliquo territorio speciale ac particulare jus utilitatis, sed tantum præ aliis hominibus gaudere jure communi gentium, non quærendo sibi in illa sylva jus particulare; & in tali suppositione non nego tantum restituendum esse damnum enorme, quia tunc cessat jus utilitatis particulare. Vel dum datur jus particulare, sed tantum primario ad captandam recreationem, facile consentio in tali sylva tantum restituendum esse damnum enorme; quia jus & occasio capiendi recreationem notabiliter non læditur, si solito pauciores reperiantur feræ, aut etiamsi notabiliter minueretur, cedere tamen deberet excessus ille recreationis utilitati moderatæ, quæ resultat ex captura ferarum hominibus privatis. Cum vero ea suppositio aut nullibi aut certe in paucis provinciis Germaniæ detur, respicientes ad præsentem statum nostræ Germaniæ & praxin modernam jurium, aliam tenemur sequi regulam, quæ procedat spectato rerum statu præsenti. In *privatis* quidem satis certum est, jus venandi non concedi solere causa *recreationis*, sed causa *utilitatis*; Cæterum quod Authores revera ad præfatam hypothesin respiciant, dum adeo latam tradunt regulam, probari potest ex ipsa illorum inspectione v. gr. *Lessii* & *Haunoldi*.

Quæritur 9. An ea restitutio fieri debeat etiam casu, quo quis jam subiit pœnam lege statutam?

Respondeo cum *Molina* hic Disp. 51. omnino teneri. *De justitiæ rigore*, inquit, *ultra pœnam lege statutam debet restitutio fieri integri damni ex venatione aut piscatione in loco prohibito dati, non secus ac fur, etiamsi pœnam flagellorum aut aliam pecuniariam pro furto subeat, tenetur integrum furti damnum restituere, a quo rem furto abstulit, nisi is, qui solus jus venandi habet, jam contentus foret, aut contentus esse deberet, aut soleat de sola solutione pœnæ*.

Quæritur 10. Quid dicendum de animalibus jam septo inclusis aut de piscibus stagno conclusis?

Respondeo 1. Si ita conclusa sint, ut sint facilis comprehensionis etiam in individuo, committitur furtum ab eo, qui tale animal comprehendit, adeoque tenetur ad restitutionem in integrum quoad totum valorem, nec capiens ullo modo aquirit illius dominium.

Respondeo 2. Si animalia sint in septo ampliore, ita ut sint difficilis comprehensionis, censentur adhuc habere quandam naturalem libertatem, non tamen dominium aquiritur a capiente; quia talia animalia possunt absolute a domino comprehendi, licet cum majore difficultate, coordinando scilicet septa angustiora. Ex quo sequitur, quod capiens teneatur per se ad restitutionem feræ, nisi quod de illa restitutione tantum possit subtrahi, quantum minoris valet obtinendi spes sine magnis expensis feram determinatam, aut ex illa fructificandi. Quod ipsum tamen ita subtractum expendendum est in causas pias, utpote ex injusta actione captum.

Quæritur 11. Quid dicendum, si feræ egrediuntur e loco interdicto? licetne eas in loco non interdicto capere?

Respondeo cum *Molina*, licite eas capi posse; & nec ad restitutionem nec ad pœnam quis tenetur. Ratio est; quia ita communiter Doctores sentiunt; & quia nec ex parte rei captæ, nec ex parte loci talis venatio est illicita, nisi constet, Principem absolute velle & juste posse sibi reservare jus venationis in quocunque loco suæ ditionis, ad quem devenerint.

Quæ-

Queritur 12. Quid dicendum de venatione aut piscatione illicita ratione temporis tantum, aut ratione instrumenti, quando v. g. ob bonum commune sub severis pœnis statutum est, ne quis certo anni tempore vel cum quodam interdicto armorum genere venetur?

Respondeo 1. cum *Molina* Disp. 49: quod animalia taliter capta, si non sit aliunde defectus, fiant capientis; nec ratione hujus prohibitionis fiant obnoxia restitutioni, satisque est solvere pœnam lege statutam post sententiam condemnatoriam. Ita communis Doctorum. Potestque probari ex eo, quoniam per ejusmodi venationem non accipitur alienum, nec præjudicatur juri cujusquam alterius determinati, sed solum capitur id, quod est commune jure gentium.

Respondeo 2. Transgressio talium legum plerumque non est *mortale* peccatum, sed *veniale*. Quod sit *veniale*, probatur ex eo; quia ejusmodi captio est perversio ordinis a legislatore constituti in bonum commune. Quod autem non sit *mortale*, probatur ex hoc; quia regulariter per hoc non infertur *grave* damnum Reipublicæ. Aliter esset judicandum, si quis inferret Reipublicæ aut domino *grave* damnum; talis enim peccaret *graviter*; & posset obligari ad restitutionem faciendam in causas pias, maxime in pauperes communitatis, qui sunt membra Reipublicæ.

Quæritur 13. Utrum venari liceat feras, quæ agris aut satis inferunt damnum, si id aliter speretur non facile compensandum?

Respondeo. Omnino licitum esse. Cuilibet enim jus naturale permittit, ut defendat bona sua, seque præstet indemnem, maxime cum melior sit conditio illius, qui certat de damno vitando, quam illius, qui certat de lucro captando. Nec *obstant* leges Principum; quia illæ, si eatenus darentur, essent irrationabiles. Observandum tamen est, quod si quis habet aliud medium arcendi feras, & eo uti posset v. g. alendo canes, quod in multis locis permittitur, illud omnino adhibendum esset.

Quæritur 14. An possint licite aliena animalia emi capta a feripetis?

Respondeo. Ea nec emi posse, nec dono oblata accipi sine peccato gravi vel levi pro diversa cooperatione de se idonea ad causandum aliis damnum grave vel leve per recursum, quem præstant feripetis. *Probatur* 1. Quicunque participant de injustitia, peccant; sed tales participant; ergo. *Min. prob.* Quicunque retinet aut accipit rem injuste acceptam, & per hoc est causa injustæ acceptionis, participat de injustitia; sed; ergo. *Maj. prob.* ex *Molina* de restit. disp. 734. ubi loquens *de participantibus furto* ait: *Inter participantes, de quibus hoc loco sermo est, imprimis numerantur, qui cooperantur ad furtum aut ad quamcunque aliam injustam acceptionem vel damnum injustum influendo in illud injuste, illud exsequendo, aut postquam res injuste detinetur, aliquid illius accipiendo aut retinendo injuste. Numerantur etiam, qui mediatores sunt ad injustitiæ executionem, ut sunt famulus aut quicunque alius, qui id, quod filius familias aut quod quivis alius furatur, scienter aut præsumendo, præsumereve debendo esse furto ablatum, vendit aut aliter distrahit; & qui illud similiter emptum, aut quovis alio titulo sibi traditum accipit*. *Probatur* 2. Talia animalia a feripetis emere est fovere cumulum plurium scelerum; sed hoc est peccatum mortale; ergo.

Quæritur 15. An taliter ementes teneantur ad restitutionem?

Respondeo Tales, inquantum efficaciter cooperantur ad damnificandum Dominum juris venandi vel piscandi, tenentur ad eandem restitutionem, ad quam teneretur feripeta, si hic non restituat. Dein cum foveant ejusmodi injustas damnificationes, obligandi sunt ad restitutionem totius lucri, quod ex tali emptione obtinuerunt, pauperibus vel causis piis faciendam; in tali enim casu eadem est ratio de feripeta & de emente quoad restitutionem.

Quæritur 16. Quales possint constitui aut constitutæ sint pœnæ in eos, qui venantur in locis interdictis seu in feripetas?

Res-

Respondeo. Justissimum esse morem procedendi contra feripetas, quem, ut refert Haunoldus, Nicolaus Everhardus Serenissimo Bavariæ Principi dictavit. 1. Constituit mulctam pecuniarum aut pœnam carceris ad aliquot septimanas cum aliqua maceratione corporis. Hac pæna coerceri potest & solet, qui prima vice deprehensus unam alteramve feram pellis tantum aut carnis causa occidit seclusis aliis circumstantiis. 2. Relegationem perpetuam cum cautione jurata de non redeundo; qua pæna plecti posset, qui semel mulctatus denuo deprehensus est; vel licet nunquam fuerit mulctatus, multas tamen feras cepisse convincitur. 3. Amputatione manus dexteræ cum repetita relegatione & cautione de non redeundo, vel condemnatione ad triremes vel in opus publicum; qua pęna digni sunt, qui contra fidem juratam redeunt in provinciam iterum venantes, cum propter perjurium tum, propter principis contemptum. 4. Pœna mortis vel saltem abscissione etiam alterius manus, si aliæ circumstantiæ concurrant v. g. si ter jam punitus non cessat; tunc enim locum habet illud 1. Reg. 14. *Qui Principi non obedierit, morte moriatur*. Ex quo patet, quod Principes non facile debeant argui injustitiæ in suis legibus hac in parte severis.

Quæritur 17. An fera ab aliquo vulnerata & ab alio capta, sit vulnerantis an vero capientis?

Respondeo 1. Eam esse capientis, si vulnerans spem feram assequendi habere non possit; si autem fera ita vulnerata sit, ut insequens certo eam esset capturus, erit vulnerantis. Si autem dubium sit, an insequens eam sit capturus, iterum erit capientis; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Respondeo 2. In nostris partibus teste Haunoldo obtinere consuetudinem, scilicet ut liceat feram ictam & vulneratam & sanguinantem etiam extra propriam sylvam aut districtum persequi, quamdiu vulnerans non deponit spem eam persequendi. De Jure Bavarico licet vulneratam feram persequi per duos dies; in montanis vero per dies tres.

Quæritur 18. Si fera laqueo vel alio instrumento a te posito capta est, an alteri liceat eam eruere, vel utrum jam tua sit?

Respondeo cum *Molina*, *Lessio* & aliis, si fera ita capta sit, ut non amplius se potuerit extricare, tunc erit illius, qui laqueum posuit; quia suo instrumento feræ libertatem ademit, adeoque eam sufficienter apprehendit. Si autem se poterat extricare, erit eximentis; quia nondum amisit potestatem recuperandæ libertatis. Si vero dubium esset, an esset se extricatura, præda inter eximentem & ponentem instrumentum esset dividenda. Hæc autem intelligenda sunt, si captio fiat in fundo publico; si enim in fundo proprio, nemini liceret illum ingredi pro eximendis animalibus, sed teneretur ad restitutionem pro æstimatione spei, quam dominus habet ad animal jam conclusum.

§. V.

De Thesauris & aliis fossilibus.

QUæritur 1. Quid intelligatur proprie sub nomine *thesauri*?

Respondeo. Thesaurum definiri l. *nunquam* 31. ff. *de aquirendo rerum dominio*. Quod sit *depositio quædam vetus pecuniæ, cujus non exstat memoria*. Alii definiunt, *quod sit pecunia aut alia res mobilis antiquitus deposita, cujus dominus ignoratur*.

Quæritur 2. Ad quem pertineat *thesaurus* inventus?

Respondeo 1. *Per se* loquendo, *jure gentium* in foro interno thesaurum fieri inventoris primo illum occupantis. Nec refert, utrum in fundo proprio sive alieno, sive casu, sive industria, sive mediis licitis, sive illicitis inventus sit. Ita communis. Ratio est; quia, ut patet ex §. *feræ* 12. & §. *item lapilli* 18. *J. de rerum divisione*, universim quæ in nullius sunt dominio, per se & jure gentium fiunt primo occupantis. Observandum tamen, quod etiam infra dicam de rebus inventis, inventorem longo tempore debere retinere rem inventam & exspectare, nisi

nisi ex antiquitate rei vel alio argumento certum habeatur indicium, Dominum rei jam obiisse & deposuisse hæredes animum investigandi depositum thesaurum.

Respondeo 2. Spectato *jure positivo communi* thesaurus mediis licitis inventus in fundo publico, si *casu* fuerit inventus, æqualiter est dividendus inter dominum fundi & inventorem. Si vero *studio* ibi fuerit quæsitus & inventus, seclusa speciali conventione aut consensu domini, totus cedit domino fundi. Ita communis. Et patet ex §. *thesauros* 39. *J. de rerum divisione*. Ubi hæc omnia aperte habentur.

Respondeo 3. Si thesaurus fuerit inventus mediis illicitis v. gr. arte magica, spectato jure communi addicitur fisco. Ita communis & patet ex l. unica C. *de thesauris*, ubi permittitur dominium inventori præcise sub hac conditione: *dummodo se sceleratis ac puniendis sacrificiis aut alia qualibet arte legibus odiosa non coinquinarit*. Intelligitur tamen hoc de illa solum parte, quæ alias fuisset inventoris; non vero etiam de illa, quæ ad dominum fundi pertinet, ne is propter alienum delictum portione sua privetur. Cap. 2. *de his quæ fiunt a majori*. & l. *sancimus* 22. *C. de pœnis*.

Quæritur 3. Quid dicendum, si thesaurus inveniatur in fundo usu fructuarii, feudatarii aut emphiteutæ?

Respondeo 1. Nihil pertinere ad usufructuarium, nisi ipse usufructuarius fuisset fortuitus inventor; tunc enim haberet dimidium non qua usu fructuarius, sed qua inventor fortuitus. Ratio est; quia thesaurus non est fructus fundi. Id *probatur* ex. l. 7. §. 12. ff. *soluto matrimonio*, ubi maritus in fundo dotali thesaurum repertum pro dimidia tantum parte lucratur.

Respondeo 2. Si thesaurus inveniatur in fundo *feudatarii* aut *emphiteutæ*, illum pertinere ad feudatarium & emphiteutam. Ratio est; quia hi in omnibus substituuntur tanquam veri domini, nisi in casibus per emphiteusin aut feudum expressis, inter quos tamen non est inventio thesauri. Ita *Haunoldus*, Lugo & alii. *Harprecht* vero & plerique alii præsertim Juris consulti censent totum pertinere *ad proprietariums*, seu *dominum directum*; eo quod hic solus sit *simpliciter dominus* talis fundi. Alii cum *Molina* & Lessio censent, inter utrumque esse dividendum; eo quod uterque communiter dominus fundi appellari soleat.

Quæritur 4. An verum sit, quod de consuetudine thesaurus ubivis inventus sit Principis?

Respondeo 1. Si Princeps totum vel partem thesauri ubivis inventi sibi applicet, eam legem fore justam, eam tamen non obligare in conscientia ante sententiam. Ratio est, quia princeps non potest in conscientia obligare obligatione *directa*, sed tantum *indirecte* circa actiones vel præstationes externas *per se* & *generaliter* quoad substantiam in ordine ad conservandum decenter statum Principis jure naturæ debitas. In hoc autem genere actionum non reperitur fortuita inventio thesauri.

Respondeo 2. Si nulla exstet lex, sed tantum consuetudo, qua Princeps soleat sibi applicare thesauros inventos, ea consuetudo non obligat ad tradendum thesaurum ante sententiam Judicis, nec obligat in Conscientia. Ita Sylvester v. *Inventa*, n. 13. & Sotus l. 5. de Justitia q. 3. a. 3. Ratio est; quia in lege incerta inhærendum est legi aliunde certæ, scilicet naturali & civili, quæ talem thesaurum non adjudicat Principi.

Quæritur 5. Quid dicendum de Mineralibus aut venis Metallorum retectis?

Respondeo 1. Si inveniantur in loco publico, qui in nullius est dominio, per se & jure gentium fiunt inventoris tanquam primo occupantis. Si vero repeperiantur in loco, qui est in alicujus dominio, per se & jure gentium pertinent ad dominum fundi, prout contra *Sotum*, *Valenz.* & alios docent *Molina*, *Vasquez* & alii communius. Ratio est; quia ejusmodi venæ sunt pars & fructus fundi naturales, eo quod probabilius generentur sicut herbæ, creta, &c.

Respondeo 2. Si daretur alicubi specialis lex Principis asserentis sibi dominium talium venarum, ea obligaret in conscientia ante sententiam Judicis ad

cedendum totum lucrum Principi. Et sic fere ubique magna pars mineralium Principibus cedit per modum tributi. Lex 3. C. *de Metallariis* ait: *Cuncti, qui per privatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repræsentent, cætera propriis suis desideriis vindicando*. Pro hac sententia stant *Less.* h. n. *66*. & *Covarruv.* qui etiam thesauros adjudicant ante sententiam Principi asserenti sibi dominium.

Quæritur 6. An liceat emere pretio ordinario fundum, in quo scitur latere thesaurus?

Respondeo. Affirmative. Ita Molina, Lessius, *Palao*, *Lugo* & alii communiter, qui id licere docent.

Probatur conclusio 1. Non improbatur a Christo aut S. S. Patribus homo ille, qui, ut per parabolam in Evangelio *Matth*. 13. v. 44. introducitur, vendidit omnia bona sua, ut emeret agrum, in quo sciebat latere thesaurum.

Probatur 2. Doctores volunt, justum rei pretium non esse desumendum ex utilitate rei secundum se, sed ex communi æstimatione hominum; atqui in communi æstimatione hominum fundus, de quo est quæstio, non plus valet, quam si non lateret thesaurus; ergo hoc pretium commune est justum. *Mai. patet* ex eo; quia etiamsi herba medica in se sit utilissima, non tamen carius venditur medico pro ægrotis scienti virtutem medicam, quam aliis ignorantibus hanc virtutem. Aliud dicendum esset, si illa ignorantia versaretur circa substantiam rei v. gr. vendendo gemmam pro vitro.

§. VI.

De Dominio bonorum incertorum, derelictorum, & inventorum,

QUæritur 1. Quæ sit divisio rerum inventarum?

Respondeo. Res *inventæ* sunt in triplici differentia. Primi generis sunt res, quæ *nullum* habuerunt *unquam* dominum, ut gemmæ, uniones, metalla &c. Secundi generis sunt res, quæ habuerunt aliquando dominum, *nunc* autem *nullum* habent, ut sunt thesauri defossi & bona defuncti ab intestato; & talia bona vocantur *derelicta*. Tertii generis sunt, quæ habuerunt dominum, & actu etiam aliquem habent, sed *incertum*; eo quod ignoretur v. gr. si quis in via reperit marsupium.

Quæritur 2. Quid proprie intelligatur per bona *incerta*?

Respondeo 1. Intelligi illa, quæ præsumuntur fuisse alicujus domini, qui nondum deposuit animum illa possidendi aut vindicandi ut sua.

Respondeo 2 Hoc nomine non comprehendi bona totius alicujus communitatis, licet ignoretur, quid determinate in particulari ad quemlibet pertineat; nec etiam intelliguntur illa bona, quæ constat pertinere ad unum ex paucis, quamvis ignoretur ad quem determinate pertineant.

Respondeo 3. Bona illa incerta esse iterum duplicis generis; scilicet bona incerta *ex delicto*, & bona incerta *sine delicto*. Bona incerta *ex delicto* vocantur, quæ domino per injuriam fuere ablata v. g. per furtum, ita tamen, ut postmodum ignoretur cujus sint. Incerta *sine delicto* vocantur, quæ obtinentur sine cujusquam injuria v: gr. per inventionem, ignorando tamen, cujus sint.

Quæritur 3. Quid proprie intelligatur per bona *derelicta*?

Respondeo. Vocantur illa, de quibus prior dominus deposuit animum ea suo vel alieno nomine possidendi. Id fieri potest 1. per mortem decedentis sine hærede. 2. per relegationem in exilium sine spe redeundi in patriam. 3. per amissionem bonorum sine spe illa recuperandi. 4. per mortem peregrini, cujus hæredes ignorant locum aut tempus obitus. &c.

Quæritur 4. Ad quem pertineat dominium bonorum, quæ sunt nullius domini?

Respondeo. Ea esse primo occupantis. Ita §. *feræ igitur* 12. J. *d rerum divisione*, ubi dicitur: *Quod ante nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur*.

Quæ-

Quæritur 5. Ad quem pertineant bona *derelicta?*

Respondeo. Ea iterum esse primo occupantis. Ita l. 1. & 5. ff. *Pro derelicto* ubi l. 5. dicitur: *Id quod quis pro derelicto habuerit, continuo meum fit.* & l. 1. *Si res pro derelicta habita sit, statim nostra esse desinit, & statim occupantis fit.*

Quæritur 6. Quid agendum cum bonis *incertis?*

Respondeo 1. Illum, qui bona ejusmodi habet, teneri adhibere diligentiam *moralem* pretio bonorum *proportionatam* in inquirendo eorundem domino. Sic qui magnam pecuniæ summam reperit, tenetur adhibere majorem in inquirendo diligentiam, quam qui exiguam reperit.

Respondeo 2. Eundem teneri ad conservanda interim illa bona, si servari possunt, quamdiu *prudenter* sperari potest, eorundem dominum compariturum. Si vero tamdiu servari non possunt prout fit in rebus usu & mora temporis consumptibilibus v. g. carne, pane &c. tenetur illa absumere aut vendere reservato illorum pretio.

Respondeo 3. Eundem per se loquendo teneri, si dominus interea comparcat, ut bona illa vel in se, si adhuc exstent formaliter, vel saltem in æquivalenti, aut pretium illorum restituat. Ratio horum omnium est; quia ita dictat æquitas naturalis, & quia ita declarant Doctores; quilibet enim tollendo aut retinendo rem censetur se tacite obligare ad rem suo domino conservandam.

Quæritur 7. Quanta requiratur longinquitas temporis, ut res quæ dominum habuit, censeatur esse derelicta?

Respondeo. Eam sufficere, quæ facit, ut dominus rem moraliter non possit recuperare ut suam, eo quod vel non possit exstare memoria veri domini vel amissionis; in tali enim casu dominium non sit ampsius pretio æstimabile ob incertitudinem domínii, ut observat *Lugo* & *Haunoldus*.

Quæritur 8. Ad quem pertineant bona vacantia laicorum *non peregrinorum*, si eisdem nullus succedat vi testamenti aut ab intestato?

Respondeo. Talia bona jure communi pertinere ad fiscum. Ita constat ex l. *scire* 1. & l. *vacantia* 4. c. *de bonis vacantibus*. *Vacantia*, inquit l. 4. *mortuorum bona tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo legitimum reliquerit intestatus hæredem*. Jure tamen naturæ videntur esse primi occupantis pro foro interno, ita tamen, ut occupans, tanquam utilis negotiorum gestor ex lege charitatis & æquitatis obligetur saltem ad applicandum dimidium in causas pias.

Quæritur 9. Ad quem pertineant bona vacantia laicorum *peregrinorum?*

Respondeo. Si in hospitali intestati decesserint, tunc bona ipsorum debent per manus Episcopi tradi hæredibus, aut si nulli supersint, debent post sufficientem promulgationem & investigationem applicari in causas pias. Ita habetur Auth. *omnes peregrini* c. *communia de successionibus*, ubi dicitur: *Omnes peregrini & advenæ libere hospitentur ubi voluerint. - Si testari voluerint de rebus suis, ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa servetur. Si vero intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in pias causas erogentur. Hospes vero, si aliquid ex talium bonis contra nostram constitutionem habuerit, Episcopo triplum restituat, quibus visum ei fuerit, assignandum*. Ex quibus patet, per *hospitale* hic intelligi *hospitium*, & per *peregrinum* quemcumque *advenam* transeuntem Provinciam. Addo aliud requirere jus seu potius usum Gallicanum, ubi dona peregrinorum vel advenarum sive decedant ex testamento sive non, cedunt fisco, nisi prius aquisierint litteras naturalizationis.

Quæritur 10. Quid agendum cum bonis *incertis ex delicto* v. g. ex furto?

Respondeo. Bona incerta ex delicto non posse retineri, sed ea *per se* esse eroganda in pauperes vel alias pias causas, & quidem *jure naturæ*.

Probatur 1. ex c. 5. *de usuris*, ubi Alexander III. dicit, usuras si domini vel hæredes non amplius sint superstites,

pauperibus esse erogandas; ergo idem dicendum de omnibus aliis bonis ex delicto, quia est paritas rationis, & communis Doctorum sensus idem jus agnoscit. Verba Pontificis sunt ista: *Cum tu manifestos usurarios juxta decretum nostrum, quod nuper in Concilio* (Lat. 3. 1179.) *promulgatum est, communione Altaris, & Ecclesiastica præceperis sepultura privandos, donec reddant, quod tam prave receperunt, quidam eorum ad excusandas excusationes in peccatis imprudenter affirmant, illas duntaxat usuras restituendas, quæ sunt post Interdictum nostrum receptæ; Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod sive ante sive post Interdictum usuras extorserint, adigendi sunt per pœnam, quam in Concilio constituimus, vel his quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel his non superstitibus pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipsis possint eas restituere; cum juxta verbum B. Augustini non dimittatur peccatum nisi restituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus unde usuras valeant restituere, non debent ulla pœna mulctari, dum eos nota paupertatis evidenter excuset: possessiones vero quæ de usuris comparatæ sunt, debent vendi, & earum pretia his, a quibus usuræ sunt extortæ, restitui, ut sic non solum a pœna, sed etiam a peccato possint liberari.* Ex quo patet, usuras deficientibus hæredibus esse restituendas pauperibus, & ita quidem, ut alias non valeant a peccato liberari. Quæ ratio urget universaliter in omnibus bonis incertis ex delicto, sive exstet aliqua lex positiva, sive non.

Probatur 2. Authoritate S. Hieronymi relati in c. *nemo* c. 14. q. 5. *Nemo*, inquit, *qui rapit, moriens, si habet unde reddat, salvatur. Si eos quorum fuit, invenire non poterit, Ecclesiæ vel pauperibus tribuat.* Jam sic: Hieronymus dicit neminem salvari nisi hoc modo restituendo, idque independenter a lege positiva; ergo illa obligatio fundatur in lege naturæ.

Probatur 3. Illa obligatio a natura omnibus imponitur, quam prudentiores voluissent imponere aut vellent imponere, si a natura fuissent antecedenter consulti, antequam ulli constaret, quisnam primo illam esset subiturus, atqui prudentiores furem vel alium quemcunque locupletatum ex delicto vel contractu turpi obligassent ad largiendum pauperibus vel ad alias causas pias; ergo natura imposuit hanc obligationem. *Maj. de verbo ad verbum est Pallavicini & Haunoldi*, & est summe conformis primis principiis. *Min. prob.* Prudentiores viderent interesse boni publici, ne quis ex delicto suo referat commodum, & ne fures alliciantur ad multiplicanda furta spe freti, fore ut ignoto domino non teneantur restituere, viderent insuper hoc modo promoveri spem pauperum & causarum piarum modo convenientiori; ergo sic præciperent.

Confirmatur. In tali casu non datur titulus a potestate legitima, divina vel humana approbatus ad transferendum dominium.

Quæritur 11. Quid dicendum de bonis incertis, quæ tantum constat pertinere ad unum aliquem ex paucis v. g. ex duobus vel tribus?

Respondeo. In tali casu bona illa restituenda esse communitati illi, ad quam creduntur pertinere, ut vel ipsi ea inter se dividant juxta probabilitatem juris, quod quisque habet, vel ut totam rem sorti committant, prout ipsis placuerit. Idem dicendum de bonis pertinentibus ad aliquam communitatem, ita tamen, ut ignoretur, quantum pertineat ad quemlibet in particulari, uti si quis in bello injusto pagum integrum spoliasset; tunc enim præfectus loci talia bona restituta deberet distribuere inter subditos juxta æqualitatem aut probabilitatem juris, ut docent *Lessius*, *Lugo* & alii.

Quæritur 12. An is, qui habet bona incerta ex delicto sive ex injusta acceptione, possit ea sibi applicare, si ipsemet vere sit pauper?

Respondeo 1. Per se loquendo posse, & quidem etiam authoritate propria, si absit periculum fraudis, non quidem ex titulo boni derelicti, sed titulo causæ piæ. Ita docent cum D. *Thoma*, *Molina*, *Lessius*, *Vasquez*, *Sanchez*, *Lugo*, *Ill-*

Illsung & alii comuniter. Ratio eſt; quia ipſa paupertas ſufficit ut ea bona poſſint ſibi applicari ab alio. Ergo etiam poterunt ſibi applicari a ſemetipſo.

Reſpondeo 2. Si fur ſtudioſe aut per negligentiam affectatam animo evitandæ reſtitutionis ſe conjeciſſet in ſtatum paupertatis, non poſſet ſibi retinere talia bona. Ratio eſt; quia non eſt dignus favore legis, qui fraude committit in legem, nec eſt bonum Reipublicæ, ut hoc modo foveatur impunitas ſcelerum.

Reſpondeo 3. Si alicubi lege particulari aliter foret ſtatutum, id omnino eſſet ſervandum, & tale ſtatutum dari in Diœceſi Mediolanenſi teſtatur *Bonacina*.

Reſpondeo 4. Etiam hoc loco obſervandum eſſe ordinem Charitatis, ut videlicet talia bona diſtribuantur aut indigentioribus aut miſericordia digniori bus; & ob hoc non qualiſcunque paupertas ſufficit, ut ſtatim poſſit ſibi ipſi quivis applicare talia bona; maxime cum natura dictet, nulli eſſe relinquendum judicium in cauſa propria: alioquin ſequerentur plurimi in hac re abuſus, cum plerumque tantum pauperes & indigentes ſoleant furari. Sic ergo univerſim eluderetur obligatio reſtitutionis, quod utique prudentia legislativa & ratio non dictat.

Reſpondeo 5. In hac re, ne quis erret in cauſa propria vincibiliter, judicium eſt relinquendum Confeſſario vel alteri viro prudenti.

Quæritur 13. An detur obligatio, bona inventa, vel alias abſque delicto incerta, expendendi in cauſas pias?

Reſpondeo Negative. Ita Scotus, Ledeſma, Petrus Navarrus, & multi alii, quæ authoritas ſpectata ſimul cum ratione intrinſeca & cum praxi fere omnium operantium vel ex ſolo dictamine naturæ, vel ex dictamine reflexo ad probabilioritatem, vel æqualem probabilitatem ſententiæ facit ſententiam tutam.

Probatur 1. Negative; quia non poteſt oſtendi ſufficiens ratio tam gravis obligationis, aut neceſſitas.

Probatur 2. Melius eſt generi humano non dari tali modo obligationem expendendi ſimilia bona in cauſas pias; ergo non datur. *Ant. prob.* Id inprimis melius eſt *domino bonorum*, qui bona perdidit; quia ex una parte habet multo majorem ſpem recuperandi rem perditam, ſi adhuc ſuperſit, quam ſi fuerit expenſa in cauſas pias; ex altera parte multo magis acuitur induſtria hominum in colligendis & ſtudioſe conſervandis bonis alienis, eo quod inventor ſperet ſe fore dominum rei, ſi verus dominus non retegatur, dum alioquin facile quilibet negligeret conſervare ſimilia bona, utpote ſine ſpe ullius commodi. Dein idem melius eſt etiam *generi humano*; quia ſic non multiplicantur occaſiones ac pericula gravium peccatorum ſine neceſſitate aut ſine commodo, & compenſatione per majora bona; inventor enim exponeretur periculo gravis peccati, ſi non expenderet inventa in cauſas pias, & dominus exinde nullum haberet meritum, ſi inventor bona reperta expendiſſet in eas cauſas. Hinc bene obſervat *Haunoldus* n. 30. in ſententia Adverſariorum falſificandum fore præjudicium univerſale humani generis, quo dicunt inventores *fortunatos*; quæ enim eſſet fortuna, ſi nihil invenirent ſibi ipſis? eadem reſponſio procedit de bonis incertis ablatis quidem per delictum, ſed tamen tertio venditis & ab initio bona fide poſſeſſis, eo quod ignoraverit, bona illa furto ablata eſſe; quia etiam reſpectu horum verus dominus potius vult ſua bona conſervari, quam erogari irrecuperabiliter.

Quæritur 14. Ad quid teneatur inventor rei alienæ, ſi dominus primum compareat, poſtquam illam bona fide cepit poſſidere ut ſuam?

Reſpondeo 1. Si inventor, poſtquam longi temporis mora ſpem omnem inveniendi domini abſtulit, rem illam interim bona fide abſumpſit, neque inde factus eſt ditior, ad nihil amplius tenetur, utpote neque titulo rei acceptæ, neque titulo injuſtæ acceptionis. Longum autem tempus voco, prout in jure ſumitur, quod annos viginti excedit.

Respondeo 2. Si rem nondum absumpsit, sed ea adhuc exstet vel formaliter vel æquivalenter, tunc si dominus compareat, debet res restitui vel in se vel in æquivalenti. Ita communiter Doctores.

Quæritur 15. Quid agendum, si res jam fuerit erogata in pauperes, aut pias causas, & tunc primum dominus compareat?

Respondeo 1. Si res fuerit erogata in pauperes post adhibitam sufficientem diligentiam in inquirendo domino, detentor rei ad nihil amplius tenetur, sive bona fuerint incerta ex delicto sive sine delicto. Ita volunt Doctores, adeoque sic etiam docet natura.

Respondeo 2. Si bona illa adhuc exstent apud pauperes, & nondum fuerint præscripta, teneri pauperes ad eadem restituenda vero domino, si compareat ante terminum præscriptionis; idque verum est, etiamsi tantum exstent in æquivalenti. Ratio est; quia obligantur restituere titulo rei acceptæ. Ita rursus Doctores.

Respondeo 3. Si talia bona fuerunt ab inventore vel possessore erogata in pauperes ante adhibitam sufficientem diligentiam in inquirendo domino, & res adhuc exstet apud pauperes vel loca pia, tenentur hi quidem primi restituere rem; si vero ea bona apud pauperes vel non exstent, vel pauperes nolint restituere, tenetur ille inventor, qui tam præcipitanter egit bona aliena erogando in pauperes, restituere æstimationem rei. Ita *Molina*, *Lessius*, *Azor*, *Bonacina*.

Quæritur 16. An inventor rei perditæ possit aliquid a domino petere pro præmio inventionis?

Respondeo 1. Propter restitutionem rei inventæ non posse inventorem aliquid petere aut recipere tanquam ex justitia vel obligatione debitum. Ita *Covar*. & *Lugo* contra *Host.* Ratio est; quia inventor tenetur ex justitia ad restitutionem totius rei, quia Tota est aliena; ergo debet reddere gratis, alioquin non redderet totam.

Respondeo 2. Si tamen dominus gratuito aliquid vellet donare, poterit inventor id accipere & retinere; imo & poterit a domino id absque violentia ex titulo gratitudinis petere.

Respondeo 3. Inventorem pro labore impenso in rei inventione, recuperatione aut conservatione posse a domino exigere compensationem expensarum, vel lucrum cessans & damnum emergens ac similia. Consequenter si quis a prædone, milite, aut alio peregrino emat pecora alioquin in alienas regiones reducenda, posse a domino repeti totum illud pretium recepti hic & nunc, ut supponitur, utiliter & ex voluntate domini præsumpta expensum.

§. VII.

De Jure lignandi & pascendi.

QUæritur 1. Quid de jure *lignandi* statutum sit in Jure Bavarico?

Respondeo. Tit. 23. im Landrecht-*Compendio*, statutum esse, ut qui in loco interdicto cædit ligna, præter pœnam a Judice imponendam restituat æstimationem arboris, quam habuit ante cæsionem.

Quæritur 2. Quid Jure Bavarico statutum sit de jure *pascendi*?

Respondeo. l. 3. Tit. 14. in der Landund Policey-Ordnung permittitur pascuum pecorum in communibus pascuis immediate post festum D. Georgii. Item nulli permissum est plura deducere pecora in communia pascua, nisi quæ sustentare possit fæno non coempto durante hyeme. Idem statuitur de ovibus.

Quæritur 3. An hæ leges obligent in Conscientia etiam ante sententiam Judicis?

Respondeo Affirmative. Ratio est 1. quia Princeps potest & vult disponere de dominio tam lignorum quam pascuorum; ergo alterius jus quoad hoc læditur; adeoque tenetur violans ad restitutionem, si tantum sit damnum, ut dominus usufructuarius censeatur eam urgere. 2. Princeps dicit, eum *furari*, qui cædit ligna in sylva interdicta; ergo

go revera vult disponere de dominio lignorum. Quoad jus pascendi autem clarum est, quod communitatibus concedat jus rigorosum prohibendi alios, ne plura pascuis inducant pecora, quam jure permittitur. Verum quia hæc Jura Provincialia in dubiis legis explicanda sunt per jus commune, videamus, quid hac in re de Jure communi liceat.

Quæritur 4. An teneantur ad restitutionem communitati faciendam, qui cum sint pars communitatis, contra legem ligna cædunt in sylva communitatis?

Respondeo cum *Soto* & *Molina* hic Disp. 58. Quod si deprehendantur & damnentur, teneantur quidem etiam in *foro conscientiæ* ad solvendam pœnam; ad nullam tamen teneantur restitutionem comunitati faciendam, nisi damnum esset *notabile*, aut ligna cædantur non pro usu familiæ, sed pro lucro eo fine, ut vendantur, aut applicentur ad usus particulares, vel extraordinarios, v. g. praxatorios. Ratio prioris partis est, quia pœnam nemo tenetur solvere *ante sententiam*; generaliter autem cum illæ leges justæ sint, obligant in conscientia *post sententiam*. Ratio posterioris est; quia ut *Mol.* & *Lugo* hic Disp. 6. n. 86. observant, non est credibile, communitatem velle uti in sua membra eo rigore, quæ ligna cædunt omnibus *communia*. Imo si prohibitio, ut *Molina* addit, esset irrationabilis & manifeste injusta, eo quod forte non relinqueretur oppidanis locus, unde ea commode possent asportare, nulla prorsus esset culpa, nequidem civilis, asportare de communi sylva ligna ad communes & quotidianos usus necessaria; & sic in hoc casu etiam pœna esset injusta.

Quæritur 5. Quid dicendum, si talis oppidanus vel pars communitatis *notabile* intulit damnum?

Respondeo 1. cum *Mol.* l. cc. quod teneatur illud restituere communitati, nisi constaret positive de contraria voluntate communitatis.

Respondeo 2. Quando damnum restituendum est, non est restituendum juxta æstimationem lignorum, dum jam scissa & asportata sunt; sed quantum valent ante cæsionem; neque etiam tunc totum restituere tenetur, eo quod oppidanus partem aliquam sine onere restituendi potuisset scindere, sibique vindicare; solum ergo excessus damni supra id, quod sine restitutionis onere scindere poterat, tenetur restituere. Præterea si damnum illatum excedat valorem lignorum, eo quod v. g. novæ plantæ abscissæ sint, aut quavis alia ratione, tunc in restitutione non ad lignorum valorem, sed ad magnitudinem damni respiciendum est. Cæterum utrum damnum sit *notabile*, prudentis arbitrio attentis circumstantiis relinquitur; id enim quod in sylva parva damnum magnum est, in magna modicum est.

Quæritur 6. Quid dicendum, si oppidani furantur ex sylva communi alterius communitatis?

Respondeo. *Sotus* & *Molina* existimant. Si duo oppida propinqua sint, quorum quodvis habet propriam suam sylvam, mutuoque oppidani unius oppidi furari soleant ligna ex sylva alterius, quod excusentur tam a culpa lethali quam ab onere restitutionis, modo *notabile* damnum non inferant; teneantur tamen ad pœnam post sententiam, si deprehendantur & condemnentur. Ratio illorum est; quia communitates sola pœna videntur esse contentæ; reliqua vero volunt esse aut permittunt in mutuam compensationem, præsertim cum ligna sylvæ, quæ terra sua sponte producit, non tanti fieri consueverint; deberentque ea esse omnibus universim ad usus quotidianos communia, nisi timeretur eorum penuria, quo fit, ut furtum in ejusmodi rebus, licet revera furtum sit, non tantopere æstimari consueverit ut furtum in aliis rebus: neque homines propter illud infamiam incurrant, nec tam acriter puniantur sicut propter alia furta. *Si quem*, inquit *Molina*, *in confessionali deprehenderem, qui cum ligna in communi syva sui oppidi haberet, in aliena sylva ligna scidisset, illum reprehenderem, & ne ulterius ad cædenda ligna pergeret curarem,*

ea tamen dexteritate, ut scrupulum lethalis culpæ, quando damnum non esset notabile, illi non iniicerem. Verum hæc doctrina neutiquam admittenda est, nisi ob negligentiam magistratuum oppidanus in suæ communitatis sylva non amplius inveniat, aut inveniendum timeat, unde pro necessitate propria provideat, & sylva communitatis vicinæ abundet, ita ut præsumatur, eam rationabiliter fore invitam.

Quæritur 7. Unde desumenda sit gravitas peccati in cædendo ligna alienæ sylvæ?

Respondeo. Ex voluntate *præsumpta* illius, qui est dominus sylvæ. Ita *Sotus Medina* & *Molina*, qui l. cc. in conclusione quinta ait: *Qui in aliena prorsus sylva sine alicujus communitatis, sive domini privati ligna contra voluntatem domini cæderet, teneretur pœnam solvere, si deprehenditur ac condemnatur, restituereque valorem lignorum, quanti æstimarentur in ipsa sylva antequam scinderentur, & peccaret lethaliter, nisi exiguitate damni dati a tanta culpa excusaretur. - - - Cum enim, qui ea scindit & usurpat, verum furtum committat, sane ultra peccatum ad omnia illa tenetur. Est tamen cum citatis Doctoribus* (Soto & Medina) *observandum, eos qui ita scindunt ligna, non plus teneri ad damni solutionem, quam juxta præsumptam dominorum sylvæ voluntatem, quæ ex statutis eorum, fama & usu magna ex parte deprehenditur: qua in re mitiores solent esse communitates quam domini privati*. Ita Molina.

Quæritur 8. Quid dicendum de eo, qui depascitur aliena pascua?

Respondeo cum *Molina* Disp. 59. Qui pascua suæ vel alienæ communitatis, uni alicui duntaxat homini privato ad pastum concessa, cæteris autem prohibita, suis pecoribus depascitur, tenetur solvere pœnam, si deprehensus condemnetur; peccat etiam *lethaliter* si damnum sit *notabile*; & ad restitutionem damni tenetur, prout fuerit *præsumpta* illius voluntas, cui facienda est restitutio. Ratio ferme est eadem quæ de lignis.

Quæritur 9. Quid dicendum de eo, qui depascitur loca sibi cum aliis ad pastum communia, attamen contra præscriptas leges?

Respondeo Cum *Molina*, eum quidem teneri ad solvendam pœnam *post sententiam*; non tamen teneri ad restituendum damnum, nisi illud esset *notabile* ac extraordinarium.

Quæritur 10. Ad quam oporteat respicere regulam, dum in similibus quæritur de præsumpta dominorum voluntate?

Respondeo. Respiciendum tantum esse ad duo; nempe ad taxationem damni, quæ sumenda est ab æstimatione ipsius rei, & ad certum jus domini læsi, cui per solutionem incertam, seu tantum probabilem satisfieri nequit. Hinc Confessarii imponant compensationem certo commensuratam damno, saltem si intercessit culpa Theologice gravis.

§. VIII.

De variis modis aquirendi Dominium Jure Gentium.

QUæritur 1. Quid sit jus Gentium?

Respondeo. *Jus Gentium* est, quod libero hominum consensu apud omnes vel plerasque Gentes agnitum & usitatum est. Descendit hoc jus ex *jure naturali* per modum consequentiæ, non necessariæ quidem, naturaliter autem per modum proprietatis ad melius esse humani generis exigitæ: & hinc cum *jus naturale* nemini sit ignotum, fit ut talia juris naturalis corollaria tranquillitatem publicam attingentia a paucis gentibus ignorentur.

Quæritur 2. Quot sint modi jure Gentium aquirendi rerum dominium?

Respondeo. Undecim. 1. Nativitas. 2. alluvio. 3. specificatio. 4. accessio. 5. confusio. 6. commixtio. 7. inædificatio. 8. plantatio. 9. satio. 10. scriptio. 11. traditio. Circa totam hanc materiam consule tit. 1. Lib. 2. *de rerum divisione* in Institut. unde fere omnia ad verbum desumpta sunt.

Quæritur 3. Quomodo aquiratur dominium *per nativitatem?*

Respondeo. Per hoc, quod jure Gentium omnis res fructificet suo domino; hinc *ea quæ ex animantibus dominio tuo subjectis nata sunt, tibi aquiruntur*; ut habetur §. *item ea* 19. *J. de rerum divis.* Et universim *partus sequitur ventrem*, l. *partum* 7. C. *de rei vindicatione*. Sicut & fructus sequitur arborem, & arbor fundum.

Quæritur 4. Quomodo aquiratur dominium *per alluvionem?*

Respondeo. Per hoc, quod quidquid per alluvionem agro tuo fluvius adjecerit, jure gentium tibi aquiratur, prout habetur §. 20. l. cc. Est autem *alluvio* incrementum latens; & hinc per alluvionem illud adjici dicitur, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quovis momento adjiciatur. Dein §. 21. ita pergit Imperator: *Quod si vis fluminis de tuo prædio aliquam partem* (*notabilem*) *detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam est, eam tuam permanere. Plane si longiori tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque quos secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore vicini fundo videntur aquisitæ esse*. Et §. 23. *Quod si naturali alveo in universum derelicto ad aliam partem flumen fluere cœperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam ejus prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque agri, quo latitudo prope ripam sit; novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus & ipsum flumen est, id est, publicus. Quod si post aliquod tempus ad priorem alveum rursum flumen reversum fuerit, novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident*. Item §. 24. *Alia sane causa est, si alicujus totus ager inundatus fuerit; neque enim inundatio fundi speciem commutat; & ob id si recesserit aqua, palam est, eum fundum ejus manere, cujus & fuit*. Ita Imperator, & hæc sufficiunt Theologis; juris enim apices in hac re relinquuntur Juristis.

Quæritur 5. Quomodo aquiratur dominium *per specificationem?*

Respondeo. *Specificationem* esse materiæ in aliam moraliter speciem transformationem. Talis specificatio, prout Imperator ait §. 25. l. cc. datur, *si quis* E. gr. *ex alienis uvis & olivis aut spicis vinum aut oleum aut frumentum fecerit*; - - *vel ex alieno vino & melle mulsum miscuerit; vel ex medicamentis alienis emplastrum aut collyrium composuerit; vel ex aliena lana vestimentum texuerit; vel ex alienis tabulis navem vel armarium vel subsellium fabricaverit*. - - *Si ea species ad priorem & rudam materiam reduci possit, placuit eum videri dominum esse, qui materiæ dominus fuerit: Si vero non possit reduci, eum potius intelligi dominum qui fecit; ut ecce! vas conflatum ad rudem materiam æris, argenti vel auri reduci potest; vinum autem vel oleum aut frumentum ad uvas vel olivas vel spicas reverti non potest*. - - *Est ergo dominus materiæ dominus quoque vasis argentei; dominus autem uvarum non est dominus vini, sed tenetur tantum alteri cognito errore de pretio materiæ*. - - *Quod si quis partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit, veluti ex vino suo & melle alieno mulsum miscuerit &c. dubitandum non est, hoc casu eum esse dominum qui fecerit; cum non solum operam suam dederit, sed & partem ejusdem materiæ præstiterit*. Hucusque Imperator l. cc. Similia habentur l. 24. ff. *de aquirendo rerum dominio*, ubi dicitur: *In omnibus quæ ad eandem speciem reverti possunt, dicendum est, si materia manente species duntaxat mutata sit, veluti si ex ære meo statuam aut argento scypham fecisses, me eorum dominum manere*.

Quæritur 6. Quid sit *accessio*, & quomodo per eam aquiratur dominium?

Respondeo. *Accessionem* fieri, *dum quis* v. gr. *alienam purpuram vestimento suo intexuerit*. In tali autem casu, ut ait Imperator §. 26. Ibidem, *licet pretiosior sit purpura, accessionis tamen vice hæc cedit vestimento; & qui dominus fuit purpuræ, adversus eum qui surripuit, habet furti actionem & condictionem, sive ipse sit qui vestimentum fecit sive alius: nam extinctæ res, licet vindicari non possint, condici tamen a furibus & quibusvis aliis possessoribus possunt*.

ſunt. Non autem fit acceſſio, ſi quis v. g. lanam alienam colore tinxerit, ita ut priſtinum colorem perdiderit, nec ad illum reduci poſſit; manet enim lana ſic tincta illius, cujus antea fuit, ut patet ex l. 26. §. ult. ff. *de aquir. rerum dominio*, ubi dicitur: *Si meam lanam feceris purpuram, nihilominus meam eſſe Labeo ait; quia nihil intereſt inter purpuram & eam lanam, quæ in lutum aut cœnum incidiſſet, atque ita priſtinum colorem perdidiſſet.*

Quæritur 7. Quid ſit *confuſio*? & quale per eam dominium aquiratur?

Reſpondeo. *Confuſionem* fieri, ſi materiæ *fluidæ* duorum dominorum confuſæ ſint. *Quod ſi pari voluntate confuſæ fuerint, totum id corpus, quod ex confuſione conſurgit, utriuſque commune eſt; veluti ſi qui vina ſua confuderint, aut maſſas argenti vel auri conflaverint. Sed & ſi diverſæ materiæ ſint, & ob id propria ſpecies facta ſit, forte ex vino vel melle mulſum, aut ex auro & argento electrum, idem juris eſt. - - Quod ſi fortuito & non voluntate dominorum confuſi fuerint, vel ejuſdem generis materiæ vel diverſæ, idem juris eſſe placuit.* Ita Imperator §. 27. Ibid.

Quæritur 8. Quid juris in *commixtione*?

Reſpondeo. Si duæ materiæ *ſolidæ* e. gr. *frumentum Titii frumento tuo mixtum fuerit, ſiquidem voluntate veſtra, commune eſt; quia ſingula corpora, id eſt, ſingula grana quæ cujuſque propria fuerint, conſenſu veſtro communicata ſunt. Quod ſi caſu id mixtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe; quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant - - ſed ſi ab alterutro veſtrum totum id frumentum retineatur, in rem quidem actio pro modo frumenti cujuſque competit; arbitrio autem Judicis continetur; ut ipſe æſtimet, quale cujuſque frumentum fuerit.* Ita §. 28. l. cc. Eſt igitur hoc diſcrimen inter *confuſionem* & *commixtionem*, quod in *commixtione* adhuc ſingulæ partes ita maneant diſtinctæ, ut de nulla in individuo dici poſſit, quod prius fuerit utriuſque domini; ſed adhuc de ſingulis granis verum maneat, quod fuerit alterius tantum, etiamſi incertum ſit, cujuſnam ſit vel fuerit. In *confuſione* autem partes ita confunduntur, ut nulla pars maneat diſtincta ab altera, ut contingit v. g. in vinis confuſis.

Quæritur 9. Quomodo aquiratur dominium per *inædificationem*?

Reſpondeo. §. 29. ibidem ſic habetur: *Cum in ſuo ſolo quis domum ex aliena materia ædificarit, ipſe intelligitur dominus ædificii; quia omne, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, deſinit dominus ejus eſſe; ſed tantiſper neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere propter legem duodecim tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, ſed duplum pro eo præſtet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto. - - Quod ideo proviſum eſt, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit. Quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, poterit materiæ dominus, ſi non fuerit duplum jam conſecutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.* Dein §. 30. ibidem: *Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificarit, illius fit domus, cujus & ſolum eſt. Sed hoc caſu materiæ dominus proprietatem ejus amittit, quia voluntate ejus intelligitur eſſe alienata; utique ſi non ignorabat, ſe in alieno ſolo ædificare. Et ideo licet diruta ſit domus, materiam tamen vindicare non poteſt. - - Si vero in poſſeſſione ſit conſtitutus ædificator, & ſoli dominus petat domum ſuam eſſe, nec ſolvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum, conſtat poſſe eum* (ſoli dominum) *per exceptionem doli mali repelli; utique ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificavit.*

Quæritur 10. Quomodo aquiratur dominium per *plantationem*?

Reſpondeo §. 31. ſic habetur: *Si Titius alienam plantam in ſolo ſuo poſuerit, ipſius erit: & ex diverſo: ſi Titius ſuam plantam in Mævii ſolo poſuerit, Mævii planta erit: ſi modo utroque caſu radices egerit: antequam enim radices egit, ejus permanet cujus fuerat. - - Et ideo prope confinium arbor poſita, ſi etiam in vicini ſun-*

fundum radices egerit, communis fit.

Quæritur 11. Quomodo aquiratur dominium per *sationem?*

Respondeo §. 32. sic dicitur: *Qua ratione plante quæ terræ coalescunt, solo cedunt, eadem ratione frumenta quoque quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur. Cæterum sicut is, qui in alieno solo ædificavit, si ab eo dominus petat ædificium, defendi potest per exceptionem doli mali secundum ea quæ diximus, ita ejusdem exceptionis auxilio tutus esse potest is, qui alienum fundum sua impensa* (bona fide) *conseverit.*

Quæritur 12. Quomodo aquiratur dominium per *scriptionem* aut picturam?

Respondeo §. 33. sic habetur: *Literæ quoque licet aureæ sint, perinde chartis membranisve cedunt, ac solo cedere solent ea, quæ inædificantur aut inseruntur.* Ita Imperator §. 33. l' cc. Verum hic observandum est, consuetudinem esse contrariam; per hanc enim charta cedit scripturæ. Unde qui in aliena charta scripsit, satisfacit si reddat chartam æque bonam aut pretium illius. Quod picturam attinet, si quis in aliena tabula pinxerit, pergit Imperator §. 34. *Nobis videtur melius esse tabulam picturæ cedere. - - Unde si a domino tabulæ imaginem possidente is qui pinxit eam, petat, nec solvat pretium tabulæ, poterit per exceptionem doli mali submoveri. At si is qui pinxit, eam possideat, consequens est, ut utilis actio domino tabulæ adversus eum detur: quo casu si non solvat impensam picturæ, poterit exceptione doli mali repelli.*

Quæritur 13. Quomodo & quando aquiratur dominium per *Traditionem?*

Respondeo. Tunc cum dominus alteri rem suam tradidit animo in eum transferendi dominium. Nam l. 9. §. 3. ff. *de aquir. rerum dominio* dicitur: *Hæ quoque res, quæ traditione nostræ fiunt, jure gentium nobis aquiruntur; nihil enim tam conveniens est naturali æquitati quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi. Nihil autem interest, utrum ipse dominus per se tradat alicui rem an voluntate ejus aliquis.*

Quæritur 14. Quomodo aquiratur dominium bonorum naufragio ereptorum?

Respondeo. Illa apud gentes barbaras censebantur statim esse nullius; adeoque cedebant primo occupanti. Verum cum id esset contra æquitatem naturalem societatis civilis, Pontifex diripientes bona naufragorum excommunicavit. C. *excommunicationi* 3. *de raptoribus*, ubi dicitur: *Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere.* Consonat Juri Canonico Jus quoque Civile, quod l. *quo naufragium* 3. ff. *de incendio*, ait: *Quo naufragium fit vel factum est, si quis rapuerit, incidisse in hoc edictum videatur. Qui autem rem in littore jacentem, postcaquam naufragium factum est, abstulit, in ea conditione est, ut magis fur sit quam hoc edicto teneatur.* Dein l. 5. Ibid. *Jacentem quoque rem ex naufragio, quæ fluctibus expulsa est, si quis abstulerit, plerique idem putant: quod ita verum est, si aliquod tempus post naufragium intercessit; alioquin si in ipso naufragii tempore id acciderit, nihil interest, utrum ex ipso mari quisque rapiat an ex naufragiis, an ex littore.*

Quæritur 15. Cujus dominio cedat nova Insula in mari vel flumine?

Respondeo Cum *Lug.* hic Sect. 13. n. 154. Insulam in *mari* de novo apparentem nullius esse; adeoque fieri primo occupantis. Si vero appareat in *medio fluminis*, fit eorum, qui utrinque è regione prædia habent, inter quos debet dividi. Si autem Insula propinquior fuerit uni ripæ quam alteri, tota cedit illis, qui e regione prædia habent. Addit *Molina*; Si insula primo nata est e regione unius prædii & postea ita extendatur, ut jam sit ex regione alterius prædii, adhuc perseverare totam sub dominio illius, cujus primo fuerat; quia augmentum illud accrescit insulæ jam habenti suum dominum, adeoque & augmentum cedit domino prioris insulæ. Si vero fluvius ita dividatur, ut ex tuo agro qui erat, in ripa insulam faciat, adhuc

adhuc ager tuus esse perseverat. Si flumen suo communi alveo derelicto divertat per aliam partem, alveus antiquus accrescit iis, qui agros utrinque habent, inter quos dividendus est. Alveus vero postmodum denuo occupatus fit publicus, vel ejus, cujus prius erat fluvius, ut proin, si post longum tempus fluvius ad suum alveum redeat, non redeat alveus ad dominos ipsius alvei.

Quæritur 16. An id, quod per alluvionem, aut novam insulam, aut alveum agro accrescit, intelligatur accrescere non soli domino proprietatis, sed etiam *usufructuario*, *emphiteutæ* & *feudatario*, ita ut habeant idem jus ad illud incrementum patens vel latens, quale habent in agrum?

Respondeo. *Usufructuario* accrescit incrementum *latens*, non vero *patens*. Ita habetur l. *item si fundi* 9. § *huic vicinus*. ff. *de usufructu & quemadmodum*. Feudatario autem, & multo magis emphiteutæ, nisi contraria sit lex particularis aut consuetudo, accrescit incrementum tam patens quam latens. Ita Doctores communiter cum *Lug.* n. 156. l. cc

Quæritur 17. An etiam præscriptio pertineat ad modos aquirendi dominium jure gentium?

Respondeo. Præscriptio ex suo genere, prout etiam comprehendit jura Regnorum & possessionem rerum longissimi temporis v. g. centum annorum, si habeat legitimas conditiones, pertinet ad jus Gentium; quia in omnibus gentibus salus Reipublicæ exigit, ut ejusmodi possessiones conserventur suis possessoribus, prout in §. sequente dicetur.

§. IX.

De modo aquirendi Dominium per præscriptionem.

Quæritur 1. Quid sit *præscriptio*? *Respondeo*. *Præscriptio*, seu ut etiam vocari solet, *usucapio* recte definitur, quod sit *aquisitio dominii per continuationem possessionis tempore & modo a legibus definito*. Ita quoad rem *Modestinus* l. *Usucapio* 3. ff. *de usurpationibus & usucapionibus*. Sensus est, quod ille, qui rem alienam longo aliquo tempore & modo a lege definito possidet, eo ipso aquirat illius dominium, ita ut deinceps sit liber ab omni actione ac vindicatione prioris domini.

Nota: Etsi to *usucapio* solum circa res *mobiles*, to præscriptio vero circa res *immobiles* ab aliquibus majoris acribiæ tenacioribus adhiberi & usurpari soleat, in Jure tamen ambo vocabula idem sonant, ut patet ex l. 3. cit. Porro *usucapio* dupliciter sumi solet, scilicet vel *in fieri* vel *in facto esse*. *Primo modo* usucapere dicitur aliquis rem alienam, dum eam possidet tempore ad præscriptionem requisito nondum completo. *Secundo modo* usucapere aliquis rem dicitur, dum tempore debito jam completo dominium rei possessione aquisivit, & tunc *proprie* dicitur is rem *usucepisse*; prius enim res non *capta erat*, sed disponebatur ut *capi posset*.

Quæritur 2. Cur Legislator voluerit vero domino tollere dominium rei suæ, & illud transferre hoc modo in alium?

Respondeo. Id factum esse 1. ac præcipue, ne rerum dominia diu aut fere semper remanerent incerta, ut habetur l. 1. ff. *de usurp. & usucap.* 2. Ne possessores perpetuo propemodum vexarentur timore amittendi rem possessam. 3. *Ut esset aliquis finis litium*. 4. Ne homines in rebus ac juribus suis conservandis segnes ac negligentes essent.

Quæritur 3. An præscriptio valeat etiam pro foro interno?

Respondeo Affirmative. Ita hodie fere omnes Theologi & Juristæ.

Probatur Si Princeps aut Respublica habet absolute *potestatem* in tali casu transferendi dominium, illudque actu *voluit* transferre etiam pro foro interno, tunc valet; sed; ergo. *Min. quoad* 1. *membr. prob.* Princeps potest transferre dominium ab uno ad alterum, quandocunque id exigit ratio boni publici, qualis datur in præsenti casu, ut patet ex dictis; ergo. *Min. quoad* 2. *membr. patet* ex hoc ipso communi sensu Doctorum & praxi hominum, quæ si non est authen-

thentica interpres legis veteris, saltem fundat legem novam.

Quæritur 4. An qui rem alienam legitime præscriptam restituit priori domino ex ignorantia juris & dominii a se aquisiti, possit eam repetere?

Respondeo. Affirmative, ita communis. Ratio est; quia talis nunquam habuit *absolutam* voluntatem transferendi dominium illius rei in alterum, sed tantum *conditionatam*, si videlicet res non sit sua; ergo cum conditio non impleatur, non transferet absolute dominium.

§. X.

De conditionibus ad legitimam præscriptionem requisitis, præsertim de bona fide.

QUæritur 1. Quæ requirantur conditiones ad legitimam præscriptionem?

Respondeo quinque. Nimirum 1. bona fides. 2. justus titulus. 3. capacitas rei ad præscribendum. 4. possessio. 5. tempus possessionis legitimum. Hæ conditiones comprehenduntur sequenti versu: *Æqua fides, justus titulus, res non vitiosa, tempore præscripto, possessio continuetur.*

Quæritur 2. Quid sit bona fides?

Respondeo. Bona fides est prudens judicium, quod res quam incipit quis possidere aliquo justo titulo v. gr. emptionis, sucessionis ab intestato, donationis &c. sit sua. Talis autem bona fides potest esse *directa* aut *reflexa*. *Directa* est, qua positive credit rem esse suam. Objectum proin hujus fidei seu *judicii directi materiale* est ipsa proprietas rei, formale objectum sunt motiva seu rationes sibi asserendi proprietatem. *Reflexa* est (quam alii *theologicam* vocant, quia formata est per reflexionem theologicam supra dictamen directum) est illa, qua non obstante dubio speculativo an res sit sua, attamen quis se resolvit judicio saltem moraliter certo, hic & nunc sibi licitum esse, ut inchoet vel continuet possessionem rei. Ex hoc patet, objectum *materiale* hujus fidei seu judicii reflexi esse *licentiam* pro foro interno inchoandi, & continuandi possessionem, & transferendi per præscriptionem dominium; objectum autem formale esse motiva seu rationes asserendi sibi hanc licentiam & jus stante dubio speculativo. Porro si inculpabiliter judicet rem esse suam vel licitam possessionem, simpliciter dicitur *bona fides*. Si vero aut judicet, se non posse licite rem possidere ut suam, aut culpabiliter & ex ignorantia vincibili id judicet, dicitur *mala fides*. Censetur autem ignorantia esse *vincibilis*, si in inquirendo vero domino non adhibeat eam diligentiam, quam solent adhibere homines in rebus magni momenti, aut quam spectatis regulis prudentiæ debuerat adhibere.

Quæritur 3. Qualis requiratur bona fides ad *inchoandam* præscriptionem?

Respondeo. Ad *inchoandam* præscriptionem requiritur & sufficit fides positive bona, seu judicium *probabilius*, quo quis judicet, se rem juste possidere posse, v. g. si quis emit equum aut hæreditate obtinuit prædium, debet *probabilius* judicare, quod equus non fuerit furto ablatus aut alio modo injusto abductus &c.

Quæritur 4. Qualis requiratur bona fides ad *continuationem* possessionis?

Respondeo. Ad *continuandam* possessionem requiri *bonam fidem* etiam *positive* talem, nec sufficere *bonam fidem negative talem*.

Quæritur 5. Qualis ignorantia, *juris* an *facti*, culpabilis tollat rationem bonæ fidei?

Probatur. Inculpabilis ignorantia *facti* alieni aut juris dubii non obstat bonæ fidei ad præscribendum requisitæ, obstat tamen etiam invincibilis ignorantia facti proprii aut juris certi saltem in personis, ubi ea ignorantia juris non toleratur, & quoad præscriptionem temporis ordinarii. Hic tamen advertendum, quod, si negligentia in inquirendo vero Domino, seu ignorantia fuerit tantum venialiter culpabilis, ea juxta comunem Doctorum teste Lugone non obstet bonæ fidei.

Quæritur 6. An & quomodo mala

fides

fides Authoris noceat etiam successori?

Respondeo Malam fidem Authoris non nocere successori particulari v. g. emptori, donatario, legatario, nisi res sit furtiva; nocet tamen successori universali.

Quæritur 7. Utrum mala fides *Prælati* aut *Rectoris* in ordine ad præscriptionem noceat Monasterio aut Ecclesiæ?

Respondeo. Cum *Haunoldo* & aliis, non nocere. Ratio est; quia *Prælatus* ad bona Monasterii se habet eodem modo, sicut *Tutor* aut *Curator* ad bona pupilli; ergo sicut mala fides tutoris aut curatoris non nocet pupillo, quin possit præscribere, ita nec mala fides *Prælati* nocebit Ecclesiæ. Observa tamen, in tali casu Prælatum obligari, ut moneat Capitulum, quod res sit aliena; alioquin ipse, si sit Prælatus sæcularis, tenetur ad restitutionem domino rei, quæ præscribitur.

Quæritur 8. An mala fides quoad unam partem rei possessæ v. g. fundi noceat bonæ fidei quoad alteram partem fundi?

Respondeo 1. Cum *Lol. Pess. Lal. Mug.* non nocere. Hinc qui habet bonam fidem de usufructu, & malam fidem de proprietate rei potest præscribere usumfructum, quin præscribat jus proprietatis. Ratio est; quia in ordine ad illam partem præscribitur, in ordine ad quam habetur bona fides.

Respondeo 2. Malam fidem respectu unius personæ impedire præscriptionem respectu alterius v. g. qui putat rem esse Titii, cum revera sit Caij, non potest præscribere eam rem, quia adhuc simpliciter habet conscientiam rei alienæ, licet erret quoad personam.

Quæritur 9. In quibus casibus possit aliquo modo præscribi cum *mala fide*?

Respondeo. *Haunoldum* & alios afferre sequentes casus, in quibus tamen revera non intercedit mala fides seu *conscientia rei alienæ* a se possessæ, sed tantum conscientia de *negligentia aliena* in usu sui juris. Nimirum 1. præscribitur actioni, quæ ex lege pœnali vel Judicis præcepto oritur ad pœnam; quia si reis intra debitum tempus non infligitur pœna, præscriptio est completa, & jus infligendi pœnam extinguitur. Ita communis. 2. Præscribuntur merces quinquennali præscriptione, quæ ob non solutum vectigal ipso jure commissæ esse sciuntur. Nam si ante quinquennium non repetantur a fisco jam sunt liberæ a fisco. Aliud esset, si intra quinquennium exigerentur a fisco & dolo occultarentur; tunc enim jam quis haberet conscientiam rei alienæ. Supponitur autem in hac responsione legem vectigalium esse tantum pœnalem. Quæ suppositio circa vectigalia justa causa boni publici inducta non est vera. 3. Præscribitur libertas adversus servitutes rusticas intra decem annos, quando scilicet ille, qui habet servitutem in agro alieno intra certum tempus non utitur; quia licet quis sciat se præscripturum, si alter pergat non uti jure suo, non tenetur illum monere de hac sua negligentia. Verum in hoc casu neutiquam concedendum est, præscribi servitute, quia imprimis uti servitute est facultatis liberæ; dein jus immunitatis a servitute nunquam in hoc casu bona fide possidetur, ita ut posset arcere ab usu servitutis volentem uti servitute. 4. Venditor præscribit actioni redhibitoriæ, qua emptor, qui si scivisset rei venditæ vitium, eam non fuisset empturus, agere potest intra 6. menses ad redhibitionem & venditionem rescindendam de Jure communi, de Jure Bavarico autem tantum intra 14. dies. In hoc ergo casu quoad *forum contentiosum* datur præscriptio, ne emptor in judicio possit instituere actionem, licet in foro conscientiæ deceptor teneatur aliis modis satisfacere decepto.

§. XI.

De possessione & titulo ad præscriptionem requisitis.

QUæritur 1. Quid sit possessio ad præscriptionem requisita?

Respondeo. Quod sit rei detentio, *corporis*, *animi*, & *juris adminiculo*. Ita communis. Molina tamen, Lugo, Haunoldus & alii in definitione ponunt

nunt *rei corporalis*, per quod insinuant in rigore tantum dari possessionem *rei corporeæ*. *Dicitur* imprimis *adminculo corporis*, dum scilicet quis rem vel apprehendit manibus vel eidem insistit pedibus per se vel per alium. 2. *Adminiculo animi*; inquantum possessor vult detinere rem tanquam *suam*, & vult haberi pro domino rei. 3. *Adminiculo juris*; inquantum jus non resistit possessioni, sed vult possessorem gaudere omnibus privilegiis alioquin Possessori justo concessis.

Quæritur 2. Quotuplex sit possessio?

Respondeo. Eam dividi 1. in *veram*, & *fictam*. *Vera* est, quæ fit revera manuum, pedum, aut corporis adminiculo. *Ficta* est, quæ tantum fit fictione juris, dum scilicet aliqua actio ex dispositione juris corporali possessioni æquivalet: talis ficta possessio aquiritur per traditionem clavium, scripturæ, instrumenti &c. postquam res ipsa jam vendita aut alio modo alienata est. 2. in possessionem *justam* & *injustam*. *Justa* est, quæ nititur legitimo titulo. *Injusta*, quæ tali titulo est destituta: hanc posteriorem aliqui vocant *possessionem facti*, & priorem *possessionem juris*; alii tamen, qui hos terminos aliter accipiunt, dividunt ulterius & quidem melius possessionem. 3. in possessionem *facti* & *juris*. Possessionem *facti* vocant omnem possessionem sive justam sive injustam; per possessionem vero *juris* intelligunt ipsum jus rem sic detinendi ac possidendi. 4. in possessionem *bonæ fidei* & *malæ fidei*. *Bonæ fidei* est, qua quis inculpabiliter judicat rem esse suam quam possidet; *malæ* autem *fidei* est, qua judicat rem esse alterius, aut *culpabiliter* judicat rem esse suam. 5. in possessionem *naturalem*, *civilem* & *compositam* seu *mixtam*. *Naturalis* est, qua quis rem ab alio civiliter tantum adhuc possessam detinet adminiculo corporis & animi. *Civilis* est, qua quis rem semel a se animi & corporis adminiculo possessam nunc nec per se nec per alium *corporis* adminiculo possidet, eandem tamen adhuc possidet adminiculo *animi*, inquantum adhuc habitualiter vult rem haberi pro sua. *Composita* seu *mixta* est, qua quis rem a nullo alio possessam simul civiliter & naturaliter possidet.

Quæritur 3. Qualis requiratur possessio ad præscriptionem.

Respondeo 1. Ad præscriptionem *inchoandam* non sufficit mere *naturalis*, requiritur *civilis* & *naturalis* simul. Ratio est; quia alias puo possent simul eodem tempore rem præscribere, dum unus haberet possessionem *naturalem*, alter *civilem*. Dein possessio *civilis*, non vero *naturalis* vocatur *simpliciter possessio*; ut colligitur ex l. *clam possidere* 6. §. 1. ff. *de aquir. & amitt. possess.*

Respondeo 2. Ad *continuandam* præscriptionem sufficit possessio solum *civilis*. Ratio est quia alias vix ullus posset præscribere; cum non semper possit possidere rem corporaliter, nunquam egrediendo ex fundo, nec semper loco sui constituere administratorem.

Quæritur 4. Utrum possessio ad præscriptionem requisita debeat esse *continua*, vel sufficiat etiam *interrupta*?

Respondeo. Debere esse *continuam*, ut passim constat ex utroque Jure. Unde si interrumpitur possessio, interrumpitur etiam præscriptio, huic tamen continuationi non obstat, quod tempus intermedium aliquando habeatur pro *inutili*, quo dormit, seu non *currit* præscriptio, modo non interveniat aliquod impedimentum, quo impeditur possessio naturalis aut civilis.

Quæritur 5. An ad præscriptionem requiratur possessionis continuatio ab uno eodemque possessore?

Respondeo. Cum communi possessionem posse continuari a diversis, modo eorum quilibet possit rem præscribere. Ita constat ex §. 12. & 13. Instit. *de Usucap.* Hinc si ad præscriptionem requiruntur decem anni, & Titius eam possidet quinque annis, ac postea eam venderet Cajo, poterit Cajus uti *accessione temporis*, ita ut adjecto quinque annorum spatio compleat præscriptionem decennalem.

Quæritur 6. An ad præscriptionem sufficiat, si quis rem possidet *alieno nomine*?

Re-

Respondeo. Ad hoc, ut quis sibi rem alienam præscribat, non sufficere, quod illam possideat alterius nomine. Ratio est; quia qui alterius tantum nomine rem possidet, non dicitur *simpliciter* rem possidere, ut ostendit *Lessius* hoc loco. Hinc conductor, commodatarius, pignoratarius non possunt sibi præscribere rem conductam, commodatam aut oppignoratam; neque tutor, curator, servus aut filius familias res pupilli, domini, patris &c. Idem dicendum de emphitevta & usufructuario, qui non possunt præscribere dominium *directum*, licet possint præscribere dominium *utile*, Idem dic de habente precarium vel precariam.

Quæritur 7. Quid si *titulus*?

Respondeo. *Titulus*, prout hic sumitur, est fundamentum & causa possidendi rem alias idoneam ad aquirendum dominium. Talis titulus est emptio, hæreditas, donatio & plures alii, de quibus agitur Lib. 41. ff. & L. 7. c.

Quæritur 8. Quotuplex sit titulus?

Respondeo. Quadruplex. 1. verus. 2. coloratus. 3. existimatus. 4. præsumptus. *Verus* est, quando talis causa revera & valide existit, ut si emptio vere ac valide facta sit. *Coloratus* est, quando causa illa revera quidem existit, sed ob aliquem defectum non fuit valida, aut si res fuit aliena, aut furto ablata. Exemplum est, si res quidem empta ut donata est; sed invalide, ob resistentiam juris v. g. si vendita est a pupillo, religioso non habente potestatem. *Existimatus* est, quando causa illa revera non existit, putatur tamen existere, ut si res donata aut empta non est, putatur tamen esse empta aut donata. *Præsumptus* est, quando ejusmodi causa determinate assignari non potest, & forte re ipsa non existit, a jure tamen præsumitur existere. Alii quandoque aliter hos terminos explicant, nos iisdem utimur in sensu explicato.

Quæritur 9. Qualis ad præscriptionem requiratur titulus?

Respondeo 1. Non requiritur *verus*, sed sufficit *coloratus*. Ratio est; quia si requireretur *verus* titulus, non opus foret præscriptione.

Respondeo 2. Sufficit etiam titulus *existimatus*; quando falsa existimatio procedit ex errore justo, seu a legibus tolerato; error autem *a legibus* toleratur solum ille, qui versatur circa factum *alienum*, non vero qui versatur circa factum *proprium*. E. G. si probabili errore putes, quod servus vel procurator, cui id in mandatis dedisti, rem emerit, quam tibi tradidit, dabitur error a legibus toleratus utpote versans circa factum *alienum*: econtra si putes te emisse, error non toleratur a legibus utpote de facto *proprio*. Hinc usucapies quidem rem in casu priori ob titulum saltem *existimatum*, scilicet emptionem a servo, uti existimas, celebratam, non vero in casu posteriori. *Probatur responsio* 1. ex l. *si existimans* 48. ff. *de usurpationibus*, ubi dicitur: *si existimans debere tibi, tradam, ita demum usucupio sequitur, si & tu putes debitum esse. Aliud si putem, me ex causa venditi teneri, & ideo tradam; hic enim nisi actio præcedat, pro emptore usucapio locum non habet*. Ita lex. Ergo in omnibus aliis possessionibus excepto solo contractu *emptionis* sufficit titulus *existimatus*; quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. *Probatur* 2. ex l. *quod vulgo* 11. ff. *pro emptore*, ubi sic habetur: *Quod vulgo traditum est, eum qui existimat se quid emisse, nec emerit, non posse pro emptore usucapere, hactenus verum esse ait Africanus JCtus, si nullam justam causam ejus erroris emptor habeat; nam si forte servus vel procurator, cui emendam rem mandasset, persuaserit ei se emisse, atque ita tradiderit, magis esse, ut usucapio sequatur*. *Probatur* 3. ex. l. *Usucapio* 5. ff. *pro suo*. *Usucapio rerum etiam ex aliis causis concessa, interim propter ea, quæ nostra existimantes possidemus, constituta est, ut aliquis litium finis esset; sed id, quod quis, cum suum esse existimaret, possederit, usucapiet, etiamsi falsa fuerit existimatio ejus; quod tamen ita interpretandum est, ut probabilis error possidentis usucapioni non obstet, veluti si ob id aliquid*

pos-

possideam, quod servum meum - - emisse id falso existimem, quia in alieni facti ignorantia tolerabilis error non est.

Quæritur 10. An ad præscribendum tempore *ordinario* sufficiat titulus *præsumptus?*

Respondeo. Negative; requiritur enim *existimatus*. *Id probatur*; quia in præscriptione *ordinaria* titulus non præsumi sed allegari debet. l. *nullo* 24. C. *de rei vindicatione*, ubi dicitur: *nullo justo titulo præcedente possidentes ratio juris quærere dominium prohibet. Idcirco cum etiam usucapio cesset, intentio dominii nunquam absumitur*. Et l. *diutina* 4. C. *de præscript. longi temp.* dicitur: *Diutina possessio tantum jure successionis sine justo titulo obtenta ad præscriptionem prodesse hac sola ratione non potest.*

Quæritur 11. Qualis titulus requiratur ad præscribendum tempore *extraordinario?*

Respondeo Sufficere & requiri titulum saltem *præsumptum*. *Probatur* ex l. *omnes* 4. C. *de prescript. 30. vel 40. ann.* ubi dicitur, non opus esse allegare titulum. *Quicunque*, inquit lex, *super quolibet jure, quod per memoratum tempus* (scilicet 40 ann.) *inconcussum & sine ulla ipsi allata judiciaria contentione possederit, superque sua conditione, qua per idem tempus absque ulla judicialia sententia simili munitione potitus est, sit liber & legis munitione securus*. Idem habetur C. *ad aures 6. de præscriptionibus*. Hoc tamen intelligendum *regulariter*; quia si aliunde resistat jus præscriptioni, aut aliunde detur præsumptio in contrarium, titulus non præsumi, sed etiam in immemoriali præscriptione probari debet.

§. XII.

De tempore ad præscriptionem requisito.

QUæritur 1. Quotuplex sit *tempus* in ordine ad præscriptionem?

Respondeo. Quadruplex. 1. breve. 2. longum. 3. longissimum. 4. immemoriale. *Breve* vocatur, quod est minus decennio. *Longum* vocatur, quod inter præsentes est decem, inter absentes vero viginti annorum. *Longissimum*, quod est 30. 40. vel plurium annorum. *Immemoriale*, de cujus initio non exstat memoria.

Quæritur 2. Quanto tempore præscribuntur res *mobiles* cum titulo?

Respondeo. Res mobiles *ordinarie* præscribi intra triennium. Tales res sunt animalia, pecunia, vestes, gemmæ &c. idque procedit contra omnes personas privatas tam absentes quam præsentes; imo etiam contra Ecclesias Romana inferiores & contra alia loca pia. Requiritur tamen, ut res non sint *furtivæ*, aut *vi possessæ*, & ut interveniat titulus saltem *coloratus* aut *existimatus*. *Probatur responsio* ex l. unic. C. *de usucapione transferenda*, & variis aliis legibus. *Dixi* autem: *dummodo non sint furtivæ*; de his enim aliter statutum est §. *furtivæ* 3. J. *de usucap.* Porro intelligenda est responsio hæc de præscriptione *per se*; quando enim res mobiles præscribuntur *accessorie*, v.g. si cum fundo præscribuntur fructus ex illo percepti, præscribi possunt præscriptione principalis rei, etiamsi tempus triennii quoad fructus tanquam *accessorios* nondum sit elapsum, prout ex l. 26. C. *de usuris* observant *Sanchez* & *Palao*. *Dixi* etiam: *contra Ecclesias Romana inferiores*; quia contra Ecclesiam *Romanam* simpliciter dictam res etiam mobiles non nisi centum annis præscribi docent *Sylv. Pan.* & *Les.* licet oppositum teneant *Molina*, *Sanchez*, *Palao* & *Lugo*.

Quæritur 3. Quanto tempore res *mobiles* præscribantur sine titulo colorato aut existimato?

Respondeo. Per se præscribuntur tricennio seu spatio 30. annorum, & hoc iterum procedit contra personas privatas, imo etiam Ecclesias Romana inferiores. Ratio est; quia de Ecclesiis quoad bona *mobilia* nihil speciale statutum est adeoque eadem præscriptionis jure comprehenduntur; personæ vero privatæ quoad bona mobilia egent 30. annorum spatio ad fundandam *præsumptionem* tituli, ut colligitur ex l. omnes 4. & l. *si quis* 8. c. *de præscript.* 30. *vel* 40. *an.*

Quæritur 4. Quanto tempore præscribantur res corporales *immobiles* concurrente aliquo titulo?

Respondeo. Eas præscribi inter præsentes intra 10. inter absentes intra 20. annorum spatium. Inter tales autem res *immobiles* reputantur prædia, fundi, domus, census, redditus, servitutes, jura & actiones. *Præsentes* vocantur, qui existunt in eadem provincia ac territorio. Quod si is, contra quem præscribitur, partim sit præsens, partim absens, tot anni adjiciendi supra 10. quot annis ex decennio est absens, ita ut semper duo anni absentiæ pro uno anno præsentiæ computentur. Hinc si præsens ille fuerit per quinquennium, postea vero fiat absens, ad præscribendum contra illum non solum requiritur aliud quinquennium, sed integrum decennium. Omnia hæc *probantur* ex pr. §. 1. *de Usu* cap. & lib. 12. C. *de præscript. longi temp.* item aut. *quod si*. C. ibid.

Quæritur 5. Quanto tempore præscribantur res *immobiles* sine titulo existimato?

Respondeo. Eas præscribi contra *privatos* sive præsentes sive absentes 30. annis, ut patet ex l. *sicut in rem* 3. c. *de præscript.* 30. *vel* 40. *an.*

Quæritur 6. Quanto tempore præscribantur res *immobiles* contra Ecclesias?

Respondeo. Contra Ecclesias *Romana inferiores* eas præscribi tam cum titulo quam sine titulo spatio 40. annorum. Idem dicendum de præscriptione contra Monasteria, hospitalia, aliaque loca pia, saltem *regulariter*, ac secluso speciali privilegio; quia si aliquando Jus tali præscriptioni resistit, aut aliunde detur præsumptio in contrarium, debet etiam allegari titulus. Dein ex Concessione *Eugenii IV.* & *Julii II.* contra Monasteria Ordinis S. Benedicti & Congreg. Salvat. præscribi non potest nisi spatio 60. annorum; & ex concessione *Leonis X.* & *Pii IV.* contra Monasteria Cisterc. in Germania præscribi non potest nisi 100. annorum spatio. Cæterum assertio *probatur* ex novell. 111. & pluribus aliis textibus, quibus expresse statuitur, ad præscriptionem talium rerum contra *Ecclesias* requiri 40. annos. Quod vero non requiratur *titulus*, *probatur* ex eo; quia in his legibus nulla fit mentio tituli; dein quia dicunt, ad præscribendum contra Ecclesias tunc requiri 40. annos, quando contra personas privatas requiruntur 30. anni; atqui in præscriptione contra personas privatas spatio 30. annorum non requiritur titulus; ergo nec quoad Ecclesias. Denique quia C. 1. *de præscript.* in 6. tunc solum requiritur titulus, quando præscriptioni resistit jus, vel quando aliunde habetur præsumptio contra præscriptionem controversam; ergo quando non resistit jus tali præscriptioni, non requiritur titulus.

Quæritur 7. Quanto tempore præscribatur contra Ecclesiam Romanam?

Respondeo. Contra eam præscribi sine titulo spatio 100. annorum. *Probatur* ex auth. *quas actiones* C. de SS. Ecclesiis. Item C. 13. & pluribus aliis *de præscript.* Excipiuntur tamen bona immobilia hæreticorum, qui dum viverent, bona Ecclesiæ Romanæ possidebant, & putabantur esse Catholici; hæc enim a Catholicis eorum filiis aut extraneis, quibuscunque, præscribuntur etiam contra Rom. Ecclesiam spatio 40. annorum; ut habetur C. fin. *de præscript.* in 6.

Quæritur 7. Quanto tempore præscribantur bona tam mobilia quam immobilia contra *civitates*?

Respondeo. Ea sine titulo præscribi 100. annis, si illis legata, vendita, vel donata, sed nondum tradita sunt. *Probatur* ex l. *ut inter* 23. C. de SS. Ecclsiis. Hoc privilegium Authores communiter

niter extendunt etiam ad pagos & oppida, item ad Provincias ac Regna saltem quoad ea bona, quæ Principatui aut Coronæ incorporata sunt.

Quæritur 9. Quanto tempore præscribantur bona *vacantia* contra fiscum?

Respondeo. Bona vacantia tam mobilia quam immobilia præscribuntur contra fiscum sæcularem 40. annis *sine titulo*, si ea bona fisco jam tradita aut denuntiata sunt. Si vero eidem nondum sunt denuntiata, præscribuntur *sine titulo* 30. annis: *Cum titulo* autem mobilia præscribuntur triennio, & immobilia decennio inter præsentes; inter absentes vicennio. *Probatur* ex l. *omnes* 4. & l. *competit* 6. C. *de præscript*. 30. vel 40. *ann*. & pluribus aliis textibus juncta glossa. *Dixi* 1. *Bona vacantia*, id est, per mortem alicujus sine legitimo hærede defuncti; bona enim *commissa* & fisco addicta v. g. ob non solutum vectigal, a reo ejusque hæredibus præscribuntur quinquennio, ut habetur l. *neque* 2. C. *de vectigal*. & *commiss*. *Dixi* 2. *contra fiscum sæcularem*; contra *fiscum* enim *Ecclesiasticum* bona immobilia, si tradita aut denuntiata sunt, non præscribuntur, nisi præscriptione 40. annorum. Ex hoc autem patet, falsam esse & iniquam usurpationem fiscalium quorundam in Romano Imperio prætendentium; contra Principem ne quidem tempore mille annorum præscribi posse. An enim fiscus Romanorum Imperatorum erat deterioris conditionis, quam fiscus Principum Romani Imperii?

Quæritur 10. Quanto tempore præscribantur *res incorporales*, ac inprimis Officia, Beneficia, &c.?

Respondeo 1. Non requiri respectu horum idem tempus; Nam *Officia*, seu jus percipiendi certos redditus ex certo Officio, jus illud possidendi, eoque defungendi &c. præscribuntur *cum titulo* inter præsentes per 10. & inter absentes per 20. annos; *sine titulo* autem requiritur tricennium, nisi præscribendum sit contra Ecclesiam aut civitatem. Ratio est: quia talia officia & Beneficia æquiparantur rebus immobilibus.

Respondeo 2. Beneficia *Ecclesiastica* quæcunque bona fide & cum titulo *colorato* pacifice possessa contra quemcunque impetitorem præscribi per triennium, modo ingressus in possessionem ejusmodi Beneficii non fuerit simoniacus, & possessor non vi se intruserit in Beneficium quod reservatione generali Corpori Juris inserta dispositioni Sedis Apostolicæ est reservatum: ut habetur Regula 33. Cancell. Romanæ. In corpore autem Juris reservata tantum sunt illa beneficia, quæ vacant apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana, dum Beneficiatus moritur in Curia Romana.

Respondeo 3. cum *Less. Haun. Lug.* contra *Mol.* & *Pal.* hanc dispositionem valere etiam *in foro Conscientiæ*, ita ut ejusmodi possessor eo ipso aquirat titulum talis Beneficii, possitque illud absque nova collatione tuto retinere in conscientia. Practice tamen ob ipsam incertitudinem sententiæ, ac consequenter etiam jurisdictionis, ad valorem Sacramenti in Pœnitentia requisitæ esset petenda nova institutio, saltem implicicita, qualis in nostra Diœcesi fit per commissionis annuæ renovationem.

Respondeo 4. Ipsum jus præsentandi ad Beneficia seu jus patronatus jure novo Tridentini Sess. 25. C. 9. *de reform.* non præscribi nisi tempore immemoriali.

Quæritur 11. Quanto tempore præscribantur servitutes?

Respondeo 1. Servitutes *personales* præscribuntur *cum titulo* inter præsentes 10. inter absentes 20. *sine titulo* vero 30. annis, prout dictum est de rebus immobilibus supra. Tales servitutes personales sunt tantum tres, scilicet *ususfructus*, *usus*, & *habitatio*, id est, jus utendi alterius horto, domo, fundo &c.

Respondeo 2. Servitutes *reales* continuæ, v. g. aquæductus per alienum fundum, præscribi eodem tempore, quo præscribuntur servitutes *personales*, hoc est, inter præsentes 10. inter absentes 20. annorum spatio, si vero sint *discontinuæ* v. g. servitus eundi, aut agendi currum, aut ducendi pecus per prædium alienum, non præscribuntur nisi tempore im-

re immemoriali, ut patet ex communi sensu Doctorum & praxi tribunalium. Ubi notandum, quod quamvis servitutes istæ *discontinuæ* non habeant *usum* continuum, habeant tamen *causam* continuam, scilicet jus & facultatem utendi.

Quæritur 12. Quanto tempore præscribatur immunitas a servitute?

Respondeo 1. Immunitatem hanc præscribi eodem tempore, quo præscribitur ipsa servitus, scilicet inter præsentes 10. inter absentes 20. annis, ita ut hoc elapso tempore alter amittat servitutem activam v. g. jus utendi agro aut horto alterius, vel ducendi pecus per agrum.

Respondeo 2. Ad præscribendam immunitatem a servitute alterius *rustica*, qualis v. g. est iter, via, actus pecorum, aquæductus, aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi &c. concurrente bona fide seu opinione juris ad alium excludendum a servitute sufficit solus *non usus* illius servitutis ex parte dominantis, si scilicet alter, contra quem præscribitur, suo illo jure v. g. pascendi aut ducendi pecus per alienum agrum non utatur. Ad præscribendum vero immunitatem a servitute *urbana*, qualis v. g. sunt servitus tigni immittendi, stillicidii, altius non tollendi, fluminis, cloacæ, projiciendi &c., requiritur *actus* aliquis *contrarius* ex parte servientis, ut scilicet is, qui præscribit bona fide, aliquid agat, quo usum illius juris v. g. tigni immissionem impediat, ut docet *Mol. Pal.* &c.

Respondeo 3. Immunitas a servitute *reali*, ubi usus alternis tantum temporibus v. g. hebdomadis, mensibus aut annis exercetur, non præscribitur, nisi tempore inter præsentes duplicato, scilicet annis 20. tantum.

Quæritur 13. Quanto tempore præscribantur seu extinguantur actiones civiles civiliter intentatæ? item obligationes ortæ ex contractu?

Respondeo 1. Actiones *reales* extinguuntur præscriptione ejusdem temporis, quo ipsas res mobiles aut immobiles, seu jus in re extingui ac præscribi diximus supra.

Respondeo 2. Actiones *personales* civiles, & obligationes quæcunque ex *contractu* regulariter extinguuntur 30. annis, ita ut elapso illo tempore actor non possit convenire reum coram judicio de contractu; imo nec reus ex illo contractu obligabitur in conscientia.

Respondeo 3. Excipitur tamen actio *hypothecaria*, quæ illi competit, cui res oppignorata est. Hæc actio, si res hypothecata possessa fuerit ab ipso *debitore*, non perimitur adversus creditorem nisi 40. annis; si vero possessa fuerit ab aliquo tertio, qui nec creditor est nec debitor, tunc actio hypothecaria extinguitur eodem tempore, quo præscribitur ipsa res hypothecata, nempe pro diversis circumstantiis vel 10. vel 20. vel 30. annis.

Respondeo 4. Etiam excipi debere actionem *redhibitoriam*, & actionem *quanti majoris*, quæ utraque competit emptori, qui si novisset vitium mercis, eam non fuisset empturus, aut certo non tanto pretio, ad rescindendam venditionem, vel saltem ad restituendum excessum pretii; actioni enim *redhibitoriæ* a venditore præscribitur de Jure Communi per 6. menses, & de Jure Bavarico per 14. dies; actioni vero *quanti majoris* præscribitur intra annum.

Respondeo 5. Excipi etiam actiones Ecclesiis competentes, quæ non nisi 40. annis extinguuntur, imo actiones, quæ competunt Ecclesiæ Romanæ, non nisi 100. annis.

Respondeo 6. Actio doli in contractibus commissi extinguitur biennio.

Quæritur 14. Quanto tempore præscribatur actionibus criminalibus criminaliter intentatis? item obligationibus ortis ex delicto?

Respondeo 1. His actionibus præscribi vicennio, computatione facta a die commissi delicti, ita ut eo elapso reus accusari non possit; imo ut *Laym.* & *Haunold.* docent, neque Judex ex Officio contra illum possit inquirere, quamvis interim manere possint jura exceptionum contra delinquentem, & actiones quædam civiles ex tali delicto ortæ.

Respondeo 2. Excipi actionem *injuriarum*, quæ unius anni spatio, item accusas-

cusationem *adulterii*, *stupri*, *incæstus*, lenocinii &c. quæ quinquennio præscribuntur.

Respondeo 3. Accusationem *adulterii conjuncti* cum *violentia*, stupri per *absolutam vim* illati, parricidii, læsæ Majestatis, & alia quædam crimina nunquam præscribi, saltem dum delinquentes adhuc sunt in vivis.

§. XIII.

Quænam res, & a quibus, & contra quos possint præscribi? Et quibus personis concedatur restitutio in integrum?

Q*Uæritur* 1. Quænam res possint præscribi?

Respondeo. Universim præscribi posse res omnes & solas, quæ sub humanum dominium cadunt, nisi specialiter sint exceptæ; quæ scilicet vel ex sua natura sunt incapaces præscriptionis, vel ex dispositione Juris, ac proterea *vitiosæ* dicuntur; harum enim rerum aliquæ aut nunquam aut certo non tempore ordinario præscribi possunt.

Quæritur 2. Quænam res absolute nunquam possint præscribi?

Respondeo, sequentes. 1. *Homo liber*, etiamsi longissimo tempore in servitute fuerit: e contrario tamen præscribere potest servus *libertatem*. 2. *Servus fugitivus* a domino non potest præscribi ab alio, ad quem fugit. 3. *Res sacræ* & loca *religiosa*, uti sunt Calices, vestes, templa, monasteria, cæmeteria, &c. 4. *Res publicæ*, hoc est publicis usibus deputatæ, ut sunt plateæ, forum, viæ publicæ, pontes, &c. 5. *Limites* Regnorum, Provinciarum, Diœcesium, Parochiarum, si certi sint & manifesti. Secus autem si fuerint dubii & incerti. 6. Res adhuc *indivisa* & *communis* pluribus a nullo eorum seorsim præscribi potest. 7. *Immunitas a visitatione* sui Superioris, item immunitas ab *obedientia* & *procuratione* visitanti debita præscribi non possunt a subditis, quamdiu Superioris jurisdictioni subsunt. Præscribi tamen potest exemptio a *potestate* & *jurisdictione* talis Superioris, ita ut subditi delinant esse subditi. 8. Immunitas *ab obligationibus*, quæ debentur *Principi qua tali*, scilicet in recognitionem supremæ potestatis, uti sunt census & tributa. Præscribi tamen potest immunitas ab indictionibus & collectis, quæ pro expensis belli aliisque necessitatibus publicis ab eodem solent exigi. 9. *Jus primogenituræ*, & *jus decimandi* seu percipiendi decimas Ecclesiasticas præscribi nequit a laicis, præscribi tamen potest ab iisdem jus quasi feudale colligendi decimas; quatenus hoc præsumitur authoritate Papæ separatum fuisse a titulo spirituali, prout semper præsumitur post immemorialem possessionem, nisi constet aliunde de contrario. Præscribi tamen a laicis potest immunitas a solvendis decimis.

Quæritur 3. Quænam res præscribi tantum possint tempore *extraordinario*?

Respondeo. Sequentes. 1. *Res furtivæ*, aut vi possessæ, quæ etiam a possessore bonæ fidei præscribi non possunt ante 30. annos, nisi prius ad dominum suum redierint, sicque eorum vitium fuerit purgatum, de quo videatur *Lugo* Disp. 7. a n. 138. 2. *Res fisco sæculari jam incorporatæ*, ut supra dictum est. 3. *Fundus dotalis*, nisi præscriptio jam ante tempus constitutæ dotis fuerit inchoata; si enim postea primum inchoetur, præscribi non potest tempore ordinatio, sed solum immemoriali, vel ad summum extraordinario. 4. Bona *adventitia* filiifamilias, quæ si a Patre alienentur, præscribi non possunt, nisi ad summum tempore longissimo. 5. *Res pupillares*, quæ præscribi non possunt nisi tempore immemoriali. 6. Res *minorennium*, quæ præscribi non possunt, nisi tempore ad minimum tricennario. 7. Illæ res, quæ simpliciter alienari non possunt, ut majoratus, fideicommissa, feuda, &c.

Quæritur 4. Quænam personæ possint præscribere?

Respondeo. Præscribere posse omnes & solas, quæ possessionis & dominii sunt capaces. Hinc præscribere non potest *Religiosus professus* in particulari, utpote incapax dominii. Præscribere e contrario potest *minor* & *pupillus*, cum nul-

libi excipiantur. Qui rationis usu vel libertate destituti sunt, *inchoare* præscriptionem non possunt; quia non possunt habere animum possidendi rem ut suam; possunt tamen præscriptionem tempore sanæ mentis inchoatam *continuare*, quia censentur persistere habitualiter in priori voluntate. Ita *Palao*.

Quæritur 5. Contra quas personas possit præscribi?

Respondeo. Præscribi universim posse contra omnes illas, quæ possunt stare in judicio, & jura sua tueri, vel bona administrare, eademque alienare. Præscribi vero *regulariter* non potest 1. contra eos, qui bona sua alienare non possunt. 2. adversus *filium familias* sub patria potestate constitutum, 3. adversus *Minorem* & Pupillum. 4. adversus prodigum. Quod tamen intelligendum est de præscriptione *inchoanda*; præscriptio enim bona fide inchoata adversus hos quoque *continuari* & compleri potest, ut docet *Palao*.

Queritur 6. Quando præscriptio dicatur *currere*?

Respondeo. Tunc, quando adsunt in continuatione præscriptionis omnes conditiones quæ requirebantur ad eam legitime inchoandam; quando vero incipit deficere talis conditio, dicitur *non amplius currere* præscriptio. Tale impedimentum est, si deficiat bona fides vel possessio.

Quæritur 7. Quando dicatur præscriptio *dormire*?

Respondeo. Tunc, quando legitime inchoata ob interveniens impedimentum suspenditur, ita tamen, ut sublato impedimento denuo currat, & tempus subsequens continuari possit cum præcedente, deducto tempore intermedio. *Dormit* præscriptio 1. adversus quoscunque tempore belli vel hostilitatis; item tempore pestis, quando ea de causa in tali casu non dicitur jus. 2. adversus Ecclesiam Romanam tempore Sedis vacantis aut tempore schismatis. 3. adversus Ecclesias inferiores sede vacante, vel quando Prælatus per excommunicationem, suspensionem, captivitatem vel aliud simile impedimentum non potest agere in judicio. Item quod notabile est, quamdiu vivit Prælatus, a quo jura Ecclesiæ negliguntur, & Ecclesia a præscribentibus læditur. 4. adversus pupillum tempore ætatis pupillaris; non autem dormit respectu filii familias in bonis adventitiis, aut contra uxorem in bonis dotalibus, quamvis enim contra illos durante patria potestate, aut vivente marito præscriptio non possit *inchoari*, potest tamen legitime inchoata eo tempore *continuari*, cum plus requiratur ad inchoandam quam continuandam.

Quæritur 8. Quando *interrumpi* dicatur præscriptio?

Respondeo. Tunc, quando legitime inchoata superveniente impedimento ita cessat, ut sublato impedimento tempus subsequens cum præcedente continuari non possit, sed de novo inchoari debeat præscriptio. Fit autem hoc dupliciter, scilicet *naturaliter* & *civiliter*. *Naturaliter interrumpi* dicitur, quando re ipsa deficit aliqua conditio ad præscriptionem per se requisita v. g. possessio, justus titulus, bona fides, &c. *Civiliter interrumpi* dicitur, quando re ipsa quidem nulla talis conditio deficit, deficere tamen censetur fictione & authoritate Juris. Sic præscriptio quæcunque etiam triennalis interrumpitur per sententiam definitivam; Præscriptio longi temporis interrumpitur per litis contestationem, & præscriptio longissimi temporis per solam citationem; imo aliquando per solam denuntiationem extrajudicialem. De quo videri potest *Haunoldus*.

Quæritur 9. Quando concedatur restitutio in integrum adversus præscriptionem jam completam?

Respondeo. Restitutionem in integrum esse remedium Juris, quo prior dominus authoritate Judicis recuperat possessionem atque dominium rei per præscriptionem amissæ. Conceditur 1. Minorennibus per quadriennium *utile* a tempore completæ ætatis minorennis, hoc est, de Jure communi, completo anno vigesimo quinto. 2. Ecclesiis & aliis locis piis etiam adversus alias Ecclesias per quadriennium a tempore præscriptionis completæ, & ut aliqui addunt, ab ipsis co-

gnitæ.

gnitæ. 3. Etiam Majorennibus, si probaverint, se ob justam causam aut legitimum impedimentum non potuisse interrumpere præscriptionem. Hujusmodi causæ sunt v. g. captivitas, absentia studiorum aut Reipublicæ causa, &c. *Mol. Lugo* & *Lessius* inter has causas numerant etiam ignorantiam invincibilem currentis præscriptionis, sed *Fach. Haun.* & alii id negant. Plura vide in Juristis.

§. XIV.

De Restitutione in genere.

QUæritur 1. An detur obligatio restituendi ex culpa tantum Juridica?

Respondeo. Ante sententiam non datur obligatio restituendi, datur tamen obligatio restituendi post sententiam. *Ratio primi membri* est, quia culpa Juridica est, ubi in conscientia nulla omnino intercessit culpa Theologica, ne quidem venialis, v. g. si quis diligenter circumspiciens effundat atramentum in plateam, & sit moraliter certus, neminem posse lædi, quamvis casu prorsus inopinato id accidat; vel si jaculetur in scopum, aut feram, moraliter certus, non posse lædi hominem, equum, vaccam. Atqui in tali casu non apparet lex obligans ad restitutionem, qualis tamen datur in posteriori casu, in quo Judex obligat ad restitutionem ex consideratione particularium circumstantiarum fundantium saltem prudentem præsumptionem levis culpæ theologicæ. Ipsamet namque lex finalis *De injuriis & damno* a restitutione excusat eum, *qui, ne damnum accideret, nihil de contingentibus omisit*, Justum vero est, & Reipublicæ debitum, legi ex præsumptione generali prudenter jubenti parere etiam in foro interno præsertim ubi disponit de dominio bonorum.

Quæritur 2. An per se abstrahendo a speciali obligatione ex contractu detur obligatio restituendi ex culpa theologica solum veniali?

Respondeo. Negative. *Probatur* 1. auctoritate Innocentii IV. scribentis in c. *sicut dignum 6. de homicidio*, ubi dicitur. *Si culpa vel negligentia sua levi dederit quis damnum, ut si non bene cohibuit ignem, ne ad domos aliorum vagaretur, tunc tenetur actione Legis Aquiliæ; sed tamen in foro pœnitentiali non videtur, quod teneatur ad emendationem damni, & pœnitentia est ei imponenda de negligentia, non pœna de damno. Lex autem Civilis, quæ intendit conservationem patrimoniorum, constituit, quod etiam ad restitutionem damni tenetur. Item si aliquo modo intenderet per ignem dare damnum, fatendum, quod etiam in foro pœnitentiali debeat condemnari. Idem dico, si quidem non intenderet damnum, intercederet tamen culpa lata.*

Probatur 2. ratione. Non est conveniens rationi, ut introducatur tam frequens occasio peccatorum ex difficultate restitutionis sine magno commodo generis humani, quale tamen hic non intercedit; damnum enim necessario ab alterutro ferri debet, neque spes apparet, quod negligentiæ etiam leves cautius evitarentur, si tam arcta imponeretur obligatio vitandi culpas leves, cum culpæ leves nullis unquam pœnis etiam severissimis sufficienter coerceri possint.

Dices. Saltem posse dici, quod damnificans ex culpa *veniali* teneatur reparare *notabilem* partem damni pro rata culpæ, prout docent *Molina, Dicast. Reginal. Bonac. Layman. Rebellus* &c.

Respondeo dist. Potest hoc dici, si intercesserit advertentia de damno saltem *levi* certo inferendo tr. secus n. Si enim venialiter peccans advertit se damnificare alium saltem *leviter*, tenetur utique reparare illud damnum, si vero tantum per culpam venialem se exposuit periculo damnificandi proximum damno *non certo*, non tenetur ad restitutionem ullam; quia inprimis ea obligatio non approbatur a reliquis Doctoribus, adeoque est incerta. Dein quia difficulter posset æstimari illa quota damni correspondens culpæ veniali ob periculum damnificandi. Denique etiam ex eo; quia sicut in plerisque aliis damnificationibus levibus ob molestiam restitutionis ac difficulta-

tatem censetur condonari obligatio restituendi; in præsenti autem casu haud dubie difficilis est restitutio aliquotæ partis tum ob indeterminationem culpæ & quotæ, tum ob modum restituendi. Si autem damnificans scivit aut scire debuit, ex sua actione proximo causari posse damnum grave, jam peccabit mortaliter exponens proximum periculo gravis damnificationis per actionem non necessariam aut aliunde debitam, nisi habeat intentionem compensandi damnum, si quod forte accideret. Quod si quis tamen ex speciali contractu obligetur ad præstandam culpam levem, prout obligantur caupones, aurigo, custodes pecorum, ad diligenter custodiendas res sibi concreditas, seu depositas, aliud respondendum, prout in Tract. *De Contractibus* dicetur.

Quæritur 3. *An ex culpa Theologice gravi detur obligatio restituendi excessum damni invincibiliter ignoratum?*

Notandum. Quæstionem hanc locum habere, si quis v. g. ex ira projiciat alterius annulum in flumen, quem putat constare tantum duobus aureis, cum revera constet viginti aureis.

Respondeo. *Ergo*. Datur obligatio restituendi etiam excessum. Ita *Mol. Sanch. Lug. Gorm.* & alii contra *Haun. La Croix.* l. 3. p. 1. n. 194. & alios.

Probatur responsio. Hæc obligatio est humano generi exoptabilior quam ejus negatio; ergo. *Ant. prob.* Hæc obligatio *imprimis* de se non est improportionata injuriæ de se facile evitabili, & ut supponitur graviter peccaminosæ. *Secundo* in casu damni ferendi favorabilior est pars innocentis læsi quam damnificantis graviter culpabilis. *Tertio* ea obligatio videtur esse medium necessarium ad absterrendos homines a similibus læsionibus respectu innocentium; ergo.

Dices: Quoad excessum damni invincibiliter ignoratum damnificans se eodem modo habet, ac ille, qui nullam committit culpam theologicam. Ergo ad nihil tenetur.

Respondeo n. ant, quia licet se eodem modo habeat ad hunc excessum in se & in esse absoluto consideratum, non tamen eodem modo se habet ad hunc excessum in esse relativo ad præcedentem culpam mortalem seu præsuppositive consideratum. Eoipso enim, quod proximum graviter damnificet, se tacite subjicit omnibus pœtis & dispositionibus legum naturalium, divinarum, & humanarum. Inter dispositiones autem legum naturalium est etiam hæc, ut favarabilior sit pars innocentis, cujus actio ne quidem præsuppositive fundatur in damnificativo actu mortaliter peccaminoso.

§. XV.

De restitutione circa bona animæ, corporis & famæ.

QUæritur 1. An detur obligatio restituendi & reparandi etiam damna animæ, v. g. data per scandalum vel seductionem?

Respondeo 1. Dari hanc obligationem. Ita S. Antoninus p. 2. T. 2. c. 2. §. 1. ubi sit ait: *Qui inducit alium ad malum suadendo, consulendo, præcipiendo, quod est mortale, est occasio perditionis illius, & talis damnificans secundum Scotum in quatuor Sententiarum, tenetur restituere damnum modo possibili, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam & actus virtuosos; & si sola inductio per verba non sufficit, quia facilius est pervertere quam convertere, tenetur quantum potest per orationes suas & ab aliis procuratas, & per aliorum suasiones efficaces; dum tamen non prodat illis peccatum occultum. Alii qui damnificant alios suo malo exemplo, sicut si scandalizent Prælati subditos pompis & lasciviis & aliis malis moribus suis; mulieres suis superfluis ornatibus, fucis & tripudiis; & alii manifeste peccantes tenentur ad satisfaciendum bonis exemplis manifestis.*

Respondeo 2. Eos, qui præbent aliis scandalum publicum, obligari etiam ad reparandum publice scandalum: & tales sunt v. g. Patresfamilias scandalose se habentes in suis domibua.

Probatur 1. ex Tridentino, quod Sess. 24. de reforc. c. 8. sic habet: *Quando*

ab

ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Probatur 2. ex *Rituali Romano*, ubi in Tit. de *Sacramento Pœnitentiæ* prohibetur Confessarius eos absolvere, qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant & scandalum tollant. Idem de *Sacrament. Euch.* ait: *Arcendi sunt a S. Communione publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint*. Ex hoc sequitur; publice peccantibus posse imponi talem pœnitentiam, quam alii scandalum passi v. g. domestici videntes perpetuas ebrietates vel audientes perpetuas blasphemias, imprecationes, vel lasciva &c. suspicari possint impositam esse in pœnam delicti; quia hoc non est frangere sigillum aut propalare delictum, sed ex parte peccantis est emendare scandalum: solum id advertendum est, ne Parochus aut Confessarius imponat pœnitentiam *publicam in Ecclesia*, ac *solennem* Ecclesiasticam, quia hanc imponere pertinet ad solum Episcopum, & quia ejusmodi pœnitentia inurit notam perpetuam etiam apud eos, qui non passi sunt scandalum.

Quæritur 2. Qualis detur obligatio restitutionis ex homicidio?

Respondeo 1. Si interfectus sustentabat familiam v. g. uxorem, liberos &c. opera suarum manuum obligatur homicida ad compensationem totius damni familiæ emergentis. Ita S. Antoninus p. 2. t. 2. c. 2. §. 2.

Respondeo 2. Occisorem teneri etiam ad restitutionem faciendam omnibus iis propinquis, qui damnum aliquod ex homicidio propinqui passi sunt in re sibi jure debita, uti etiam creditoribus, quibus interfectus si diutius vixisset, potuisset satisfacere, dum interim hæredes solvendo non sunt: nec obstat, quod interfector non cogitaverit de tali damno extrinseco ex occisione eventuro. Probatur hæc responsio ex c. *si culpa* 9. *de injuriis & damno dato*, ubi Gregorius IX. ait: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, sive aliis irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua seu negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam*.

Quæritur 3. Quid restituendum ob mutilationem, debilitationem, deformationem, &c?

Respondeo 1. Restituendas esse impenesas pro medico & lucrum cessans.

Respondeo 2. Pro deformatione per se nulla potest fieri compensatio, nisi exinde sequatur aliud damnum, quale posset contingere v. g. in juvene aut virgine aspirante ad matrimonium. Ita constat tum ex Lib. Exod. tum ex S. Antonino l. cc. ubi sic habet: *De mutilatione dicit Scotus, quod pro hujusmodi non est statuta pœna in Ecclesia nisi pecuniaria, & ita debet respondere non solum damno, quod quis intulit per mutilationem pro toto tempore futuro, quo usurus esset membro abscisso, sed etiam expensis factis in curatione. Plus autem ponderanda est mutilatio pauperis quam divitis, si magis egebat parte abscissa ad victum necessarium; tunc enim magis tenetur*. Item habetur l. ult. ff. *de his qui effuderint vel dejecerint*, ubi tamen additur: *Cicatricum aut deformitatis nulla fit æstimatio; quia liberum corpus nullam recipit æstimationem*

Quæritur 4. An & quomodo restitui debeat honor aut fama?

Respondeo cum S. Thoma, qui 2. 2. q. 62. a. 2. ad 2. sic ait: *Dicendum quod aliquis potest alicui famam tripliciter auferre: uno modo, verum dicendo, & juste; puta cum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato: & tunc non tenetur ad restitutionem famæ: alio modo, falsum dicendo & injuste: & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse: tertio modo, verum dicendo, sed injuste; puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad re-*

stitu-

tutionem famæ quantum potest, sine mendacio tamen; utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit: vel si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare. Ita S. Thomas. Ex quo sequitur talem teneri ad resarciendam proximi famam etiam cum detrimento famæ propriæ. Ut vero melius intelligatur, quandonam urgeat hæc obligatio restitutionis.

Quæritur 5. Quandonam censeatur servari debitus ordo in propalatione criminis alieni?

Respondeo. Id colligi ex sequenti notabili doctrina Gersonis, qui p. 2. tract. multarum quæstionum q. 1. sic ait: „ Quæritur, an male loqui de aliis „ in eorum absentia sit semper pecca- „ tum? Pro responsione sciendum, quod „ actio moralis libera accipit vel vir- „ tutem & laudem, vel peccatum ex „ suis circumstantiis, & specialiter ex „ circumstantiis finis. Inquirendum est „ igitur, ad quem finem dicatur ma- „ lum de absentibus, & occurrunt sex „ fines generales. 1. Quandoque hoc fit „ ad instructionem præsentium & id „ audientium, ut caveant similia face- „ re. 2. Quandoque fit ad præsentium „ cautelam, ne scilicet ex ignorantia „ decipiantur per malam aliorum so- „ cietatem, quos præsumunt bonos. 3. „ Quandoque fit ad utilitatem absen- „ tium, ut videlicet præsentes eis refe- „ rant pro ipsorum correctione & e „ mendatione. 4. Quandoque fit ex qua- „ dam compassione amicabili, ut scili- „ cet se ipsum & audientes referens pro- „ vocet ad orandum instantius pro alio- „ rum peccatis & eorum conversione. „ 5. Quandoque fit ex odio vel invidia „ ac pro diminutione famæ alienæ, & „ ex animi indignatione. 6. Quando- „ que fit ex sola curiositate & assueta „ loquacitate, & quadam libidine lo- „ quendi de aliis. Primis quatuor mo- „ dis potest esse non solum licitum imo „ & meritorium referre mala absentium, „ dummodo tamen non intendatur prin- „ cipaliter alius finis quam aliquis præ „ notatorum quatuor, & si non misceа- „ tur alia intentio fermentata & sibi „ ipsi mentiens, atque dum modo bene „ prævideatur ne sint falsa quæ dicun- „ tur, aut in malo ampliata ultra quam „ in se sunt, aut forsan sinistre inter- „ pretata, etiam quod non plus noceat „ talis locutio absentibus & eorum fa- „ mæ, quam prosit præsentibus & eo- „ rum ædificationi, quia pro parvo bo- „ no consequendo non est magnum ma- „ lum committendum. Male loqui de „ absentibus ad satisfaciendum propriæ „ loquacitati & libidini loquendi de aliis „ (qui est sextus modus) etiamsi sit „ pro sola deductione temporis & quasi „ pro solatio, ut sic tempus sine tædio „ transeat, vix aut nunquam excusatur „ a peccato, & sæpius transit in mor- „ tale peccatum. Loqui male de alio „ ad finem quintum, scilicet directe „ ex odio & invidia semper est pecca- „ tum, & quando notabiliter per hoc „ læditur fama aliena, & dum loquens „ hoc advertit in conscientia sua, aut „ advertere posset, est gravius peccatum „ sæpissime quam furtum. Ita Gerson, qui haud dubie debet intelligi de eo qui nondum amisit jus ad suam famam, prout contingeret, si delictum vel jam est notorium, vel in iis circumstantiis, ut certo proxime ac necessario debeat fieri notorium.

Quæritur 6. Quænam excusent a restitutione famæ?

Respondeo. Sequentia. 1. Si infamatio revera nullum habuit effectum, vel quia crimen jam erat alteri notum, vel quia detractioni non fuit adhibita fides, vel quia actio, quantumvis de se mala, in mente audientium nullam parit sinistram existimationem de proximo. 2. Si fama non fuerat ablata injuste. 3. Si infamatus jam recuperaverit suam famam, in quo tamen casu infamato restituenda sunt ea damna, quæ passus est ante recuperatam famam. 4. Si restitutio famæ sit *physice* impossibilis, in quo casu non excusat magna difficultas, quin damnificans teneatur saltem satisfacere in quantum potest, quærendo videlicet occasionem laudandi alias personam infamatam. 5. Si offensus ultro condonet obligationem restitutio-

tutionis. 6. Si offensus pariter infamarit infamantem injuste; in hoc enim casu locum habet illud Innocentii III. c. *tua fraternitas* 7. *de adulteriis*. *Paria delicta mutua compensatione delentur*. Ubi tamen observandum, non ideo licitum esse infamare alterum per crimen falsum, quamvis ille prior infamarit; quia id damnatum ab Innocentio XI. propos. 43. *Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere*. Et propos. 44. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia*. 7. Si absoluta restitutio famæ fieri non potest, compensatio fieri debet per pecuniam; ut enim habet D. Thomas 2. 2. q. 62. a. 2. *ad* 2. *Si quis non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare; sicut & in aliis dictum est:* Dixerat autem S. Doctor paulo ante *ad* 1. *Quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; - - debet ei recompensare vel in pecunia, vel in aliquo honore; considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri*. Hinc & Covarruvias Resol. l. 1. c. 2. num. 8. ait: *Consentiunt omnes famam posse pecunia compensari*.

§. XVI.

De restitutione circa bona fortunæ.

QUæritur 1. Ad quid teneatur, cujus fera vel quadrupes damnum intulit?

Respondeo. Si quadrupes vel fera intulit damnum sine culpa domini, tenetur vel resarcire damnum vel tradere feram noxæ; id est, cedere domino læso feram in compensationem damni; si vero id factum culpa domini, tenetur determinate resarcire omnia damna inde secuta. Ratio est; quia intentio hominum in similibus reciprocis obligationibus formatur per leges. Leges autem hanc tacitam pactionem & obligationem inter damnificantes ac damnificatos statuunt. Sic Exodi 21. v. 36. dicitur: *Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet*. Quæ lex Juri Canonico l. 5. tit. 36. inserta est. Item eodem titulo c. ult. *de injuriis & damno* dicitur: *Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando damnum passis, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia vel quæ consueverunt nocere, fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere*. Hæc omnia procedunt de obligatione stringente post sententiam Judicis, nisi præcesserit culpa Theologice gravis, in quo casu datur obligatio restituendi ante sententiam etiam excessum damni invincibiliter ignoratum, aut levis in concursu obligationis specialis ex officio vel pacto.

Quæritur 2. Ad quid teneatur dominus, si servus proprie dictus intulit damnum extraneo?

Respondeo. Si servus sit *proprie dictus*, tenetur eum tradere noxæ, id est, donare damnum passo; si vero sit servus *improprie dictus*, in conscientia dominus ad nihil tenetur, nisi sua culpa adhibuerit servum adeo negligentem ac pernitiosum. Ita habetur §. 3. J. *de noxalibus actionibus*, & alibi sæpius.

Quæritur 3. Ad quam restitutionem teneantur, qui intulerunt damnum in exercitio sui officii, muneris, vel artis?

Respondeo. Si in perficiendo opere vel in locanda opera omiserunt diligentiam *ordinariam* a talibus jure exigi solitam, tenentur ad restitutionem totius damni, sive dein commiserint culpam *Theologicam gravem* sive *levem*, Ratio est; quia tales se obligant vi taciti pacti ad adhibendam diligentiam *ordinariam:*

riam : consequenter si eam non adhibent quacunque demum ex causa, eo ipso se tacite obligant ad resarciendum totum damnum. Ita respondet quoa d rem S. Raymundus l. 2. *de raptoribus* §. 35. ubi ait : *Judices si per imprudentiam iniquam ferunt sententiam*, *credo*, *quod in judicio animæ teneantur ad restitutionem* ; *si enim scivit se esse insufficientem*, *&* *tamen judicare causam præsumpsit*, *vel si erat sufficiens quoad scientiam, si voluisset revolvere libros*, *eo ipso ob omissam talem diligentiam tenetur ad restitutionem*. Idem §. 39. de Advocato loquens ait : *Tenetur ad restitutionem omnium illis quibus præstitit patrocinium*, *si propter suam infidelitatem vel negligentiam vel imprudentiam amiserunt causam*. Ubi notandum, quod per imprudentiam hoc loco videatur intelligi culpabilis negligentia in aliorum consiliis exquirendis, vel sequendis. Item de famulis Catechismus Romanus p. 3. c. 8. de 7. præcepto quæst. 7. ait : *Furtum etiam apertum est operariorum & artificum*, *qui totam & integram mercedem ab iis exigunt*, *quibus ipsi justam & debitam operam non dederunt*. - - *Illi quoque in furum numero reponendi sunt*, *qui cum ad privatum aliquod publicumve officium conducti sunt*, *nullam vel parvam operam navantes munus negligunt*, *mercede tantum ac prætio fruuntur*. Ex quo textu patet indiscriminatim, si non adhibeatur diligentia *ordinaria*, non posse exigi consuetum salarium sine furto & onere restitutionis.

Quæritur 4. Quomodo detur obligatio restituendi ex cooperatione ad damnum ?

Respondeo Cooperantem ad damnum alterius obligari ad restitutionem, quando est causa *physice* aut *moraliter* influens in damnificationem *cum effectu*. Ita communis. Cooperatio autem fieri censetur novem modis, qui comprehenduntur his versiculis.

> *Jussio*, *consilium*, *consensus*, *palpo*, *recursus*,
> *Participans*, *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*.

1. *Jussio* obligat ad restitutionem, si revera alter jussioni paruerit ; nam ut habetur c. *Mulieres 6.* §. 1. *de sentent. excommunic.* ex Alexandro III. *is vere committit*, *cujus authoritate vel mandato delictum committi probatur*. Quod si mandatarius transgressus fuerit limites sui mandati inferendo majus nocumentum, quam habuerat in mandatis, nihilominus mandans tenetur resarcire etiam totum illum excessum damni. Ratio est ; quia ob talem excessum mandans punitur ab Ecclesia, consequenter etiam a Deo. *Bonifacius VIII.* c. ult. *de homicidio* in *6.* ait : *Is qui mandat aliquem verberari*, *licet expresse prohibeat*, *ne occidatur ullatenus*, *vel membro aliquo mutiletur*, *irregularis efficitur*, *si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat*, *cum mandando in culpa fuerit*, *&* *hæc evenire posse debuerit cogitare*. 2. *Consilium* juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. a. 7. tunc parit obligationem restituendi, quando *probabiliter* æstimari potest, quod ex hujusmodi consilio injusta damnificatio fuerit secuta. Quod si consilium non fuerat datum ad nocendum, distinguendum est, an quis *ex officio* tenebatur dare consilium vel non ? si *ex officio*, tunc tenetur ad restitutionem, si negligentia aut præcipitantia sua consilium dedit ad sinistrum eventum ; si vero non obligatur *ex officio*, tenenda est regula *62*. Juris in *6*. *Nullus ex consilio*, *dummodo fraudulentum non fuerit*, *obligatur*. Hoc pariter est intelligendum de *confessariis*, qui ex imperitia sæpissime sunt causa damnorum, judicando ac consulendo iniqua : cum enim etiam ipsi ex officio teneantur dare consilium in rebus ad obligationem conscientiæ pertinentibus, dicendum, quod etiam ipsi teneantur ad restitutionem, si ex ignorantia vel negligentia graviter culpabili injusta consulant, neque excusatur consulens ab obligatione restituendi, etiamsi interea suum consilium revocarit, si nihilominus ex consilio secutus fuerit effectus. Quod si quis alteri jam parato ad inferendum majus malum v. g. furi, qui paratus est tollere 200. aureos, suadeat minus malum

lum, videlicet tollere 100. aureos, non tenetur ad restitutionem, ut habet communis, supposito tamen, quod minus malum sit in eodem genere & in eadem specie. Diversam enim speciem mali consulere non licet. 3. *Consensus* denotat favorem aut suffragium quodcunque tendens ad damnificationem proximi injustam, si revera talis favor influat in determinationem ultimam damnificantis; ut si Judex patiatur impune concuti innocentes tolerantia aut favore; nam ut S. Augustinus relatus in Can. *Si res aliena* 1. causa 14. q. 6. ait: *Illud vero fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis.* 4. *Palpo* dicitur, qui laudando aut exprobrando & irridendo alterum incitat ad peccatum, ita ut talis incitatio revera influat in ultimam determinationem damnificantis; si enim laus vel approbatio primum sequitur ad damnificationem, ad nihil obligat. 5. *Recursus* comprehendit illos, qui prædones, fures &c. recipiunt in suas domos ad deponendas & occultandas res furto ablatas, vel qui ab iis emunt res furtivas, vel qui ejusmodi homines defendunt dolo malo contra ministros justitiæ, aut alios impediunt, qui reos vellent deferre ad Judicem: tales tenentur pariter ad restitutionem. 6. *Participans* dicitur, qui comitatur damnificantem, vel explorat vel suppeditat instrumenta, vel emit res furtivas &c. 7. 8. 9. *Mutus*, *non obstans*, & *non manifestans* intelligitur ille, qui cum ex officio teneretur avertere damnum judicando vel impediendo, nihilominus silet nec impedit. Tales sunt Principes, Præfecti, Custodes, famuli, subditi quoad jurisdictionem; hi enim omnes ex officio tenentur impedire damnum vel sui domini, vel publicum, adeoque si silent ad damnificationem, tenentur ad restitutionem. Si qui vero solum ex charitate tenentur ad avertendum damnum alienum v. g. civis respectu alterius, cui nullo titulo obligatur, quamvis sciat defraudari suum convicem, non tenetur sub onere restitutionis indicare fraudem, quamvis ad id manifestandum obligetur in conscientia lege charitatis.

Quæritur 5. Quos vel quales fructus restituere teneatur rei alienæ possessor, dum ea a vero domino evincitur?

Respondeo 1. *Malæ fidei* possessor tenetur restituere *omnes* omnino fructus *naturales* & *mixtos*, etiam jam consumptos, & nec formaliter nec æquivalenter exstantes, non tamen mere *industriales*.

Respondeo 2. *Bonæ fidei* possessor tenetur restituere fructus naturales ac mixtos *formaliter* adhuc exstantes, non tamen *virtualiter* & *æquivalenter* tantum exstantes. Prima pars est communis omnium: posterior vero pars videtur probabilior. Rationes autem vide in *Lug.* Disp. 17. n. 39.

Quæritur 6. Quis sit servandus ordo in restitutione?

Respondeo. Sequens. 1. Quoties res injuste ablata adhuc exstat, *possidens* tenetur principaliter præ reliquis aliis ad restitutionem, sive dein sit damnificans principalis sive tantum sit secundarius & cooperans. 2. Si *principalis damnificans* restituat, cæteri eximuntur a restitutione. 3. Si res ablata jam sit consumpta *mala fide* ab eo, qui sciebat rem esse alienam, ille ante omnes alios cooperantes tenetur ad restitutionem; quod si non restituat, non eoipso omnes reliqui pariter eximuntur a restitutione. 4. Principaliter restituere tenetur per se, qui est *principalis in facto*; principaliter quidem *participans*, secundario vero *exequens*, ut docet D. Thomas loco supra citato. 5. Qui damnum intulit *per se ipsum*, tenetur restituere ante illos, qui solum fuerunt cooperati, tamen excepto *mandante* & *possidente*. Quod si contingeret plures æqualiter esse authores damnificationis injustæ, debent inter se convenire pro restitutione integra: si unus integrum damnum restituat, cæteri tenentur illi compensare suam quotam; quia is qui diligentior est in restituendo, non debet propterea

esse

esse deterioris conditionis. *6.* Cooperans minus principalis, si restituat principalis, non tenetur ad ullam restitutionem nec damnificato nec damnificanti: si vero damnificans principalis nihil restituat, debet minus principalis restituere totum damnum. Idem dicendum, si socii damnificationis nihil velint restituere; quilibet enim tenetur in solidum. *7.* Si damnificatus patitur damnum ex dilatione restitutionis, etiam illud compensari debet. Hactenus dicta patent ex communi sensu Doctorum.

Quæritur 7. An & quomodo ad restitutionem teneatur hæres defuncti?

Respondeo cum S. Raymundo, qui l. 2. *de raptoribus* §. 24. de hæredibus raptorum sic ait: *Dico, jure Canonico eos teneri ad omnia debita defunctorum, in quorum locum succedunt. Ubi nota, quod quilibet hæres sive filius sive extraneus, non distincto, utrum raptoris vel alterius, teneatur ad omnia debita defuncti persolvenda, si fuerint ex contractu, sive ex quasi contractu, sive ex maleficio, sive ex quasi maleficio, sive pervenit res illa, pro qua debitum fuit contractum sive non, sive lis fuerit contestata cum defuncto, sive non.*

Quæritur 8. Quænam sint causæ excusantes a restitutione?

Respondeo. Sequentes. 1. *Moralis impotentia* restituendi, quæ tamdiu excusat a restitutione quamdiu ipsa durat; non enim liberat omnino ab obligatione, sed recuperata facultate obligat de novo ad restitutionem. Porro *moralis impotentia* restituendi censetur esse, quando restitutio conjiceret damnificantem in extremam necessitatem, & si non possit restituere, quin privet uxorem & liberos jure jam quæsito; si vero res ablata adhuc *formaliter* vel *æquivalenter* exstet, nulla prorsus difficultas nisi extrema necessitas excusat a restitutione. 2. expressa vel tacita *condonatio* damnificati, qualis intercedere censetur in rebus minoris momenti, ubi longe difficilior est stitutio quam meretur res restituenda. 3. Si & damnificatus debeat damnificanti, nec possit sine magna difficultate ab eo repeti debitum; tunc enim locus est occultæ compensationi.

Quæritur 9. An obligatio restituendi urget statim, vel quando possit differri restitutio?

Respondeo 1. Restitutio *per se* facienda est statim. Ratio est; quia præceptum de restitutione quoad vim est negativum, adeoque obligat pro semper. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 8. ad 1. ubi ait: *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen* (seu involvit) *in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere*. Et Levit. 19. dicitur: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.*

Respondeo 2. *Per accidens* tamen potest differri restitutio, quando videlicet damnum temporale vel spirituale ex celeri restitutione in restituente esset majus quam commodum illius, cui fit restitutio.

Probatur & explicatur authoritate D. Antonini, qui p. 2. T. 2. c. 8. sic ait: „Quidam circa istam materiam dicunt „& meo judicio satis rationabiliter, „quod in certis casibus non tenetur „quis ad statim restituendum actuali„ter, etiamsi habeat modum aliquem „ad restituendum, & ab eo cui tene„tur, invenire non possit nec remis„sionem nec dilationem, sed subitam „sibi fieri velit restitutionem: quando „videlicet ex restituendo statim inde „sequeretur evidens vel probabile dam„num spirituale vel temporale notabi„le ipsius restituentis vel aliorum, „quod præponderaret damno ejus, qui „debet habere, ex carentia illius rei. „Potest autem damnum, esse tri„plex, scilicet periculum mortis, in„famia gravis, seu scandalum notabi„le, & periculum probabile mortalis „culpæ. Ratio hujus est; quia secun„dum Scotum creditor, seu qui debet „habere, magis debet velle in hujus„modi casibus, ut maximum incom„modum seu damnum ejus, qui debet „restituere, evitetur in modica resti„tutionis dilatione, quam suum in„commodum modicum vel damnum „ex carentia ad tempus suæ rei. Idem

„ vide-

„ videtur dicendum, cum ex subita re„ stitutione ille qui restitueret, detege„ retur & inde infamaretur. Idem di„ cendum, cum id quod debet restitui, „ non potest restitui nisi faciendo ma„ gnas expensas ad mittendum sibi, „ quia in remotis est creditor. Idem „ dicendum, quando mulier habet fi„ lium per adulterium nesciente viro, „ vel supponit sibi alienum partum, „ qui nutritur de bonis viri, vel hæres „ etiam scribitur ut proprius filius, „ cum mater teneatur de omnibus iis „ quæ percepit filius ille scilicet puta„ tivi patris; non tamen debet revela„ re factum, quando ex hoc sequeretur „ vel sequi probabiliter posset mors sua „ vel prolis, vel etiam notabilis infa„ mia vel alia gravia scandala. Alius „ casus est, quando ex hujusmodi resti„ tutione subita sequi posset mors spi„ ritualis seu peccatum mortale proba„ biliter vel familiæ ejus; puta si re„ stituendo aliena ad tantam veniret „ paupertatem vel miseriam, quod non „ potest vivere vel providere filiis de „ victu & vestitu, & cum sint alicujus „ nobilis conditionis, mendicare nimis „ erubescunt, ab amicis ad sufficien„ tiam non inveniunt, laborare ne„ sciunt vel non possunt: & sic resti„ tuendo exponitur ipse cum familia „ sua furandi periculo vel prostituendi „ familias, vel desperationis, ubi re„ tinendo aliena disponitur ad satisfa„ ciendum paulatim. Idem videtur di„ cendum, cum quis habet instrumen„ ta artis suæ, unde ex labore suo „ gubernat se & suos, expendendo vel „ tradendo ea ut restituat suis credito„ ribus, non possit laborare & inde lu„ crari laborando cum prædictis poterit „ paulatim satisfacere. Hæc non sunt „ prædicanda, ne paretur via detentio„ ni aliorum, sed cum magna discre„ tione in confessione tractanda." Ita S. Antoninus.

Quæritur 10. An debeat absolvi pœnitens, qui cum potuerit, jam tamen diu distulit restitutionem?

Respondeo. Si jam aliquamdiu fuerit negligens in restitutione, aut omnino jam admonitus in præcedentibus confessionibus, non debet absolvi ante actualem restitutionem.

Probatur 1. ex *Synod. Neapol.* 1576. a *Gregorio XIII.* confirmata, quæ sic habet: *Ne quis cito manus imponens alienis peccatis communicare videatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam vel famæ vel pecuniæ satisfactionem, cui restituendi facultas fuerit, aliquem absolvant, præcipue ubi pœnitens datum in superiori confessione præceptum neglexerit.*

Probatur 2. ex variis Synodis relatis a Genetto 1. ex *Synod. Concordiensi*. 1587. quæ sic habet: *Si pœnitens proximo damnum dederit, vel aliquid furto abstulerit, vel falso testimonio alicujus æstimationem in judicio violarit, illum ante satisfactionem ne absolvat Sacerdos, nisi justa de causa satisdationem ei Parochus ad aliquod tempus distulerit.*

Probatur 3. ex *Synodo Collaterana*. 1590. *Caveant Sacerdotes, ne ante debitam satisfactionem quempiam absolvant, præsertim si facultatem habent aliena restituendi vel legata pia persolvendi.*

Probatur 4. ex *Synod. Anagnina* 1597. *Caveant Sacerdotes, ne ante debitam satisfactionem quempiam absolvant, cui sit facultas restituendi aliena, vel pia legata adimplendi.*

Probatur 5. ex *aurea regula Confess. S. Borromæi*, quam notis illustravi in *Manuali Romano Confessariorum*, edito Augustæ apud Veithium. Ea sic habet §. 31. *Ante factam restitutionem nemo absolvatur, nisi impotentia, aut grvis & periculosa infirmitas obstiterit.* Has regulas Synodales summopere necessarias esse pro salute pœnitentis nimium probat constans experientia; quia plerique, qui faciunt promissiones utut gravissimas proxime restituendi, dum tamen prius jamdiu fuerunt in mora culpabili, reperiuntur infideles.

TRA-

TRACTATUS VI.

De Contractibus in genere & in Specie.

§. I.

De Contractibus in genere.

QUæritur 1. Quid sit contractus? *Respondeo*. Contractum *late dictum* esse duorum, vel plurium in idem placitum consensum: Contractum autem *stricte dictum* esse ultro citroque obligationem. Discrimen inter utrumque est, quod obligatio in posteriore sit *reciproca*, prout in venditione; in priore autem possit esse tantum *unilateralis*, ut in donatione.

Quæritur 2. Quotuplex sit contractus? *Respondeo*. Contractus varie dividi; nimirum 1. in *contractum* & *quasi-contractum*: ille est, qui perficitur consensu formali & expresso: posterior, qui perficitur consensu tantum interpretativo. 2. In contractum *nominatum* & *innominatum*: ille est, qui specificum nomen habet in Jure e. g. emptio, mutuum &c. posterior autem, qui tale nomen non habet. Tales contractus innominati sunt: *do ut des*, *facio ut facias*, &c. 3. In contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*: ille est, in quo magis spectatur intentio contrahentis quam verborum forma & rigor. Unde & hi contractus interpretationem admittunt ex arbitrio boni viri vel judicis juxta intentionem, quam contrahens vel actor habuit, vel prudenter debuit habere spectata æquitate & consuetudine contrahentium. *Stricti* autem *juris* est, ubi attenditur rigor verborum; & tales sunt contractus *liberales* ac *gratuiti*. 4. In contractum *unilateralem*, in quo tantum unus obligatur alteri v. g. in promissione, ob quam rationem etiam vocatur *gratuitus*, *liberalis*, seu *lucrativus*; & in *bilateralem* seu *onerosum*, in quo datur reciproca obligatio; qualis est v. g. emptio. 5. In contractum *nudum* & *vestitum*; *nudus* est, qui non habet actionem authoritate juris: *vestitus* est, qui habet formam & actionem authoritate juris. 6. In contractum *perfectum* & *imperfectum*: *imperfectus* dicitur, ubi vel deest integritas ex parte *contractus* v. g. nondum secuta traditione aut nondum redacto in scripturam contractu, aut nondum insinuato ad Judicem; vel si sit imperfectus ex parte *rei*, puta si non agatur de dominio, sed de usufructu tantum, ut fit in emphiteusi: *perfectus* est, ubi nullum horum deest. 7. In contractum *purum* & *non purum*: *purus* est, qui fit sine restrictione, conditione vel circumstantia: *non purus* aut *conditionatus* est, qui alligatur conditioni vel modo. 8. In *solennem* & *non solennem*: *solennis* est, qui redactus est in scripturam per Judicem vel Notarium; & talis, ubi fit ad unius interrogationem & alterius responsionem, utramque redactam in scripturam, vocatur contractus *præscriptis verbis* seu *stipulatio*.

Quæritur 3. Quinam sint *jure naturali*, & quinam *jure positivo* inhabiles ad contrahendum?

Respondeo. Ad contrahendum *jure naturali* ob defectum consensus inhabiles esse pueros, amentes, furiosos, dormientes & ebrios. *Jure* autem *positivo* inhabiles esse 1. uxorem, nisi quoad bona paraphernalia, vel quorum habet plenam administrationem. 2. filiumfamilias. 3. impuberes. 4. pupillum. 5. minorennem. 6. Religiosum. 7. prodigos juridice tales.

Quæritur 4. An pupillus contrahendo sine authoritate Tutoris obligetur in conscientia ad servandum contractum?

Respondeo. Negative. *Ratio* est, quia omnes, etiam Gentilium, leges universim ac uniformiter irritant absolute tales contractus pupillorum, & quidem ex suppositione, quod jam jure naturali deobligentur. Id *Probatur* ex l. 59. ff. de obligationibus & Act. ubi dicitur: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligatur*. Item l. 41. ff. *de condictione indebiti* dicitur: *Quod pupillus sine authoritate tutoris stipulanti promiserit, solverit, repetitio est; quia nec natura debetur*. Idem probatur ex

ex §. 3. Instit. Tit. *Quibus modis tollitur obligatio*, ubi dicitur: Posterior obligatio (nempe pupilli) nulla est, & ibidem §. 2. Tit. *Quibus alienare licet*, dicitur: *Nunc admonendi sumus, neque pupillum neque pupillam rem ullam sine tutoris authoritate alienare posse. Ideoque si mutuam pecuniam sine tutoris authoritate alicui dederit, non contrahit obligationem; quia pecuniam non facit accipientis.*

Quæritur 5. An idem dicendum, si pupillus ex contractu locupletior factus sit?

Respondeo. Idem dicendum etiam in hoc casu quoad valorem contractus, tenetur tamen læso satisfacere, in quantum locupletior factus est.

Probatur Responsio ex l. *pupillus*. 5. ff. *de auth. tut.* ubi dicitur: *Cum tutor mutuam pecuniam pupillo dederit, vel ab eo stipuletur, non erit obligatus tutori* (civiliter;) *naturaliter tamen obligabitur, inquantum locupletior factus est*. Quamvis hæc lex loquatur tantum de *tutore*, idem tamen dici debet respectu aliorum, cum quibus pupillus contrahit; quia eadem est ratio; tum etiam quia ita declarat eadem lex dum sic persequitur: *Nam in pupillum non tantum tutori, verum cuivis actionem, in quantum locupletior factus est, dandam D. Pius rescripsit*: & hæc actio non est *stricte civilis*, sed *utilis tantum* ex speciali privilegio, ut colligitur ex l. *sed mihi* 3. ff. *commodati*, ubi dicitur: *Sed mihi videtur, si locupletior pupillus factus sit, dandam utilem commodati actionem secundum D. Pii rescriptum*. Quod autem idem dicendum sit, si pupillus nullum habeat tutorem, ratio est, quia deficiente tutore succedit Judex, a cujus authoritate & decreto pupillus sicut a tutore dependet.

Quæritur 6. An circa bona temporalia & obligationes reales idem dicendum sit de Minorenni, quod dictum est de pupillo?

Respondeo. Idem dicendum esse, saltem spectato jure positivo, circa bona temporalia, & obligationes reales. Quo ad obligationes enim pure personales sui juris est.

Probatur 1. ex l. *si Curatorem* 3. C. de in integrum restit. ubi sic dicitur: *Si Curatorem habens minor quinque & viginti annis post pupillarem ætatem res vendidisti, hunc contractum servari non oportet, cum non absimilis ei habeatur minor curatorem habens, cui a Prætore Curatore dato bonis interdictum est* (puta, prodigo.) Sicut ergo prodigus ejusmodi non contrahit valide de suis bonis, ita nec Minorennis.

Probatur 2. Authoritate S. Thomæ, qui 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. ait: *Videtur esse aliquid illicitum ex divino jure, quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores & furiosi, & hujusmodi . . . Et in his casibus tenetur ad restitutionem*. Ergo si lucrans tenetur ad restitutionem, dicendum quod contractus sit invalidus.

Quæritur 7. An contractus sub conditione turpi initi sint jure naturæ invalidi?

Respondeo Notandum. 1. Quæstionem non esse, an vi contractus turpis possit dari obligatio naturalis vel civilis ad peccandum; de hoc enim omnes conveniunt, neminem obligari vel obligari posse ad peccandum; sed tantum quæritur, utrum talis obligatio possit dari ad solvendum pactum pretium, vel ad implendam aliam conditionem post commissum peccatum, v. gr. ad dandum sicario vel meretrici pretio, vel ad ducendam in matrimonium corruptam sub promissione cum illa contrahendi matrimonium.

Notandum 2. Juristas plerumque tenere affirmativam, quibus etiam accedunt multi Theologi. Sed negativam inter Recentiores tenent P. Heuslinger, P. Beusch & alii.

Dico. Contractus de obligatione sub conditione turpi est omnino nullus, nec obligatur contrahens naturaliter in conscientia, nec civiliter in foro externo, nisi in casu, quo tales conditiones per legem habentur pro non adjectis. Casus est frequens v. gr. Si quis Sicario promittit pecuniam pro occisione, vel si paciscitur cum meretrice de usu corporis, vel Simonia-

cus cum conferentibus beneficium de pecunia.

Probatur Responsio 1. ex Jure Canonico c. *pactiones* 8. *de pactis* Gregorius IX. dicit; *Juxta legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis aut impossibilis de jure vel de facto, nullam obligationem inducit*. Quod intelligendum est non solum de ipso opere, sed etiam de annexis obligationibus, cum accessoria sequantur suum principale.

Probatur 2. ex Jure Civili l. *generaliter* 26. ff. de V. O. dicitur: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti*. Item l. *si* flagitii 123. ibid. *Si flagitii faciendi vel facti causa concepta sit stipulatio ab initio non valet*. Item l. pacta 6. C. *de pactis*. *Pacta quæ contra leges constitutionesque vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est*. Et l. 35. de V. O. *Si stipulor ut id fiat, quod natura fieri non concedit, non magis obligatio consistit, quam cum stipulor, ut detur, quod dari non potest*. Jam sic: Si contractus peccantes in legem civilem irriti sunt jure civili, tunc contractus peccantes in legem divinam ac naturalem, irriti etiam sunt jure divino ac naturali; sed; ergo. *Min. patet* ex citat. textibus. *Maj. prob.* Datur eadem prudentia legislativa in Authore legum naturalium, quæ datur in Authore legum civilium; ergo si decet, a Legislatore humano ob bonum publicum annullari hos contractus contrarios legi civili, etiam expedit a Legislatore divino, qui est author legis naturalis, annullari contractus contrarios legi naturali vel divinæ.

Probatur 3. Si contractus de opere turpi essent validi & obligatorii, tunc vel obligarent *utrumque* contrahentium vel *unum* tantum; neutrum potest dici; ergo. *Min. prob.* Si dicitur obligari *utrumque*, tunc manifestum esset, unam partem contrahentium obligari ad peccandum; sed hoc implicat; ergo. *Maj. est evidens*; quia si v. g. Judas Gen. 38. contrahat cum Thamar de concubitu sub pacto de mercede hœdi, non potest excogitari alia obligatio ex parte Thamaris quam peccatum: item si Judæi paciscuntur cum Juda sub pacto de 30. argenteis, non potest ex parte Judæ excogitari alia obligatio quam tradendi Christum; ergo si in utroque contrahentium datur obligatio, revera ex una parte debebit dari obligatio ad peccatum. *Prob. Min.* inprimis quia absurdum est, quod v. g. Judas possit obligari ad tradendum Christum: dein quia SS. Patres docent nullam dari obligationem ad implendam talem promissionem peccandi. Sic Ambrosius l. 3. de Officiis c. 12. ait: *Unusquisque nihil pronuntiet inhonestum*; *aut si promisit, tolerabilius est promissum non facere quam facere quod turpe est*. -- *Non igitur semper promissa solvenda sunt*. Et S. Isidorus: *In male promissis rescinde fidem*. Vide causa 22. q. 4. per totum, ubi sententia nostra plurimis textibus stabilitur. *Probatur igitur Min. primi Syllog. etiam quoad* 2. *membr.* nempe quod non possit dici *unum* contrahentium obligari. Si talis contractus tantum esset obligatorius *ex una parte* contrahentium, tunc esset contractus gratuitus conditionatus, nempe posita conditione peccati; sed hoc non potest dici; ergo. *Min. prob.* 1. In taliter contrahentibus non datur intentio ineundi contractum *gratuitum*, sed *onerosum* cum animo obligandi etiam alterum; vel si contractus turpes essent validi per modum promissionis liberalis, *suspensæ* tamen ad eventum conditionis sine animo, promissorium obligandi, sed tantum animo eum ad peccatum solicitandi, tunc ista promissio esset intrinsece remuneratoria peccaminosæ actionis, de se ex suo genere non æstimabilis pretio; sed hoc non potest dici; ergo. *Min. prob*: Promissio liberalis remunerativa peccati est intrinsece nulla; ergo si talis contractus habet rationem promissionis liberalis, non valet. *Ant. prob.* 1. Promissio facta Deo sub conditione turpi v. g. juramentum aut votum, si Deus secundarit homicidium sui inimici, est nulla; ergo etiam promissio facta homini. 2. Promissio peccandi est intrinsece nulla; ergo etiam promissio remunerandi peccatum est intrinsece nulla. *Ant. patet* ex citat; textibus SS. Patrum; quia

quia nemo obligari potest ex aliqua lege ad agendum contra legem; c. *prob.* Remunerari peccatum est ex suo genere peccatum; ergo est eadem ratio de promissione peccandi & de promissione remunerandi peccatum. 3. Illa promissio est intrinsece nulla, ad quam implendam nulla lex convenienter potest obligare; sed talis esset promissio remunerandi peccatum; ergo. *Min prob.* Nulla lex potest obligare ad solicitandos hominum animos ad peccandum, & ad remunerandum *privatim*, quod *publice* per omnes leges est pœna dignum; sed hoc fieret, si quis obligaretur ad servandam promissionem remunerativam peccati; ergo. *Maj. patet*, quia quilibet in particulari tenetur procurare bonum commune, quantum potest. *Min. prob.* obligatio servandi promissionem sub conditione turpi revera promoveret actionem peccaminosam; ergo. 4. Illa promissio est jure naturali nulla, quæ in foro externo, exigente bono communi, *est juridice* nulla; sed talis est promissio controversa; ergo. *Min. patet.* ex l. *itaque* 12. ff. *de furtis*, ubi dicitur: *actionem ex improbitate sua nullus consequitur*. Item ex l. *ubi autem* 3. ff. *de condict. ob turp. causam*, ubi dicitur: *Ubi dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur ut male judicetur*. *Min. prob.* Quisque debet esse suus legislator: prout habetur in Epistola D. Barnabæ Apostoli num. 21. relata ad finem de Lege jejunii, aut certe naturalis ratio est instar legislatoris in iis quæ obstant bono communi in foro externo, & quæ vergunt directe ad corruptelam morum; ergo. 5. Princeps stulte ageret, si tribueret vim obligationis civilis promissionibus factis, & faciendis in ruinam reipublicæ, regni, aut suæ personæ. Ergo etiam Deus imprudenter ageret, si ejusmodi promissionibus remunerativis peccati tribueret vim obligationis theologicæ. Si autem Deus non tribuit vim obligationis theologicæ, reipsa non dabitur obligatio Theologica. Ubi nota, hoc argumentum valde urgere, quocunque nomine vocetur ista promissio, si quis eam nolit vocare remuneratoriam. 6. Illa promissio est nulla in foro interno, quæ essentialiter habet animum remunerandi, & tamen non habet objectum capax remunerationis; sed talis foret promissio remuneratoria circa conditionem turpem; ergo. *Maj. patet*; quia deficiente materia & objecto essentiali alicujus contractus etiam contractus est nullus. *Min. prob.* Objectum talis promissionis est actio peccaminosa; atqui hæc non est digna remuneratione. *Min. patet* ex lumine rationis.

Dixi autem in conclusione: *Nisi lex has conditiones habeat pro non adjectis*; nam in *testamentis* & in contractu *matrimonii*, in quantum agitur præcise de valore matrimonii aut sponsalium secuta notoria imprægnatione, ob dispositionem juris positivi conditiones turpes & impossibiles habentur pro non adjectis, ita ut hi contractus eodem modo valeant, ac si conditiones illæ non essent serio adjectæ. Ita habetur §. 10. Inst. *de hæredibus instit.* Et c. *si conditiones* 7. *de conditionibus appositis*.

Dices 1. Donatio meretrici facta propter usum corporis non est invalida ex l. *affectiones* 5. ff. *de donationibus*; ergo etiam validus est contractus de simili opere turpi. 2. l. 4. §. 3. ff. *de condict. ob turp. caus.* dicitur: *Meretrex turpiter facit, quod meretrix sit; non autem turpiter accipit, cum meretrix sit*. Ergo.

Respondeo ad 1. tr. a. n. c. & parit. Disparitas est; quia donatio *absoluta*, & in se liberalis ac ultronea, quam quis cuique personæ facit, non est invalida. Quod autem fiat cum *respectu* ad præcedentem copulam fornicariam, non est ex natura donationis, sed vitio donantis; & ideo ab hoc respectu *extrinseco* non irritatur nec vitiatur donatio in se. Ast vero promissio remuneratoria ejusmodi turpis *per se* ac *intrinsece* respicit opus turpe, & ideo ob *intrinsecum* hunc suum respectum est invalida non solum jure positivo, sed & naturali. Quod si leges non habuerunt rationem irritandi donationes spontaneas actione peccaminosa jam *posita*, quia tales donationes sunt minus frequentes, nec

nec inducunt per se ad peccatum, habuerunt tamen rationem irritandi contractus & promissiones de actione primum *ponenda*, quia tales essent frequentes, & directe inducerent ad corruptelam morum; adeoque etiam ad perversionem Reipublicæ. Itaque dicendum, ejusmodi donationes spectandas esse præcise ut gratuitas & liberales ex causa turpi quidem tanquam motivo, non tamen tanquam ex pacto, ne quidem, ut remuneratorias.

Dices 2. S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. c. docet quod datio meretrici facta non sit illicita.

Respondeo dist. Dicit S. Thomas, quod aquisitio per meretricium & datio propter fornicationem non sit illicita intrinsece c. extrinsece & ex circumstantiis. n. Ipse S. Doctor fatetur, quod sic dans peccet; ergo necessario ejusmodi datio & aquisitio erit peccaminosa extrinsece ex motivo aut fine operantis, & ex suo genere, spectando actionem secundum se, & abstrahendo a circumstantia finis seu motivi.

Dices 3. Si latro quærat socium cum pacto de partienda præda, dein vero fidem non servet, *perfidus* & *sceleratus* judicandus est, ut ait S. Augustinus relatus cap. *si ad peccatum* 20. causa 22. q. 4. atqui non esset *perfidus*, nisi teneretur contractu turpi; ergo.

Respondeo. Dist. *Maj.* Est sceleratus malitia animi, tr. malitia facti. n. Homines merito censent talem latronem habere animum magis depravatum quam alium qui fidem servat; quia præsumunt, id non fieri ex motivo virtutis, ne latro remuneretur, sed ex priore dispositione animi, qua paratus est, nec aliis in contractu justo servare fidem.

§. II.

Qualis error & dolus irritet contractum?

Quæritur 1. Quid & quotuplex sit error?

Respondeo. *Error* est judicium falsum de rei substantia vel ejus proprietatibus. Est triplex, *antecedens*, *concomitans*, & *subsequens*. *Antecedens* est, qui dat causam contractui, ita ut contractus non fieret, si veritas agnosceretur; v. g. si puto esse gemmam, eamque pro mille aureis emam, cum tamen sit vitrum. *Concomitans* est, qui se habet per accidens ad contractum, ita ut contractus nihilominus fieret, etiamsi agnosceretur veritas; v. g. si emam pannum pro veste, & mercator dicat illum esse Anglicum, cum tamen sit tantum Bohemicus; emeretur enim nihilominus, licet forte difficilius, etiamsi sciretur tantum esse Bohemicum. *Subsequens* est, qui primum ad contractum subsequitur; v. g. Paulus legat Titio 1000. florenos sperans illum bene usurum legato; si contra spem male impenderit, erit error subsequens.

Quæritur 2. Qualis error irritet contractum?

Respondeo 1. Illum errorem irritare contractum, qui versatur circa *substantiam* rei, non vero illum errorem, qui versatur circa *accidentia* rei; illud autem pertinet ad substantiam rei, cui alligatur intentio contrahentis. Ratio est; quia partes compositi accidentalis constituentes substantiam rei, v. g. alicujus contractus, unitatem suam habent a voluntate seu intentione hominum, eas partes in ordine ad unum quendam finem colligantium. Cum ergo objectum, circa quod versatur contractus, servire debeat ad usus a contrahente intentos, ad ipsius voluntatem pertinet, quasnam partes animo designet, dum earum in se vult transferre dominium in ordine ad finem a se intentum.

Respondeo 2. Non *universaliter* irritari contractus ob errorem antecedentem, etiamsi illo cognito contractus non fuisset initus. Alioquin enim plurimi contractus forent irriti v. g. si quis emit equum, quem putat longe esse meliorem quam experitur postea, non emisset si id agnovisset; validus est tamen contractus, quia licet equus non emeretur, non tamen contrahens actualiter in sua mente explicite vel implicite cogitavit de aliqua conditione objecti, nec eam

ita

ita designavit signo externo, ut facile intelligi potuerit, huic conditioni actu alligatum fuisse ejus consensum.

Quæritur 3. Cuinam conditioni censeri debeat alligata esse intentio contrahentis?

Respondeo 1. Illi conditioni, quam expresse designat contrahens v. g. si dicat: nolo emere hunc equum, nisi sit ex Walachia, etiamsi alias foret optimus.

Respondeo 2. Interpretative ac tacite intentionem contrahentis alligari illi conditioni, cui communiter alligata esse præsumitur *ex communi usu hominum*, vel *ex dispositione legis*, vel *ex circumstantiis*; ex istis enim tribus fontibus aliqua conditio censetur tacite deducta in pactum; *prob. Responsio*. Quilibet contrahens, etiamsi suam intentionem non exprimat, præsumitur tamen contrahere vel juxta *consuetudinem*, vel juxta *dispositionem legis*, vel juxta *exigentiam sui finis* sufficienter manifestati; ergo tacite alligat suam intentionem conditioni, quæ substat tribus præfatis titulis. *Ant. patet* ex legibus prudentiæ & declaratur exemplis: sic 1. miles crastino iturus in prælium emit equum, quem sperat serviturum in prælio. Si illi traderetur equus ferocissimus, impatiens ignis, & inexpertus belli pro experto, contractus non valeret; quia ex *intentione finis* satis manifestati patet, intentionem ementis tacite alligari tali conditioni. 2. Intendit quis ducere filiam Joannis, quia dives & nobilis est; traditur ei filia Jacobi nobilior & ditior; nihilominus matrimonium est irritum, quia intentio in hac materia ex communi *consuetudine hominum* aut certe *dispositione legum* non alligatur ad fines illos extrinsecos matrimonii, sed potissimum ac primario ad personam. Idem contingeret, si mercator pauper duceret Joannam, quæ promittit in dotem mille aureos, ex intentione se liberandi a suis debitis mille aureorum; manifestum enim est, huic conditioni tacite alligari intentionem contrahentis. 3. Credit aliquis, se sponsam ducere pudicam, mansuetam ac omni virtutum genere ornatam; postmodum experitur contrarium, nihilominus contractus valet; quia etiamsi homines vellent alligare his conditionibus suas intentiones, *consuetudo* tamen & *dispositio legum* talem alligationem non permittunt, nisi exprimatur contrarium in contractu. Ratio est; quia alias raro iniretur matrimonium validum cum perturbatione Reipublicæ. In similibus ergo non quæritur, quid fuisset facturus si veritatem agnovisset, sed quid actu fecerit per subordinationem ad leges; spectatur voluntas præsens, non voluntas futura; nec attenditur quid voluisset, sed quid actu voluerit.

Quæritur 4. Quid agendum, si nihilominus omnibus consideratis dubium maneat, utrum contrahens alligarit intentionem conditioni ignoratæ?

Respondeo. Si nec clara lex, nec uniformis consuetudo nec circumstantiæ satis ostendunt hic & nunc alligatam fuisse intentionem contrahentis conditioni ignoratæ, considerandum est 1. Quid fieri soleat in casibus proxime similibus, si omnino similes haberi non possint. 2. Utrum bono publico notabiliter & evidenter melius sit talem contractum ex suo genere ac universim haberi pro irrito quam valido; cum enim intentio subordinetur ad dispositionem legum, eo ipso etiam tacite subordinatur ad exigentiam boni communis. 3. Utrum de facili possit obtineri rescissio contractus coram Judice & sine magnis expensis aut incommodo; si enim facile posset obtineri rescissio contractus & compensatio damni, potius standum esset pro valore contractus, quia interpretatio pro valore est favorabilior contractibus in genere sumptis & bono communi, licet forte non sit favorabilior huic vel illi contrahenti. Et hinc 4. sequitur, si neque ex his principiis certi quidpiam deduci possit, standum esse pro valore contractus. *Confirmatur* ex eo; quia in contractibus universim potius attenditur consensus præsens quam consensus conditionate futurus, & magis spectatur quid fecerit quam quid esset facturus. Bonitas omnium harum responsionum *Probatur*; quia hæ regulæ exiguntur ad bonum commune,

mine, cui præ oppositis facilius & utilius serviunt.

Quæritur 5. Quid dicendum de *dolo* & *fraude*?

Respondeo 1. Si fraus aut dolus committitur a quopiam tertio, neutro contrahentium conscio, nihil obest valori contractus bona fide initi; quia ultro citroque datur obligatio ex consensu contrahentium; habet tamen deceptus contra decipientem *actionem ex dolo* v. g. ut æquet pretium, si ejus suasu doloso pluris emerit quam oportuit. Id colligitur ex l. 7. ff. *de dolo malo*. Quod si insuper damna fuerint secuta ex contractu, ad illa solus tenetur fraudolentus ille mediator, qui totius doli author fuit.

Respondeo 2. Si dolus committitur ab alterutro contrahentium, contractus erit nullus, si dolus versatur circa *substantiam* rei, id est, circa talem conditionem, cui *alligata* præsumitur *intentio* contrahentis. Si autem dolus dans causam contractui tantum versatur circa *accidentalia* rei, contractus quidem valet, sed claudicat, hoc est, potest rescindi per Judicem in favorem decepti, etiamsi rescindi non possit ad instantiam deceptoris. Ita habetur l. *si dolo* 5. C. *de rescind. vend.* Idque verum est, etiamsi simul etiam decipiens læsus fuerit ultra dimidium; quia est in potestate decepti supplere justum pretium, quod decipiens tenetur acceptare. Ita habetur C. *cum dilecti* 3. *de empt. & vend.*

Quæritur 6. Intra quod tempus *actionem doli* movere possit & debeat deceptus contra eum, qui dolo usus est?

Respondeo. Intra biennium. Ita habetur l. *optimum* 8. C. *de dolo malo*, ubi dicitur: *Optimum duximus eo die, quo asseritur commissus dolus, intra continuum biennium de dolo actionem moveri; sive absfuerit sive præsto sit is, qui dolum se passum conqueritur. Omnes igitur sciant, neque incipiendæ post biennium, neque ante completum biennium cæptæ, post biennium vero finiendæ doli actionis esse concessam licentiam*.

§. III.

Quomodo vis & metus efficiant contractus nullos?

Q*Uæritur* 1. Qualis *vis* faciat contractum irritum?

Respondeo 1. Certum esse, quod vis absoluta efficiat contractum simpliter nullum. Ratio est; quia vis *absololuta* tollit esse voluntarium, omnemque consensum, ut constat ex D. Thoma 1. 2. q. 6. a. 5.

Respondeo 2. Ad hoc ut contractus dicatur *vi absoluta* extortus, non sufficit, quod solis *actibus externis* fuerit illata vis, sed insuper requiritur, ut vim patiens nullum omnino adhibuerit *internum assensum*; quia possibilis est talis consensus internus non obstante vi externa. In foro autem externo non creditur deesse consensus internus, nisi vim patiens resistat vim inferenti, & omni modo possibili conetur vim repellere. Hinc in foro externo violentiam alleganti incumbit probatio.

Quæritur 2. Quomodo & quando *metus* irritet contractum?

Respondeo. Tunc, quando metus tollit consensum internum; si enim consensum hunc non tollat, non irritat contractum. Hinc potest contingere, ut contractus etiam ex *metu levissimo* sit nullus, si metus levissimus tollat consensum: econtra contractus ex *metu gravissimo* sit validus, si metus ille gravissimus non tollat consensum internum. Ita colligitur ex l. 21. §. 5. ff. *Quod metus causa*, ubi dicitur: *Si metu coactus adivi hæreditatem, puto me hæredem effici; quia, quamvis si liberum esset noluissem, tamen coactus volui: sed per Prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur*. Econtra l. 6. §. 7. *de aquir. vel omitt. hæredit*. dicitur: *Qui timore coactus fallens*, id est ficte seu sine animo adeundi, *hæreditatem adiit, hæres non fiat*. Ergo quod fit cum consensu interno, validum est, & quod sine illo consensu fit, non valet.

Quæritur 3. Quando præsumendum sit

ſit nullum ad fuiſſe conſenſum internum, dum contractus procedit ex metu?

Reſpondeo 1. Præſumendum eſſe conſenſum internum, quando metus provenit a cauſa *intrinſeca* v. g. ab infirmitate vel apprehenſione nimia metuentis; quia, ut dicitur Prov. 8. *aliquando fugit impius nemine perſequente*. Adeoque in tali caſu contractus erit validus. Id ipſum colligitur ex cap. *Sicut nobis* 17. *de Regular.* Ratio eſt; quia niſi lex ita præſumeret, meticuloſi, qui ſimilibus apprehenſionibus ſemper laborant, nimis frequenter contraherent invalide cum perturbatione Reipublicæ.

Reſpondeo 2. Præſumendum etiam eſſe adeſſe conſenſum internum, ſi metus provenit a cauſa *naturali extrinſeca* v. g. incendio, naufragio &c. adeoque in tali caſu valet contractus. Ratio eſt; quia hæ cauſæ extrinſecæ ex ſua natura non ordinantur ad extorquendum conſenſum internum; adeoque præſumi debet, quod conſenſus in talibus circumſtantiis ſit libere poſitus.

Reſpondeo 3. Præſumi etiam conſenſum internum, adeoque contractum eſſe validum, ſi metus provenit a cauſa *extrinſeca libera* metum *juſtum* incutiente, Sic metu excommunicationis ex juſta cauſa quis cogi poteſt ad contrahendum matrimonium, quod promiſit c. 10. *de ſponſalibus*. Item Monachus ob crimen ſimoniæ poteſt compelli ad ſtrictiorem regulam c. 26. *de Simonia*. Ratio eſt; quia quilibet præſumitur libere facere, quod jure debet.

Quæritur 4. An valeat contractus procedens ex metu *injuſte* incuſſo?

Reſpondeo. Talem contractum non eſſe irritum *jure naturæ*, ſed tantum irritandum *jure poſitivo*, ut proin non ſit ipſo jure *irritus*, ſed tantum, ut loquuntur, *claudus*. *Probatur* 1. Alexander III. c. 2. *de his quæ vi* jubet reſtitui Presbyterum, qui coactus Beneficium dimiſerat, & affert univerſalem rationem; quia *quæ metu* (injuſte incuſſo) *& vi fiunt, debent in irritum revocari*; Sed quod debet in irritum revocari, eſt tantum irritandum; ergo. 2. Jus Civile dicit in contractu metu extorto eſſe inſtituendam *exceptionem*, ſi res nondum ſit tradita; ergo non eſt ipſo jure irritus. *Ant. prob.* l. *dolo.* 5, C. *de inutilibus ſtip.* dicitur: *dolo vel metu adhibito actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit; per doli mali tamen vel metus exceptionem ſubmoveri pretio debet*. Item *actio metus cauſa*, ſi res jam fuerit tradita, ad reſciſſionem contractus conceditur l. 14. ff. *Quod metus cauſa*. Jam vero contractus, qui præcipitur irritari, non eſt ipſo jure irritus; ergo. *Probatur* 3. Ille contractus eſt jure naturæ validus, in quo præſumuntur omnia eſſentialia jure naturæ requiſita; ſed in tali contractu præſumuntur omnia eſſentialia; ergo. *Min. prob.* Semper præſumitur mentem correſpondere verbis, adeoque dari conſenſum contrahentium: ergo.

Quæritur 5. Quid agendum, ſi in foro *externo* ſtet præſumptio pro valore contractus; contrahens autem ſciat, ſe nullum habuiſſe conſenſum internum?

Reſpondeo. Contractum eſſe invalidum; quia conſenſus internus nullo jure ſuppleri poteſt. Hinc ſi quis ſciat, ſe ad *matrimonium* vel *profeſſionem* religioſam nullum habuiſſe conſenſum, ne ipſa quidem excommunicatione in foro *interno* obligabitur ad contractum.

Quæritur 6. An contractus metu *gravi injuſte* extortus firmetur juramento, pariatque obligationem in conſcientia?

Reſpondeo. Talis contractus parit obligationem in conſcientia, niſi præjudicet bono communi, vel tertii, vel legi altiori. *Probatur* 1. ex. c. 3. *de his quæ vi metusque cauſa*, ubi dicitur: *Nihil impedit, quo minus electus illi Eccleſiæ, cui ex metu iniuſte a laicis illato renuntiaverat, poſſit præfici, dummodo renuntiatio iſta non fuerit juramento vel interpoſita fide confirmata*. Ergo ſi fuerat juramento confirmata, non potuiſſet præfici. *Probatur* 2. ex. Thoma, qui 2. 2. q. 89. a. 7. ad 2. ait: *Dicendum quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio: una quidem qua obligatur homini cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promiſſum non ſervetur: alia autem eſt*

obligatio qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit: & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis quis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare: potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt; non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi obligationem ex justa causa relaxantes. Ita S. Thomas, ex quo patet, quod contractus ad objectionem juramenti fiat validus, nisi ipsum juramentum directe cedat in præjudicium Reipublicæ, quale foret juramentum, se reum non denuntiaturum, vel juramentum pupilli aut Minoris non habentis potestatem libere agendi contra juramentum.

§. IV.

De Precariis.

QUæritur 1. Quid sit *Precarium?*

Respondeo. Precarium est contractus, quo alicui ad ejus preces res quædam ad utendum gratis conceditur, reservata tamen libertate, rem revocandi ad libitum. Nisi addatur promissum de non revocando ante certum tempus. Sic, si quis amico commodet sine pretio equum ad exspatiandum, revocabiliter tamen ad nutum commodantis, dicitur Precarium.

Quæritur 2. Quid sit *Precaria?*

Respondeo. Precaria est contractus, quo alicui ad ejus preces res Ecclesiastica immobilis ac frugifera sine proportionato pretio ad fruendum conceditur, ea tamen conditione, ut contractus singulis quinquenniis renovetur. Ita colligitur ex C. *Precariæ*, & C. *Precarium*, & *C. de Precariis*, hoc Titulo.

Quæritur 3. Quid in Precario operetur pactum de non revocando ante certum tempus?

Respondeo. Hoc pactum id operatur, ut precatarius teneatur rem precario concessam finito tempore restituere, etiamsi concedens expresse rem non revocaverit.

Quæritur 4. An Prælatus vel alius Administrator rerum Ecclesiasticarum possit Precariam constituere sine justa causa?

Respondeo Negative. Ita communior. Id colligitur ex C. de Precariis, h. tit. ubi ex Concilio Carthaginensi dicitur: *De Precariis irrationabiliter factis a Rectoribus Ecclesiarum, se suosque successores pœna gravi obligantibus, ut facta ipsorum dissolvere nequeant: præcipimus, ut nemo successor antecessoris sui pœna sit obligatus, sed suæ providentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res Ecclesiæ irrationabiliter distribuit, ab eo ad jus ejusdem Ecclesiæ revocentur*. Ex hoc tamen textu solo non sequitur, Precariam constitui non posse sine solennitate, saltem ad triennium, cum ad triennium fieri possit etiam locatio, prout infra dicetur, sine solennitatibus.

Quæritur 5. An Prælatus vel alius Administrator rerum Ecclesiasticarum possit ex causa rationabili ad quinquennium Precariam constituere sine requisitis solennitatibus?

Respondeo Negative. Ita communior.

Ratio est, quia Prælato ne quidem conceditur locatio ultra triennium sine solennitatibus, etiamsi in locatione solvatur justum locationis pretium. Ergo multo magis repugnat intentioni legislatoris Precaria ultra triennium, cum in ea non solvatur justum locationis pretium, & sic sit majus periculum damnificationis Ecclesiarum.

Quæritur 6. An Precarium solvatur morte concedentis vel precatarii?

Respondeo. Precarium non solvitur morte concedentis; solvitur tamen morte ejus, cui concessum est. Solvitur etiam per alienationem rei precario concessæ: quia alienatio habet vim revocationis implicitæ. Ita habetur C. Precarium 3. h. tit.

Quæritur 7. Ad quid obligatur Precatarius in casu, quo res precario concessa perit? vel deterioratur?

Respondeo 1. Precatarius tam in Precario, quam in Precaria, jure naturali

in

in casu tenetur ad resarciendum damnum non solum ex dolo vel culpa lata, sed etiam ex *culpa levi*, saltem quoad damni dimidium.

Ratio est, quia in contractibus bonæ fidei respiciendum magis est ad intentionem, quam obligans verosimiliter habuisset, si de casu extraordinario cogitasset. Sine dubio autem obligasset precatarium saltem ad dimidium damni ex culpa levi.

Respondeo 2. Precatarius tamen non tenetur jure naturali ex culpa levissima ad resarciendam partem damni.

Ratio est, quia cum Precarium sit effectus amicitiæ tendentis ad beneficium gratuitum; amicitiæ autem non sit, obligare amicum ad culpam levissimam, non est præsumendum, eam fuisse intentionem concedentis, nisi exprimatur oppositum.

Nec obstat; quod Commodatarius teneatur etiam ex culpa levissima, quando commodatum cedit in utilitatem solius commodatarii. *Disparitas* enim est, quia Precarium est effectus solius ac puræ amicitiæ vel gratitudinis erga eos tantum, quibus speciali amicitia jungimur vel gratitudine obligamur. Neque enim tenemur, gratis aut sine justo pretio cuivis concedere usum rerum nostrarum absque onere saltem arctioris diligentiæ. Econtra commodatum est effectus charitatis Christianæ omnibus debitæ, quibus proin æquæ beneficii conditiones poni possunt.

§. V.

De Commodato.

QUæritur 1. Quid sit *Commodatum?*

Respondeo. Commodatum est contractus, quo alicui res ad certum usum & tempus gratis conceditur eo pacto, ut usu finito eadem in specie restituatur.

Dicitur, *eadem in specie*, hoc est, prout Jura hunc terminum sumunt, *eadem in individuo*. Hinc res usu fungibiles, v. g. esculenta aut poculenta commodari non possunt, nisi commodentur ad solam pompam, prout fieri nonnunquam solet circa dulciaria.

Quæritur 2. Ad quid obligatur commodans?

Respondeo. Commodans tenetur 1. rem commodatam non revocare nondum elapso tempore, ad quod concessa est. 2. Reparare damna commodatario illata ex dolo vel culpa lata, si rem vitiosam, v. g. equum sternacem aut refractarium, sine prævia monitione de vitio commodasset. 3. Resarcire expensas necessarias, quas commodatarius facere debuit in rem commodatam. Si enim alicui commodata est domus vitiosa, aut ruinosa, commodans tenetur solvere reparationes uecessarias, sine quibus domus passa foret ruinam vel aliud grave detrimentum. Idem contingit circa medicinam pro commodato equo, aut circa expensas aggerum contra alluvionem pro agro commodato. Ita exigit æquitas naturalis & intentio commodantis rationabiliter præsumpta, & Jus commune.

Quæritur 3. Ad quid obligetur commodatarius?

Respondeo. Commodatarius tenetur 1. Commodatam rem in individuo, seu pro ut Jura loquuntur, in specie restituere tempore expresse vel tacite convento. 2. Re commodata non alter uti, quam modo per commodantem tacite vel expresse concesso.

Ratio est, quia contractus ex intentione contrahentium legem accipiunt. 3. Rem commodatam, si in solius commodatarii utilitatem commodata sit, exactissima diligentia custodire, ita ut si res commodata facta fuerit deterior, vel destructa, vel deperdita, commodatarius teneatur præstare non solum culpam levem, sed etiam levissimam. Ita spectata æquitate naturali statuit *Gregorius* IX. in C. *Cum gratia*, h. tit. ubi sic scribit: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur. Licet casus fortuitus, nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum seu in mora fuisset, sibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte* (actione)

com-

commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata; cum non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari. Ex hoc ipso autem textu sequitur. 4. Commodatarium non teneri ad compensationem, si res commodata sine ulla sua etiam levissima culpa pereat, furto auferatur, aut deterioretur; idque verum est pro foro interno ante sententiam Judicis, etiamsi per leges locorum particularium, commodatarius in casu, quo res commodata casu fortuito absque ejus culpa perit, teneatur in foro externo pro arbitrio Judicis per viam transactionis ad compensationem juxta naturam, exigentiam, ac rationem damni illati. 5. Si commodatum cedit in utilitatem utriusque, v. g. si quis suo Advocato petenti vel Medico commodet libros ad strenue defendendam suam causam, vel curandam suam valetudinem; vel si sponsus suæ sponsæ pro die nuptiarum commodet sua ornamenta, commodatarius in casu, quo res commodara perit vel deterioratur, ad compensationem tenetur solum ex culpa levi, non vero ex culpa levissima. Ita æquitas naturalis exigit. 6. Si commodatum cedat in utilitatem solius commodantis, v. g. si in casibus positis nec Advocatus nec Medicus petat sibi commodari libros, nec sponsa postulet ornamenta, sed ipsemet commodans ultro offerat ac velit acceptari libros aut ornamenta, commodatarius in casu, quo res commodata perit vel deterioratur, tenetur ad compensationem solum ex culpa lata. Ita spectata æquitate naturali Jus commune. 7. Si dubium sit, an culpa commissa a Commodatario sit tantum lata vel levis, aut num sit tantum levis vel levissima, commodatarius tenetur inire compositionem juxta arbitrium boni viri, & Judex secundum dicta de Probabilismo conformiter ad doctrinam *Cardinalis de Luca Tomo decimo Theatri discursu* vigesimo quinto tenetur imperare transactionem, sive sit dubium stricte dictum sive late dictum cum majore probabilitate unius partis.

Ratio est, quia dubium hoc versatur circa quæstionem facti indefinibilis, & consequenter subjecti vario & variabili Judicum judicio.

§. VI.

De Deposito.

QUæritur 1. Quid sit *Depositum?*

Respondeo. Depositum est *contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur eo pacto, ut eadem in specie deponenti ad ejus arbitrium restituatur.*

Dicitur eadem in specie, hoc est, eadem in individuo. Sic itinerantes deponere solent suas res apud aurigam, cauponem, nautam, stabularium &c.

Quæritur 2. Quotuplex est Depositum?

Respondeo. Est varium. Dividitur enim Depositum 1. in Conventionale, Judiciale, & sequestrarium. 2. In voluntarium & necessarium. 3. In regulare & irregulare. *Conventionale* est, in quo Depositarius ad preces deponentis in se recipit custodiam Depositi. *Judiciale* est, in quo Judex ex officio tenetur in se recipere custodiam Depositi, v. g. quando Tutores pecunias vel alias res mobiles pupillorum deponunt pro custodia apud Judicem. *Sequestrarium* est, quando res litigiosa traditur Judici vel Sequestro, ut tamdiu custodiatur, donec finita lite pateat, cui sit restituendum. *Voluntarium* est, quod absque necessitate cogente deponitur. *Necessarium* est, quod necessitate cogente deponitur, v. g. ratione hostilis incursionis, incendii, tumultus publici, exilii, &c. ob quod etiam *miserabile* dicitur. *Regulare* est, seu *purum*, cui non admiscetur alterius generis contractus. *Irregulare* vero, seu *mixtum* est, quod non sistit in pura natura contractus depositi, sed habet permixtum aliud genus contractus, v. g. si deponatur pecunia, frumentum, vinum, vel alia res fungibilis, addita facultate, ut depositarius his rebus depositis libere uti possit. In tali enim casu cum contractu Depositi permiscetur contractus *mutui*.

Quæritur 3. An Religiosi, Prælati, Minorennes, possint in se recipere depositum?

Respondeo 1. Religiosi possunt quidem recipere *Deposita late dicta* salva paupertate, sed non salva *obedientia*, si hoc illis specialiter fuerit prohibitum.

Dixi, *Deposita late dicta* non habentia annexum contractum reciprocum, quo depositarius se obliget ad satisfaciendum pro negligentia in custodiendo; deposita enim *stricte dicta* habentia annexum ejusmodi contractum reciprocum recipere non possunt, cum sint incapaces Dominii saltem absoluti.

Respondeo 2. Prælati possunt quidem cum consensu Capituli recipere Deposita etiam *stricte dicta*; sine tamen consensu Capituli non possunt se vel suam Ecclesiam obligare ad satisfaciendum in casu negligentiæ.

Ratio est, quia Prælati sunt administratores bonorum communium, non Domini. Sicut ergo administrator se non potest obligare in præjudicium sui Domini sine ejus consensu tacito vel expresso, ita nec potest se obligare Prælatus sine consensu tacito vel expresso communitatis.

Respondeo 3. Hinc etiam Pupilli vel Minorennes non possunt recipere Deposita stricte dicta sine consensu Tutoris vel Curatoris.

Ratio est, quia non possunt se valide obligare ad satisfaciendum in casu negligentiæ, irritante ejusmodi obligationes non solum jure communi, sed etiam jure particulari locorum, ita ut hæc irritatio videatur esse Juris Gentium, ac consequenter fundata in exigentia Juris naturalis.

Quæritur 4. Ad quid obligetur deponens?

Respondeo. Tenetur 1. ad resarciendum depositario damnum etiam *ex culpa levissima* v. g. si deposuit apud cauponem equum refractarium vel calcitrosum; aut oves infectas, & oblitus est monere pro cautela.

Ratio est; quia Depositi receptio fit in gratiam solius deponentis. 2. Tenetur ad resarciendas omnes expensas a Depositario factas pro conservatione Depositi, v. gr. pro pabulo equi, vel pro applicatione medicinæ.

Ratio est, quia hæc præsumitur esse intentio contrahentium.

Quæritur 5. Ad quid obligetur Depositarius?

Respondeo. Depositarius tenetur 1. rem depositam servare & custodire cura ordinaria, quam Domini etiam parum diligentes adhibere communiter solent in servandis rebus propriis. Hinc in casu deteriorationis vel amissionis tenetur ad præstandum damnum *ex culpa levi*, non tantum *ex culpa lata*. Idque verum est, etiamsi Depositarius alioquin in custodiendis rebus propriis sit diligentissimus.

Ratio est, quia receptio Depositi fit in utilitatem solius deponentis, ut proin Depositarius non censeatur se obligare, nisi ad culpam latam. 2. Tenetur re Deposita non uti sine expresso vel tacito consensu deponentis. Ejusmodi enim usus saltem si sit pretio æstimabilis, in Jure communi recte æquiparatur furto, cum lucrum ex re frugifera fructificatione physica vel morali pertineat ad Dominum rei. Censetur tamen Dominus rei circa usum rei aliquando non esse rationabiliter invitus, si usus rei fiat sine ullo probabili periculo deteriorationis, & depositarius simul habeat intentionem compensandi damnum secutum casu fortuito aut ex culpa levissima ob usum rei. Si forte ex usu consequeretur aliquod damnum. 3. Tenetur restituere deponenti rem depositam, qualem accepit; idque sine mora, quam primum deponens rem suam repetit.

Ratio est, quia hæc præsumitur a Jure intentio contrahentium.

Quæritur 6. An, & quando depositarii teneantur ad præstandam culpam etiam levem?

Respondeo. Depositarii præstare tenentur levem etiam culpam 1. quando ita statuunt leges particulares locorum.

Ratio est, quia intentio contrahentium censetur tacite conformari dispositioni legum, ubi non constat de intentione

tione contraria. 2. Quando ita expresse fuit conventum inter contrahentes. 3. Quando Depositarius se ultro obtulit deponenti alioquin non deposituro, nec ad deponendum compulso causa necessitatis vel periculi. 4. Quando Depositarius accepit mercedem pro custodia, prout solet fieri in nundinis, dum alicui ad horam traduntur in custodiam res vendibiles. 5. Quando Depositarii tenentur ad diligentem custodiam rerum, qualiter per Jus commune, imo per Jus Gentium, tenentur Caupones, Nautæ, Stabularii. 6. Quando Depositum cedit in utilitatem utriusque contrahentis.

Ratio est, quia in tali casu depositarius censetur custodire rem tanquam propriam cum contractu oneroso. 7. Quando Depositum est necessarium causa periculi, prout superius ostensum est.

Quæritur 7. Quænam sint causæ excusantes a restitutione Depositi?

Respondeo. Causæ excusantes sunt sequentes. 1. Si ex restitutione sibi vel aliis timeatur periculum. v. g. si furiosus repetat suum gladium. 2. Si res Deposita reperiatur esse aliena, eamque repetat rei Dominus. 3. Si rem depositam ob crimen capitale deponentis juste repetat Fiscus. Aliud tamen dicendum, si crimen deponentis non sit liquidum, aut lex habens annexam pœnam confiscationis tantum sit pœnalis. 4. Quando intervenit impedimentum celeris restitutionis, ita ut deponens ad dilationem restitutionis non possit esse rationabiliter invitus?

Quæritur 8. An depositarius in periculo incendii, vel hostilis incursionis teneatur potius servare res depositas præ rebus propriis?

Respondeo 1. Si res propriæ sint pretiosiores rebus depositis, vel saltem æque pretiosæ, Depositarius tuta conscientia salvat res proprias præ rebus depositis.

Ratio est, quia Contractus Depositi est contractus bonæ fidei, in quo potissimum inspicienda est intentio præsumpta contrahentium, quam verosimiliter habuissent, si de ejusmodi casu fortuito cogitassent. Nemo autem se obligaret ad salvandas potius res depositas prærebus propriis in casu.

Respondeo 2. Si res depositæ sint eminenter pretiosiores rebus propriis, & depositarius possit prudenter sperare compensationem damni proprii secuturi ex prælatione rerum depositarum, tenetur potius salvare res depositas præ rebus propriis.

Ratio est, quia ex communi sensu Doctorum & Juris Communis ea præsumitur esse intentio contrahentium.

Respondeo 3. Si res depositæ concernant bonum publicum, quales sunt Archivia, Cancellariæ, Registraturæ, & Acta Judicialia, &c. Depositarius tenetur potius salvare res depositas præ rebus propriis, etiamsi non speret satisfactionem damno proportionatam, præsertim si obligetur speciali juramento fidelitatis.

Ratio est, quia Supremus Princeps pro tali casu potest & præsumitur velle exigere titulo supremi Domini sacrificium rei propriæ pro incolumitate boni publici, reservato tamen Depositariis jure & spe recompensationis. Quod si illa spes in casu particulari ob defectum probationum deficiat, urget nihilominus lex generalis de præferendo bono publico rebus propriis. Aliud dicendum, si illa Acta relate ad bonum publicum prudenter credantur esse levis consequentiæ.

§. VII.

De Emptione & Venditione.

QUæritur 1. Quid sit Emptio ac Venditio?

Respondeo. Emptio ac Venditio est contractus, *quo duo inter se paciscuntur de Dominio rei pretio æstimabilis pro justo pretio ab uno in alterum transferendo*. Alii addunt, quod Emptio ac Venditio sit contractus *consensualis*, ad designandum, emptionem etiam ante rei traditionem solo consensu perfici.

Quæ-

Quæritur 2. Quotuplex eſt Emptio ac Venditio?

Reſpondeo. Emptio ac Venditio dividitur 1. in *publicam* & *privatam*. 2. In Emptionem *generis*, & emptionem *ſpeciei*. In Emptionem *ad corpus* ſeu per *averſionem*, & in emptionem quæ eſt *ad quantitatem* vel *menſuram*. 4. In *naturalem* ſeu œconomicam, & *artificialem*, ſeu negotiationem. *Venditio publica* eſt, quæ fit authoritate publica, dum verb. grat. bona debitoris venduntur *ſub haſta* plus offerenti authoritate Judicis. Econtra *venditio privata* eſt, quæ fit cujuslibet privati arbitrio. *Venditio generis* apud Juriſtas dicitur, quando ex aliquo genere rerum, v.g. ex grege equorum, ovium &c. venditur unum indeterminatum, arbitrio ementis aut vendentis, prout conventum fuerit, determinandum. Econtra *Venditio ſpeciei* apud Juriſtas vocatur, quando ex aliqua collectione rerum ſimilium, v.g. pomorum, ovium, equorum, &c. venditur aliquod individuum determinatum. *Venditio ad corpus ſeu per averſionem* nominatur, quando plura individua, vel ſpecies, aut genera rerum venduntur per modum unius totius aggregati ſine expreſſione numeri, menſuræ, vel ponderis, v. g. ſi vendantur collectim omnia bona mobilia alicujus Parochi defuncti, vel integra Bibliotheca pro mille florenis, abſque taxatione ſingularum hujus collectionis partium. Idem contingit, ſi integer acervus tritici vendatur, aut grex ovium, abſque expreſſione numeri & pretii ſingularum ſcapharum vel ovium, niſi forte id fiat *demonſtrative* ſeu *narrative*, non *taxative* ſeu *paciſcative* pro ſingulis, v. g. dicendo; vendo tibi hunc acervum tritici, quem meus ſervus dimenſus eſt & afferit eſſe triginta ſeptem ſcapharum, pro trecentis florenis. *Venditio ad quantitatem ſeu menſuram* dicitur, quando plura individua aut genera venduntur cum taxatione pretii pro ſingulis partibus totius, v. g. ſi quis dicat; ex hoc acervo tritici vendo tibi ſingulas ſcaphas pro octo florenis. Diſcrimen hujus venditionis a priori eſt, quod, ſi poſt numerationem, ponderationem, menſurationem totius reperiatur major vel minor numerus, aut menſura, quam fuerat creditum, pretium debeatur determinate juxta numerum ſingularum partium. Econtra in *venditione ad corpus*, etiamſi facta numeratione partium reperiatur major vel minor numerus partium, non augetur propterea nec minuitur pretium totius. *Venditio naturalis ſeu œconomica* dicitur, quando quis vendit ſibi ſuperflua, ut emat alia ſibi neceſſaria. Econtra *Venditio artificialis* ſeu *negotiatio* dicitur, quando quis aliqua lucri cauſa emit, ut ea carius vendat.

Quæritur 3. Quænam requiruntur ad validam venditionem & emptionem?

Reſpondeo. Requiruntur tria. 1. conſenſus contrahentium validus. 2. Merx pretio æſtimabilis in humano commercio. 3. Pretium juſtum.

Quæritur 4. Quid, & quotuplex ſit pretium juſtum?

Reſpondeo. *Pretium juſtum* dicitur, quod in æſtimatione morali attentis circumſtantiis æquivalet rei venditæ. *Dividitur* 1. in *legale*, *ſeu legitimum*, & *naturale ſeu vulgare*. 2. *In infimum ſeu pium*; & in *mediocre ſeu moderatum*, & in *ſummum ſeu rigoroſum*. *Pretium Legale ſeu legitimum* eſt, quod mercibus, v. g. pani, cereviſiæ, vino, frumento, carni, taxatum eſt a Magiſtratu, principe, lege, ſtatuto, conſuetudine; ita ut arbitrio privatorum nec augeri nec minui poſſit abſque injuſtitia. *Pretium naturale ſeu vulgare* eſt, quod attenta qualitate mercium, & exigentia circumſtantiarum taxatur prudenti æſtimatione privatorum in communi commercio. *Pretium infimum ſeu pium* eſt pretium minimum, quo res comparari poteſt ſine damno vendentis ſalva juſtitia & charitate. *Pretium ſummum ſeu rigoroſum* eſt pretium maximum, quo majus ab emptore extorqueri nequit ſalva juſtitia & charitate. *Pretium mediocre ſeu moderatum* eſt pretium medium inter pretium ſummum & infimum. Sic in exemplo, ſi in nundinis vendantur tres equi æqualis bonitatis, unus pro *nonaginta*,

ginta, alter pro *centum*, tertius pro *centum ac decem* florenis, pretium primi erit infimum, secundi mediocre, tertii summum.

Quæritur 5. An & quænam possit constitui generalis regula pro taxando pretio justo?

Respondeo. Potest statui hæc universalis Regula: *Illud est justum rerum aut operarum pretium, quod attentis circumstantiis Magistratus urbium, exercituum, aut provinciarum publice in commercio publico approbant aut statuunt*. Hæc regula *Probatur* ex eo, quia, si pretium rerum vel operarum foret excessivum, plerique in urbe, exercitu, aut provincia invenirent modos, viliori ac justo pretio sibi comparandi ejusmodi merces vel conducendi operas; & sic eoipso pretium excessivum publice in commercio prudentum non vigeret, nec approbaretur.

Confirmatur Hæc regula ex ipso communi axiomate. *Pretia rerum communi æstimatione funguntur*, communi videlicet plerorumque prudentum in urbe, exercitu, vel provincia pro circumstantia personarum, locorum, & temporum judicio, non vero æstimatione privata paucorum imperitorum.

Dixi, *attentis circumstantiis*. Res enim, & operæ artificum, & negotiatorum pro bono omnium publico locatæ industriæ variant in communi plerorumque prudentum æstimatione. 1. ex penuria, raritate, vel copia mercium. 2. Ex paucitate vel multitudine emptorum. 3. Ex singularitate vel collectione mercium, quæ collectim vel seorsim emuntur. 4. Ex difficultate venditoris in vendendo, aut emptoris in emendo, verbi gratia, si venditor ob particularem affectionem aut commoditatem illibenter se privet re, quam emptor petit; aut si emptor illibenter rem emit, quam venditor ultro offert & obtrudit. 5. Ex magnitudine laboris & periculi, quæ venditor subire tenetur in conservandis, asportandis, & colligendis mercibus. 6. Ex periculo non obtinendæ solutionis, & consequenter ex periculo damni inde secuturi. 7. Ex damno emergente & lucro cessante ob venditionem rei, v. g. si rusticus vendat militi transeunti suos equos, & ex eorum carentia nequeat opportuno tempore colere suos agros.

Quæritur 6. An & quænam possit dari regula pro differentia inter pretium summum & infimum?

Respondeo. Potest statui hæc regula: *Illa in quovis genere mercium est justa differentia inter pretium summum & infimum, quam attentis circumstantiis Magistratus urbium, exercituum, aut provinciarum publice in commercio prudentum approbant vel statuunt*.

Ratio est, quia eadem est regula pretii justi, & extremitatum seu limitum justi, cum ipsum justum sine suis limitibus nec satis intelligi, nec definiri queat. Hinc cum pro diversitate circumstantiarum aliquando amplientur, aliquando arctentur hi limites, contingit interdum, verb. grat. horologia portatilia, pyxides tabacisticas, vasa argentea, & alia utensilia in exercitu, conventu principum, vel alia solennitate vendi publice duplo carius, quam alioquin postularet pretium infimum in aliis circumstantiis. Id enim juste fieri poterit, si duplo majus pretium sit proportionatum labori, industriæ, & periculo & operæ, in ordine ad honestam sustentationem præsentem & futuram sui & suæ familiæ.

Quæritur 7. Ad quid obligetur venditor erga emptorem?

Respondeo. Venditor tenetur 1. emptori aperire vitium mercis, si vitium versetur circa substantiam mercis. Censetur autem versari circa substantiam mercis illud vitium, cujus opposito verosimiliter alligatur intentio ementis, eo quod consideratis circumstantiis alias non serviat sine gravi incommodo ad finem ementis. Sic si quis ex præscripto Medici petat vinum Tirolense, vel Franconicum, aut Burgundicum, & illi vendatur vinum Alsaticum, aut mixtum, vitium mercis versatur circa substantiam; vel si viro nobili aut militi vendatur equus sternax pro mansueto, pariter versatur vitium circa substantiam, si

si domari commode nequeat pro usu intento. 2. Tenetur minuere pretium diminutione proportionata, si vitium mercis versetur circa qualitatem accidentalem, puta, circa quantitatem, mensuram, vel bonitatem.

Ratio est, quia tanto minoris valet infra pretium infimum. Imo 3. si vitium accidentale rei non versetur tantum in qualitate vel mensura, sed in bonitate, v. g. medicinæ, colorum, condimentorum, esculentorum, poculentorum, & exinde infirmus, pictor, coquus, mercator, caupo, &c. possit pati aliquod præjudicium notabile, venditor tenetur emptori aperire vitium mercis etiam accidentale, ut emptor adhibendo majorem cautelam possit sibi præcavere de damno. Alioquin, si vitium occultet, peccabit mortaliter non duntaxat contra charitatem, sed etiam contra justitiam, ita ut teneatur resarcire damna exinde illata emptori. 4. Tenetur rem venditam tradere emptori *vacuam*, hoc est, sine oneribus non deductis tacite in pactum, v. g. sine servitutibus, aut pensionibus extraordinariis. 5. Tenetur rem venditam emptori tradere cum fructibus tam pendentibus, quam perceptis post contractum. Sic tenetur tradere equum cum pullo nato post contractum; agrum cum messe, &c. 6. Tenetur emptori tradere rem cum accessionibus & appertinentiis. *Pertinentiarum* autem nomine veniunt omnia, quæ ad usum rei venditæ perpetuo destinantur; aut quæ habentur pro parte rei venditæ; aut quæ rei venditæ infixa sunt. Sic pro pertinentiis ædium habentur puteus, canales, seræ, claves, tabulæ, vineæ, pali, lupuli, &c. Ad appertinentias castrorum, oppidorum, & feudorum ordinarie pertinent territorium, hortus contiguus, servitutes, jurisdictio, jura venandi ac piscandi &c. 7. tenetur emptori resarcire damna, quæ dolo, culpa lata, vel etiam levi occasione rei venditæ eidem intulit; v. g. si vitium mercis occultavit, & ob ejus ignorantiam emptor passus est damnum.

Ratio est, quia venditio & emptio est contractus bonæ fidei & Juris Gentium, utriusque contrahentis utilitatem pari obligatione secundum justitiam commutativam respiciens. Cum ergo justitia commutativa æqualitatem intendat rerum, etiam æqualitatem exspectat reciproce obligationum, ac consequenter obligat quisque contrahens compartem ad eam diligentiam præcavendi alterius damnum, quam ipse rebus suis adhibet, & proin obligat ad præstandam culpam levem. 8. Tenetur emptori de evictione, si res vendita pertinuerit ad alium Dominum, a quo ex toto vel ex parte evincatur in judicio.

Ratio est, quia si vendatur res aliena, sicut non potuit a venditore in emptorem valide transferri Dominium rei, ita nec potuit valide ab emptore in venditorem transferri Dominium pretii.

Quæritur 8. Ad quid obligatur emptor erga venditorem?

Respondeo. Emptor tenetur 1. venditori solvere conventum pretium statim post mercem traditam si ita exigat venditor.

Ratio est, quia hæc præsumitur esse intentio contrahentium, nisi de alia intentione constiterit. 2. Venditori aperire bonitatem mercis, si ea notabiliter excedat valorem pretii summi: v. g. si venditor gemmam pretiosam mille aureorum vendat pro aureo unico ob imperitiam. 3. Aperire venditori vitium pretii, videlicet monetæ; si venditor existimet eam pluris valere, quam valeat. *Neque excusatur* per hoc; quod venditor rem vendiderit summo pretio, & valor monetæ adhuc pertingat ad pretium infimum. Cum enim venditio & emptio sit contractus bonæ fidei, ubi pro regula obligationis sumenda est intentio contrahentium, non est emptori liberum, dare pretium infimum pro summo pretio convento. 4. Si bonitas mercis excedat notabiliter pretium summum, aut pretium conventum notabiliter deficiat a pretio infimo mercis, tenetur eousque augere pretium, donec evadat justum. 5. Compensare venditori expensas utiliter in rem venditam factas ante traditionem, v. g. si equus venditus post venditionem mansit adhuc

apud venditorem, & interea indiguit medicina. 6. Si emptor post traditam mercem fuerit in mora solvendi ex culpa levi, tenetur venditori ad usuras *compensatorias* seu *moratorias*, hoc est, eas, quibus venditori satisfit ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, si re vera interim venditori lucrum cessaverit, vel damnum emerserit ob dilationem solutionis. 7. Ad easdem usuras compensatorias venditori ex culpa levi tenetur, si non solverit in loco debito, vel in quantitate aut qualitate monetæ debita, & interea ob defectum debitæ solutionis venditori lucrum cessaverit, vel damnum emerserit. Hæc omnia fundantur in Jure communi, & æquitate naturali per Jus commune declarata.

Quæritur 9 An re nondum tradita Dominium & periculum rei venditæ sit penes emptorem, vel venditorem?

Respondeo 1. Re necdum tradita, nec soluta, Dominium rei venditæ, si fuerit determinata in individuo, & venditio perfecta sit & absoluta, est penes venditorem; periculum tamen illius est penes emptorem usque ad solutionem pretii. Hinc si equus venditus Cajo sed necdum solutus, pereat ante illius traditionem, perit Cajo, non venditori.

Ratio est, quia emptor, quamdiu nondum solvit pretium, ex jure gentium & intentione contrahentium per leges positivas declaratis, habet usumfructum seu *Dominium utile*, ac *Dominium ususfructus* ex re vendita. Ergo cum Dominium ususfructus inhæreat rei, hac pereunte etiam perit Dominium utile emptori; & cum solutio pretii ex Jure gentium & intentione contrahentium per leges positivas & consuetudinem tribunalium declaratis debeatur potius pro Dominio utili, quam pro Dominio *naturali directo*, tenetur in tali casu emptor solvere pretium, etiamsi res jam perierit. Verum si non placeat hæc ratio, stat pro ratione vetus consuetudo, & voluntas legislatorum.

Respondeo 2. Si tamen emptor jam solverit pretium, tam Dominium quam periculum rei pertinet ad emptorem, ita ut venditor a momento solutionis tantum censeatur habere custodiam rei ante traditionem, non Dominium, nisi expresse hanc sibi reservaverit.

Respondeo 3. Si venditio fuerit solum conditionata usque ad eventum solutionis, vel alterius conditionis, ante impletionem conditionis tam Dominium utile & periculum rei, quam ejus Dominium directum pertinet ad venditorem.

Respondeo 4. Effectus Dominii directi penes venditorem ante solutionem pretii est, quod venditor teneatur *vendicare* rem & *condicere*, si ab aliquo tertio prætendatur, aut violenter occupetur, vel rapiatur; atque interea etiam servit loco pignoris, donec solvatur ab emptore pretium.

Respondeo 5. Expensas tamen pro vendicatione rei aut condictione in tali casu ferre tenetur venditor; quia tenetur emptori tradere rem *vacuam*, hoc est, ab oneribus & impensis extraordinariis liberam.

Respondeo 6. Si emptio & venditio fiat in natione vel cum natione non subjecta Juri communi, & ejus declarationibus per leges aut consuetudinem factis, nec extet alia lex in ejusmodi natione; spectato jure naturali *Dominium rei directum*, & *Dominium utile*, & *periculum rei* pro indivisis, & indivisim haberi & tractari debent; ita ut hæc omnia simul sumpta vel asserenda sint soli venditori, vel soli emptori cujus dicitur & creditur esse res pro more nationis vel intentione contrahentis.

Ratio est, quia ita divisio *Dominii naturalis directi*, & *periculi* est contra naturam contractus, cum recedat a natura aliorum Dominiorum, utpote quibus inhæret periculum rei, juxta tritum proverbium: *Res Domino perit. l. 9. C. de pignorat. act.* & valde innaturale sit, solutionem pretii totius circa res mobiles præstari & intendi pro solo Dominio utili. Cæterum has responsiones re vera fundari in Jure communi, *probatur* ex responsis uniformibus Imperatorum, & veterum Juristarum gentilium; non subjectorum ulli Juri Communi. *Justinia-*

nus

nus §. 3. *de emptione & venditione* sic scribit: „ Cum emptio & venditio contracta sit, quod effici diximus, simul „ atque de pretio convenerit, cum sine „ scriptura res agitur, periculum rei „ venditæ statim ad emptorem pertinet, „ tametsi ea res emptori adhuc tradita „ non sit. Ita si homo (*mancipium venditum*) mortuus sit, vel aliqua parte „ corporis læsus fuerit; aut ædes totæ „ vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint; aut fundus vi fluminis „ totus vel aliqua ex parte ablatus sit, „ sive etiam inundatione aquæ, aut arboribus turbine dejectis longe minor „ aut deterior esse cœperit, emptoris „ damnum est, cui necesse est, licet „ rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor „ securus est. Sed & si post emptionem „ fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet. „ Nam & commodum ejus esse debet, „ cujus periculum est. Quod si fugerit „ homo (*mancipium*) qui vænit aut subreptus fuerit, ita ut neque dolus neque culpa venditoris intervenerit, animadvertendum erit, an custodiam ejus „ usque ad traditionem venditor susceperit? Sane enim, si susceperit, ad „ ipsius periculum is casus pertinet. Si „ non susceperit, securus est. Idem & „ in cæteris animalibus, cæterisque rebus intelligimus. Utique tamen vendicationem rei & condictionem exhibere debebit emptori; quia sane, qui „ nondum rem emptori tradidit, adhuc „ ipse Dominus est. Idem etiam est de „ furti, & de damni injuriæ actione „. Similia habentur l. 7. 8. & 9. ff. *de periculo & commodo rei venditæ* ex responsis Juristarum *Pauli*, *Proculi*, & *Octaveni*, l. 1. & 4. C. eodem Titulo ex responsis *Alexandri*, & *Gordiani Imperatorum*.

Respondeo 7. Si ex aliqua collectione rerum consimilium aut dissimilium fuerit determinato pretio vendita una earum indeterminata, v. g. ex grege ovium una primum eligenda ab emptore aut venditore, quæcunque pars illius collectionis perit, venditori perit.

Ratio est, quia emptor in tali casu ex nullo determinato collectionis individuo ante electionem percipit commodum, nec potest dicere, hoc individuum esse a se emptum. Ergo nec recipit ejus in se periculum.

Respondeo 8. Si emptor emendo rem indeterminatam pro pretio determinato nec determinavit individuum rei, nec totam collectionem, ex qua desumendum est individuum, etiamsi integra collectio pereat, venditori perit, ita ut venditor teneatur aliunde comparare rem consimilem ad satisfaciendum emptori, v. g. si quis emit viginti mensuras vini Burgundici pro viginti florenis, etiamsi venditori omnia dolia talis vini pereant, pereunt venditori, qui tenetur aliunde comparare, unde satisfaciat emptori.

Respondeo 9. Si venditio necdum sit perfecta ante numerationem, ponderationem, vel mensurationem, prout contingere solet, si vendatur aliquod totum *ad mensuram*; vel quando totum venditur quidem *ad corpus*, sed *pretio in singulas totius partes constituto*, periculum ante dimensionem, ac numerationem manet penes venditorem. Hinc si in tali casu totus grex ovium emptus, aut integrum dolium vini emptum pereat, venditori perit.

Ratio est, quia in hoc casu venditio ante dimensionem vel numerationem non est perfecta.

Respondeo 10. Si totum aliquod vendatur *ad corpus*, vel *per aversionem* constituto pretio non in partes, sed in totum, ita ut emptor ante constitutionem pretii determinati non prius petat fieri numerationem, ponderationem, vel mensurationem, periculum est penes emptorem, ita ut si totum, v. g. grex ovium, vel dolium vini emptum, aut aliqua totius pars pereat, emptori pereat.

Respondeo 11. Si venditio non fuerit absoluta, sed conditionata, periculum rei venditæ manet penes venditorem ante impletionem conditionis, v. g. si emptor dicat; emo dolium vini pro viginti florenis, si prius gustavero & reperero bonum; dabo pro hoc equo centum florenos, si prius probavero & reperero bonum;

num; aut si venditor dicat, vendo tibi hunc agrum, si uxor consenserit; nondum impleta conditione res venditori perit aut deterioratur.

Ratio est, quia venditio necdum est perfecta; & quia emptor non contrahit obligationem novam solutionis, vel periculum, quod est aliquid facti, nisi hoc probetur a venditore vel ex claro tenore contractus, vel ex dispositione legum, vel ex consuetudine loci aut nationis.

Respondeo 12. Præter casus hucusque expressos, periculum & damnum rei manet apud venditorem in sex sequentibus circumstantiis. 1. Si expresse fuerit con tractum. 2. Si res pereat vel deteriore tur culpa lata venditoris. Alii censent, idem dicendum, si res pereat vel deterioretur etiam ex *culpa levi* venditoris. Sed hoc non videtur admittendum; quia venditores etiam in rebus suis sæpe incurii non præsumuntur se obligare ad diligentiam majorem sua diligentia ordinaria pro sola custodia rei suæ, nisi de ea intentione positive constet. 3. Si ven ditor commisit moram culpabilem in tradenda re vendita, nisi res æque fuisset peritura apud emptorem. 4. Si res ante traditionem addicatur Fisco propter bonum publicum. In hoc enim casu venditor tenetur refundere pretium emptori, & venditori Fiscus. 5. Si res pereat ex vitio anteriore, præcedente contractum; vel; si venditor affirmavit, rem esse bonam ac permansuram sine mutatione; ea tamen notabiliter mutetur ante traditionem. 6. Si res evincatur ante traditionem.

Quæritur 10. Quid juris, si emptor aut venditor fuerit læsus in contractu?

Respondeo 1. Si emptor fuerit læsus ultra dimidium pretii, potest agere vel ad rescindendum contractum, vel ad restituendum excessum pretii. Ita disponit jus commune l. 2. C. de rescind. vendit.

Ratio est, quia intentio ementis censetur alligata esse æquitati naturali contractus, quæ deficit quoad substantiam in tali læsione enormi.

Respondeo 2. Id verum esse, sive venditor sciverit, sive ignoraverit vitium rei.

Ratio est, quia in casu ignorantiæ non minus emptoris, quam ipsius venditoris intentio censetur esse alligata æquitati naturali, quæ in hoc casu deficit.

Respondeo 3. Emptor ultra dimidium læsus potest retinere fructus interea bona fide perceptos, saltem in compensationem lucri cessantis, vel damni emergentis occasione contractus celebrati.

Ratio est, quia deficiente æquitate naturali ex parte vendentis emptor debet esse saltem immunis a damno. Si tamen nullum ex contractu emerserit damnum, vel cessatio lucri, jure naturali tenetur restituere fructus perceptos, si agat ad rescissionem contractus.

Ratio est, quia in æstimatione morali rescissio contractus irritat ipsum titulum percipiendi fructus.

Respondeo 4. Si emptor non fuerit læsus ultra dimidium, potest venditorem convenire *actione redhibitoria*, ut recipiat venditor rem suam; vel potest eundem convenire *actione æstimatoria* ad restituendum excessum pretii, atque ad compensanda alia damna sibi ex contractu secuta.

Respondeo 5. Idem remedium competit venditori adversus emptorem.

Ratio est, quia æquitas naturalis, in qua fundatur implicite hic modus reconventionis Jure gentium, est reciproca inter emptorem & venditorem.

Respondeo 6. Idem remedium competit in aliis contractibus participantibus aliquid de natura venditionis, v. g. in locatione, conductione, permutatione, cambio.

Ratio est, quia in his contractibus intervenit aliqua venditio jurium.

Quæritur 11. Quænam læsio censeatur fieri ultra dimidium?

Respondeo 1. Quando *venditor* fuit læsus, non recipiendo justum pretium pro merce, v. g. pro gemma, vel annulo aureo, læsio ultra dimidium tunc censetur fieri, quando venditor ne quidem accepit dimidium pretii infimi justi; v. g. si pro gemma, cujus infimum pretium sunt centum aurei, ne quidem accepit quinquaginta.

Ratio est, quia his limitibus alligatur

tur jure gentium intentio vendentium.

Respondeo 2. Quando *emptor* fuit læſus recipiendo mercem defectuoſam, læſio ultra dimidium tunc cenſetur fieri, quando duplo plus ſolvit, quam exigeret pretium moderatum rei. Ita teſte *Mynſingero* Cent. 4. Obſerv. 73. practicat *Camera Imperialis*, quibus etiam pro foro interno præſumitur conformari intentio contrahentium; cum ea dependeat a jure gentium, ſeu praxi nationum. Ita etiam inter Canoniſtas cenſent *Fachinæus*, *Perez*, *Zoeſius*, *Haunold*, *Wieſtner*, &c. quamvis non pauci Theologi & Canoniſtæ cum *Molina*, *Laymanno*, *Leſſio*, &c. diſſentiant, exiſtimantes, ad læſionem ultra dimidium ſufficere, ſi emptor lædatur ultra dimidium pretii ſummi, rei venditæ correſpondentis, v. g. ſi rem ſummo pretio conſtantem centum florenis emerit pluris quam centum quinquaginta florenis.

Quæritur 12. Quænam res poſſint vendi?

Reſpondeo. Vendi poſſunt omnes res, in commercio humano pretio æſtimabiles, nec ſpecialiter alienari prohibitæ. Hinc *vendi poſſunt* 1. res nondum extantes, quæ tamen ut futura ex diſpoſitione cauſarum aut ſorte exſpectantur, verb. grat. fructus agrorum, partus animalium, jactus aleæ, captus piſcium. Hujuſmodi venditiones non ſunt conditionatæ, ſed abſolutæ; quia venditur *jus ſpei*, actu exiſtens, ut habetur l. 52. & 69. ff. *de condit. & demonſt.* obligatio enim ſolvendi pretium urget ſtatim, nec ſuſpenditur ad eventum proſperum. 2. Etiam nomina, debita, chirographa, actiones, ac jura. 3. Hæreditates jam delatæ poſt mortem teſtatoris. 4. Officia publica ſæcularia mere lucroſa, nullam ſpecialem requirentia peritiam, aut prudentiam, aut æquitatem animi. Si enim requiritur ſpecialis peritia legum, aut ſpecialis prudentia, aut fortitudo & æquitas animi, intrinſece jure naturali illicitæ atque invalidæ ſunt ejuſmodi venditiones & emptiones; eo quod jure naturali talia officia ſint materia juſtitiæ diſtributivæ, cujus adminiſtratio jure naturali eſt reſervata gubernatoribus communitatis. *Econtra vendi non poſſunt* 1. *Homo liber*, ut habetur l. 34. ff. *de contrab. empt. Excipitur* tamen l. 2. C. *de patribus*, niſi pater in extrema neceſſitate conſtitutus victus cauſa cogatur filium vendere. Verum nec iſtud patri liceret, ſi filius eſſet vendendus gentilibus vel barbaris, obſtaret namque lex charitatis, ita ut pater potius teneatur eligere mortem, quam iſtud morte durius remedium. 2. *res nocivæ*, v. g. venena, libri impuri vel hæretici aut magici, proſtitutio corporis &c. 3. *res ſacræ*, hoc eſt, ad cultum divinum benedictæ vel conſecratæ, præſertim ſi venderentur ad uſum profanum.

Ratio eſt, quia licet poſſet in contractu abſtrahi a ſacratione & ſolum reſpici ad pretium materiæ, Eccleſia tamen ejuſmodi venditiones prohibuit tanquam referentes ſpeciem Simoniæ juris divini. Et ideo talium rerum venditio continet Simoniam Juris Eccleſiaſtici. 4. *res publicæ*, vel uſibus publicis deſtinatæ, v. g. viæ, thermæ, fora, theatra, &c. niſi per ſpeciales contractus communitatis jam tranſierint in jura privatorum. 5. *res pro certis perſonis, vel locis aut circumſtantiis vendi prohibitæ*. Sic prohibentur vendi hoſtibus Romani Imperii arma, & commeatus, præſertim Turcis & Gentilibus: Item prohibentur vendi res litigioſæ, fundus dotalis, res invehi aut evehi prohibitæ, res feudales aut emphitevticæ ſine conſenſu Domini directi. 6. *res furtiva vel aliena*, ſive emptor ſciverit, ſive neſciverit eſſe alienam.

Ratio eſt, quia cum venditor non habeat talis rei dominium; illud in alium transferre nequit.

Quæritur 13. Quid agendum, ſi quis emerit vel emere modico pretio poſſit rem alienam ſeu furtivam?

Reſpondeo 1. Si res fuerit uſu conſumptibilis, v. g. vinum, frumentum, licet emere ejuſmodi rem cum intentione ſatisfaciendi Domino, ſi intra breve tempus, v. g. annum, fur vel uſurpator rei injuſtus Domino non ſatisfecerit; niſi timeatur, tali emptione furem confirmari ad continuanda furta, aut timeatur, cau-

ſam Domini fieri deteriorem, ad quam deteriorationem cooperari non licet.

Ratio eſt, quia talis emptio eſt potius exoptabilis Domino.

Reſpondeo 2. Si res ſic empta evincatur a vero Domino, emptor tenetur eidem reſtituere rem cum fructibus formaliter, vel æquivalenter extantibus.

Ratio eſt, quia res fructificat Domino. Si tamen emptor fuerit bonæ fidei, poteſt petere vel ſibi reſervare indemnizationem pro impenſis & labore in fructus.

Reſpondeo 3. Quamprimum emptori conſtiterit, rem eſſe alienam; aut etiamſi de hoc non conſtiterit, emptor tamen de reſtitutione fuerit judicialiter interpellatus, non poterit licite rem reſtituere furi cum repetitione pretii; ſed præciſe ipſi relinquitur actio perſonalis erga furem. Idque procedit, ſive emptor fuerit bonæ ſive malæ fidei.

Ratio eſt, quia, licet emptor non ſperet refuſionem pretii a Domino rei, res tamen vere eſt aliena, quam non licet nova alienatione auferre ſuo Domino, & jus Domini certum reddere incertum.

Quæritur 14. An res raræ, v. g. gemmæ extraordinariæ, flores Indici, picturæ aut monetæ antiquæ, Manuſcripti codices antiqui, &c. poſſint vendi pretio, quocunque venditori libuerit?

Reſpondeo 1. *Res raræ, quæ ſunt materia negotiationis*, quales ſunt gemmæ, aut merces Indicæ, utpote quæ a negotiatoribus propterea ſolent emi, ut carius vendantur, a primis authoribus talis negotiationis poſſunt vendi eo auctario lucri quod in æſtimatione prudentum poſſit movere negotiatorem, ad ſuſcipiendum pro congruentia ſtatus onus, periculum, & ſtudium reſpective requiſitum pro tali negotiatione,

Ratio eſt, quia res, de ſe ſubjectas negotiationi, ultra pretium a negotiatore expenſum plus lucri ab eo prætendi nequit, quam competat ejus labori, induſtriæ, ſtudio, periculo, annexis ſtatui ejuſmodi negotiatorum. Hinc ſequitur, aliquando ultra pretium expenſum ob magnitudinem periculi realis & perſonalis, duplo, triplo, decuplo &c. plus lucri poſtulari poſſe.

Reſpondeo 2. Circa res raras individuas ac immultiplicabiles venditor exigere poterit pretium, quodcunque voluerit.

Ratio eſt, quia res ejuſmodi ob ſingularitatem individui immultiplicabilis pretium non habent in commercio humano; & nemo tenetur ſe privare dominio ſuæ rei in alterius commodum, niſi alter ſatisfaciat Domino rei. Quod ſi res ejuſmodi fuerit neceſſaria bono communi, cui ſatisfieri nequeat per copiam, principis erit taxare pretium.

Quæritur 15. An is, qui ſcit, pretium mercis brevi notabiliter minuendum, v. g. propter copiam frumenti aliunde advehendi, licite adhuc res ſuas vendat currente pretio, non monito emptore?

Reſpondeo 1. Id licet ſalva juſtitia.

Ratio eſt, quia vendens rem currente pretio eam vendit pretio juſto, prout patet ex definitione pretii juſti.

Reſpondeo 2. Si tamen jam in majori parte communitatis notum eſſet, pretium proxime fore notabiliter minuendum, ita ut venditor non facile inveniret emptorem, qui rem emere vellet currente hactenus pretio, talis venditor peccaret etiam contra juſtitiam, ſi diminutionis ſecuturæ ignaro rem venderet currente hactenus pretio.

Ratio eſt, quia cum diminutio ſecutura pretii ſupponatur jam eſſe nota in majori parte communitatis, in æſtimatione morali non amplius manet prior valor rei vendibilis.

Reſpondeo 3. Si diminutio proxime ſecutura pretii necdum eſt nota in majori parte communitatis, vendens rem currente pretio *per ſe* nec peccat contra charitatem. *Per accidens* tamen, ſi venditor ſit dives, & emptor ſit pauper, eique merces vendantur in magna quantitate, ita ut illi cauſetur *reſpective gravis* damnificatio, aut contriſtatio, ſic vendens peccat contra charitatem.

Ratio eſt, quia inter divites ejuſmodi lucra vel damna adſcribuntur ſorti; ſed inter divitem & pauperem præcaveri ſiniſtram ſortem præcipit lex charitatis juxta illud Chriſti: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Math. 7. v. 12.

Quæ-

Quæritur 16. Quales *actiones* sunt annexæ venditioni & emptioni, ita ut juste intentari possint?

Respondeo. *Actiones*, seu jura agendi in judicio licite contra vendentem aut ementem, sunt quinque. 1. *Actio empti*, contra venditorem, & *actio venditi* contra emptorem. Quid autem venditor ab emptore, vel emptor a venditore in casu læsionis exigere possit, jam superius dictum est. Illud præterea notandum, utramque hanc actionem transire ad hæredes, & contra hæredes. 2. *Actio redhibitoria*, qua emptor convenit venditorem, ut rem vitio occulto notabili laborantem *rehabeat*, & compensatis damno ac interesse pretium restituat. 3. *Actio æstimatoria* dicitur, qua emptor venditorem convenit, ut tantum de pretio remittat vel restituat, quanto minoris res vendita ob vitium occultum valet, quam in contractu conventum est. 4. *Actio rescissoria* contractus, quæ competit læso ultra dimidium, prout superius dictum est. 5. *Retractus*, seu *jus protomiseos* (Vottauf / Einstand-Recht/) vi cujus habens privilegium potest rem alteri venditam intra certum spatium temporis aut perpetuo ad se retrahere, si priori emptori restituat expensum pretium, & alias expensas ab eo factas compenset. Ejusmodi *jus retractus* aliquando est *legale*, aliquando *conventionale*, aliquando *gentilitium*, ad quorum proin tenores respiciendum est.

Quæritur 17. An tuta conscientia *retrahi* possit pro trecentis florenis prædium, quod ante ducentos annos emptum fuit pro trecentis florenis, nunc autem æstimatur tribus millibus florenorum, licet nulla accesserit melioratio?

Respondeo. Non potest sine injustitia retrahi refuso præcise pristino pretio *physice* spectato, nisi perseveret etiam nunc esse pretium justum, saltem valore infimo rei. *Ratio* est, quia in retractus jure, ubi permittitur retractio rei sub conditione, *si emptori restituatur idem pretium*, quod expendit, non potest esse sermo de eodem pretio *physice spectato*, sed tantum de eodem pretio *moraliter spectato*. Nam cum *valor extrinsecus* monetarum & bonorum post repertam Indiam occidentalem fuerit decuplo mutatus, idemque mutetur enormiter etiam per bella, aut pestes, nasceretur ingens confusio in genere humano, si ille qui habet jus retractus, posset emere prædium pro trecentis florenis, quod nunc æstimatur tribus millibus, aut si non posset uti suo jure retractus, nisi solvat tria millia florenorum olim expensa ab alio emptore pro prædio, quod nunc ob devastationes bellicas & depopulationes tantum æstimatur trecentis florenis. Nunquam vero intentio legum, aut contrahentium tendit aut explicanda est in turbationem generis humani. Hæc turbatio maxima foret præsertim in locis, in quibus integræ urbes aut provinciæ adversus exteros habent perpetuum jus retractus.

§. VIII.

De Locatione & Conductione.

Quæritur 1. Quid sit *locatio* & *conductio*?

Respondeo. Locatio est *contractus bonæ fidei*, *quo alteri conceditur usus rei*, *vel opera personæ pro certo pretio*. Econtra conductio est *contractus bonæ fidei*, *quo pro certo pretio conducitur usus rei alienæ*, *vel opera personæ alterius*. Qui concedit alteri usum suæ rei, vel operam suæ personæ, vocatur *locator*; qui autem conducit usum rei, vel operam rei, vocatur *conductor*. Sic *inquilinus* ædium, *colonus* prædii est *conductor*, Dominus autem ædium vel prædii est *locator*. Ubi tamen observandum, quod *in locatione rerum* mobilium vel immobilium *ille*, *cui locatur* res, vocetur *locatarius*. Econtra in locatione operarum vocetur *locatarius sæpius ille*, *qui locat* suam operam.

Quæritur 2. Quotuplex est locatio?

Respondeo. Locatio est quadruplex. Dividitur enim 1. *In locationem rerum & locationem operarum*. Locatio rei est, si quis alteri pro pretio concedat usum equi vel prædii. Locatio vero operæ est, si v. g. operarius diurnus, famulus, sartor, auriga, vel pictor pro pretio alteri

ri laboret, vel serviat pro pretio. 2. In *perpetuam* & *temporalem*. Perpetua dicitur, quæ tribuit alteri jus ad dies vitæ, vel etiam in hæredes, prout fit, quando locatur alicui prædium. Temporalis autem est, quæ tribuit solum jus ad præfixum determinatum tempus, seu fixum annorum numerum. 3. In *expressam*, & *tacitam*. Expressa est, quæ fit signis aut verbis expressis. Tacita autem est, quæ fit sola conniventia locantis, v. g. si finito locationis tempore conductor ædium aut prædii permittitur adhuc manere in usu ædium vel prædii. 4. *In regularem & irregularem*. Regularis locatio est, quando eadem res, v. g. equus, restituenda est in individuo. Irregularis autem est, quando res tantum restituenda est in æquivalenti, v. g. alius equus, si locatus pereat.

Quæritur 3. Quinam possint locare, aut conducere?

Respondeo. Locare & conducere possunt omnes, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur autem locare res immobiles Prælati ultra triennium absque solennitatibus Juris, prout habetur in *Extrav. Ambitiosæ*, *De rebus Ecclesiæ non alienandis*. *Inter communes*. Conducere prohibentur 1. milites & curiales prædia rustica. 2. Tutores & curatores prædia fiscalia antequam deposuerunt rationes suæ tutelæ vel curatelæ. 3. Personæ Ecclesiasticæ causa negotiationis vel quæstus. 4. Exercentes artem streperam, v. g. viatores & fabri, prohibentur conducere domos vicinas scolis, si per hoc Professores & Scholares a studiis impediantur. Verum hæc solum procedunt de jure communi civili, quod hac in re non ligat in conscientia, nisi ubi & in quantum concurrit exigentia juris naturalis, quæ non semper concurrit.

Quæritur 4. An conductor possit rem conductam sublocare alteri inscio & invito Domino rei?

Respondeo 1. Id conductori tuta conscientia licet Domino rei inscio quidem, sed tamen rationabiliter non invito.

Ratio est, quia in tali casu datur consensus locatoris tacitus, ac rationabiliter præsumptus.

Respondeo 2. Id conductori non licet Domino rei rationabiliter invito.

Ratio est, quia locatio est contractus bonæ fidei, in quo pro lege habenda est intentio contrahentium.

Quæritur 5. An & quomodo locari possint res Ecclesiasticæ?

Respondeo 1. Res Ecclesiasticæ immobiles, vel mobiles pretiosæ non possunt de Jure Canonico sine solennitatibus, hoc est, sine consensu Capituli tacito vel expresso, licite aut valide locari ultra triennium. Ita declarat *Paulus II.* in Extrav. *Ambitiosæ* de rebus Ecclesiæ non alien. his verbis: *Ambitiosæ cupiditati illorum præcipue, qui divinis & humanis affectati damnatione postposita immobilia & mobilia pretiosa Deo dicata profanis usibus applicare, aut cum maximo divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt, occurrere cupientes, omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, vel contractum emphiteuticum, præterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus & bonis ab antiquo in emphiteusin concedi solitis, & cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia fieri prohibemus. Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis & rebus ejusmodi quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio & infeudatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti.*

Respondeo 2. In Germania ex consuetudine viget mos locandi ejusmodi res ad novennium, si *Pichlero* creditur h. tit. n. 8. Verum utcunque sit, quilibet Prælatus saltem ex charitate Dei, cum agatur de bono Ecclesiarum, tenetur se conformare legi Paulianæ, evidenter utiliori Ecclesiis, nisi locatio ad novennium fiat Capitulo connivente, sicque tacite consentiente.

Quæritur 6. Quænam ſit obligatio Locatoris erga Conductorem?

Reſpondeo. Locator *rerum* tenetur 1. Conductori concedere liberum uſum rei locatæ modo & tempore per conventionem determinato. 2. Ea, quæ in re locata indigent neceſſaria ad uſum reparatione, ſic reparare, ut uſus non impediatur. 3. Conductori compenſare impenſas *neceſſarias* in rem locatam ab eo factas. Non tamen tenetur conductori compenſare impenſas præciſe *utiles* aut ſolum *voluptuarias*, niſi factæ ſint cum præſcitu & conſenſu ſaltem tacito locatoris. 4. Præſtare tributa & onera impoſita rei locatæ. 5. Manifeſtare vitia occulta rei locatæ; & ſi ex reticentia occulti vitii locator paſſus eſt damnum, tenetur reparare illud damnum. 6. Compenſare conductori damna directe vel indirecte illata ex dolo vel culpa lata. De culpa enim levi non cenſeo teneri; quia cum obligatio locatoris fundetur in propria ejus voluntate, non eſt præſumendum, locatores in rebus propriis ſæpe incurios ultro ſe velle obligare ad compenſanda damna gravia ſecuta præter intentionem ex culpa levi. 7. Remittere ex toto vel ex parte mercedem locationis, ſi conductor toto locationis tempore, vel ſaltem aliqua parte illius temporis non potuit uti re locata abſque ſua culpa, aut cauſa. Si enim cauſa impedimenti ſe tenet ex parte ipſius conductoris ob ejus culpam vel infortunium, non tenetur locator quidquam remittere de pretio; quia conductor a tempore impedimenti debuiſſet locatori reſtituere rem locatam, ut poſſet locari alteri, & locator obligaretur acceptare reſtitutionem, dummodo conductor compenſet locatori, quantum ejus intereſt, rem non poſſe tam cito & tam facile locari alteri. Si autem poſitio impedimenti proveniat ab ipſo locatore, tenetur conductori non ſolum compenſare damna ſecuta ex impedimento, ſed etiam intereſſe.

Quæritur 7. An locator teneatur conductori remittere mercedem ex toto vel ex parte pro illo anno, quo conductor ex re frugifera ſibi locata nullum vel exiguum fructum abſque ſua culpa percepit?

Reſpondeo 1. Locator tenetur conductori proportionaliter remittere de pretio locationis, niſi aliter fuerit expreſſe vel tacite conventum inter contrahentes.

Ratio eſt, quia alioquin aut non ſervaretur juſtitia pretii locationis, aut certe non ſalvaretur intentio contrahentium; quæ tribuit legem contractibus.

Reſpondeo 2. Locator non cenſetur ſe tacite obligare, nec proin obligatur ad remiſſionem pretii in ſequentibus circumſtantiis. 1. Si conductor expreſſe in ſe recipit omne periculum caſus fortuiti, v. g. inundationis, hoſtilis incurſionis, ſterilitatis extraordinariæ &c. 2. Si ſterilitas, grandines, inundationes, &c. pro ſitu loci ſint frequentes, ita ut facile pro tempore locationis longiori, v. g. ad novennium una vel altera eventuræ probabiliter timeri potuerint, & jam in prioribus locationibus vel pro more prædominante regionis non conſueverint compenſari. 3. Si ob præcedentium vel ſubſequentium annorum fertilitatem compenſetur damnum ex ſterilitate unius anni ſecutum, ut habetur c. 3. h. tit. 4. Si damnum eſt modicum, ita ut computato toto per integrum tempus locationis pretio illud tamen non obſtante damno ſit *moderatum* ſeu *mediocre*, ad quod reſpiciendum eſſe ſuadet æquitas & intentio contrahentium. Hinc, ſi dubium fuerit, an locationis annuum pretium ſtante damno ſit adhuc moderatum comparative ad integrum locationis tempus, pretii ſolutio uſque ad lapſum reſidui temporis differenda eſt, ſi dubium perſeveret, remiſſio facienda eſt, ne gravamen conductori inferatur certum ob jus locatoris incertum.

Quæritur 8. An & quando locator poſſit expellere conductorem, v. g. inquilinum, ante finitum tempus locationis?

Reſpondeo 1. Locator non poteſt expellere conductorem ante finitum tempus locationis, niſi interveniat juſta cauſa tacite ex intentione contrahentium excepta.

Ratio est, quia in contractibus bonæ fidei intentio contrahentium ponit legem & limites & modum legis.

Respondeo 2. Causæ ex intentione contrahentium tacite exceptæ sunt sequentes. 1. si ipsemet locatur incipiat indigere re locata, v. g. ædibus; vel si res locata necessario sit reparanda, ne pereat; aut si ea interea vendatur alteri. Verum in hoc ultimo casu, nisi locator egestate vel alia necessitate compulsus cogatur vendere rem locatam, tenetur conductori ad Interesse, quantum videlicet ejus intererat, rem locatam non esse venditam.

Ratio est, quia locator rem locando se tacite conductori obligat, se ante finitum tempus locationis non initurum absque necessitate pactum cum tertio in præjudicium conductoris. 2. Si conductor male versetur in re conducta in ejus deteriorationem notabilem, aut periculum, v. g. si agros relinquat incultos, si rem corrumpat; si in domo servet meretrices, fures, &c. ex quo nascitur infamia, & periculum difficilioris in posterum locationis. 3. Si conductor per notabile tempus non solverit mercedem seu pretium locationis. In Jure Canonico C. 3. h. tit. & Jure Civili l. 54. & 56. ff. h. tit. statuitur biennium. Verum cum in locatione principium obligans sit ipse locator, ex ejus intentione & consuetudine pendet, quanti temporis neglectus quoad solutionem sufficiat aut requiratur ad expellendum locatorem. Consuetudo in plerisque locis obtinet, ut tam locator quam conductor teneantur se invicem ante finitum tempus locationis monere, utrum velint continuare contractum locationis vel non? ut videlicet possint sibi mature providere de alio locatore vel conductore.

Quæritur 9. Ad quid obligetur conductori locator operæ?

Respondeo. Tenetur 1. exhibere laborem vel industriam fidelem conformiter ad rationabilem intentionem conducentis. Et hinc si vel ex imperitia gravi, vel ex negligentia notabili, vel ex culpa lata non præstitit quoad partem notabilem promissi, quod promisit, tenetur pro rata damni restituere mercedem, vel acceptam restituere. 2. Tenetur non discedere a servitio ante tempus conventum absque justa causa ex intentione contrahentium tacite excepta. Hinc si conductor operæ ex tali discessu patiatur damnum injustum, locator operæ tenetur illud compensare: & vicissim si famuli aut famulæ aliquando ex motivo justo occulto conscientiæ discedant, & herus non patiatur notabile damnum, debetur illis in foro interno salarium pro rata temporis, quo explerunt servitium. 3. Locator operæ ex officio stabili v. g. aurigæ, nautæ, pastoris, camerarii, thesaurarii, &c. tenetur ad compensanda damna etiam *ex culpa levi*.

Ratio est, quia reciproca obligatio conductoris ad contractum locationis de se perpetuum exigit a locatore strictiorem obligationem, quam a locatore ad nutum intra breve tempus amovibili, qui vix se obligaret ad præstandam culpam levem, si de hoc conveniretur expresse. 4. Idem dicendum de locatore operæ ad rem pretiosam, prout in q. sequente dicetur.

Quæritur 10. Quæ sit obligatio conductoris erga locatorem?

Respondeo 1. Conductor *rerum* tenetur 1. solvere integram mercedem; & si in solvendo commisit moram, tenetur locatori etiam ad interesse prout infra in q. sequente dicetur, hoc est, tenetur illi compensare damnum emergens, vel jacturam lucri probabiliter venturi, si quod damnum vel ejusmodi jactura ex dilatione solutionis locatori emersit. 2. Tenetur præfatam mercedem convento tempore solvere, aut si de tempore conventum non est, statim finita locatione. 3. Rem conductam non deserere, seu a contractu resilire ante finitum tempus locationis, nisi interveniat justa causa tacite excepta ex intentione rationabiliter præsumpta contrahentium, v. g. periculum ruinæ domus, hostilis incursionis, &c. Ubi advertendum, quod si absque justa causa discedat, teneatur solvere totam pensionem pro integro tempore locationis, nisi statim suc-

succedat alius conductor. Si autem conductor discedit ex justa causa proveniente ex facto aut neglectu ipsius locatoris, v. g. si ex neglectu reparationum passus est domum fieri ruinosam, solum tenetur ad pensionem pro rata tempo-ris, quo usus est re locata: Imo si in hoc casu conductor ex celeriori emigratione pateretur damnum, teneretur illud ipsi compensare locator, quia non monuit de vitio domus. Si autem causa deserendi rem locatam non veniat ex facto aut neglectu locatoris, v. g. si veniat ex bello, peste, inundatione, &c. inspiciendum, an locator & alii plerique maneant in suis ædibus vel locis non obstante illa causa? Si manent, tenetur etiam conductor solvere pensionem pro toto tempore locationis convento; si autem non manent plerique, nec pro eo casu locator potuit rationabiliter requirere mansionem & pensionem.

Ratio prioris responsionis est, quia locator pro ea circumstantia non exemisset a pensione locatorem, si de hac circumstantia explicite fuisset cogitatum & tractatum. 4. Tenetur uti re locata eo modo & usu, de quo ex intentione contrahentium rationabiliter præsumpta conventum est, v. g. qui conduxit equum ad equitandum, non potest eo uti ad vehendum, vel in locum duplo remotiorem. 5. Tenetur rem conductam tempore convento restituere. *6.* Tenetur ferre damnum, hoc est, compensare, si ex ejus culpa lata res locata periit vel deteriorata est. Vocatur autem culpa lata, dum quis ne quidem adhibet diligentiam communem, a mediocriter industriis adhiberi solitam. Alii Doctores communiter, moti ex institutionibus nonnullis legum civilium, obligant tam donductorem quam locatorem reciproce etiam ad præstandam *culpam levem*, si ex ea eorum unus alteri damnum intulit. Verum juxta eam definitionem, quæ nunc communiter *de culpa levi* tradi solet, quod sit ea, *quam non raro committere solent patresfamilias in rebus propriis, alioquin mediocriter ac moderate industrii*, non videntur conductor & locator se invicem obligare velle ad præstandam culpam levem, utpote quam ipsimet committunt non raro in rebus propriis. Cur enim obligarent conductorem ad majorem diligentiam, quam propriam?

Nec obstant l. 9. 11. 13. 25. ff. *Locati & Conducti*. Nam in prioribus tribus textibus solum occurrit nomen *culpæ*, quod indefinite sumptum importet *culpam latam*. In lege autem 25. sermo est de vectore rei pretiosæ, nempe columnæ marmoreæ, in quo casu facile concesserim, locatorem teneri etiam ad culpam levem, tum quia Dominus rei circa ejusmodi res pretiosas ac irreparabiles solet adhibere diligentiam extraordinariam, ad quam proin etiam vectorem vel alium locatorem operæ obligare præsumitur; tum quia ejusmodi ex officio tenentur ad præstandam culpam levem, prout superius dictum est.

Respondeo 2. Conductor *operarum* tenetur proportionaliter locatori ad eadem, ad quæ obligatur conductor *rerum;* tetur enim *inprimis* solvere mercedem tempore convento, aut, si de tempore conventum non sit, tenetur eam statim solvere post operam præstitam. Quod si fuerit in mora, tenetur locatori ad interesse. *Secundo* tenetur ante finitum locationis tempus a contractu non recedere, v. g. famulum aut ancillam non expellere sine justa causa, ex intentione conducentis *tacite* excepta, qualis foret, si in re gravi non obediat, si negligens notabiliter fuerit in laborando, si disciplinæ domesticæ senon' subjiciat, si correptiones justas petulanter repellat, &c. Si autem absque justa causa famulum ante finitum tempus locationis expelleret, teneretur mercedem solvere integram pro toto locationis tempore, nisi locator operæ statim alium conductorem inveniat pro æquali mercede.

Quæritur 11. An conductor teneatur locatori præstare damnum, si hoc culpa lata vel levi unius ex famulis causatum est, v. g. si domus locata ex incuria famuli conflagravit, vel equus locatus ex ejus negligentia periit?

Respondeo 1. Conductor non tenetur locatori præstare damnum causatum

tum solum ex culpa levi ancillæ aut famuli.

Ratio est, quia vix ullus conducto rum se expresse obligaret ad præstanda ejusmodi damna, si de ejusmodi circumstantia in contractu explicite fuisset tractatum. Imo conductor ne quidem ex culpa lata sui famuli tenetur locatori ad præstandum damnum, si elegit famulum industrium, aut de ejus incuria nullam notitiam habuit.

Nec obstat l. 11. ff. locati & conducti; quia ibi tantum sermo est de *culpa lata*, & tunc solum, si conductor scienter induxit servum seu mancipium furidum in rem locatam. *Ulpianus* enim ibi sic scribit: *Mihi placet, ut conductor culpam etiam eorum, quos induxit, præstet suo nomine, si tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel suos, vel hospites.* Jam superius autem monui, per *culpam* simpliciter dictam in Jure intelligi *latam*.

Quæritur 12. An conductor operarum teneatur solvere integram mercedem casu quo uti non potest opera personæ conductæ, v. g. ob morbum subvenientem famulo?

Respondeo 1. Si pretium operarum condictum fuerit *divisum in singulos dies*, vel hebdomadas, conductor non tenetur solvere integram mercedem, nisi pro quovis die vel hebdomoda utili.

Ratio est, quia locatio est quædam species venditionis. Cum ergo in venditione *ad quantitatem*, vel *ad mensuram*, cui talis locatio æquiparanda est, tot numerari pretia oporteat, quot numerantur individua; etiam in tali locatione juxta numerum dierum utilium dividenda & solvenda est merces.

Respondeo 2. Si pretium operarum condictum fuerit in annum integrum indivisim, sine taxatione pretii pro diebus aut hebdomadis singulis, solvendum est integrum pretium, si defectus operarum comparative ad totum sit *modicus*, isque sine culpa locatoris. Et ita faciendum circa famulos & ancillas charitas christiana, & æquitas, & intentio locantis exigit. Defectum autem respective modicum censeo, si morbus tantum duret duabus vel tribus hebdomadis comparative ad annum, nec in ejus supplementum fieri a conductore notabiles expensas necesse sit. Notabilem autem defectum censeo, si famulus vel ancilla ultra integrum mensem ægrotent, in quo casu, licet salva justitia eidem pro rato temporis pars salarii detrahi possit, charitas tamen christiana spectata indigentia famulantis & facultate conducentis non raro aliud exigit.

Quæritur 13. An successor teneatur stare locationi a suo prædecessore celebratæ?

Respondeo 1. Si fuit locatio rerum, & successor est universalis, qui titulo hæredis succedit in omnia bona defuncti, tenetur continuare locationem usque ad tempus in contractu præfixum.

Ratio est, quia hæres universalis succedit in omnia jura & obligationes defuncti.

Respondeo 2. Si fuit locatio operarum, cum persona locatoris aut conductoris extinguitur etiam contractus locationis.

Ratio est, quia in locatione operarum tam locator quam conductor censetur elegisse respectivam habitudinem personæ.

Respondeo 3. Si fuit locatio rerum, & successor est solum particularis, qui succedit solum titulo particulari, v. g. emptionis, donationis, &c. non tenetur stare locationi factæ a præcessore.

Ratio est, quia talis non contrahit omnes obligationes personales sui præcessoris. Fatendum tamen; quod vendens, donans, aut alio titulo particulari transferens sua bona, jure naturali teneatur deducere in pactionem conservationem locationis factæ in favorem conductoris vel locatoris, si fieri possit sine notabili gravamine emptoris, donatarii, &c.

Respondeo 4. Si fuit locatio rerum Ecclesiasticarum, eandem conservare tenetur successor in Prælatura vel beneficio usque ad finitum tempus locationis. Idem dicendum de successore Tutoris vel Curatoris.

Ratio est, quia Prælati & alii Rectores bonorum Ecclesiasticorum, uti etiam Tutores, & Curatores non agunt no-

mine

mine proprio, sed nomine Ecclesiæ, pupilli, minorennis; & consequenter remanet eadem respective persona contrahens in contractu locationis. Si tamen Ecclesia fuisset notabiliter læsa, deberet successor petere restitutionem vel compensationem.

Respondeo 5. Si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, vel Parochus, vel Beneficiatus suos redditus beneficiales locavit, post ejus mortem, resignationem, aut depositionem successor non tenetur stare locationi.

Ratio est, quia hujusmodi locatio fit a locante nomine proprio, qui non potest contrahere de voluntate successoris, in quem non antecessor sed Ecclesia transfert bona Ecclesiastica. Neque etiam Ecclesia, quæ Clerico tribuit redditus solum ad suam sustentationem & prudentem administrationem, pateretur successorem gravari ex facto antecessoris. Ea enim ex causa *Concilium Tridentinum* Sess. 25. C. 11. irritavit locationes, quæ fiunt anticipatis solutionibus in præjudicium successorum. Hinc

Respondeo 6. Parochus nec tenetur stare locationi mansi parochialis, seu prædii, in Germania concessi Parochis ad eorum congruam sustentationem, si fuerit jure vitalitio, aut emphiteutico, vel alio, locatum alteri ab ejus antecessore.

Ratio est eadem, quia Ecclesia non patitur, Parocho in suis bonis præjudicari ex facto prædecessorum. Aliud dicendum, si tale prædium non ordinatur ad sustentationem parochi vel beneficiati, sed in massam bonorum Ecclesiæ.

§. IX.

De Emphiteusi & Vitalitio.

Q*Uæritur* 1. Quid sit Emphiteusis?

Respondeo. Emphiteusis est *locatio rei immobilis frugiferæ in perpetuum sub onere certæ pensionis annuæ & laudemii Domino rei persolvendæ*. Per hoc, quod ista locatio sit *in perpetuum* cum jure successionis ad hæredes, differt a simplici locatione; & ob hoc ipsum transfert totum *dominium utile* rei frugiferæ, v. g. prædii, in Emphiteutam

Quæritur 2. Quid sit Vitalitium?

Respondeo. Vitalitium est locatio rei frugiferæ immobilis ad dies vitæ conductoris sub onere certæ pensionis annuæ & laudemialis Domino rei persolvendæ.

Quæritur 3. Quale sit discrimen inter Emphiteusin & Vitalitium?

Respondeo. Discrimen potissimum consistit in duobus. *Primo*, quod dominium utile in re emphiteutica primitus sit a primo authore pro se & suis successoribus sub determinatis conditionibus pretio condigno emptum. Econtra vitalitium conceditur a Domino rei, quin conductor emat rem aut dominium utile proportionato pretio. *Secundo* Emphiteusis ex sua natura transit ad hæredes; non autem vitalitium.

Dixi, *pretio condigno*, nempe vel pecuniæ, vel laboris per extirpationem sylvarum aut cultivationem terræ incultæ.

Quæritur 4. Quid sit *laudemium?*

Respondeo. Laudemium est *pensio plerumque pecuniaria a quovis novo Emphitheuta aut conductore vitalitio præstari solita Domino directo*.

Quæritur 5. Quid sit *Emphiteusis alterata*, ut vocatur, usitata in Bavaria?

Respondeo. Emphiteusis alterata est Emphiteusis ordinaria superius descripta, ea tamen addita clausula, ut Emphiteuta singulis annis a Domino directo possit libere expelli restituto pretio, quo ille emit jus Emphiteuticum.

Quæritur 6. An possit etiam dari Vitalitium *alteratum?*

Respondeo. Non repugnat, dari etiam *vitalitium alteratum*. Imo illud actu sic in nonnullis locis dari videtur; quamvis usus sic loquendi necdum obtinuerit. Consistit autem hoc *vitalitium alteratum* in locatione perpetua rei immobilis frugiferæ cum jure successionis ad hæredes, saltem necessarios, attamen nulla interveniente emptione prævia rei in vitalitium concessæ, nec interveniente perpetua ac immutabili in futuros hæredes quoad Canonis annui vel laudemi quantitatem pactione. Hinc discrimen inter ejusmodi Vitalitia alterata,

& Em-

& Emphiteuses alteratas consistit in eo, quod in *Vitalitio alterato*, eoipso quod jus perpetuum transiens ad hæredes sub determinatis conditionibus *certi determinati laudemii* & *determinati Canonis annui* jure immutabili non fuerit, saltem pretio condigno, emptum, a Domino directo conditiones & laudemii & pensionis annuæ, si fuerint valde improportionatæ, ad æquitatis leges, attenta tamen charitate, revocari possint, ita ut pretium emptionis neglectæ successive per auctaria laudemii & Canonis moderata compensetur; quod in Emphiteusi, etiam alterata, fieri nequit, cum in illa jus Emphiteuticum supponatur a primo *aquirente* sub determinatis conditionibus laudemii & Canonis fixi emptum esse. Ubi tamen observandum; peccare eos Dominos mortaliter, qui ejusmodi *vitalitia alterata* sibi fingunt in præjudicium subditorum, nisi in casu particulari *morali certitudine* constet, jus successionis ad hæredes a centum annis practicatum, vel modum laudemii & canonis annui a centum annis practicatum non fundari in emptione aut pactione prævia juris perpetui immutabilis, sed præcise in *gratuita conniventia præcessorum*.

Quæritur 7. Unde veniat Etymologia hujus nominis: *Emphiteusis?*

Respondeo. Hoc nomen derivatur a cultivatione terræ incultæ, seu *insitione* rerum frugiferarum. Hoc enim *pretio laboris*, seu eradicationis & cultivationis antiquitus post devastationes provinciarum vendi solebant jura emphitevtica perpetua sub determinatis conditionibus certi ac fixi laudemii & canonis annui, consistentis in pecunia vel frugibus vel utrisque simul.

Quæritur 8. Quæ sit obligatio Emphiteutæ erga Dominium directum?

Respondeo. Emphiteuta tenetur 1. *solvere laudemium* in admissione ad usum rei Emphiteuticæ. Est autem Laudemium de Jure communi pars quinquagesima pretii, quo æstimatur res Emphiteutica tempore concessionis seu admissionis in eam. Sic si prædium Emphiteuticum æstimetur mille florenis, pro Laudemio de Jure communi solvuntur viginti. Verum de Jure Bavarico pro Laudemio solvitur vigesima pars pretii, quo tempore admissionis æstimatur res Emphiteutica; seu quinque pro centum. Hinc, si prædium Emphiteuticum æstimetur mille florenis, penduntur pro Laudemio quinquaginta floreni.

Tenetur 2. Singulis annis præfixo tempore solvere Canonem annuum, seu pensionem conventam, quæ alicubi consistit in pecunia; alibi in frugibus; aliquando in utrisque simul.

Tenetur 3. Fundum vel rem Emphitheuticam diligenter colere, & in statu bono conservare. Quod si sua negligentia acciderit rei emphiteuticæ damnum, tenetur præstare culpam latam. Et hinc Dominus directus non tenetur ei compensare reparationes ordinarias, v. g. in domo, stabulo, horreis, &c.

Tenetur 4. Rem Emphiteuticam non vendere irrequisito Domino, præsertim in personas, ex quibus conditio Domini directi redderetur difficilior, quales sunt personæ Curiales, valde potentes, valde pauperes, luridi œconomi, personæ privilegiatæ quoad forum, nempe Ecclesiasticæ, & Ecclesiæ.

Quæritur 9. Quæ sit obligatio Domini directi erga Emphiteutam?

Respondeo. Dominus directus *tenetur* 1. possessionem rei Emphiteuticæ cum Dominio utili transferre in Emphiteutam; eique liberum usum rei concedere, & damna compensare, quæ Emphiteuta ob non manifestata vitia rei passus est.

Tenetur 2. Non augere laudemium in mutatione Emphiteutæ, nisi æstimatio rei Emphiteuticæ interea aucta sit; etiamsi nulla accesserit notabilis melioratio rei. Ex hac enim diversa æstimatione non raro contingit, quod circa idem prædium, circa quod ante trecentos annos pro Laudemio pendebantur viginti floreni, nunc pendantur centum floreni.

Tenetur 3. Non augere Canonem annuum, vel alias præstationes annuas, etiamsi bonum Emphiteuticum interea sit notabiliter melioratum, vel augmentatum.

Ra-

Ratio est, quia quantitas Canonis & Laudemii jam fuit a contrahentibus jure perpetuo determinata ac præfixa, prout superius dictum est. Exceptio tamen quoad jus augendi Canonem fieri posset, quando est, evidenter improportionatus ad bona Empitheutica; & simul evidens, valorem pecuniæ extrinsecum pro Canone pendi solitæ decrevisse notabiliter, v. g. si prædium ante trecentos annos pro Canone solverat decem florenos; cum valor pecuniæ illo tempore fuerit ad minimum quadruplo major, quam nunc; ita ut illo tempore pro decem florenis potuerint ea comparari, quæ nunc comparantur pro quadraginta florenis, sequitur, decem florenos hoc tempore non habere *respectivam proportionem* cum re emphitevtica primitus intentam a contrahentibus. Et hinc in tali casu posset augeri Canon pecuniarius, nisi consideratis circumstantiis obstet lex charitatis, ne detur ansa querelarum & scandali, aut afflictionis in populo aliunde satis afflicto.

Quæritur 10. An liceat petere triplex, aut omnino quadruplex Laudemium sub titulo *discessus* & *accessus*?

Respondeo 1. Hujusmodi contractus ficti sub titulo *discessus* & *accessus*, quando v. g. hæreditas defuncti defertur hæredibus in communi, & a corpore hæredum iterum venditur seu relinquitur uni ex illis, sunt illiciti, nisi veniant ex prima venditione rei Emphiteuticæ, quod ex perpetua observantia a trecentis & amplius annis colligi poterit.

Respondeo 2. Hujusmodi multiplicata Laudemia nec in *vitalitiis alteratis* licita sunt, si consideratis circumstantiis locorum & temporum subditum ita gravant, ut commode non possit lucrari pro se, & familia honestam sustentationem & elocationem honestam liberorum. Ad hoc enim tendunt omnes leges & contractus, & ipsa charitas Christiana.

Respondeo 3. Duplex tamen Laudemium titulo *discessus* & *accessus* circa *vitalicia alterata*, vel ubi valor Canonis & laudemii antiqui duplo vel triplo decrevit, etiam circa Emphiteuses proprie dictas admitti posset, ubi admittitur vel ex *speciali concessione principis* ad parianda jura particularia, vel *ex consuetudine* ferme universali provinciæ, nisi in casu particulari etiam hoc nimis gravet subditum, ita ut non possit commode sat lucrari pro honesta sui & familiæ sustentatione, liberorum educatione, & elocatione. Hoc enim, si non petit justitia, tamen exigit Christiana charitas.

Quæritur 11. Ex quibus causis Emphiteusis fiat caduca?

Respondeo. Emphiteusis fit *caduca*, seu *cadit in commissum*, ita ut sine ulla obligatione aut refusione pretii ab Emphiteuta expensi, revertatur ad Dominum, sicque Dominium utile consolidetur denuo cum Dominio directo, ex sequentibus causis. 1. Si Emphiteuta in Emphiteusi laicali per triennium, aut in Emphiteusi Ecclesiastica per biennium culpabiliter non solvat Canonem annuum integrum, nec celeri satisfactione ultro, quantumvis non admonitus, purget moram. Ita habetur l. 2. C. *de Jure Emphyteutico; & Auth. qui rem: C. de SS. Ecclesiis*. C. *fin. h. tit.* 2. Emphiteusis fit caduca, si Emphiteuta rem Emphiteuticam notabiliter deterioret dolo aut culpa lata. Censetur autem notabilis deterioratio rei Emphiteuticæ fieri, si Emphiteuta immodicis lignationibus extirpet cæduas sylvas, vel integram sylvam extirpet, vel pluribus annis non stercoret agros, &c. 3. Fit Emphiteusis caduca, si Emphiteuta irrequisito Domino rem Emphiteuticam vendat, aut quovis alio modo alienet, secuta actuali traditione, nisi concurrat consensus Domini in ejus diuturna absentia rationabiliter præsumptus. 4. Si Emphiteuta infringat conditiones in concessione initas, v. g. ut a prædio clam sine consensu Domini non discedat. Ex his sequitur, Emphiteutam peccare mortaliter, si delinquat in eo, in quo tam gravis pœna caducitatis statuta aut conventa est.

§. X.

§. X.

De rerum permutatione.

QUæritur 1. Quid sit *permutatio?*

Respondeo. Permutatio est venditio rei, in qua loco pretii datur alia res æqualis valoris; v.g. si pro equo dantur sex scaphæ tritici, aut tria dolia vini.

Quæritur 2. An permutatio numeranda sit inter contractus innominatos?

Respondeo. Permutatio late accepta, prout per rem, pretii loco substituendam potest intelligi etiam actio humana pretio æstimabilis, recte numeratur inter contractus *innominatos*, hoc est, eos, qui in jure communi non sortiuntur speciale nomen & titulum, sub quo tractentur. Id patet ab enumeratione quatuor contractuum *innominatorum*, qui sunt sequentes. 1. *Do, ut des*. 2. *Do, ut facias*. 3. *facio, ut des*. 4. *facio, ut facias*.

Quæritur 3. An permutatio sit contractus bonæ fidei?

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia permutatio, sive stricte sive late accipiatur, versatur tamen in genere venditionis, cujus est species. Venditio autem est Jure naturali & Gentium contractus bonæ fidei, ita ut magis attendi debeat ad intentionem contrahentium rationabiliter præsumptam, quam ad rigorem verborum.

Quæritur 4. Quænam res permittuntur vel prohibentur permutari?

Respondeo 1. Permutari possunt res omnes pretio æstimabiles, imo etiam ipsæ pecuniæ.

Respondeo 2. Prohibentur tamen permutari res spirituales & sacræ pro re temporali. Id patet ex C. fin. h. tit. ubi *Gregorius* IX. sic scribit: *Exhibita nobis petitio continebat, quod inter Conventum S. Martini, & Præpositum Alban. Causa super quibusdam decimationibus vertebatur. Arbitrati sunt, quod si dictus Præpositus obtineret decem millia solidorum regalium a rege Hungariæ concedi monasterio memorato, ipsi ab earundem decimationum petitione cessarent. Mandamus; cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, prædictum arbitrium irritum decernatis.*

Respondeo 3. Res Ecclesiasticæ non sacræ, si fuerint immobiles, aut mobiles pretiosæ, prohibentur sine solennitatibus permutari non tantum in laicos, sed etiam in personas Ecclesiasticas.

Probatur non solum ex *Extrav. Ambitiosæ*, superius *de venditione* adducta, sed etiam ex Declaratione Cardinalium jussu *Urbani* VIII. edita 7. Sept. 1624. in qua generatim sic habetur: *Prohibemus omnibus Capitulis & Superioribus Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti intra fines Europæ existentibus omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretiosarum mobilium alienationem &c. Absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis & gratis concedenda sub pœna privationis omnium officiorum, vocisque activæ & passivæ, &c. quam ipso facto absque alia declaratione incurrant.*

Respondeo 4. Beneficia Ecclesiastica inter se quidem permutari possunt, sed concurrentibus sequentibus conditionibus. *Primo*, ut concurrat justa causa. *Secundo*, ut ea fiat in manu & authoritate Superioris legitimi. *Tertio*, ut fiat cum consensu Patronorum, si fuerint Patronata, aut Electorum, si fuerint electiva, aut collatorum, si fuerint collativa. *Quarto*, ut beneficiati permutantes habeant jus in re, vel saltem jus ad rem. *Quinto*, ut absit omnis pactio Simoniaca, qualis foret, si peteretur compensatio fructuum ab habente pinguius beneficium.

Quæritur 5. An re vera sit simonia, si permutentur duo beneficia in æqualia cum pacto ut excessus reddituum in uno beneficio compensetur summa pecuniaria?

Respondeo. In hoc casu intervenit vera Simonia non tantum juris Ecclesiastici, sed etiam juris divini.

Ratio est, quia Beneficiati non sunt Domini reddituum Ecclesiasticorum, sed tantum administratores, prout suppono ex Tractatu *de Justitia*. Administratio au-

autem talium bonorum ex intentione fundatorum eſt *annexa* ipſi beneficio in bonum Eccleſiæ particularis & pauperum, ac Clericorum loci, quæ intentio fundatorum, ſicut nullius jurisdictioni ſubordinata eſt, niſi Epiſcopi, vel Papæ, ita in hac materia nullius privata authoritate aut pacto mutari poteſt.

§. XI.

De Feudis.

Quæritur 1. Quid ſit *feudum*?

Reſpondeo. Feudum eſt contractus, *quo alicui conceditur res immobilis cum translatione Dominii utilis ſub onere fidelitatis præſtandæ in bellis principi per ſervitia militaria perſonalia.*

Quæritur 2. Quotuplex eſt feudum?

Reſpondeo. Feudum dividitur 1. In proprium, & improprium. 2. In nobile & ignobile. 3. In novum & vetus. 4. In paternum, & avitum. 5. In hæreditarium ſimpliciter, & hæreditarium ex pacto & providentia, ſeu Gentilitium, ac familiæ, & in mixtum. 6. In Eccleſiaſticum & Sæculare. 7. In Ligium, & non ligium. 8. In Maſculinum & fœmineum. 9. In Francum ſeu liberum & non francum. 10. In feudum pignoratitium, & non pignoratitium. 11. In feudum *de camera*, feudum *de cavena*, feudum *ſoldatæ*, feudum *Guardiæ*, feudum *caſtaldiæ*, feudum *Advocatiæ*, feudum *Decaniæ* &c. 12. In feudum *burſaticum*, & feudum *cenſiticum*. *Feudum proprium*, eſt in quo reperiuntur omnes proprietates feudi; *Improprium*; in quo non reperiuntur omnes proprietates feudi, v. g. ſi in eo ſuccedant etiam fœminæ ineptæ ad ſervitia militaria, vel ſi in eo omnino nulla præſtentur ſervitia perſonalia. *Feudum Nobile* eſt, quod confertur a principe habente jus nobilitandi, & quo ſimul nobilitatur recipiens. *Ignobile* eſt, quod confertur a non potente aut non volente nobilitare. *Feudum Novum* quod primo confertur; *Vetus* eſt, quod jam prius aliis conſuevit conferri. *Feudum Paternum* eſt, quod ab aſcendentium aliquo usque ad quartum gradum incluſive aquiritur. *Avitum* eſt, quod a Majoribus ultra quartum gradum incluſive aquiritur. *Feudum ſimpliciter Hæreditarium* eſt, in quo hæredes quicunque, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento, ſive neceſſarii, ſive extranei, ſive viri ſive fœminæ ſuccedunt. *Gentilitium*, *Familiare*, ſeu ex *pacto & Providentia* eſt, in quo ſoli deſcendentes maſculi alicujus familiæ ſuccedunt. *Mixtum* eſt, in quo ſoli deſcendentes maſculi ſed non alii, niſi qui in aliis bonis hæredes fuerint, ſuccedunt. *Feudum Eccleſiaſticum* eſt, quod conſtituitur in bonis Eccleſiaſticis; *Sæculare*, quod conſtituitur in bonis ſæcularibus. *Feudum Ligium* eſt, in quo Domino feudi promittitur fidelitas contra quoſcunque. *Non Ligium* eſt, in quo Domino feudi promittitur quidem fidelitas, ſed non contra quoscunque. *Maſculinum Feudum* eſt, in quo ſuccedunt ſoli maſculi; *Fœmineum* eſt, in quo ſuccedunt in defectu maſculorum etiam fœminæ. *Francum* eſt, in quo vaſallus non obligatur ad ſervitia perſonalia, ſed ad ſolam fidelitatem. *Pignoratitium* eſt, in quo Dominus confitetur, ſe hoc feudum vaſallo conceſſiſſe pro certa pecuniæ ſumma, ea tamen ratione, ut liberum Domino ſit, tale feudum reſtituta pecunia redimere. *Feudum de Camera*, eſt qnando princeps vel alius ex ſuo ærario conſtituit certam pecuniæ ſummam ad congruam ejus ſuſtentationem. *Feudum de Cavena* ſeu *Gavenæ*, eſt, quando quis ex ſuo horreo vel cella conſtituit annuam quantitatem frumenti vel vini. *Feudum Soldatæ* eſt, quando quis alicui conſtituit annuos proventus ſine ullo onere, ita tamen ut non tranſeant ad hæredes. *Feudum Guardiæ* eſt, in quo alicui conſtituuntur annui proventus cum onere cuſtodiendi arcem vel territorium. *Feudum Caſtaldiæ* eſt, quod conceditur cum onere adminiſtrandi res œconomicas vel alia negotia concedentis. *Feudum Advocatiæ* eſt, quod conceditur cum onere tuendi res & negotia Eccleſiæ alicujus, *Feudum Burſaticum* eſt, in quo nulla præſtantur ſervitia perſonalia, aut cenſus annuus, ſed ſolum *relevium* toties iterandum, quoties contin-

tingit mutatio in perfona vafalli, vel Domini. *Feudum Cenfiticum* eft, in quo loco fervitiorum perfonalium Domino vafallus præftat cenfum annuum.

Quæritur 3. Quænam fit obligatio Domini erga vafallum?

Refpondeo. Dominus tenetur 1. vafallo ftatim dare inveftituram poft promiffam fidelitatem; & refarcire omnia damna, quæ vafallus paffus eft ex dilatione inveftituræ. 2. Si vafallum inveftivit in re aliena, eidem præftare evictionem. 3. Vafallo viciffim exhibere fidelem tuitionem.

Quæritur 3. Quæ fit obligatio vafalli erga Dominum?

Refpondeo. Vafallus tenetur 1. jurare Domino fidelitatem, dum inveftituram accipit, nifi Dominus Juramentum ultro remittat. Vi autem hujus fidelitatis vafallus non folum obligatur, ut a Domino & perfonis ei proxime conjunctis avertat omnia damna, eisdem in vita, honore, & bonis fortunæ, fed etiam ut eafdem perfonas in vita, honore, ac bonis defendat, eafque confilio & auxilio juvet. 2. Tenetur præftare fervitia feudalia in contractu explicite vel tacite requifita. Illa in feudo proprie dicto folent effe militaria ac perfonalia, quæ in cafu gravioris periculi tenetur præftare etiam non requifitus. 3. Tenetur re feudali eo modo uti ac frui, quo bonum ac diligentem patrem familias decet; & fi dolo aut culpa lata rebus feudalibus damnum intulit, tenetur illud compenfare. 4. Tenetur petere inveftituræ renovationem, quoties contingit mutari perfonam Domini vel vafalli; ac confequenter tenetur in ea mutatione Domino præftare penfionem, quæ vocatur *relevium*. 5. Tenetur non alienare rem feudalem, vel Dominium utile, vel ad tempus longum locare, fine confenfu Domini.

Quæritur 5. Ex quibus caufis vafallus amittat feudum?

Refpondeo. Vafallus amittit feudum 1. fi intra annum a die factæ mutationis in perfona Domini vel vafalli negligat petere renovationem inveftituræ. 2. Si debite requifitus negligat præftare fervitia conventa. 3. Si committat crimen *feloniæ*, feu *infidelitatis*. Ad hoc crimen vero refertur, fi vitam Domini in periculo pofitam defendere, conjurationem in Dominum avertere, in carcere injufte detentum liberare, aut inopem pro quantitate feudi & viribus alere non ftudeat; fi Dominum in acie vulneratum deferat, idque fine periculo moraliter certæ mortis propriæ fieri poffit. Imo, ubi falus Reipublicæ exigeret, teneretur feudatarius præ aliis vitam fuam pro vita principis exponere. Ad eandem feloniam revocatur, fi Domino præftari a filio vel alio fubdito pro offenfa fatisfactionem non curet: fi fœdus vel amicitiam ineat cum hoftibus Domini in ejus præjudicium, aut fi fimilia alia committat fidelitati oppofita, quæ a feudaliftis enumerantur. 4. Si Domino atrocem injuriam inferat, eum in corpore, aut honore graviter lædendo, gladium ftringendo, aut violentas manus injiciendo, de gravi crimine abfque neceffitate accufando, cum uxore aut filia Domini lafcive verfando &c 5. Si rem feudalem reddat notabiliter deteriorem, v. g. arbores frugiferas in magna quantitate exfcindendo.

Quæritur 6. An vafallus in his delinquendo peccet mortaliter?

Refpondeo. In omnibus delictis, quæ privationem feudi merentur, vafallus peccat mortaliter.

Ratio eft, quia agit contra juratas conditiones contractus feudalis graviter invito contrahente principali, quod ex gravitate pœnæ colligitur; prout etiam de locatione ratione incurfæ caducitatis dictum eft.

§. XII.

De Pignore, pacto Antichrefeos, pacto legis commifforiæ, Hypotheca, & aliis cautionibus.

QUæritur 1. Quod fit *pignus*?

Refpondeo. Pignus vocatur *res mobilis vel immobilis, cujus poffeffio a debitore creditori traditur in fecuritatem debiti*.

Quæ-

Quæritur 2. Quid sit *Hypotheca*?

Respondeo. Hypotheca est *res immobilis vel mobilis, in qua a debitore creditori constituitur Jus in re in securitatem debiti, etiamsi actualis possessio rei necdum sit tradita creditori.*

Quæritur 3. Quid sit pactum *Antichreseos*?

Respondeo. Pactum Antichresticum est *conventio*, *qua expresse vel tacite id agitur, ut creditori uti liceat pignore*, hoc est, percipere ejus fructus, donec solvatur debitum.

Quæritur 4. Quid sit *pactum legis commissoriæ*?

Respondeo. Pactum legis commissoriæ seu Pactum Commissoriæ est *conventio*, *qua id agitur, ut debito intra certum tempus non soluto pignus committatur*, hoc est, amittatur & creditori aquiratur.

Quæritur 5. Quotuplex sit *Hypotheca?*

Respondeo. Hypotheca dividitur 1. in *expressam & tacitam*. 2. in *generalem & specialem*. *Hypotheca Expressa* est, de qua contrahentes consensu expresso conveniunt. *Tacita* est, quæ in re constituitur vel ex natura contractus, vel ex dispositione legis, etiamsi in contractu nulla fiat illius mentio. Hinc ista *hypotheca tacita* vocari solet aliquando *pignus legale*, & *hypotheca expressa* vocatur *pignus conventionale*. *Hypotheca Generalis* est, quando alteri oppignorantur vel omnia debitoris, vel certum quoddam genus bonorum, v. g. omnia bona immobilia, vel omnia bona mobilia, vel grexovium. *Hypotheca specialis* est, quando alteri oppignoratur res aliqua in specie, singularis ac determinata, v. g. hæc domus, hic scyphus aureus.

Quæritur 6. Quænam dantur Hypothecæ tacitæ ex dispositione legum?

Respondeo. Hypothecæ tacitæ ex dispositione Juris Communis a Doctoribus enumerantur sequentes. 1. Princeps habet hypothecam in omnibus bonis subditorum ob tributa & collectas, si a subdito necdum soluta sint. 2. Civitas in bonis administratoris. 3 Ecclesia & alia pia loca in bonis propriis Prælati vel administratoris. 4. Pupilli & Minorennes in bonis Tutorum & Curatorum. 5. Legatarii in rebus a testatore relictis. 6. Maritus in bonis uxoris, vel ejus qui sibi dotem promisit, pro dote obtinenda. Et vicissim uxor in bonis mariti pro dote assecuranda in eventum solvendi matrimonii, & pro bonis paraphernis. 7. Liberi prioris matrimonii in bonis tam patris quam matris ad secundas nuptias transeuntis, ratione bonorum, quæ ipsis debebantur a suis parentibus. 8. Venditor in re vendita respectu emptoris, donec iste de pretio satisfecerit. 9. Mutuans in re illa determinata, ad quam individuo emendam, reparandam, vel conservandam determinate dedit mutuum. 10. Locator ædium in rebus illis, quæ in ædes conductas illatæ sunt, pro solutione pensionis annuæ, aut pro compensatione deteriorationis factæ in re locata. Textus Juris Communis, in quibus convenienter ad exigentiam Juris naturalis constituuntur istæ hypothecæ tacitæ, videri possunt apud *Harpprecht*, P. *Reiffenstuel*, & P. *Schmier*.

Quæritur 7. Quænam bona comprehendantur sub Hypotheca generali?

Respondeo. Sub Hypotheca generali comprehenduntur 1. omnia bona tam mobilia quam immobilia, tam corporea quam incorporea, puta, jura & actiones. 2. Bona tam futura quam præsentia. l. fin. C. quæ res pignori. 3. Non tamen ea, quæ verosimiliter quis non fuisset oppignoraturus, si de illis expresse fuisset cogitatum vel tractatum. Talia sunt vestes necessariæ, suppellex necessaria, instrumenta artis necessaria, nisi oppignorans expresse de illis pactus fuerit. 4. Si hypotheca generalis exprimeretur his terminis; oppignoro omnia *bona mobilia & immobilia*: quidam existimant, non comprehendi *jura*, *actiones*, & *nomina debitorum*; verum, ubi alia bona non suppetunt, aut non sufficiunt, spectata intentione contrahentium, & æquitate naturali, præsertim si detur mutuum sine censu, videntur etiam ista comprehendi. 5. Non comprehenditur etiam omne id, quod requiritur ad competentiam status pro uxore, & recta educatione liberorum in iis, qui ex Jure gaudent privilegio competentiæ.

Quæritur 8. Quis sit effectus Hypothecæ?

Respondeo. Effectus est, quod creditori aquiratur *jus in re* in rebus oppignoratis; & ex hoc sequitur, quod res oppignoratæ transeant cum onere pignoris ad quemcunque possessorem, etiamsi titulo emptionis, vel alterius alienationis justissime in ejus manus devenerint.

Excipitur tamen pecunia, & aliæ merces venales, quæ licet censeantur comprehendi in Hypotheca generali, quamdiu adhuc detinentur in possessione debitoris, non tamen transeunt cum jure hypothecæ ad alios possessores, ne turbetur humanum commercium.

Quæritur 9. Quid, & quotuplex sit *cautio*?

Respondeo. Cautio vocatur *securitas* de solutione verbis aut rebus a debitore præstita creditori.

Dividitur in *simplicem*, *juratoriam*, *pignoratitiam* & *satisdatoriam* seu *fidejussoriam*. *Cautio simplex* est, quæ fit nuda contestatione asseveratoria verborum. *Cautio juratoria*, quæ fit jurato promisso solutionis. *Cautio Pignoratitia* est pro missio solutionis cum datione pignoris vel constitutione hypothecæ. *Cautio satisdatoria* seu *fidejussoria* est, quæ fit cum assignatione fidejussoris, qui solvat pro debitore impotente.

Quæritur 10. Quinam possint constituere pignus vel hypothecam? vel accipere?

Respondeo. Illi omnes & soli possunt constituere aut accipere pignus vel hypothecam, qui habent potestatem alienandi suas res cum administratione libera. Hinc 1. Pignus nec dare nec accipere possunt Pupilli & Minorennes sine authoritate Tutorum vel Curatorum. 2. Nec Procurator vel Administrator rerum alienarum sine speciali mandato, aut mandato *cum libera*, res sui principalis oppignorare vel hypothecare. 3. Fœmina, licet in debito proprio possit valide constituere pignus, pro extraneo tamen prohibetur constituere pignus in re propria sine authoritate Judicis. Ita statuitur in *S. C. Vellejano*. Si tamen contra constitutionem hujus *Senatus-Consulti* jurato rem suam in alterius favorem oppignoret, non permittitur ipsi in foro externo exceptio hujus constitutionis, utut introductæ favore boni communis. 4. Nec Prælati possunt sine solennitatibus oppignorare bona immobilia, aut res mobiles pretiosas, prout patet ex auth. *Ambitiosæ*, & ex decreto *Urbani VIII.* de anno 1624. superius §. 8. qq. 4. relatis. 5. Emphiteuta, vel alius habens Dominium utile, oppignorare non potest rem, in qua habet Dominium utile.

Ratio est, quia hæc prohibitio involvitur tacite in contractu Emphiteutico. Cum enim manifestum sit, per has oppignorationes, potissimum clandestinas, alienari plurima bona ignorante Domino, nullus Dominorum prudenter suo Emphiteutæ ejusmodi oppignorationes se inconsulto faciendas permitteret, si de hac circumstantia expresse fuisset cogitatum aut tractatum. Et hinc etiam *Jus Bavaricum* has oppignorationes prohibet sub pœna caducitatis.

Quæritur 11. Quæ res possint vel non possint oppignorari?

Respondeo. Oppignorari possunt omnes & solæ illæ res, quæ in commercio humano emi vendique possunt. Hinc oppignorari nequeunt 1. Res sacræ, liber homo, res publicis usibus destinatæ, ut sunt viæ, res litigiosæ, res fideicommissoriæ, fundus dotalis &c. saltem sine limitationibus §. 7. *de emptione*, assignatis. 2. Res feudales aut emphiteuticæ sine consensu Domini. 3. Solus usus alicujus rei cuidam concessus sine consensu rem concedentis. 4. Servitutes activæ & jura prædiorum urbanorum aut rusticorum sine prædio dominante sine consensu ejus, cujus interest; v. g. jus iter agendi per alterius fundum. 5. Res jam uni oppignoratæ, sine crimine *stellionatus* seu fraudulentiæ Juribus exosæ oppignorari nequeunt alteri, quin is moneatur de priori oppignoratione.

Quæritur 12. An oppignorationi licite adjiciatur *pactum legis commissoriæ*?

Respondeo. Hoc pactum non est licitum, sed usurarium, nisi concurrat alterutra ex duabus sequentibus conditionibus; nisi videlicet aut pignus minus valeat quam est debitum; aut nisi in casu, quo pignus plus valet quam debitum, illud in defectu solutionis debiti vendatur, & excessus pretii supra debitum & interesse restituatur debitori.

Ratio

Ratio est, quia alioquin creditor plus peteret & acciperet, quam illi debeatur titulo mutui & interesse liciti.

Quæritur 13. An oppignorationi licite adjiciatur pactum *antichrescos*?

Respondeo. Hoc pactum non est licitum, sed usurarium, nisi fructus, deductis expensis, deducantur in sortem debiti principalis, & ipsius Interesse, alioquin concurrente justo titulo liciti.

Ratio est eadem, quia alioquin creditor ex pignore, quod fructificat debitori, utpote suo Domino, plus acciperet, quam prætendere possit titulo mutui, & Interesse liciti.

Quæritur 14. Quænam jura consequitur Creditor ex pignore?

Respondeo. Creditor consequitur ex pignore sequentia jura. 1. *Jus in re*, vi cujus rem oppignoratam aut hypothecatam vendicare potest a quocunque alio possessore, donec sibi fuerit solutum debitum, etiamsi ea res fuisset interea sine suo consensu vendita authoritate Judicis. 2. Jus retinendi pignus semel sibi a debitore traditum, donec solvatur totum debitum. 3. Jus prælationis, vi cujus, si debitor habet plures creditores, quibus satisfacere nequeat, creditor præfertur in solutione aliis creditoribus, pignore vel hypotheca destitutis, & non specialiter privilegiatis. Ex creditoribus autem hypothecariis præferuntur, qui habent specialem hypothecam. 4. Jus distrahendi seu vendendi pignus alteri plus offerenti, ut ex pretio sibi satisfiat, & residuum restituatur debitori. Id enim jus naturæ & intentio oppignorantis tacite permittit. Ad quid enim serviret pignus, nisi liceat illud distrahere?

Quæritur 15. Quæ sit obligatio creditoris erga oppignorantem?

Respondeo. Tenetur 1. rem oppignoratam exacta diligentia conservare, ita ut teneatur ad compensationem, si *culpa sua lata* pignus periit, aut deterioratum est. Nam, ut habetur l. 14. ff. *de pignoratitia actione: Ea, quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, a creditore exiguntur*.

Neque obstant aliæ leges ab authoribus relatæ, quibus probare intendunt, creditorem obligari etiam *ad culpam levem*, quia l. 3. Tit. 15. §. 4. Institut. *quibus modis recontrahatur obligatio*, tantum sermo est de obligatione Commodatarii, in cujus favorem datur commodatum, non de creditore. Et in l. 3. 5. C. de pign. act. tantum sermo est *de culpa* sine addito, per quam in Jure regulariter intelligitur *lata*. Dein, etiamsi in foro externo aliud disponeretur ob præsumptionem *latæ*, ubi constat *de culpa*, in foro tamen interno nullus creditorum se facile obligaret *ad culpam levem*, si ea conditio expresse exigeretur ab oppignorante, quamvis enim Paterfamilias sit diligens, non tamen sine defectu est, quin sæpe committat culpam saltem levem in rebus etiam propriis.

Tenetur 2. Abstinere ab usu pignoris, nisi tacite vel expresse consentiat debitor.

Tenetur 3. Restituere fructus ex pignore perceptos, aut eos computare in sortem, & Interesse, si quod pactus est justo concurrente titulo. Imo tenetur ad restituendos etiam eos fructus, quos percipere potuisset, nec tamen percepit ex culpa lata.

Tenetur 4. Restituere pignus cum fructibus, accessionibus, & meliorationibus, demptis expensis, quamprimum debitum ex integro fuerit solutum.

Quæritur 16. Quæ sit obligatio debitoris oppignorantis erga creditorem?

Respondeo. Tenetur 1. pignus tradere tempore convento. 2. Creditorem indemnem servare, & resarcire damna, si in pignus tradidit rem vitiosam. 3. Restituere impensas utiles vel necessarias ex suo consensu saltem tacito, seu rationabiliter præsumpto factas.

Ex his sequitur, a debitore oppignorante, aut creditore pignus recipiente peccari mortaliter, si agant in re gravi contra pactionem seu intentionem obligantis *principalis*, nempe creditoris vel debitoris, inquantum se invicem obligant.

§. XIII.

De Fidejussione.

Quæritur 1. Quid sit *fidejussio*?

Respondeo. Fidejussio est *contractus stricti juris, in quo aliquis se soluturum pro debitore promittit, si ille non potuerit solvere*.

Dixi, *stricti juris*; quia fidejussor non obligatur ultra ea, quæ *expressis verbis* spopondit.

Quæritur 2. Quotuplex est fidejussio?

Respondeo. Fidejussio dividitur. 1. In *Judicialem* & Extrajudicialem. 2. In *principalem*, & *succedaneam*. *Judicialis* est, quæ fit in judicio, & *satisdatio* appellatur. Talis fidejussor, si caveat de judicio sisti, *Vas*; si caveat de judicatum solvi, *Præs*, appellatur. *Extrajudicialis* est, quæ fit extra judicium. *Fidejussio Principalis* est, qua quis se obligat pro debitore principali. *Fidejussio Succedanea* est, qua quis se obligat pro ipso fidejussore. *Idonea* est, quæ fit per fidejussorem habilem ad solvendum, ita ut in judicio repelli nequeat. *Indonea* est, quæ fit per fidejussorem, qui in judicio repelli potest ex justa causa. Tales causæ sunt, si dubitetur de ejus sufficientia ad solvendum, vel si sit litigiosus, aut potens, ita ut sit difficilis conventionis.

Quæritur 3. Quis sit effectus fidejussionis?

Respondeo. Effectus Fidejussionis est, quod fidejussor teneatur in casu impotentiæ ex parte debitoris solvere illam summam, quæ tempore fidejussionis erat debita a debitore, salvo tamen beneficio excussionis.

Dixi, *beneficio excussionis salvo*. Nam fidejussor, si conveniatur ante debitorem principalem, petere potest, ut prius conveniatur & excutiatur debitor principalis, hoc est, ut prius facultates & bona debitoris lustrentur ac vendantur; & tum demum, si repertum fuerit, debitorem non esse solvendo, conveniri & compelli poterit fidejussor ad solvendum. Hoc tamen beneficium excussionis non prodest fidejussori. 1. Si illi specifice & expresse renuntiavit; vel si eidem tacite renuntiet, non opponendo exceptionem hujus beneficii. 2. Si debitor principalis notorie non sit solvendo. 3. Si debitor principalis absit, vel lateat, vel alias difficulter conveniri aut excuti possit. 4. Si fidejussor malitiose neget, se fidejussisse pro altero, & mendacii convincatur. 5. Si quis fidejussit pro tali, qui civiliter, hoc est, in foro externo non obligatur, v. g. pro pupillo, vel Minorenne.

Quæritur 4. Quinam possint fidejubere?

Respondeo. Fidejubere possunt illi omnes & soli, qui possunt alienare sua bona valide.

Ratio est, quia obligatio fidejussoria est actualis obligatio alienandi sua bona pro debitore, si solvendo non sit. Hinc fidejubere non possunt 1. Prælati Ecclesiarum Regularium vel Secularium, obligando bona Ecclesiastica sine consensu Capituli in quantitate respective notabili; imo, cum fidejussio vix unquam tendat in bonum communitatis, & Prælatus Regularis, tanquam administrator bonorum communium, nil possit disponere, nisi ex consensu præsumpto communitatis vel universalis Ecclesiæ, vix unquam occurret casus, in quo Prælatus Regularis absque peccato mortali in quantitate notabili fidejubere possit sine consensu rationabiliter præsumpto Capituli. 2. Religiosi sine consensu Prælati & majoris partis Capituli.

Ratio est eadem. 3. Parochi & alii Beneficiati obligando bona ad suam congruam sustentationem ordinata.

Ratio est, quia non habent illorum Dominium. 4. Mulieres obligando suam dotem vel paraphernalia pro marito, vel quovis alio extraneo; in qua tamen re dantur variæ exceptiones. Possunt enim fidejubere in utilitatem propriam; aut si fidejubeant interveniente Instrumento publico & tribus testibus; aut si fidejubeant pro dote alterius mulieris, quidam addunt casum, quo juramento suam fidejussionem confirmant; quod tamen postremum non admitto, quia hoc juramentum suo valore repugnat bono publi-

publico, repugnantia a legibus declarata.

Quæritur 5. Qualia competant beneficia fidejussori?

Respondeo. Quatuor. 1. *Excussionis*, de quo jam actum est. 2. *Divisionis*. 3. *Cedendarum actionum*. 4. *Liberationis*. *Beneficium Divisionis* consistit in eo, quod, si fuerint plures fidejussores pro debito eodem, fidejussor petere possit, ut onus solutionis dividatur in reliquos. *Beneficim Cedendarum Actionum* consistit in eo, quod fidejussor a creditore petere possit, ut sibi cedat omnes actiones tam personales quam reales, quas habet adversus debitorem principalem, & confidejussores, & alios pignorum possessores. *Beneficium liberationis* consistit in eo, quod fidejussor petat se liberari ab onere fidejussoris ex justa causa. Assignantur autem hujus rei causæ. 1. Si debitor jam diu distulit solutionem culpabiliter, & fidejussor jam diu stetit in hoc munere. 2. Si debitor principalis incipit dissipare sua bona notabiliter, aut vergeret ad inopiam ac impotentiam solvendi, dummodo non fuerit jam prodigus tempore fidejussionis sciente fidejussore. 3. Si fidejussor prætermisso Ordinis beneficio ante debitorem principalem conventus, & jam condemnatus, vel propediem condemnandus est. 4. Si fidejussor ex rationabili causa proficiscitur in terras remotas diu non reversurus. 5. Si ex culpa debitoris inter eum & debitorem oriuntur graves inimicitiæ. 6. Si ita ab initio conventum est inter fidejussorem & creditorem, & ille certo tempore evoluto liberetur a fidejussione. 7. Si fidejussor timeat, ob nimiam procrastinationem actionis contra debitorem, unum vel alterum confidejussorem labi facultatibus, ac propterea petat, ut confidejussores declarentur, præsenti tempore esse pares solvendo, adeoque sibi competere actu beneficium *divisionis*.

§. XIV.

De Solutionibus.

Quæritur 1. Quid sit *solutio*?

Respondeo. Solutio est *præstatio ejus, quod ex contractu debetur, tempore, loco, & modo debito*.

Quæritur 2. Quot sint modi se liberandi a solutione perfecta?

Respondeo. Reperiuntur duo modi; nempe *beneficium competentiæ*, & *cessio bonorum*. *Beneficium Competentiæ* est privilegium certis personis a jure naturæ, vel a lege concessum, vi cujus plus solvere non tenentur, quam illis superest deducta sustentatione congrua. *Cessio Bonorum* est privilegium certis personis a lege competens, vi cujus resignando creditoribus omnia sua præsentia bona & jura coram judice non solum liberantur ab incarceratione & ulteriori exactione, sed juxta alios quosdam etiam ab omni ulteriori solutione, etiamsi postea per donationem hæreditatem, vel novam negotiationem ad pinguiorem fortunam venerint. Meam mentem vide infra §. 16. q. 7. n. 2.

Quæritur 3. Quinam gaudeant beneficio competentiæ?

Respondeo. Beneficio competentiæ gaudent sequentes. 1. Parentes contra liberos; & vicissim liberi erga parentes. 2. Fratres ac sorores erga se mutuo. 3. Patronus erga libertum. 4. Maritus erga uxorem in dotis restitutione, & vicissim uxor erga maritum ex promissione dotis. 5. Socii omnium bonorum erga socios. 6. Donans ex donatione. 7. Mulieres honestæ. 8. Milites. 9. Socer utriusque conjugis constante matrimonio. 10. Doctores & Professores bonarum artium, quia serviunt sine cujusquam injuria bono publico. 11. Probabiliter etiam illi, qui injuria temporum absque sua culpa ad incitas redacti sunt, prout *Haunoldus*, & *P. Smaltzgrueber* docent. 12. Clerici, saltem in Sacris Ordinibus constituti, nisi dolose contraxerint debitum ex confidentia privilegii. Tales tamen tenentur deponere cautionem juratoriam de solvendo, quando ad pinguiorem fortunam venerint.

Quæritur 4. An redactis ad incitas absque sua culpa beneficium competat jure naturali?

Respondeo. Affirmative. Id probatur ex communi jure ac sensu gentium, & ex judicio communi Doctorum. Nam Impe-

Imperator *Novella* 135. sic scribit: *Ubi locorum justum est, ut is qui in universum ex accidenti non supina negligentia sua res suas amisisse traditus est, denuo per vim ad ignominiosam vitam transponatur, & ad quotidiani victus, neque non amictus corporis inopiam adigatur?* *Haunoldus*, qui Tom. 1. Tr. 2. n. 460. istum textum adducit, subjungit: *Ob hanc rationem & quasdam alias affirmandum videtur cum decem gravissimis Jurisconsultis, quos refert & sequitur Casparus Manzius* Decis. 3. q. 2. competere hoc jus redactis ad incitas. *Limitandum* tamen hoc est, nisi tales personæ petendo mutuum huic juri expresse vel tacite renuntiaverint ex more regionis.

Quæritur 5. An personæ, quæ gaudent beneficio competentiæ, possint ante sententiam Judicis sibi ipsi clam servare, vel etiam surripere competentiam?

Respondeo Negative.

Ratio est, quia cum ad usum hujus beneficii requirantur multæ conditiones, non possunt esse judices in causa propria: & supposito etiam, quod liquido constaret de requisitis conditionibus, non tamen constaret, an competentia sibi competat ex lege positiva, vel jure naturali? Et si hoc constaret, non tamen constaret, quod sibi competat ex justitia commutativa, vel solum distributiva dependenter ab actu legitimi Judicis? In dubio autem non licet surripere alienum. Mihi videtur; quod hoc beneficium competentiæ solum debeatur ex justitia distributiva.

Quæritur 6. An successor in Beneficio vel Prælatura teneatur solvere debita contracta a suo Antecessore?

Respondeo 1. Si antecessor contraxit debita in luxum vel alios sumptus inutiles, non tenetur ea solvere successor.

Ratio est; quia tutor non potest nocere pupillo; nec successor ullo titulo potest gravari facto alieno defuncti, cum sua bona non accipiat hæreditaria successione a defuncto, sed a collatore.

Respondeo 2. Si antecessor contraxit debita in utilitatem Ecclesiæ, attamen sine consensu eorum, quorum consensus requiritur, successor non tenetur solvere illa debita.

Ratio est, quia in tali casu possessor beneficii vel Prælatus non potest valide obligare bona Ecclesiæ, utpote deficiente consensu legitimo ad obligationem realem. Ex sola autem obligatione sui antecessoris nullo titulo obligatur; cum ab eo nil juris aut bonorum accipiat, sed a collatore vel Institutore in beneficio.

Respondeo 3. Si antecessor contraxit debita etiam in necessitatem Ecclesiæ, attamen sine consensu eorum, quorum consensus ad contrahendam obligationem realem potuit & debuit requiri, nec sic obligatur successor.

Ratio est, quia in tali casu non contrahitur ab antecessore obligatio, nisi personalis. Ad personalem autem obligationem antecessoris successor non tenetur, cum ab eo nil accipiat juris, vel bonorum, sed a solo collatore.

Respondeo 4. Si antecessor contraxit debita pro necessitate Ecclesiæ in casu, quo nullius alterius consensus potuit aut debuit requiri, sic demum obligatur successor, in quantum ad eum ultra congruam sustentationem defertur ex bonis Ecclesiæ.

Ratio est, quia in tali casu censetur obligari titulo dotis, quam accepit a sua *sponsa*, hoc est, ab Ecclesia, in qua habet beneficium.

Quæritur 7. Qui solvit per errorem, quod non debebat, an possit propria authoritate aperte vel clam repetere indebitum?

Respondeo. Qui per errorem solvit, *quod* certo non debuit nec naturaliter, nec civiliter, potest repetere indebitum *condictione indebiti* coram Judice; & si ob defectum probationum non possit recuperare suum, potest illud etiam clam repetere.

Ratio est, quia in tali casu ob defectum consensus, aut tituli & materiæ, non transtulit soluti dominium. Si autem dubium aliquo modo, saltem tenue, sit, an debuerit solutionem civiliter

ter vel naturaliter, non poteſt propria authoritate ſolutum repetere. Hujus ratio eſt, quia nemo eſt privandus poſſeſſione certa ob jus alterius incertum. Nec etiam licet uti ſententia probabili in præjudicium tertii exiſtentis in poſſeſſione.

Quæritur 8. An detur in conſcientia obligatio ſolvendi in ſpecie, quod conventum eſt? an vero ſatisfiat præſtando intereſſe?

Reſpondeo. Datur in conſcientia obligatio ſolvendi in ſpecie, quod promiſſum eſt. Et hinc, qui ſolutionem promiſit per dationem equi, vel agri, non ſatisfacit ſolvendo in pecunia, etiamſi offerret ſummum pretium rei.

Ratio eſt, quia contractus ex intentione contrahentium legem accipiunt, quæ intentio ſæpius magis reſpicit ad commoditatem aut affectionem propriam, quam pretium rei.

Quæritur 9. In qua moneta ſit præſtanda ſolutio?

Reſpondeo. Debitor tenetur ſolvere in moneta non ſolum currente, ſed etiam *reſpective utili* ad fines creditoris.

Ratio eſt, quia contractus, in quo fundatur debitum ſolutionis, ſupponitur eſſe contractus bonæ fidei, in quo inſpicienda eſt intentio contrahentium rationabiliter præſumpta. Nemo autem ſibi ſolutionem fieri expreſſe permitteret in moneta reſpective inutili, ſi de modo ſolutionis fuiſſet cogitatum vel tractatum. Itaque ſic ſolvens, v. g. in magna quantitate pecuniæ mercatori, aut civi, quem ad uſus ſuos in comparandis neceſſariis ſine damno expendere non poſſit, peccat contra juſtitiam.

Quæritur 10. Quibus debeat ſolvi?

Reſpondeo. Ad ſolutionem tam pro foro interno quam externo validam requiritur ut ſolvatur illi, cui ſolvendum ſaltem tacita intentio contrahentis principalis, vel lex requirit, cui ſubjicitur ipſa intentio contrahentium. Hinc ſequitur, non ſatisfieri per ſolutionem. 1. Si ſolvatur procuratori creditoris non habenti generale vel ſpeciale mandatum de recipiendis ſolutionibus. 2. Si ſolvatur uxori creditoris, aut ejus filio, vel ſervo, non habenti adminiſtrationem. 3. Si ſolvatur creditori creditoris ſine hujus conſenſu rationabiliter præſumpto. 4. Si ſolvatur pupillo vel Minorenni ſine tacito conſenſu tutoris vel curatoris rationabiliter præſumpto. Cenſetur autem conſenſus creditoris rationabiliter præſumi, quando negari non poteſt ſine evidenti injuſtitia. Quia creditor, ubi agitur de ejus præſumpto conſenſu, non eſt præſumendus velle committere apertam injuſtitiam.

Quæritur 11. Quis creditorum ex obligatione conſcientiæ ſit præferendus quoad ſolutionem, quando omnibus ſatisfieri non poteſt?

Reſpondeo 1. Debitor ante omnem ſolutionem tenetur reſtituere res alienas, quæ ſunt in alterius dominio, ſi adhuc extent. Tales res alienæ ſunt *dos*, & dona *paraphernalia* uxoris; *depoſita*, *commodata*, *bona vendita*, quorum dominium ſibi reſervavit venditor uſque ad ſolutionem; bona *a tertio* vendita aut legata Eccleſiæ, monaſterio vel alteri loco pio ante traditionem, quia ante traditionem aquirunt dominium.

Dixi, *a tertio*, nam ſi debitor ea primum vendat aut donet poſt obligationes contractas cum aliis creditoribus, & poſt jam manifeſtatum periculum de ſufficientia ſolvendi, hoc privilegium Eccleſiarum in præjudicium creditorum caret effectu; cum Leges in favorem Eccleſiarum introductæ, dum prodeſſe Eccleſiis volunt, nulli habenti jus anterius ſancte & pie obeſſe velle poſſint.

Reſpondeo 2. Deductis rebus alienis debitor poſt apertum periculum de ſufficientia omnibus ſolvendi tenetur jure naturali prius ſolvere creditoribus anterioribus, etiam ante hypothecarios ac privilegiatos.

Ratio eſt, quia conſtituendo hypothecam, aut ſumendo mutuum a privilegiato, licite non potuit præjudicare anterioribus creditoribus. Ergo nec præſumitur habuiſſe intentionem ſic præjudicandi.

Reſpondeo 3. Debitor poteſt ſolutionem creditorum anteriorum tenetur prius ſolvere creditoribus anterioribus hypothecariis.

Ratio est, quia constituendo hypothecam recentiorem, etiam specialem vel alias privilegiatam, non potuit licite habere intentionem præjudicandi anteriori creditori. Ergo, cum hoc non præsumatur, jure naturali tenebatur periculum impotentiæ ad solvendum potius transferre in creditorem recentiorem, quam in priorem.

Nec obstat. Quod in Processu Edictali observetur ac præscribatur alius ordo solutionis, prout proxime dicetur; quia ille ordo respicit res debitoris potius tanquam res subjectas dominio alto reipublicæ, quam dominio privato seu basso debitorum.

Quæritur 12. Qualis servetur ordo solutionis in foro externo per Leges?

Respondeo. Deductis rebus alienis solvuntur 1. creditores specialiter privilegiati. 2. Creditores hypothecarii speciali juris prærogativa muniti. 3. Creditores hypothecarii nulla speciali juris prærogativa muniti. 4. Creditores chirographarii, privilegio personali ratione debiti vel personæ muniti. 5. Creditores chirographarii simplices, nullo etiam personali privilegio muniti.

Quæritur 13. Quinam sunt creditores specialiter privilegiati?

Respondeo. In Jure communi ponuntur sequentes 1. illi, quibus aliquid debetur ratione sumptuum in Judicio Edictali, Inventario, &c. factorum. 2. Illi, quibus aliquid debetur ratione funeralium in morte defuncti debitoris, & ejus uxoris, vel liberorum, juxta conditionem status *intra limites honestatis infimæ* factorum. 3. Illi, quibus aliquid debetur ratione pharmacorum, dictis personis in ultimo morbo factorum; quales sunt Medici, Chirurgi, Pharmacopotæ. 4. Illi, quibus aliquid debetur ratione mercedis, uti sunt *necessarii* famuli & Officiales domestici specialiter conducti pro mercede saltem ultimi anni.

Ratio præferentiæ harum personarum esse poterat, quia creditores non poterant esse prudenter inviti, si debitor circa ejusmodi personas contraheret, vel actuale pretium offerret, cum id potius cederet in augmentum spei & in bonum creditorum, ut securius solverentur & integrius.

Quæritur 14. Quinam sint creditores hypothecarii speciali Juris prærogativa muniti?

Respondeo. Tales sunt & habentur in Jure. 1. Illi, quibus aliqua res est hypothecata in specie, antequam pervenerat in dominium debitoris, prout contingit circa res hypothecatas in specie liberis ex priori matrimonio 2. Fiscus seu camera Domini territorialis relate ad tributa, steuras, vel alias præstationes debitas ad ærarium publicum, &c. 3. Uxor & ejus descendentes ratione dotis in maritum translatæ, in bonis mariti. 4. Illi, qui mutuam dederunt pecuniam ad domum vel aliam rem emendam, in illa re empta vel refecta. 5. Illi, qui obtinent hypothecam publicam, hoc est, Instrumento publico constitutam coram Judice, Notario &c.

Quæritur 15. Quinam sint creditores Chirographarii privilegio personali instructi.

Respondeo. Tales sunt 1. Illi, qui rem deposuerunt, & perdito deposito solum habent actionem personalem adversus depositarium. 2. Ille, qui uni ex creditoribus pecunias loco debitoris numeravit in continenti. Ingreditur enim per hoc in ejus locum. 3. Dantes mutuum ad exstruendam, reparandam, vel instruendam navem. 4. Respublica, vel alia communitas privilegio fisci gaudens. In hanc classem etiam referuntur Ecclesiæ vel alia loca pia, si ex eorum pecuniis nihil est comparatum, si enim aliquid foret comparatum, in ea re haberent hypothecam. Verum hæc omnia, prout monui, pertinent ad forum externum, circa quod Juristæ, præsertim provinciales cujusque provinciæ consulendi sunt.

Quæritur 16 Quid sit, & quomodo fiat, *solutio per compensationem*?

Respondeo. Solutio per compensationem est adæquatio mutuorum debitorum inter se. Fit aliquando per deductionem debiti reciproci. *Dividitur* autem in *publicam* seu manifestam, & *occultam* seu clan-

clandeſtinam, dum quis alteri, nolenti ſolvere debitum, clandeſtine tantundem aufert, quantum debet.

Quæritur 17. Quid ſit, & quomodo fiat, *ſolutio per Novationem?*

Reſpondeo. Solutio *per Novationem* eſt modus, quo vetus obligatio transfunditur in aliam manente eodem creditore & debitore, v. g. ſi debitor centum florenorum ſe obligat ad dandum determinatum equum. Sic enim mutuum transfunditur in venditionem.

Quæritur 18. Quid ſit, & quomodo fiat, *ſolutio per delegationem?*

Reſpondeo. Solutio per delegationem eſt actualis ſubſtitutio alterius debitoris ultro conſentientis & acceptati a creditore.

Quæritur 19. Quid ſit, & quomodo fiat, *ſolutio per aſſignationem nominis?*

Reſpondeo. Solutio per aſſignationem nominis eſt modus, quo debitor creditori indicat, talem ſummam ſibi ab alio deberi, eique mandat, ut ab illo tertio ſolutionem ſuo nomine exigat, ac loco ſolutionis retineat.

Quæritur 20. An creditor teneatur ſolutionem recipere per partes?

Reſpondeo. Ex juſtitia non tenetur recipere ſolutionem per partes, niſi ita fuerit conventum aut debitum per partes, vel ex diverſis cauſis, puta, ex mutuo, ex empto, ex locato &c. contractum ſit. Ex charitate tamen tenetur recipere ſolutionem per partes, ſi debitor in gravi neceſſitate conſtitutus vel alias conſtituendus ſit, nec integra ſolutione ſimultanea admodum egeat creditor. Patet ex legibus charitatis datis in Tract. *de Decalogo* Sect. 1.

Quæritur 21. Quodnam debitum cenſeatur eſſe expunctum, quando debitor partem ſolvit, non exprimendo, pro quo illam ſolvat, debito?

Reſpondeo. Pro illo debito cenſetur ſolviſſe, pro quo illam veroſimiliter creditor acceptaſſet, ſi expreſſa interveniſſet mentio.

Ratio eſt, quia creditor in tali contractu eſt principalis obligans. Itaque ex parte ipſius creditoris ſtat interpretatio ſuæ mentis, ſi recedere vellet a naturali ordine ſolvendi debitum anterius debitor. Alioquin, niſi aliud colligatur ex circumſtantiis, creditor præſumitur ſequi ordinem naturalem, ipſamque ſolutionem acceptare pro antiquiori debito, vel pro eo, quod conſuevit ſolvi prius, prout conſuevit prius ſolvi intereſſe quam capitale.

Quæritur 22. Quo tempore debeat fieri ſolutio?

Reſpondeo. Si tempus non fuit præfixum ſolutioni, differri poteſt, donec exigatur a creditore. Quamprimum autem exigitur, ex eo die debetur ſub gravi vel levi obligatione, prout ſecundum varias circumſtantias creditor ſeu obligans principalis poteſt eſſe leviter vel graviter invitus circa moram ſolutionis. Hinc peccant mortaliter, qui ſolvenda ex pacto certis anni temporibus non ſolvunt, ac per hoc iis, quibus debent, creant gravem contriſtationem vel reſpectivam indigentiam; imo tenentur compenſare damnum, quod mora ſolutionis intulerint.

Quæritur 23. Quo loco debeat fieri ſolutio?

Reſpondeo 1. Si debitum fuit contractum ex delicto, v. g. fraude, furto, debitor tenetur propriis expenſis ſolvere in eo loco, ubi moratur creditor, vel ubi rem poſſideret, ſi non interveniſſet iniquitas.

Ratio eſt, quia innocens damnificatus ab injuſto damnificante debet ſervari indemnis, ut reparetur prior bonorum & pretiorum læſa æqualitas. Aliud dicendum foret, ſi tantæ expenſæ faciendæ eſſent in reſtitutionem ob diſtantiam loci, ut attenta parvitate reſpectiva debiti, & conditione ſuorum bonorum non cenſeatur invitus, ſi aut differatur, vel in opus aliud pium juxta ejus mentem præſumptam convertatur.

Reſpondeo 2. Si debitum fundatur in contractu gratuito, v. g. donationis, promiſſionis, legati, &c. non datur obligatio ſolvendi debitum in alio loco, quam ubi tempore contractus, v. g. donationis extitit; nec tenetur donans, vel hæres, illud ſuis ſumptibus transferre in locum donatarii.

Ratio

Ratio est, quia ea præsumitur fuisse intentio obligantis principalis, v. g. donantis.

Respondeo 3. Si contractus, ex quo debetur, cedit in utriusque contrahentis utilitatem, prout cedit emptio, locatio, &c. solutio facienda est in loco, ubi res est tradita vel ubi concessus est usus, nisi aliud ex circumstantiis colligatur de intentione obligantis principalis, puta, vendentis vel locantis, &c. cujus est scribere legem contractui. Si autem contractus cedit in utilitatem solius debitoris, ut fieri solet in commodato, solutio fieri debet, ubi commodatarius rem a commodante accepit. Si denique contractus cedit in utilitatem solius creditoris, prout fit in deposito, res restituenda est in loco, ubi fuit accepta, attamen expensis creditoris vel deponentis. Hæc probantur ex eo, quia ejusmodi intentio obligantis principalis præsumitur ex communi sensu Doctorum ac consequenter arguitive gentium.

Quæritur 24. An liberetur ab obligatione iteratæ solutionis, qui solutionem misit per bajulum perfidum, aut expilatum a prædonibus?

Respondeo 1. Si ipsemet creditor misit ejusmodi bajulum pro recipienda solutione, liberatur debitor ab iterata solutione, nisi debitor debeat ex delicto. Talis enim in se recipit omnia damna & pericula, quæ occasionari possunt ex suo delicto, pyout dictum est in Tract. *de Justitia*, nisi essent damna aut pericula prorsus extraordinaria, quæ prudenter prævideri aut timeri non poterant.

Respondeo 2. Si debitor misit bajulum alioquin fidelem, notum, prudentem, nec ullatenus suspectæ fidei, distinguendum est, an res debita fuerit in individuo, v. g. hoc poculum, vel tantum in genere, v. g. centum floreni? Si prius, res perit creditori; quia censetur perire casu fortuito; nec idem individuum potest bis restitui, nec reperitur titulus restituendi in æquivalenti ex intentione obligantis principalis, nisi in contractibus, v. g. commodati, ubi contractus cedit in utilitatem solius debitoris. Si autem res fuit debita solum in genere, res perit debitori, qui proin iteratam tenetur præstare solutionem.

Ratio est, quia ea est intentio contrahentis principalis, ut manente genere debiti pereunte uno individuo solvatur ex alio, prout colligitur ex sensu Doctorum & Gentium.

Quæritur 25. Quid agendum debitori, si debito tempore & loco offerat creditori solutionem, & is ob frivolam excusationem nolit eam acceptare?

Respondeo. Debitor poterit in tali casu pecuniam numeratam & obsignatam in præsentia duorum testium vel Judicis deponere apud Judicem vel apud ipsum creditorem, aut ejus procuratorem, tutorem, curatorem. Effectus hujus depositionis est, quod habeat vim solutionis, & periculum rei, si forte pereat, transferat in ipsum creditorem.

Quæritur 26. An & quando creditori liceat uti compensatione publica vel occulta, si debitor nolit solvere?

Respondeo 1. Nec publica, nec occulta unquam compensatione uti licet, si debitor *convenienter* possit conveniri ac compelli ad solutionem per Judicem.

Ratio est, quia alioquin ea compensationum licentia cederet in perturbationem Reipublicæ.

Dixi, *convenienter*. Si enim Judex interpellari nequeat sine magnis incommodis, expensis, diffidiis, inimicitiis, amissione gratiæ, &c. cuilibet licet repetere suum compensatione occulta, quantum fieri potest sine perturbatione reipublicæ, & aliorum gravium malorum periculo; saltem si fuerit res levis, ita ut non sit operæ pretium, actionem instituere coram Judice.

Respondeo 2. Etiam in rebus gravioris momenti licet uti occulta compensatione, si concurrant sequentes conditiones. Ut debitum sit liquidum, seu moraliter certum vel per sententiam Judicis, vel per ipsam confessionem extrajudicialem debitoris, vel per acta solennia erecta coram Judice aut Notario, nulli æquivocationi judicio uniformi virorum prudentum indifferentium ac in re peritorum obnoxia. Si enim debitum non sit confessatum ab ipsomet debitore,

re,

re, & debitum non ſit liquidum per ſententiam, vel per arbitrium uniforme trium aut quatuor Juriſconſultorum, non licet uti occulta compenſatione.

Ratio eſt, quia, cum plerique litigantes credant, ſua jura eſſe certa, alioquin hi omnes poſſent uti occulta compenſatione non recurrendo ad Judicem, quod vergeret in gravem perturbationem Reipublicæ. Huc facit propoſitio 37. ab Innocentio XI. damnata: *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod accipiunt*. 3. Ut debitum debeatur ex juſtitia, & non tantum ex charitate vel gratitudine. 3. Ut non poſſit convenienter aquiri authoritate Judicis, vel alio medio licito per repetitas inſtantias. 4. Ut, quantum fieri poteſt, accipiatur res ejuſdem ſpeciei cum re debita, puta, pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento &c.

Ratio eſt, quia alioquin foret periculum excedendi in pretio rerum, quas debitor forte æſtimat & diſtrahere intendit ſummo pretio, & creditor accipit infimo pretio. 5. Ut per compenſationem occultam non creetur periculum ſeu præjudicium innocenti, v. g. ſi propterea innocens veniret in ſuſpicionem probabilem furti, vel ſi præjudicaretur aliis creditoribus, habentibus evidenter jus prælationis etiam pro foro interno conſcientiæ. 6. Ut debitori ex tali compenſatione non oriatur grave damnum vel incommodum, quod creditor impedire teneretur ex charitate vel juſtitia. 7. Ut exoneretur conſcientia debitoris, & præcludatur prætenſio hæredum creditoris, ne ille ex perſuaſione obligationis ſolutionem iteret, vel peccaminoſe differat; aut ne hæredes creditoris ſolutionem a debitore urgeant. His enim malis efficaciter obviare tenetur creditor, ſi uti velit compenſatione occulta. Si autem hæc mala impediri nequeant, tenetur creditor occulte reſtituere ſaltem in æquivalenti, vel donare, quæ occulte accepit.

§. XV.

De Donationibus.

QUæritur 1. Quid ſit *donatio?*
Reſpondeo. Donatio eſt *liberalis rei propriæ nec alteri debitæ quoad Dominium in alterum translatio*.

Quæritur 2. Quotuplex ſit donatio?

Reſpondeo. Donatio dividitur tripliciter. Datur enim 1. donatio *verbalis*, & *realis*. 2. *Gratuita*, & *remuneratoria*. 3. *Donatio inter vivos*, & *donatio mortis cauſa*. Donatio *Verbalis* conſiſtit in ſola promiſſione rei, *Realis* conſiſtit in traditione rei donatæ. *Donatio Gratuita* eſt, quæ ex nullo alio motivo principaliter fit, quam ex motivo liberalitatis, *Remuneratoria* eſt, quæ principaliter fit ex motivo gratitudinis, vel incitamenti ad actus magis virtuoſos, vel juſtitiæ diſtributivæ erga bene meritos. *Donatio inter vivos* dicitur, quæ fit ſine intuitu vel mentione mortis brevi imminentis. *Donatio Mortis cauſa* vocatur, quæ fit intuitu aut mentione mortis brevi imminentis. Hæc autem donatio *mortis cauſa* duplici modo fieri poteſt. *Primo*, ut res donata ſtatim fiat accipientis, ea tamen conditione, ut ſi donans ex præſenti mortis periculo evaſerit, res donata donanti reſtituatur, ejuſque Dominium revocari poſſit. *Secundo*, ut res non ſtatim fiat accipientis, ſed tunc primum, quando ictu mors ſecuta fuerit in præſenti periculo. Hæc poſterior donatio ſtatim quidem valet, ſed ceſſante periculo præſente mortis, eaque non ſecuta ipſo jure exſpirat ſine alia revocatione.

Quæritur 3. Quinam poſſint donare?

Reſpondeo. Donare poſſunt omnes & ſoli, qui habent Dominium, & liberam adminiſtrationem bonorum niſi ſpecialiter prohibeantur. Hinc donare, ſaltem ſuo nomine, ex bonis ſuæ adminiſtrationi concreditis non poſſunt 1. Procuratores, tutores, curatores; licet poſſint donationes remuneratorias alieno nomine facere ex voluntate rationabiliter præſumpta conferentis ſibi adminiſtrationem.

nem. 2. Pupilli, Minorennes, prodigi declarati sine eorum consensu, quibus subsunt, & filius familias sine consensu patris in bonis adventitiis. 3. Beneficiati & Prælati in causas profanas, vel etiam in pias vel remuneratorias ultra consensum rationabiliter præsumptum eorum, quorum nomine gerunt administrationem. 4. Subjecti legibus juris communis prohibentur donare ultra 500 solidos absque insinuatione apud Judicem, Intelligunt autem aliqui per unum solidum unum aureum, alii unum thalerum, alii unum florenum, quod determinationi fori externi relinquitur. 5. Conjuges ad invicem donatione excessiva.

Quæritur 4. Ex quibus causis facta donatio revocari possit?

Respondeo. Donatio revocari potest ex sequentibus causis. 1. Si donatio excedat 500. solidos. 2. Si donatio sit *inofficiosa*, hoc est, si non relinquat liberis suam legitimam. 3. Si donanti omnia bona, vel magnam bonorum partem insperato nascatur proles. In quo casu donatio censetur esse revocata ipso jure; licet donatarius in conscientia non teneatur donata restituere, antequam ea donans repetat. Hujus ratio est, quia prior donatio non est jure naturæ invalida; eaque invalidatio solum est principaliter introducta favore donantis, non in favorem boni publici. Imo ea donatio foret irrevocabilis, si fuisset remuneratoria. 4. Si donatarius inciperet fieri ingratus erga donantem.

Quæritur 5. An omnis donatio, & ob quamlibet ingratitudinem, revocari possit?

Respondeo 1. Donatio revocabilis non est 1. si facta sit Ecclesiis, monasteriis, vel aliis locis piis, & ingratus fuerit Prælatus, Administrator, vel Capitulum. Ita colligunt authores ex Reg. 76. in 6. ubi dicitur, quod delictum personæ non debeat nocere Ecclesiæ. Hujus ratio est, quia donatio censetur esse facta Deo. 2. Si donatio sit remuneratoria, eaque non notabiliter excedat merita donatarii. 3. Si donatio facta sit causa dotis, vel propter nuptias. 4. Si alicui donatum fuerit beneficium. 5. Si donationi adjectum fuerit juramentum de non revocando. Si enim solum donatio fuerit jurata sine juramento de non revocando, nihilominus ob ingratitudinem revocari posset. 6. Si donatio non fuit revocata a donatore, nec poterit revocari ab ejus hæredibus.

Respondeo 2. Ad revocandam donationem non sufficit alia ingratitudo in foro externo, nisi possit revocari ad quinque sequentes species ingratitudinis. 1. Si donatarius violentas & impias manus injecerit in donantem, videlicet graviter percutiendo, vulnerando, lapidem in eum projicieudo, &c. 2. Si ipsi atroces injurias intulerit. Reputantur autem atroces, quæ non solis verbis, sed factis committuntur, v. g. si donantem detineat captivum; si cum ejus uxore committat adulterium, si ejus filiæ inferat stuprum. 3. Si in rebus fortunæ damnum donanti intulerit *maximum*, v. g. in dimidia vel tertia bonorum parte, quia imperator hoc damnum *molem* injuriæ vocat. 4. Si donanti vitæ periculum struxerit, quamvis morte non secuta: v. g. parando venenum, vel eum de capitali crimine accusando. 5. Si conditiones donationi appositas, quas se impleturum promisit, non implevit. Quæ ultima causa etiam spectato jure naturali applicari potest ad contractus inter Patrem & filium quoad traditionem suorum bonorum emphiteuticorum, si liberi non servent conventas conditiones, ita ut parenti juste restitui possent & deberent bona.

Respondeo 3. Spectato jure naturali ad revocandam donationem non sufficit quævis ingratitudo his æquivalens, aut major.

Ratio est, quia Imperator l. fin. C. de revoc. donat. expresse dicit: *Ex his tantummodo causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis approbatæ, donationes in eo factas everti concedimus*. Ex quibus colligitur, eum ne quidem donationes extrajudicialiter factas hoc privilegio prosequi; quod non faceret, si sufficeret jure naturali alia causa æquivalens vel major.

§. XVI.

§. XVI.

De Contractu Societatis.

Q*Uæritur* 1. Quid ſit contractus Societatis?

Reſpondeo. Contractus Societatis eſt conventio, qua plures perſonæ Summam pecuniariam vel operam inter ſe conferunt ad negotiationem eo pacto, ut commune ſit omnium periculum, & lucrum vel damnum cuivis dividatur juxta proportionem pecuniæ vel operæ contributæ. Sic ſi tres mercatores inter ſe ineant contractum Societatis, atque unus conferat mille aureos, alter duo millia, tertius ſex millia, & ex iſta Summa novem millium lucrentur octodecim aureorum millia, primus lucrabitur duo millia, ſecundus quatuor millia, tertius duodecim aureorum millia. Idem dicendum foret, ſi primus in Societatem conferret ſolam ſuam operam æſtimata mille aureis.

Quæritur 2. An ſit contractus Societatis, ſi mercator ſuo inſtitori promittat v. g. ſextam lucri partem?

Reſpondeo. Si ſexta lucri pars ſit proportionalis operæ quoad ejus valorem, ſi ea opera æſtimaretur pretio, & collata in Societatem conſtanter ſervata proportione ad contributionem ſui Heri conſtitueret ſextam illius contributionis Herilis partem, ea conventio referenda eſt ad contractum Societatis. Si vero non conficiat ſextam contributionis Herilis partem, ſed majorem vel minorem, ille contractus pertinet ad locationem operæ, & ſexta illa lucri pars habebit ſolum rationem ſalarii.

Quæritur 3. An pertineat ad contractum Societatis vel mutui, ſi quis ad negotiationem conferat ſummam pecuniariam eo pacto, ut periculum ſortis incumbat cæteris, ipſe vero loco omnis lucri recipiat determinatam ſummam pecuniæ?

Reſpondeo. Hic contractus pertinet ad contractum mutui; quia pertinet ad eſſentiam contractus Societatis, ut omnium ſit commune periculum. Conſequenter, ſi illa Summa pecuniaria determinata, de qua in caſu poſito conferens paciſcitur, excedat cenſum accedente diſtincto titulo alioquin in contractu mutui licitum, ille contractus erit ſaltem præſumptive uſurarius, verb. gr. Si conferat mille aureos, & paciſcatur pro ſecuritate ſuæ ſortis in quocunque negotiationis eventu etiamſi Sociis ſua ſors pereat; ac præterea petat annuum cenſum quinquaginta aureorum pro mille, & præter hunc cenſum inſuper exigat exiguam v. g. ſextam partem lucri, ſi quod obtinetur, iſte contractus erit uſurarius. Sic enim effective plus recipit, quam cenſum licitum ex mutuo.

Nec poteſt dici, iſtud auctarium cenſus per aliquotam partem lucri accipi poſſe ratione periculi, cui ſuam pecuniam exponit. Nam ſi re vera tantum eſt periculum, ut jus ad rem ſuam perſonale minus valeat quam cenſus conſuetus; poterit exigi major cenſus conſtans ac determinatus, ut poſſit æquari valor juris in re, & valor juris ad rem.

Et ſi dicatur, aliquotam partem lucri incerti a Sociis libentius promitti ac dari, quam fixum auctarium cenſus ad pariandum periculum, id quidem ſpeculative loquendo locum habere poterit, ipſum tamen genus ejuſmodi contractus, dum æſtimationem periculi relinquit privatorum judicio, continet intrinſecum ac generale periculum uſuræ, & in particulari caſu raro continget, quin illa pars aliquota lucri excedat valorem cenſus, conſideratis omnibus etiam periculo ſortis, licite exigibilis. Hujus uſurariæ pravitatis manifeſtum indicium eſt, quod alii in ſimilibus mutuis, licet reperiatur non minus, ſed æquale vel etiam majus ſortis periculum, contenti tamen ſint cenſu conſueto, atque in compenſationem variorum periculorum ſortis taxa quadam communi per leges approbata, prout infra dicetur. *De Mutuo*.

Quæritur 4. Utrum diſſoluta Societate non tantum lucrum, ſed ipſa etiam Sors inter Socios dividenda ſit?

Reſpondeo. *Per ſe* etiam Sors pro ratione collatæ pecuniæ, & operæ determinato pretio taxatæ, inter Socios dividen-

videnda est. Hinc si quis contulit mille aureos & præter has pecunias solus contulit etiam operam, in conventione taxatam aliis mille aureis, is in divisione recipit in superius q. 3. dato exemplo ex tota massa juxta Regulas Arithmeticæ tria aureorum millia cum sexcentis; secundus totidem, tertius decem aureorum millia cum octingentis.

Dixi per se, nisi videlicet sic conferens operam extraordinariam, eam non deducat in pactum, sed gratis eam offerat, vel eam velit æquiparari cum aliorum opera, sicque eam pro divisione lucri communi consensu habere pro objecto neglecto. Si autem quilibet Sociorum separatim faceret taxari suam operam initio contractus, v. g. si in exemplo q. 3. posito primus diceret; ego confero mille aureos, & meam operam volo taxari mille aureis; & secundus; ego confero duo aureorum millia, & operam meam volo taxari quingentis aureis; ac tertius; ego confero sex millia; & operam meam volo taxari pariter quingentis aureis; manifestum est, conferri quoad valorem decem aureorum millia cum septingentis. Itaque in dato exemplo lucrum pro ratione collatorum dividendum est, *Primo* 3272. *Secundo* 4090. *Tertio* 10636. neglectis fractionibus.

Quæritur 5. Quæ regula sit observanda in Societate quoad pastum & fructum pecorum?

Respondeo. Ut hic contractus Societatis sit licitus, seorsim taxandum est pretium rerum collatarum, nempe pecorum; secundo taxandum est pretium operæ impendendæ ab uno vel altero sociorum. Tertio taxandum est pretium seu valor assecurationis singulis pro singulis individuis pecorum collatorum. Primum & secundum pretium computandum est pro summa portionis collatæ a singulis. Tertium pretium ab assecurante individua pecorum deducendum ac retinendum est ex portione lucri socios quosvis particulatim contingente.

Nec obstat, quod ejusmodi pacta assecurationis Societatis contractui adjecta videantur D. *Antonino*, *Conrado*, & aliis nonnullis usuraria, tanquam palliata mutua. Assecuratio enim rei ex sua natura frugiferæ ac remanentis in Dominio dantis differt a mutuo, utpote cujus Dominium transfertur in mutuatarium. Videtur autem hic contractus assecurationis quoad pecora potius esse mixtus ex commodato, in quo commodatarius ob spem majoris lucri in se ultro recipit etiam casum fortuitum, ad quam commodans commodatarium obligare potest, si rem commodat ad longius tempus, & res commodata prævidetur variis periculis obnoxia, nec daretur opportunitas probandi culpam latam vel levem commodatarii & ejus famulorum.

Quæritur 6. Quæ sit obligatio reciproca Sociorum ad invicem?

Respondeo. Socius obligatur 1. ad præstandam culpam latam, si negligentia sua communi emolumento Sociorum aliquod damnum emergens, vel lucrum cessans causatum est. Ad culpam enim levem non facile quis sociorum se pro foro interno conscientiæ obligaverit. 2. Tenentur Socii ex justitia socio refundere expensas seu impendia in mercibus advehendis, custodiendis, redimendis &c. facta. 3. Tenentur pariter ex justitia ipsi refundere expensas itineris ordinarias, nisi hæ jam fuerint computatæ in *pretium operæ* collatum in Summam contributam. 4. Tenentur ex justitia socio refundere expensas extraordinarias ac improvisas, si socius in itinere absque sua culpa vulneratus, a latronibus spoliatus, aut injuste incarceratus, aut occasione itineris morbo gravi correptus, ac propterea ad majores expensas compulsus est, nisi socius hæc omnia pericula in se receperit, atque in pretium suæ operæ computaverit. 5. Non tamen tenentur ipsi ex justitia refundere eleemosinas in itinere factas; quia hæ pertinent ad legem generalem charitatis non fundatam in speciali contractu. 6. Tenetur Socius pro conservatione necessaria mercium ex propriis bonis dare mutuum; quia ad hoc videtur se extendere intentio contrahentium. Hinc si ex neglectu talis mutui merces perirent, ex culpa socii lata periisse censeren-

ferentur. 7. Si socius pro conservatione mercium emiserit votum reale, v. g. Capellam ædificandi, non poterit ex bonis Socialibus satisfacere voto, nec Socii tenentur ad eas expensas contribuere.

Ratio est, quia intentio contrahentium non præsumitur ista vota exigere, nec ad ea compensanda se obligare.

Quæritur 7. Quæ sint privilegia Sociorum?

Respondeo. Privilegium Sociorum est, ut si unus eorum conveniatur ex eo, quod ratione Societatis debet, non condemnetur amplius, quam facere potest salvo jure competentiæ, hoc est, ne egeat. Ita habetur l. verum, ff. *pro socio*.

Ratio in hac lege additur: quia societas jus quoddam fraternitatis in se continet. *Limitatur* tamen hoc privilegium. 1. Nisi socius dolo egerit, ne ex integro satisfacere posset. *Nec enim æquum est, dolum suum quenquam relevare*, prout in l. cit. dicitur. 2. Socius cavere debet ad satisfaciendum integre, si ad meliorem fortunam venerit, prout habetur in l. c. Eam enim conditionem ipsum jus fraternitatis exigit. 3. Cum æstimatur, quantum Socius facere possit, ne egeat, non est deducendum æs alienum, quod a Socio debetur etiam aliis creditoribus ut habetur ex l. c. Hinc si talis socius pluribus creditoribus obæratus a sociis conveniatur, his aliis creditoribus tacentibus, ex integro satisfit sociis.

Quæritur 8. Quibus modis solvitur contractus Societatis?

Respondeo. Cessat contractus Societatis 1. Cessante negotio aut pereunte re, in qua fundatur societas. 2. Elapso tempore, ad quod Societas inita est; nisi socii continuando negotium tacite illud renovent. 3. Morte unius sociorum solvitur etiam societas inter alios, nisi cautum sit, ut uno decedente perseveret Societas inter reliquos. Verumtamen, quamdiu mors socii ignoratur, valent, quæ interim Societatis jure aguntur, ut habetur l. actione, ff. *pro socio*. Hinc contractus societatis ad hæredes non transit. 4. Renuntiatione unius ex sociis tacita vel expressa; ita ut etiam unus renuntiare possit, modo id sine dolo faciat, l. c. Hoc intelligendum, nisi expresse, vel tacite ex consuetudine particulari in certo genere societatum aliter conventum fuerit. 5. Publicatione aut cessione bonorum unius ex sociis, ut habetur l. c. Videri potest *Laymanus* l. 3. Tract. 4. C. 20. licet circa conditiones requisitas ad cavendam usuram potius legenda ac supponenda sint, quæ infra scribam *de Mutuo*.

§. XVII.

De Testamentis.

QUæritur 1. Quid sit *Testamentum*?

Respondeo. Testamentum est *legitima hæredis institutio*.

Dicitur legitima, in quantum est a legibus approbata. Institutio enim hæredis, cui lex naturalis, aut positiva resistit, irrita ac nulla est.

Quæritur 2. Quid sit *Codicillus*?

Respondeo. Codicillus est *ultima ac legitima hominis dispositio de suis rebus post mortem observandis absque directa hæredis institutione*?

Dicitur legitima, in quantum est a legibus approbata. Nam etiam dispositio hæc, si illi lex naturalis vel positiva resistat, irrita ac nulla est, saltem pro foro, in quo resistit.

Quæritur 3. Quid sit *Legatum*?

Respondeo. Legatum est *assignatio rei per ultimam voluntatem, alicui post mortem ab hærede præstanda*.

Quæritur 4. Quid sit *Substitutio*?

Respondeo. Substitutio est *unius hæredis in locum alterius pro vario circumstantiarum eventu per voluntatem ultimam vocatio*. Prior hæres vocatur *institutus*, alter dicitur *substitutus*.

Quæritur 5. Quid sit *Fideicommissum*?

Respondeo. Fideicommissum est unius hæredis in locum alterius per ultimam voluntatem qualificata substitutio, qua hæres immediatus obligatur ad hæreditatem vel ejus partem suo tempore restituendam alteri?

Quæritur 6. Quid sit *Legitima*?

Respon-

Respondeo. *Legitima* eſt *portio hæreditaria*, *quæ in teſtamento neceſſario debet relinqui hæredibus neceſſariis*, hoc eſt, iis, qui vel jure naturali, vel per diſpoſitionem legis poſitivæ non poſſunt omnino excludi ab hæreditate.

Quæritur 7. Quotuplex ſit teſtamentum?

Reſpondeo. Teſtamentum dividitur 1. in *ſolenne*, & *non ſolenne*. 2. In Nuncupativum & Scriptum. Teſtamentum *ſolenne* eſt quod habet omnes ſolennitates a jure requiſitas. *Non ſolenne* eſt, quod non habet omnes ſolennitates a jure requiſitas. Solennitas autem illa teſtamentorum potiſſimum conſiſtit in ſufficienti numero teſtium. Teſtamentum *Nuncupativum* vocatur, quod eſt oretenus coram ſufficiente numero teſtium prolatum; *Scriptum*, quod in ſcripto fuit confectum, ac debito modo ſubſcriptum.

Quæritur 8. Quales requiruntur ſolennitates de Jure Civili communi ad Teſtamentum *ſcriptum*?

Reſpondeo. Requiruntur ſolennitates ſequentes. 1. Debent adeſſe ſeptem teſtes idonei. 2. Hi teſtes debent eſſe ſpecialiter rogati a teſtatore. 3. Hi teſtes debent ita eſſe præſentes, ut teſtatorem videant, & audiant. 4. Coram his teſtibus teſtator debet per ſe vel alium affirmare, in charta, quam exhibet, contineri ſuum teſtamentum, etiamſi teſtes præſentes ac ſubſcribentes neſciant, quid in teſtamento ſcriptum, aut quis hæres deſignatus ſit. 5. Huic teſtamento debent omnes teſtes ſubſcribere, eique quisque ſuum ſigillum apprimere. 6. Teſtamentum debet eſſe in Scripturam redactum ab ipſo teſtatore, vel ejus juſſu ab alio nominatim expreſſo, quod in teſtamento exprimendum eſt. Et ſi ipſe teſtator ſubſcribere nolit, vel non poſſit, adhibendus eſt teſtis octavus, qui loco teſtatoris ſubſcribat. 7. Totum negotium uno eodemque moraliter tempore, ſine interruptione per alium actum impertinentem, coram teſtibus omnibus ſimul congregatis, audientibus & videntibus, quæ aguntur, abſolvendum eſt. Hæc omnia habentur partim in Jure communi, partim in *Receſſu* Imperiali Spirenſi de anno 1512. Authores conſulunt, ut adhibeatur etiam Notarius partim ne irrepat vitium, partim etiam ex eo motivo, ut teſtamentum ſubſiſtere pergat, ſi interea ante mortem teſtatoris moreretur unus vel alter teſtium.

Quæritur 9. Quales ſolennitates requirantur ad Teſtamentum *Nuncupativum*?

Reſpondeo. Requiruntur ſequentes. 1. Requiruntur ſeptem teſtes idonei ſpecialiter requiſiti. 2. Teſtator debet eos monere, ut diligenter advertant; iisque declarare, ſe condere teſtamentum nuncupativum. 3. Debet teſtator iisdem teſtibus declarare ſuam voluntatem circa hæredem & legata, ſi quæ fieri cupit. Eam autem ſuam voluntatem poteſt teſtibus declarare vel oretenus ſolum, vel eam ex charta prælegere. Hinc in iſto teſtamento Nuncupativo hæres teſtibus occultari non poteſt. 4. Totum negotium in uno continuo eodemque moraliter tempore ac loco peragendum eſt.

Quæritur 10. Quænam teſtamenta ſunt privilegiata, ut in iis non requirantur præfatæ ſolennitates?

Reſpondeo. Privilegiata ſunt hoc modo, ut ſolennitates non requirantur, teſtamenta ſequentia. 1. *Teſtamentum pium*, ſeu ad cauſas pias. 2. *Teſtamentum inter liberos*, hoc eſt, factum a parentibus per diviſionem hæreditatis inter liberos. 3. *Teſtamentum militis in expeditione bellica*. 4. *Teſtamentum tempore peſtis*. 5. *Teſtamentum ruſtici*, ſaltem de jure communi, quod tamen per leges particulares variorum locorum non conceditur. 6. *Teſtamentum ad Acta*, hoc eſt, coram Judice, Principe, vel alia perſona Nobili privilegiata factum, vel ſaltem eidem oblatum, quamvis clauſum; dummodo eidem dicatur, hoc eſſe ſuum teſtamentum, ſimulque rogetur, ut illud diligenter aſſervet.

Quæritur 11. Quales requiruntur ſolennitates ad validum Codicillum?

Reſpondeo. Requiruntur ſequentes. 1. ut adſint quinque teſtes. 2. Ut ſint ſimul præſentes, & non tantum ſucceſſive. 3. Ut actus ſit continuus in uno con-

contextu, nec interponatur actus ad negotium impertinens. Perinde tamen est, sive testes sint mares sive fœminæ, sive Codicillus sit scriptus sive nuncupativus.

Quæritur 12. Quid sit, & quid operetur *Clausula Codicillaris*, testamentis inseri solita?

Respondeo 1. *Clausula Codicillaris* est, qua testator tacite vel expresse profitetur, se velle, ut suum testamentum, si forte ex vitio occulto non valeret in vim testamenti, valeat tamen in vim Codicilli. Talis professio censetur *tacite* fieri, si testator dicat; *Volo, ut hoc meum testamentum valeat modo meliori, quo potest;* vel si testator juret, ut serventur omnia in testamento contenta.

Respondeo 2. Clausula Codicillaris hoc operatur, ut talis dispositio testatoris, quando ob defectum non valet in vim testamenti, valeat in vim Codicilli. Itaque *hæres ab intestato* vi talis Codicilli tenetur solvere legata, & fideicommissa in tali testamento contenta. Imo vi talis Codicilli *hæres ab intestato extraneus* tenetur totam hæreditatem restituere hæredi in testamento illo invalido instituto, sola illi relicta *Trebellianica*.

Quæritur 13. Quid sit *Trebellianica?*

Respondeo. Trebellianica est quarta pars omnium bonorum a testatore, deducto ære alieno & funeralibus relictorum, quæ relinquitur hæredi instituto, si nimium gravetur *fideicommisso universali*, ita ut alioquin ei non remaneret quarta pars bonorum. Itaqua trebellianica est quædam species *Falcidiæ*, seu *detractionis* ex bonis per testamentum vel Codicillum a testatore legatario assignatis, factæ in favorem hæredis.

Quæritur 14. Quid si *Falcidia?*

Respondeo. Falcidia est quarta pars bonorum, deducto ære alieno & funeralibus a testatore relictorum, quæ relinquitur hæredi *nimiis legatis* gravato, ita ut, si omnia exsolverentur, hæredi ne quidem remaneret quarta pars bonorum.

Quæritur 15. Quinam sint vel non sint testes idonei in testamento?

Respondeo. Testes idonei in Testamento sunt omnes illi, qui specialiter non prohibentur. Prohibentur 1. Mulieres. 2. Impuberes. 3. Furiosi, & his æquiparati prodigi declarati. 4. Muti. 5. Surdi. 6. Cœci. 7. Infames. 8. Inviti & coacti. 9. Qui sunt in potestate testatoris, vel in potestate testis, vel si ambo, testator & testis, sint in potestate tertii. Sic filiusfamilias nequit esse testis in testamento patris, nec vicissim; nee frater in testamento fratris, si uterque sit in patria potestate. 9. Hæres. Legatarius tamen a testando non excluditur, quia ejus negotium non geritur principaliter, sed tantum secundario, in testamento. 10. Omnes, qui a lege tanquam intestabiles active vel passive declarantur: hoc est, qui aut non possunt condere validum testamentum, aut non possunt institui in hæredes. *Ex his sequitur*, in testamentis testem agere posse 1. consanguineos. 2. Patrem in testamento filii emancipati, ac vicissim. 3. Maritum in testamento uxoris. 4. Domesticos. 5. Fratrem emancipatum in testamento fratris. 6. Filiumfamilias in testamento alieno. 7. Patrem in testamento filiifamilias quoad bona castrensia. 8. Religiosum, *saltem valide*, etiam sine consensu Superioris, etiamsi monasterium sit institutum in hæredem, per text. in C. 6. & 12. de testibus.

Dixi valide, si spectetur Jus commune. Id enim fieri extra casum necessitatis non convenit, partim ob scandala, partim ob periculum irritationis a supremis tribunalibus, faciendæ a quibus non raro Jus commune vel non acceptatur, vel in dubiis pro æquitate circumstantiarum particularium explicatur.

Quæritur 16. An testamentum *scriptum*, si deficiat in solennitate requisita ad testamentum scriptum, habeat tamen solennitates requisitas ad testamentum *nuncupativum*, v. g. si desit subscriptio & subsignatio testium, valeat etiam sine clausula per modum testamenti *nuncupativi?*

Respondeo Affirmative.

Ratio est, quia non est recedendum a naturali libertate testandi, quousque ea

non reſtringitur evidenter per leges poſitivas, quod in præſenti non fit. Ita etiam ſentit communior Doctorum.

Quæritur 17. An teſtamentum *nuncupativum*, in quo teſtator non nominat hæredem, ſed pro ejus deſignatione ſe refert ad ſchedam, in qua dicit eſſe ſcriptum hæredem, ſit validum?

Reſpondeo. Hoc teſtamentum eſt validum; pro exigentia autem ciecumſtantiarum eſt irritabile authoritate Judicis.

Ratio eſt, quia jure naturali eſt validum; & non reperitur eſſe evidenter irritatum per leges poſitivas. Ita ſenſerunt Doctores antiqui contra communiorem recentiorum. Si tamen in aliqua Provincia reperitur eſſe irritatum, haud dubie in eo loco pro invalido habendum eſt.

Quæritur 18. An valeat teſtamentum *nuncupativum* præciſe nutibus, vel verbo approbativo factum ad alterius interrogationem?

Reſpondeo Affirmative.

Ratio eſt, quia jure naturali valet; & non eſt evidenter irritatum per leges poſitivas. Hinc ſi teſtator ad interrogationes alterius annuat, vel reſpondeat: *Ita placet*, *ita volo*, teſtamentum valet. Requiritur tamen, ut ſit ſanæ mentis, & bonæ adhuc memoriæ; & quod necdum ſit morti proximus, ſeu jam conſtitutus in agone, & quod teſtes convocari juſſerit; nec ſit præſumptio, ægrum fuiſſe interrogatum in gratiam præſentium, atque ad importunam eorum inſtantiam. Si enim horum unum redditur dubium, vel defuiſſe conſtet, etiam teſtamentum redditur *dubium* vel *nullum*, cum agatur de eſſentiali requiſito teſtamenti, videlicet de voluntate libera teſtantis.

Quæritur 19. An teſtamentum *imperfectum*, ſeu deficiens in aliqua ſolennitate ſubſtantiali ſit irritum in foro externo?

Reſpondeo. Affirmative. Ita habetur l. 9. 12. 21. C. *hoc titulo*.

Quæritur 21. An corruente teſtamento ob defectum alicujus ſolennitatis, ſcorruant etiam Legata & Fideicommiſſa particularia?

Reſpondeo. Affirmative. Ita habetur l. 29. C. de Fideicommiſſis. Excipiuntur tamen tres Caſus. 1. Si teſtamento tacite vel expreſſe appoſita eſt clauſula Codicillaris. 2. Si hæres ab inteſtato ſuccedens ipſemet audivit præſens voluntatem defuncti, vel ſi eam faſſus eſt, vel adhuc fatetur, ut habetur l. 16. C. h. tit. 3. Si hæres ab inteſtato legatum jam ſolvit. Nec enim conceditur ei repetitio, ut habetur l. 2. C. de Fideicom. quia præſumitur conſcientia urgente ſolviſſe.

Quæritur 21. An teſtamentum ob defectum ſolennitatum in foro externo irritum valeat pro foro interno?

Reſpondeo. Hoc teſtamentum, ſi habeat omnia jure naturali requiſita ad validum teſtamentum, valet pro foro interno tam quoad inſtitutionem hæredis, quam quoad legata, donec a Judice non pronuntietur invalidum. Ita ſentiunt plerique antiqui Juriſtæ ac Theologi cum *Soto*, *Molina*, *Fachinæo*, *Laymano*, *Reiffenſtuel* cum aliis contra valde multos recentiores.

Ratio eſt, quia non ſufficienter probatur, ejusmodi teſtamenta irritata eſſe per leges poſitivas etiam pro foro interno, præſertim cum authores Juris Romani, quorum plerique erant Gentiles, non fuerint ſoliciti pro foro interno.

Nec obſtat, quod leges, quibus irritantur ejusmodi teſtamenta, videantur *diſponere de Dominio rerum*; ut proin hæres vi teſtamenti invalidi nil poſſit ſumere tamquam *ſuum*.

Reſpondetur enim, leges ſolum diſponere de Dominio rerum relictarum *conſequenter* ad ſententiam Judicis, non antecedenter.

Nec obſtat 2. quod talia teſtamenta habeantur pro invalidis etiam in foro Canonico. Nam forum Canonicum in hac cauſa ſequitur forum Civile ſolum pro foro externo, pro quo lex Civilis juſta eſt in hac parte, ita ut facta irritatione teſtamenti non liceat hæredi inſtituto clam ſurripere bona, quorum judicialiter habetur notitia. *Ex hac autem Doctrinas ſequitur*, quod hæres in tali teſtamen-

stamento imperfecto institutus vel Legatarius, possit tuta conscientia clam arripere vel retinere hæreditatem vel legatum, etsi sciat nullitatem testamenti; imo hæres ab intestato succedens tenetur tali hæredi vel legatario instituto consignare hæreditatem aut legatum, nisi velit judicialiter impugnare testamentum, quod ipsi licet; cum quilibet uti possit privilegio sibi indulto a Jure.

Quæritur 22. Utrum in Codicillo quinque testes requirantur ad valorem, vel tantum ad probationem?

Respondeo. Requiruntur ad valorem.

Ratio est, quia ad probationem etiam in judicio in causis gravissimis sufficiunt duo testes omni exceptione majores.

Nec obstat, quod ipsum Jus non requirat quinque testes, quando ipsemet hæres interfuit ultimæ voluntati, nec audet negare vel jurare contrarium. Hæc enim tacita confessio ipsius hæredis merito censetur plus ponderare, quam quinque aut septem testes.

Quæritur 23. Utrum etiam in foro Canonico ad valorem testamenti requirantur septem testes? An vero sufficiant duo vel tres cum Parocho?

Respondeo. In foro Canonico ad valorem testamenti sufficiunt duo vel tres testes cum Parocho. Hæc responsio pro praxi non tantum servit in territorio temporali Papæ, ubi etiam circa temporalia observantur leges Canonicæ, sed etiam in omnibus regionibus, ubi circa temporalia solum observantur leges Civiles. Servit enim *in primis* pro casu, quo Clerici habent facultatem testandi in causas materialiter profanas, attamen formaliter pias. *Secundo* servit pro casu, quo Domini territoriales Ecclesiastici superiorem, *Monarcham*, non agnoscentes, habent jus, privilegium, vel consuetudinem condendi proprias leges, etiam contrarias Juri Communi.

Probatur responsio ex. *C. ut esses*, h. tit. ubi *Alexander* III. ad Episcopum Ostiensem sic scribit: *Cum esses in nostra præsentia constitutus, proposuisti, talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere, quod testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, nisi cum subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt. Quia vero a divina lege, & Sanctorum Patrum institutis, & a generali consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit, quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, præscriptam consuetudinem improbamus, & testamenta, quæ parœciani coram presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere sub interminatione anathematis, prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta*. Cum autem hoc Rescriptum particulare Pontificis fuerit insertum Juri Canonico, facit legem universalem pro loco & casu, pro quo non obligat Jus Civile.

Quæritur 24. Quid requiratur ad valorem Testamenti vel Legati pii?

Respondeo 1. Plus non requiritur spectato Jure naturali, quam ut sufficienter constet de voluntate testantis vel legantis.

Ratio est, quia Jus Canonicum nullibi irritat testamenta vel legata jure naturali valida, quamvis sine ulla solennitate edita. Hinc, qui certus est de ultima voluntate testantis vel legantis ad pias causas, potest tuta conscientia res sibi relictas clam arripere, quamdiu res necdum fuerit deducta ad forum externum, Civile vel Canonicum.

Respondeo 2. In foro externo, etiam Canonico, ad testamentum vel legatum pium dubium, *nisi hæredi ab intestato sufficienter constet de voluntate defuncti*, duo testes non solum requiruntur ad probationem sed etiam ad valorem. Et hinc hæres institutus vel legatarius in tali casu legitime conventus post sufficientia clandestinæ surreptionis indicia non potest uti æquivocatione ad negandam surreptionem, nec potest se eximere in foro interno a sententia Judicis.

Dixi nisi hæredi sufficienter constet de voluntate defuncti. Ea enim notitia hæredis convincenter probata ex eo, quod factum non audeat negare, aut contrarium jurare, licet ipsemet interfuerit, valet plus quam numerus septem testium.

Probatur responsio ex C. relatum 11. h. tit. ubi *Alexander* III. dicit: *Relatum est, quod cum ad vestrum examen super relictis Ecclesiæ causa deducitur, vos nisi septem vel quinque idonei testes intervenerint, inde postponitis judicare. Mandamus, quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges* (civiles) *sed secundum decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus legitimis testibus requisitis; quoniam scriptum est; in ore duorum vel trium testium stat omne verbum.*

Quæritur 25. Qualia testamenta aut legata possint vocari pia?

Respondeo. Testamenta aut legata pia non tantum vocantur illa, quæ fiunt locis piis, v. g. Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, aut pauperibus manifestis; sed etiam, quæ fiunt personis sæculari bus ex motivo pio, v. g. misericordiæ, educationis honestæ, dotationis &c. in quantum sistitur intra limites motivi pii. Requiritur tamen, ut intestamento vel legato fiat expressa vel saltem tacita mentio motivi pii. Per Leges Civiles ex speciali privilegio ad testamenta vel legata pia referuntur etiam illa, quæ fiunt in bonum publicum, v. g. pro munitione civitatis, pro reparatione viarum &c.

Quæriur 26. An valeant legata pro fana inserta testamento pio non solenni?

Respondeo. Valent si de illis legatis sufficienter constet, quod vere facta sint a testatore.

Ratio est, quia jure naturali valent, & non sufficienter constat, quod Jus positivum in casu, quo se habent accessorie ad principale, ea restrinxerit a sua libertate naturali.

Quæritur 27. Quid requiritur ad valorem testamenti privilegiatl *inter liberos?*

Respondeo. Ad valorem ejusmodi testamenti, si fuerit *nuncupativum*, solum duo requiruntur. *Primo*, ut sufficienter constet de voluntate testantis per duos testes vel alio modo. *Secundo*, ut singulis liberis relinquatur sua portio *legitima*, & singuli honorentur nomine hæredis. Si autem testamentum fuerit *scriptum*, requiritur 1. Ut ipse pater, mater, vel avus testamentum scribat, vel subscribat, ita ut liberi manum patris agnoscant. 2. Ut exprimatur tempus conditi testamenti. 3. Ut exprimantur singulorum liberorum nomina, atque unciæ seu portiones singulis assignatæ, quæ possunt esse inæquales salva tamen portione legitima singulorum. 4. Ut tam tempus quam numeri unciarum non signentur per ciffras, sed per verba integra.

Quæritur 28. Quid requiratur ad valorem testamenti privilegiati militum? Et qui veniant hoc nomine?

Respondeo 1. Ad validum testamentum existentis in conflictu nulla requiritur solennitas. Si autem testamentum fiat in castris extra conflictum, requiruntur saltem duo testes. Si autem fiat in hybernis extra expeditionem, nullum privilegium habet. Ita habetur in Recessu Imperii 1512. Extra Imperium Romanum leges particulares inspiciendæ sunt.

Respondeo 2. Hoc privilegio militum etiam gaudent Medici, Chirurgi, & mercatares castrenses.

Quæritur 29. Quid requiratur ad valorem testamenti rusticorum? Et qui veniant hoc nomine?

Respondeo 1. Ad valorem testamenti rusticorum, ubi septem testes commode haberi nequeunt, sufficiunt quinque testes rogati. 2. non requiritur subscriptio testium vel sigillorum appositio, si scribere nesciant, vel non habeant sigillum. Si tamen aliqui forent scribendi periti, ipsi deberent subscribere, & si volunt, aliis præsentibus etiam pro aliis subscribere.

Respondeo 2. Nomine rusticorum juxta multos ob paritatem rationis veniunt etiam alii ruri degentes. Imo quidam hoc privilegium extendunt etiam ad cives ruri habitantes, vel ad nobiles ibi morantes. Vide l. fin. C. h. tit.

Quæritur 30. Quid requiratur ad valorem testamenti tempore pestis confecti?

Respondeo 1. Spectato rigore juris etiam tempore pestis requiruntur septem testes,

quamvis non debeant esse specialiter vocati, ut habetur l. 8. C. h. tit. Si tamen pestis atrociter sæviat, sufficiunt quinque vel duo. In Camera Imderiali, spectata & exigente æquitate naturali, admittuntur talia testamenta facta coram duobus testibus.

Quæritur 31. Quid requiratur, ut valeat testamentum *ad acta*, seu *apud acta*, depositum?

Respondeo. Ad valorem hujusmodi testamentorum, quæ sunt omnium facillima, & omnibus suadenda, nisi expensæ alicubi forent excessivæ solvendæ post mortem, requiruntur sequentia. 1. Ut ipsemet testator personaliter, si possit, aut si nullo modo possit, per alium fide dignissimum, offerat testamentum sigillo clausum Judici, ipsum rogando, ut illud usque ad suam mortem asservet, & tueatur. 2. Ut testamentum offerat Judici in præsentia duorum testium, vel Notarii. Quamvis enim hoc non requiratur ad valorem ejusmodi testamenti, requiritur tamen ad probationem, ut constet, Judici testamentum fuisse oblatum. Si autem nec Notarius, nec alii testes fuerint adhibiti, debet Judex testamento exterius adscribere annum, diem, & locum, in quo testamentum sibi fuit oblatum. Expedit etiam, ut a Judice petatur *Recepisse*, seu testimonium de receptione testamenti. Si autem testamentum efferatur *ad Acta* integro Magistratui, vel Senatui, istis cautelis testium opus non est. 3. Si testis non possit præ infirmitate adire Judicem, debet eum per alium vel Epistolam rogare, ut vel ipsemet ad se veniat, & testamentum excipiat, vel aliam personam fidam, vel duas, ad se deputet, cui testamentum in præsentia duorum testium vel Notarii extradat. Si autem testator vellet domi suæ facere testamentum nuncupativum, deberet cum Judice præsens esse Actuarius, vel duo testes, qui simul audiant ultimam voluntatem. Licebit tamen testatori, si diutius post eam oblationem testamenti ad acta vixerit, illud repetere a Judice, quocunque tempore voluerit, & illud mutare, vel omnino lacerare.

Quæritur 32. Quinam possint vel non possin testari?

Respondeo 1. Testari possunt omnes, qui jure non prohibentur, si habeant rerum propriarum dominium.

Respondeo 2. Prohibentur testari. 1. servi proprie dicti, hoc est, mancipia. 2. damnati ad mortem vel perpetuos carceres. 3. filiusfamilias quoad bona profectitia. 4. mente capti, furiosi. 5. prodigi declarati. 6. infantes ac impuberes, etiamsi accederet consensus tutoris. 7. muti & surdi simul quoad testamentum nuncupativum. 8. cœci, nisi præter septem testes adhibeant Notarium pro octavo teste. 9. Rei læsæ majestatis. 10. contrahentes incæstuosas nuptias quoad institutionem eorum, qui in linea collaterali ultra secundum gradum conjuncti sunt. 11. condemnati ob famosum libellum. 12. hæretici, ubi non sunt tolerati. 13. omnes, qui de jure sunt intestabiles, hoc est, quibus potestas ferendi testimonii adempta est. 14. usurarii manifesti. 15. excommunicati propter hæresin, eorumque fautores, ubi non sunt tolerati. 16. percussor Cardinalis. 17. Religiosi post emissa vota solennia. 18. Clerici de bonis beneficialibus superfluis etiam ad causas pias. Hi omnes partim jure naturali, partim civili, partim Canonico, quatenus hæc jura positiva, Civile & Canonicum, pro diversitate locorum & temporum sunt in usu, sunt inhabiles ad testamentum condendum, saltem valide pro foro externo Canonico, vel civili. Econtra habiles ad testandum sunt. 1. banniti seu proscripti. 2. filiifamilias quoad bona castrensia. 3. Minorennes, etiam sine consensu Curatoris. 4. surdastri. 5. Religiosi Ordinum militarium ex privilegio Papæ. 6. Novitii. Quod autem attinet Clericos, qui sæculo decimoquarto privilegium testandi partim ex concessione Episcoporum, partim ex consuetudine aquirere, vel sibi arrogare cœperunt, monendi videntur, ne transgrediantur justos limites juris divini, quo per tredecim priora sæcula bona intuitu beneficii parta semper ad causas pias, & quidem ipsam Ecclesiam beneficialem pro-

propius respicientes applicari debuerant. Jus illud anterius adhuc urgetur in Concilio Lateranensi celebrato sub *Alexandro* III. prout refertur C. *cum in officiis*, h. tit. his verbis: *Cum in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse; econtra quidam Clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas aquisita in alios transferre præsumunt. Hoc igitur, quia antiquis Canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere*. Ita statutum fuit in Concilio Generali anno 1180. Et C. *Ad hæc*, h. tit. habetur aliud Decretum ejusdem Alexandri III. his verbis: *Ad hæc præsentibus innotescat, quod Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, de jure testari nen possunt. Viventes tamen & sui compotes moderate valent aliqua de bonis ipsis non ratione testamenti, sed eleemosinæ intuitu erogare in ægritudine constituti.*

Dixi, primum sæculo decimo quarto *jus testandi* apud Clericos circa bona ex beneficiis parta invectum fuisse. Sic P. K*ham* in Hierarchia Augustana Tom. 1. Sect. 12. de *Friderico* Episcopo ad annum 1307. scribit: *Ecclesiæ Augustanæ Canonicis & Vicariis jus testandi concessit*. Imo usus impune testandi per Capitulationes ab Episcopis extorqueri cœpit primum sæculo decimo quarto. Sic *Schilterus* in Glossario Teutonico V. festo scribit: *Confirmatio confraternitatis Majoris Cleri Argentinensis* 1419. *Wilhelmi Episcop. Episcopus Fertone, id est, quarta parte Marcæ argenti per Clericum decedentem sibi ut Ordinario loci legato contentus bona defuncti, vel Ecclesiæ, si ejus intuitu aquisita sunt, vel hæredibus proximioribus ipsius defuncti cedere permittat*. Similis confirmatio ibidem habetur pro Ecclesia *Spirensi*, ubi expresse additur, in casu, quo Clericus non dederit *fertonem*, nec habuerit aliud indultum, bona derelicta pertinere ad Episcopum *ex veteri more*, nach altem-Herkommen. Ubi nota; etiam tunc bona *intuitu Ecclesiæ*, hoc est, ex labore clericali aquisita pertinere sine discrimine ad Episcopum.

Quæritur 33. Quid requiratur ad legitime adeundam hæreditatem?

Respondeo. Pro adeunda hæreditate requiritur 1. ut hæredi concedatur spatium sufficiens deliberandi, velitne adire hæreditatem, vel non?

Ratio est, quia hæres *adita*, seu *acceptata* semel hæreditate tenetur solvere omnia debita defuncti. Hoc autem spatium deliberandi de Jure communi est annus integer. 2. Ut hæredi concedatur *beneficium Inventarii*, seu libertas annotandi omnia *bona*, *jura*, ac *debita*, quæ reperiuntur in hæreditate defuncti. Confici autem debet Inventarium authoritate Judicis vel Notarii intra sex menses a morte defuncti, & in præsentia illorum, quorum interest, puta creditorum, & hæredum necessariorum, si non nimium distent.

Quæritur 34. In quot partes soleat dividi hæreditas? Et quota pars dicitur *Legitima*?

Respondeo 1. Tota hæreditas de Jure communi dividitur in duodecim partes, seu, ut vocantur, *uncias*. Duæ ejusmodi unciæ vocantur *sextans*, tres vocantur *quadrans*, quatuor *triens*, quinque *quincunx*, sex *semis* seu *semissis*, septem *septunx*, octo *bes*, novem *dodrans*, decem *dextans*, undecim *deunx*, tota vero hæreditas, seu duodecim unciæ, vocatur *As*; & hinc qui totam hæreditatem accipit, dicitur *ex asse* hæres.

Respondeo 2. De Jure communi omnibus hæredibus simul sumptis pro *legitima* plus non debetur, quam *triens*, hoc est, tertia pars hæreditatis, seu quatuor unciæ.

Respondeo 3. In partem legitimæ debent computari etiam ea, quæ hæredes necessarii jam acceperunt titulo dotis, vel donationis propter nuptias, &c. dum testator adhuc erat in vivis.

Respondeo 4. In partem legitimæ computari non debent sumptus, quos parens fecit in educandis liberis, studiorum, opificii, vel artis addiscendæ causa, nisi ubi aliud petunt leges, consul-

ſuetudines, vel pactiones particulares.

Reſpondeo 5. Illa legitima non debet eſſe *onerata* aliis oneribus, quæ pretio æſtimari poſſint; alioquin eipſo non reciperetur legitima integra.

Quæritur 35. Quinam dicantur hæredes neceſſarii?

Reſpondeo. Hæredes neceſſarii ſunt 1. *Liberi legitimi*, ſive jam ſint emancipati, ſive adhuc ſint conſtituti in patria poteſtate. 2. *Filii naturales reſpectu matris*, ſaltem de jure communi. 3. Si liberi legitimi jam ſunt præmortui, eorum loco hæredes neceſſarii ſunt horum liberorum deſcendentes, nempe *nepotes & neptes ex liberis*. 4. Si neque nepotes neque neptes ex liberis defuncti ſuperſunt, pro hæredibus neceſſariis habentur *parentes* ipſius defuncti; &, ſi parentes jam objerint, alii *aſcendentes*. 5. Inter liberos computantur non ſolum *poſthumi*, ſed etiam adoptati a defuncto. 6. Fratres & ſorores non ſunt hæredes neceſſarii, niſi in caſu, quo in hæredem fuiſſet inſtituta perſona turpis, v. g. meretrix, concubinarius, leno, mimus obſcœnus, filius presbyteri, filius adulterinus vel incæſtuoſus, infamis infamia juris vel facti, &c.

Quæritur 36. Ex quibus cauſis exhæreditari poſſint hæredes alioquin neceſſarii?

Reſpondeo. De jure communi enumerantur cauſæ ſequentes. 1. Si filius vel alius deſcendens violentas manus in parentem ſeu avum injecerit. 2. Si ei maledixerit, vel aliam gravem injuriam intulerit. 3. Si eum criminaliter accuſaverit extra caſum, quo in principem vel Rempublicam deliquerit. 4. Si eum detulerit judicialiter cum gravi ejuſdem præjudicio in bonis honoris vel fortunæ. 5. Si ejus vitæ inſidias ſtruxerit. 6. Si filius pro perſona aut debito patris in carcere ſeu vinculis detenti rogatus non fidejuſſerit. Filia tamen hac obligatione non conſtringitur. 7. Si parentem ab hoſtibus captum non redemerit. 8. Si furioſo vel in amentiam lapſo competens obſequium non præſtiterit, ſed eum neglexerit. 9. Si cum noverca rem carnalem habuerit. 10. Si teſtamentum facere vel mutare volentem prohibuerit. 11. Si ſe aſſociaverit mimis, hoc eſt, illicitos ludos exhibentibus parente invito. 12. Si ut maleficus verſetur cum maleficis. 13. Si defecerit a fide factus hæreticus, niſi ubi hæretici fuerint tolerati, & ſimul interceſſerint ſpecialia cum illis pacta de reciproca capacitate capiendi hæreditatem. 14. Si filia recuſaris honeſtis nuptiis ante annum ætatis 25. elegerit eſſe meretrix, & libidinoſe vixerit. Huc de Jure Bavarico & æquitate naturali revocatur, ſi filius ante 25. & filius ante 30. ætatis annum abſque conſenſu parentum nupſerit perſonæ turpi.

Quæritur inter Doctores, utrum ad exhæreditandum ſufficiat etiam alia cauſa æque gravis, aut etiam gravior, quam hic expreſſa eſt?

Id affirmant *Covarruvias*, *Fachinæus*, & *Struvius*, quibus omnino aſſentior ſaltem ſi cauſa *in eodem genere* cum cauſis hic expreſſis verſetur; quia Imperator Novell. 115. §. 2. dicit: ſufficere *gravem & inhoneſtam injuriam parenti illatam*. Atqui omnis cauſa *æque gravis, vel gravior* quam hic expreſſa eſt, infert *grave* & *inhoneſtam* injuriam parenti. Itaque dum in eadem Novella dicitur; *non licere ex alia lege ingratitudinis cauſas imponere*, ſenſus tantum eſt, quod aliæ cauſæ *minoris momenti* opponi nequeant, quæ his recenſitis *genere* & *gravitate* æquiparari nequeant.

Quæritur 37. Quænam requirantur conditiones, ut exhæredatio liberorum ſit valida?

Reſpondeo. Requiruntur conditiones ſequentes. 1. ut exhæredatio non fiat tantum in codicillo, ſed in teſtamento ipſo. *Ratio* eſt, quia hæreditas non datur in codicillo, ſed in teſtamento. Ergo nec in illo adimitur. 2. Ut in teſtamento exprimatur cauſa juſta exhæreditationis, qui modus expreſſionis vocatur *exhæreditatio cum elogio*. 3. Ut exhæreditandus exprimatur ſuo nomine. 4. Ut exhæreditatio fiat pure, & non ſub conditione. 5. Ut hæres ſcriptus probet veritatem hujus cauſæ.

Quæritur 38. Quinam non poſſint inſtitui pro hærede?

Respondeo. Institui non possunt 1. hæretici non tolerati, aut si tolerati sint, per leges, consuetudines, vel pactiones locorum particularium exclusi. 2. Apostatæ a fide christiana, quales re vera sunt ii, qui vocantur *Francmacons*, Freymaurer / cum manifeste rejiciant authoritatem Scripturæ, & leges in ea contentas, v. g. de vitanda fornicatione, & centum alias veritates in Scriptura contentas. Hujusmodi ergo homines, nisi saltem coram magistratu renovent professionem fidei christianæ, plane exhæredandi sunt a parentibus. 3. Banniti a Romano Imperio, quia sunt civiliter mortui. 4. Damnati ad ultimum supplicium. 5. Damnati ad metalla vel triremes in perpetuum. 6. Liberi perduellium, & reorum læsæ majestatis. 7. Communitates incapaces Dominii, &c. Verum de his in casu extraordinario pro foro externo plura reperiri poterunt in Civilistis, vel Canonistis.

Quæritur 39. An testamentum conditum ante ingressum religionis vel ante professionem rumpatur per professionem?

Respondeo. Negative, quia Tridentinum Novitio in ultimo bimestri permittit condere testamentum, quod frustra permitteret, si non persisteret post professionem.

Quæritur 40. An testamentum semper possit revocari? etiam si intercessit pactum vel juramentum de non revocando?

Respondeo 1. Quilibet potest pro libitu revocare suum testamentum nisi intervenerit pactum utrinque onerosum.

Ratio est, quia ut dicitur l. 4. ff. de adimpl. legat: *Ambulatoria est voluntas ad supremum vitæ exitum*.

Respondeo 2. Ea mutatio licita est, etiamsi intervenerit pactum gratuitum de non revocando.

Ratio est, quia ejusmodi pactiones a jure civili irritantur, vel tanquam nullæ, utpote repugnantes libertati naturali in re maximi momenti, declarantur. Sic. l. 22. ff. de legat. dicitur: *Nemo potest sibi eam legem dicere, ut a priore ei non liceat recedere.*

Respondeo 3. Si tamen intervenisset pactum justum utrinque *æque* onerosum, atque ex altera parte jam impletum, vel pactum pacificatorium per modum compositionis, non licet variare testamentum, nisi interveniente nova ac sufficiente variationis causa.

Ratio est, quia non repugnat juri naturali, si quis in majus bonum proprium se obliget ad non variandam suam dispositionem testamentariam, v. g. si quis paciscatur de instituendo hærede ea conditione, ut sibi serviat in longa & difficili infirmitate, ut sibi assistat in suis necessitatibus, ut se juvet in bello justo, &c. & hæc libertas naturalis ita se obligandi non est manifeste sublata per leges positivas in foro interno. Dein hujusmodi pactum videtur potius reale, quam personale, in quantum videlicet paciscens compaciscenti adhuc in vivis obligat omnia sua bona tam mobilia quam immobilia.

Dixi, *æque onerosum*, si enim foret onus respective levissimum pro hæreditate maxima, pactum simpliciter esset potius gratuitum, quam onerosum.

Quæritur 41. An possit scribi hæres incertus? v. g. volo esse hæredem, quam Titius post meam mortem designaverit?

Respondeo. *De Jure civili* non potest sic scribi. Ita habetur l. 68. ff. de hæredibus instituendis, ubi dicitur: Si quis ita scripserit: *Si Titius voluerit, Sempronius hæres esto, non valet institutio.*

Ratio est, quia sic non defunctus sed alius hæredem instituisset; quod nimis grave accidit hæredibus ab intestato, & ideo merito cassatum est a lege positiva, licet non repugnet sic fieri per jus naturale, cum aliquando quis in seligendis recte hæredibus magis confidere possit in prudentia & exacta circumspectione aliena, quam propria, præsertim si jam sit morbo gravatus. Hinc in *Jure Canonico* C. 13. de Testam. habetur contrarium his verbis: *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.*

Quæritur 42. Quandonam locum non habeat *Falcidia* vel *Trebellianica*?

Res-

Respondeo. Falcidia non habet locum 1. In legatis piis. 2. In specialiter exceptis ab ipsomet testatore, si videlicet in testamento expresse cavit, ne a legatis detrahatur falcidia. 3. Si hæres de bonis hæreditariis aliquid surripuit, vel negavit. 4. Si hæres non confecit Inventarium debito tempore & forma. 5. Quando in testamento aliquid legatur ea conditione, ut nec ab ipsomet legatario alienari possit, sed necessario ad hæredes transeat. Ita habetur in diversis textibus Juris Civilis, ubi viget. Hinc inspiciendæ leges, vel consuetudines locorum particularium.

Quæritur 43. Quibus modis *resolvitur*, seu annullatur testamentum?

Respondeo. Resolvitur quatuor modis; videlicet 1. Irritatione. 2. Destitutione. 3. Ruptione. 4. Rescissione. Prioribus tribus modis invalidatur testamentum ipso jure; sed ultimo modo solum irritatur *per querelam inofficiosi testamenti*.

Irritari testamentum dicitur, quando testator interea redditur incapax ad condendum testamentum, v. g. per bannitionem, servitutem perpetuam, &c.

Destitui testamentum dicitur, quando interea hæres redditur incapax ad succedendum, v. g. per mortem, per defectum conditionis in testamento appositæ, vel per repudiationem hæreditatis coram Judice factam.

Rumpi testamentum dicitur, quando testator tacite vel expresse revocat prius testamentum, v. g. condendo novum testamentum, vel quando ipsi supervenit filius posthumus, aut quando interea adoptat filium.

Querela inofficiosi Testamenti dicitur, actio hæredis necessarii in testamento omissi, vel exhæredati, qua apud Judicem conqueritur, se injuste fuisse omissum, vel exhæreditatum; probatque causas exhæreditationis non subsistere.

Quæritur 44. Quotuplex sit *Executor* testamenti?

Respondeo. Executor est triplex 1. *Legitimus*, seu *legalis*. 2. *Testamentarius*. 3. *Dativus*. Horum autem quilibet aliquando dicitur *universalis*, aliquando *particularis*.

Executor Legitimus seu Legalis est, quem lex determinat ac constituit.

Testamentarius est, quem testator determinat.

Dativus est, quem Judex in alterius defectu constituit.

Universalis est, cui datur generalis facultas in omnia bona defuncti.

Particularis est, cui datur solum facultas disponendi circa partem bonorum defuncti.

Quæritur 45. Quis possit constitui in Executorem testamenti?

Respondeo 1. In testamento profano potest constitui quælibet persona jure non prohibita, etiam mas vel fœmina.

Ratio est, quia saltem de Jure Canonico fœmina in Executricem admittitur etiam jure naturæ in testamento pio, prout habetur C. 3. h. tit. Ergo multo magis admittitur de Jure naturæ in testamento profano.

Respondeo 2. Clerici, ac proin multo magis Religiosi, prohibentur agere executorem in testamento profano, nisi ex speciali licentia Episcopi vel Superioris.

Ratio est, quia de Clericis in variis Conciliis statuitur, ne sint *actores* vel *procuratores* negotiorum sæcularium; quod tamen munus essentialiter involvitur in officio Executoris circa testamenta profana. De Religiosis vero dicitur c. fin. h. tit. in 6. *Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate ultima deputatus non potest hujusmodi officium suscipere vel exequi, nisi a Superiore suo petita super hoc licentia & obtenta*,

Respondeo 3. In testamento pio Clerici possunt suscipere munus Executoris. Religiosi tamen etiam ad hoc indigent licentia Superioris.

Ratio est, quia de Religiosis textus inhibitorius loquitur indefinite sine distinctione inter testamenta pia & profana. De aliis autem Clericis id clare permittitur c. 19. h. tit. *Joannes Clericus & P. laicus constituti executores ultimæ voluntatis O. Clerici, qui piis locis in ultima voluntate legavit, post mandatum susceptum per Diœcesanum cogi debent testatoris explere ultimam voluntatem*.

Quæ-

Quæritur 46. Ad quid obligetur Executor testamenti?

Respondeo. Executor tenetur 1. exequi ultimam voluntatem defuncti sine mora. Et si admonitus eam executionem intra annum circa legata profana, vel intra sex menses circa pia legata negligat, perdit omnia emolumenta, quæ alioquin ex hæreditate consequeretur. 2. In dubio de intentione testatoris tenetur testamentum vel legatum exequi, juxta illius voluntatem rationabiliter præsumptam. 3. Post executionem tenetur legitimis Superioribus reddere rationem acceptorum & expensorum, licet testator eam remiserit.

Quæritur 47. Quis possit commutare ultimas voluntates?

Respondeo 1. Circa testamentum vel legatum profanum nemo habet potestatem commutandi ultimas voluntates; etiam in evidenter melius, nisi supremus Princeps seu Magistratus, idque non nisi exigente causa publica necessitatis reipublicæ.

Ratio est, quia privato subditorum dominio princeps præjudicare nequit, nisi sic exigente dominio alto in bonum necessarium reipublicæ. Ergo neque præjudicare potest dispositioni privatorum in eventum mortis, nisi aliud petat bonum reipublicæ.

Respondeo 2. Circa testamenta vel legata pia commutare ultimas voluntates nemo potest, nisi Summus Pontifex, vel Episcopus tanquam delegatus Sedis Apostolicæ.

Ratio est, quia dominio privato laicorum, aut Ecclesiarum, vel locorum particularium præjudicari nequit, nisi per expositionem voluntatis defunctorum rationabiliter præsumptæ, quæ expositio pertinet etiam ad potestatem ordinariam Episcopi, vel ex plenitudine potestatis commutando voluntatem defuncti certam ac liquidam ex causa necessitatis respicientis bonum publicum Ecclesiæ. Ea vero plenitudo potestatis pertinet ad Papam. Id quoad rem probatur ex Concilio Tridentino Sess. 22. c. 6. de ref. ubi dicitur: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justa & necessaria causa fieri debent, Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ summarie & extrajudicialiter cognoscant*. Similiter dicitur in Clementina 2. de religiosis domibus: *Cum ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium (salva Sedis Apostolicæ authoritate) debeant converti, &c.*

Quæritur 48. Quo ordine *ab intestato* succedant hæredes, in casu, quo nullum testamentum est confectum; vel quo illud est invalidum?

Respondeo. Hæredes *ab intestato* de jure communi hoc ordine succedunt. 1. *Descendentes* in linea recta, nempe liberi, nepotes, pronepotes, &c. 2. *Ascendentes* in linea recta, nempe parentes, avi, &c. 3. *Consanguinei* collaterales, nempe fratres, sorores, eorumque filii, & filiæ, nepotes & neptes, si eorum parentes jam obierint. 4. *Conjuges* reciproce, si descendentes, ascendentes, & consanguinei collaterales deficiant. 5. *Fiscus*, si deficiant alii hæredes.

Quæritur 49. An nepotes & neptes defuncti succedant in capita vel in stirpes?

Respondeo. Nepotes & neptes defuncti, sive adhuc vivant aliqui hujus liberi, sive nulli, sive descendant ex uno stipite, sive ex pluribus, tantum succedunt in stirpes, & non in capita.

Ratio est, quia tantum succedunt *jure repræsentationis*, in quantum repræsentant suum parentem. Itaque solum *in corpore* illis licet adire vel repudiare hæreditatem.

Quæritur 50. Quomodo ab intestato succedant privigni?

Respondeo. Vitrico aut Novercæ non succedunt, nisi intercesserit *parificatio prolium* inter conjuges; sed succedunt tantum illi parenti, ex quo procreati sunt. Ita jus commune.

Quæritur 51. Quomodo succedant liberi *naturales*, spurii, legitimati, &c.?

Respondeo 1. *Naturales* necdum legitimati, si adsint alii liberi legitimi, non succedunt patri; succedunt tamen matri, avo & aviæ maternæ, æqualiter cum aliis liberis legitimis, & quidem

dem in capita. Ita habet Jus commune quamvis quoad æqualitatem portionis maternæ forte repugnante æquitate naturali.

Respondeo 2. Si pater nullos alios habeat liberos legitimos, naturales succedunt etiam patri non habenti legitimam uxorem, attamen solum in duabus unciis. Reliquæ decem unciæ obveniunt reliquis consanguineis defuncti.

Respondeo 3. Nepotes naturales & pronepotes a successione avi paterni vel proavi omnino & semper excluduntur.

Respondeo 4. Legitimi tantum, seu adoptivi & arrogati succedunt cum aliis legitimis æqualiter in bonis allodialibus.

Respondeo 5. Spurii, hoc est, nati ex meretrice publica, succedunt cum legitimis liberis æqualiter matri, nisi fuerit nobilis. Tunc enim illis solum debetur alimentatio ex bonis maternis. Verum illa æqualitas portionum forte non congruit cum æquitate naturali.

Respondeo 6. Nati ex damnato coitu, hoc est, adulterini, incæstuosi, sacrilegi, nec patri nec matri succedunt; sed debetur ipsis sola alimentatio.

Respondeo 7. Legitimati per subsequens matrimonium succedunt æqualiter cum aliis legitimis,

Respondeo 8. Legitimati per rescriptum Principis non succedunt, si extent alii legitimi tempore legitimationis, nisi Princeps illos specialiter legitimaverit etiam ad successionem.

Quæritur 52. Quis succedat Clerico ab intestato?

Respondeo 1. In bonis patrimonialibus, quasi patrimonialibus, & industrialibus industria profana, succedunt proximi consanguinei.

Respondeo 2. In bonis beneficialibus, parsimonialibus vel industrialibus ex labore Clericali, succedit Ecclesia, in qua defunctus habuit beneficium, ita tamen, ut jus spolii competat Episcopo, hoc est, jus accipiendi partem bonorum.

Ratio est, quia Clerici sunt jure divino incapaces Dominii in bona titulo clericali seu labore clericali parta, prout in Tract. de Justitia ostensum est in *Theol. Eclect.* Hæc sunt liquida in Jure Canonico, ut mirum sit, a nonnullis authoribus scribi oppositum. Nam C. 1. *de peculio Clericorum* ex Concilio Arelatensi sic habetur: *Investigandum est, si nihil patrimonii habens presbyter, quando promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, postea emerit prædia, cujus juris sint? Quoniam Ecclesiæ, ad quam promotus est, esse debent juxta Canonicam authoritatem*. Et l. c. c. 3. *Unusquisque Presbyter, quas res post dies consecrationis aquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat*. Et c. 12. de testamentis *Alexander* III. scribit: *Relatum est auribus nostris, quod quia statuimus in Generali Concilio, ut bona per Ecclesiam aquisita ad eam in Clericorum obitu devolvantur, dubitatis, an hoc sit de immobilibus tantum, vel de mobilibus sentiendum? Respondemus, quod generaliter bona qualibet per Ecclesiam aquisita eis debent juxta Concilium Lateranense post aquirentis obitum remanere. Nomine autem Ecclesiæ non Episcopus vel successor Clerici morientis, ubi est collegium Clericorum, sed communis congregatio intelligitur. Licet autem mobilia per Ecclesiam aquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Cœterum quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuetur pro arbitrio decedentis*.

Quæritur 53. Quomodo succedant uxores ab intestato? vel mariti?

Respondeo 1. Quando nulli adsunt liberi ex conjugio, Jure Prætorio succedit uxor in omnibus bonis mariti; & vicissim maritus succedit in omnibus bonis uxoris, puta, nisi adsint alia pacta dotalia vel conjugalia. Si vero adsunt liberi, iique non sint plures quam tres, nec extent alia pacta, vel consuetudines aut leges particulares locorum, de Jure communi succedit uxor marito, & maritus uxori in quarta parte bonorum defuncti. Si autem adsint plures, quam tres, succedunt *in parte virili*, hoc est, obtinent partem æqualem parti unius-

cujus-

cujusque ex liberis. Requiritur tamen, ut defunctus sit dives. Advertendum etiam, quod, ubi uxor concurrit cum liberis, aquirat solum usumfructum suæ portionis; ubi autem concurrit cum aliis consanguineis, aquirit etiam dominium suæ portionis.

Verum de hac materia testamentaria quilibet Parochus & Confessarius consulat, & attente legat leges particularium locorum, ne consulendo vel judicando graviter peccet contra justitiam. Pro meliori captu & directione accludo ex Jure Canonico P. Pichler formulam Testamenti idiomate latino.

In Nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus Sancti, Amen.

EGo Adamus Chripel, animo revolvens humanæ vitæ brevitatem, mortisque inevitabilis certitudinem, & incertam illius horam, ad evitandas, quæ alias post obitum meum oriri possent, lites, liberrima voluntate, & pleno rationis usu, ultimam de rebus meis dispositionem & testamentum feci, ut sequitur.

I. Imprimis Omnipotenti Deo æternas ago gratias pro omnibus beneficiis toto vitæ tempore mihi liberalissime collatis, eique tanquam Creatori animam meam, pretioso sanguine Christi Jesu, amantissimi Salvatoris redemptam, rursus restituo, & in Sanctissimas manus trado, eumque per hujus unigeniti Filii sui infinita merita humillime rogo, ut eandem Regni cœlestis hæredem facere misericorditer velit; atque eum in finem etiam pias Beatissimæ Virginis Mariæ, Patronæ clementissimæ, ac omnium Sanctorum preces ac intercessionem devotissime imploro.

II. Corpus, quod de terra formatum est, rursus terræ consigno, & volo, ut illud absque speciali pompa, conformiter tamen statui, sepeliatur in Ecclesia Parochiali S. Viti, atque in die Depositionis, septima & trigesima, quas celebrari in animæ solatium cupio, cum tot Missis, quot Sacerdotes illis diebus haberi poterunt, statuendo pro qualibet stipendium 45. *crucigerorum.*

III. In eundem finem specialiter lego ducentos florenos pro quadringentis Missis, medio floreno pro qualibet destinato, post obitum meum legendis, & quidem a Sacerdotibus sæcularibus, quam primum fieri poterit, ac saltem intra bimestre, sive ruri, sive in urbibus, alios autem quinquaginta florenos pro Anniversario cum vigilia, officio funebri, & Missa una.

IV. RR. PP. Franciscanis Ingolstadii 50. *florenos cum onere* 50. *Missarum*, & *RR. PP. Augustinianis Eremitis ibidem* 40. *florenos pariter cum onere* 40. *Missarum pro mea anima intra breve tempus legendarum, quantum fieri potest, tradi volo: Confraternitati autem S. Monicæ apud eosdem PP. Augustinianos* 20. *florenos, ac totidem Congregationi Academiæ Majori in eadem urbe Ingolstadiensi, cui & mors mea statim nuntietur.*

V. Pauperibus, in quibus Christum semper suspexi & veneratus sum, lego mille florenos, de quibus centum tradantur P. Præfecto Gymnasii Ingolstadiensis, & centum P. Professori SS. Canonum, distribuendi inter studiosos Gymnasii & Juris Canonici, qui præter indigentiam plus habent pietatis & doctrinæ, prout dictis Patribus videbitur: rursus centum P. Operario ibidem pro ægris, quos visitat, vel quos alios eleemosina digniores in illa urbe judicaverit. Trecenti dentur pauperibus (vulgo den Hauß-Armen*) loci, ubi sunt exuviæ corporis mei, & vicinæ ad duas horas in circuitu: quadringentos residuos relinquo dispositioni liberæ executoris, ut eroget iis egentibus, quibus in Domino erogandos censuerit.*

VI. Sorori meæ pro aliquali recognitione benevolentiæ, & obsequiorum mihi sæpius exhibitorum per modum legati relinquo meam argenteam, & lineam suppellectilem cum vasis stanneis & cupreis, atque 50. *florenis. Cuilibet autem ex ancillis, uti & ex famulis.* 12. *florenos. Denique Ludi Magistro* 30. *florenos, ut unum vel alterum adolescentem pauperem gratis instruat per tres annos.*

VII. Cum vero sciam, basim quodammodo ac substantiam Testamenti esse institutionem hæredis, in dimidia parte bonorum meorum, quæ subtractis expensis

func-

funeralibus, & primum specificatis 1556. florenorum legatis tum piis tum profanis residua invenientur, pro hærede instituo Seminarium juniorum Sacerdotum ad D. Virginem Thaumaturgam prope oppidum Dorffen *in Bavaria nuper Sanctissimo Zelo cujusdam Mœcenatis mei observandissimi erectum, ut plures ibi Sacerdotes sæculares sub disciplina Zelosi Moderatoris sustentari possint, qui pro cura animarum rite administranda practice formentur, pie illuc peregrinantium confessiones excipiant, ac integræ vitæ exemplo, & concionibus, ædificent populum christianum: in altera vero dictorum bonorum dimidia parte hæredes volo Theophilum ex Fratre meo, & Ignatium ex sorore mea nepotes; si vero alterutrum, vel ambos, hanc hæreditatem non adire contingeret, substituo illi, vel illis, Domum tertiæ Probationis Patrum Societatis Jesu Oettingæ veteris.*

VIII. Ut autem hæc mea voluntas ultima securior sit ab omni periculo impugnationis aut nullitatis, volo ut, si forte non susisteret ut Testamentum, saltem valeat tanquam codicillus, vel alio meliori modo, quæ de Jure valere potest: reservata tamen mihi libera potestate mutandi, addendi, minuendi, delendi, &c. quandocunque & quomodocunque voluero.

IX. Denique ut omnia certius citiusque executioni mandentur, pro Executore hujus supremi mei elogii denomino, & ut pro veteri amicitia hoc ultimum charitatis obsequium mihi exhibere velit, demisse rogo admodum Reverend. & Doctiss. Dominum Bonifacium Guetvvillig. Parochum ad superius memoratam Ecclesiam S. Viti, eique in aliqualem recognitionem laboris & solicitudinis Bibliothecam meam assigno.

X. Præsentem hanc dispositionem ultimæ voluntatis meæ non modo propriæ manus subscriptione & proprii sigilli appressione, verum etiam 7. testium ad id specialiter rogatorum subscriptione & subsignatione, ut videre est, firmavi, interventu etiam D Notarii ad id requisiti. Quæ acta sunt Æthiopalbii 26. Martii anno post reparatam Salutem MDCCXIX.

§. XVIII.

De Mutuo.

QUæritur 1. Quid sit mutuum?

Respondeo. Mutuum est contractus, quo res unico usu consumptibilis traditur alteri in ejus dominium, ea lege, ut restituatur eadem in genere. Inter *res usu consumptibiles* numerantur non solum vinum, oleum, frumentum, &c. sed etiam pecunia. Hujus enim usus etiam unicus transfert illius dominium in alios, sicque illam suo priori Domino moraliter destruit. *Restitui in genere* dicitur, quod restituitur in simili, hoc est, ejusdem speciei, v. g. pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento.

Quæritur 2. Quid sit usura?

Respondeo. Usura est omne auctarium mutui ex obligatione a mutuatario pendendum mutuanti, præcise titulo mutui. *Auctarium* tale est, si quis mutuanti *centum* florenos tenetur post annum solvere *centum & quinque* florenos. Dicitur autem istud vel aliud auctarium præstari *præcise ratione mutui*, quando mutuans non habet alium titulum pretio æstimabilem exigendi istud auctarium, nisi quia mutuavit pecuniam vel aliam rem unico usu consumptibilem cum obligatione restituendi eandem genere rem.

Quæritur 3. An licitum sit, exigere auctarium ex mutuo præcise *titulo mutui*?

Respondeo. Negative.

Ratio est: quia in tali contractu non servatur æqualitas justitiæ inter *datum* & *acceptum*. Plus enim restituitur, quam accipitur.

Dices: Plus valet pecunia *numerata*, quam *numeranda* seu *actio personalis*, quam creditor erga mutuatarium habet ad exigendam ab eo pecuniam. Ergo, cum creditor pro numerata pecunia tantum accipiat actionem personalem, re vera accipit aliquid minoris valoris, quam dedit. Igitur ad compensandum hunc inæqualem valorem dati & accepti, ad actionem perso-

sonalem addendum est aliquod jus pretio æstimabile, & in æstimatione morali æquivalens excessui valoris, quem habuit pecunia numerata supra valorem actionis personalis

Respondeo. d. a. plus valet pecunia numerata *aliquando*, ac *per accidens* ratione adjuncti periculi, parati lucri, vel damni emergentis, c. universaliter ac per se, n. falsitas hujus universalis propositionis patet ex eo, quia sæpe pecunia numerata plus habet periculi in crumenta vel cista propria, quam in manu depositarii divitis; & scheda cambialis apud itinerantem acceptior est, quam numerata pecunia; & numeranda pecunia a fido & habili emptore, locatario, vel mutuatario, quando repeti potest pro libitu, perinde æstimatur, ac ipsa pecunia, præsertim accedente actuali pignore. Hinc merito damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio, ordine 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*.

Quæritur 4. An mutuans possit aliquid ultra sortem exigere *titulo benevolentiæ* exhibitæ, alias indebitæ, vel *titulo gratitudinis*?

Respondeo. Negative.

Ratio est, quia repugnat societati humanæ, ut officia reciprocæ inter amicos vel socios benevolentiæ, pretio vendantur. Si ergo jure naturæ actus reciprocæ benevolentiæ exempti sunt a commercio lucroso & taxatione pretii, manifestum est, quod non sint res pretio æstimabiles. Itaque nec pariunt titulum exigendi auctarium ultra sortem. Eodem modo discurrendum est de actibus gratitudinis, utpote reciprocæ ad prævios actus benevolentiæ. Idem enim in æstimatione morali est, sive dicam, me vendere actus benevolentiæ, sive dicam, me emere actus gratitudinis pro actibus præcedentibus benevolentiæ. Hinc merito damnata est ab Innocentio XI. sequens propositio ordine 4. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum; sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum*.

Quæritur 5. An mutuans possit aliquid ultra sortem exigere *titulo damni emergentis*?

Respondeo. Affirmative.

Ratio est; quia jus naturæ non obligat amicos vel socios ad succurrendum sibi invicem cum damno proprio sine onere compensandi tale damnum, quando poterit compensari. Neque enim amicus vel socius prudenter ab amico vel socio exigeret onus subeundi pro se damni, si propriis ex bonis possit illum præstare indemnem. Multo minus poterit quis obligari ab extraneo ad incurrendum ejus gratia damnum, si ex bonis propriis vel sua opera possit indemnizare benefactorem. Hinc omnes authores conveniunt, quod licitum sit *in mutuo* exigere aliquid ultra sortem titulo *damni emergentis*. Quia in tali casu auctarium sortis non exigitur *titulo mutui*, sed titulo alterius concomitantis obligantionis seu conventionis, qua recipiens beneficium mutui se obligat ad compensandum *totum damnum*, secuturum ex beneficio *per se*, hoc est, tale, quod vel actu incipit, vel probabiliter poterat timeri. Ad compensanda enim damna, consecuta benefactori per accidens, quæ probabiliter non poterant prævideri, nec prudenter timeri, non obligavit se tacite mutuatarius, nec verosimiliter se expresse ad hoc obligasset, si de subeundo hoc onere fuisset tractatum. Maluisset enim quærere alium benefactorem, congruentiorem societati civili hominum, & observantiorem legum benevolentiæ reciprocæ.

Quæritur 6. An mutuans possit aliquid ultra sortem accipere *titulo lucri cessantis*?

Respondeo. Mutuans licite aliquid accipit ultra sortem *titulo lucri vere cessantis*. Vere autem cessare dicitur, quod, cum actu existat, interrumpitur, aut omnino extinguitur. Nequit enim cessare, quod necdum physice vel saltem moraliter in præparatione causarum ita existit, ut in æstimatione morali jam haberi censeatur.

Ratio

Ratio responsionis est, quia cessatio lucri jam physice vel moraliter præsentis est reipsa aliquod damnum juxta æstimationem communem; Ergo, cum damnum emergens fundet titulum sufficientem ad exigendum auctarium ultra sortem, idem præstabit titulus lucri vere cessantis.

Quæritur 7. An mutuans possit aliquid ultra sortem accipere *titulo periculi de sorte?*

Respondeo. Probabile periculum sortis præbet sufficientem titulum ad accipiendum aliquid ultra sortem.

Ratio est, quia probabile periculum sortis efficit, ut in æstimatione morali sit minor valor *actionis personalis* seu *juris ad rem*, quam sit valor ipsius Summæ Capitalis actu possessæ physice vel moraliter seu *juris in re*. Ergo cum justitia contractus exigat æqualitatem inter datum & acceptum, eousque augendum est pretium actionis personalis seu juris ad rem, donec æquet valorem juris in re, seu ipsius Summæ Capitalis actu possessæ.

Quæritur 8. Quænam requiruntur conditiones ad hoc, ut possit aliquid accipi ultra sortem *titulo damni emergentis?*

Respondeo. Juxta communem Theologorum requiruntur conditiones sequentes. 1. Ut damnum sit verum ac reale. 2. Ut hoc damnum causetur ex ipso mutuo, & non aliunde. 3. Ut damnum sit æquale compensationi, quæ exigitur. 4. Ut damni compensatio deducatur expresse vel tacite in pactum. 5. Ut non secuto damno remittatur compensatio. Ex defectu primæ conditionis non est locus compensationi, si quis prætendat compensationem damni ex eo, quod potuisset illa pecunia uti ad assequendum lucrum valde incertum. Nemo enim dicitur ex eo pati damnum, quod potuerit elocare pecuniam ad assequendum lucrum incertum. Secunda conditio deficit, si mutuans habuerit aliam pecuniam, vel aliud medium, quo potuerit præcavere damnum; vel si mutuans domum ex defectu reparationis collapsam, nihilominus non fuisset reparaturus, etiamsi pecuniam non elocasset.

Quæritur 9. Quales conditiones requirantur ad hoc, ut mutuans possit aliquid exigere ultra sortem *titulo lucri cessantis?*

Respondeo. Requiruntur sequentes conditiones. 1. Ut pecunia, quæ mutuo datur, sit actu exposita vel jam actu destinata ad illam proxime exponendam pro lucroso contractu negotiationis, commercii, emptionis, elocationis &c. 2. Ut mutuans non habeat aliam pecuniam otiosam, quam possit mutuare sine detrimento sui lucri. 3. Ut lucrum non tantum sit possibile, sed etiam probabile, hoc est, tale, quod mutuans credit se assecuturum verosimilius. Lucrum enim, quod probabilius non assequetur, vel quod stricte dubium est, ac æque probabiliter non sequetur, non potest fundare jus compensationis ex justitia. Compensatio namque daret lucrum certum pro lucro incerto, & sic non observaretur æqualitas inter datum & acceptum.

Quæritur 10. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut mutuans possit aliquid exigere ultra sortem *ob periculum sortis?*

Respondeo. Requiruntur sequentes conditiones. 1. Ut mutuans non teneatur in se recipere periculum sortis ex charitate. Si enim mutuatarius constitutus sit in gravi necessitate, præsertim casu fortuito absque sua gravi culpa; si insuper sit persona industria, fidelis in servandis promissis, conscientiosa, ac præterea cognationis, societatis, vel subjectionis vinculo conjuncta; & mutuans habeat pecunias otiosas, ex quarum mutuatione ac periclitatione non timet periculum subeundæ gravis necessitatis, charitas christiana amicitiæ, societatis, vel subjectionis & familiaritatis præcipit, ut quis subeat periculum dispendii quoad bona superflua ad sublevandam miseri ita sibi conjuncti gravem indigentiam. 2. Ut periculum non sit tantum possibile, sed etiam probabile, hoc est tale, quo stante prudenter possit timeri amissio sortis in toto vel in parte. 3. Ut hoc periculum probabile non jam sufficienter excludatur per fidejussores, vel per pignus, vel per hypothe-

pothecam, vel affecurationem aliam.

Quæritur 11. An mutuans poffit aliquid exigere ultra fortem *ob Statutum principis*, taxantis moderatum cenfum in favorem mutuantium?

Refpondeo. Solum Statutum Principis non poteft licitum reddere auctarium ex mutuo, nifi concurrat alius titulus diftinctus a mutuo.

Ratio eft, quia Princeps fuo Statuto licitam reddere nequit violationem juftitiæ, ita ut in contractibus non fervetur æqualitas inter datum & acceptum. Hoc autem contingeret, fi redderet licitum lucrum ex mutuo. Idem enim objectum, quod fine ftatuto foret intrinfece iniquum, fine ulla variatione ex parte objecti, redderet licitum.

Dices cum Haunoldo & aliis, quod princeps per fuum Statutum non adjudicet mutuanti aliquod auctarium titulo mutui; fed quod ex bonis mutuatarii transferat Dominium cenfus in mutuantem titulo Dominii alti ob bonum commune folum pro cafu, quo mutuans non tenetur alteri mutuare ex juftitia vel charitate. Cum enim in tali cafu vix ullus fit mutuaturus alteri, & exinde fequatur bono communi Reipublicæ ingens damnum ex inertia commerciorum, artium, officiorum, culturæ agrorum, æconomiarum &c. videtur bonum commune exigere, ut princeps procuret facilitatem mutui etiam erga eos, erga quos ad præftationem mutui nec obligat lex charitatis nec juftitiæ. Id vero congruentiori medio præftare nequit, quam fi mutuatarios obliget ad folvendum moderatum auctarium creditori benevolo, alioquin ad mutuandum non obligato ex lege charitatis.

Confirmatur a pari. Sic enim, licet officium tutelæ & curatelæ fit jure naturali ac divino ex fe gratuitum, nihilominus principes finita tutela & curatela obligant majorennem ad congruam compenfationem exhibitorum officiorum de fe gratuitorum.

Refpondeo d. Poteft hoc princeps ftatuere, fi tale Statutum exigat generalis neceffitas vel utilitas Reipublicæ, vel neglectus generalis legum charitatis, C. fi hoc tantum petat utilitas Reipublicæ in uno vel altero cafu particulari, n. ant. Dico enim, eam legem non exigi a generali neceffitate vel utilitate Reipublicæ. Nam in primis Problema eft, an plures familiæ plus paffuræ fint nocumenti ex ejufmodi lege, quam ex defectu mutui, aut neglectu legum charitatis. Si non daretur ea lucrofa mutuandi facilitas, non datur tanta fuperbia & luxus in veftibus, conviviis, inutilibus ædificiis, comparandis peregrinis inutilibus mercibus, picturis exteris, curiofitatibus, &c. quales expenfæ non folent fieri fine mutuo ad familiarum multarum ruinam. Quod fi autem pecunia opus fit ad fines Reipublicæ aut familiæ utiles, reperiuntur contractus Societatis; dantur propinqui, dantur familiares, dantur arctiori communis utilitatis vinculo juncti, in quo cafu admodum rarum eft, nullum inter tot notos reperiri, qui non poffit, ac non teneatur juvare gratis indigentem *ex lege charitatis*. Ordinarie enim vel juvari poffunt gratis recepto pignore, vel per folutiones fucceffivas, computandas in fortem. Itaque prætextus ille ex Statuto Principis non excufat exigentes auctarium fortis fine alio particulari titulo.

Quæritur 12. An mutuans in cafu, quo non tenetur mutuare gratis, poffit licite exigere auctarium fortis *titulo emptionis cenfus ex re vel perfona frugifera?*

Refpondeo. Diftinguendo. Si enim emptio cenfus fiat ex re vel perfona determinata, & periculum capitalis & fructuum maneat partialiter penes emptorem, tanquam ufufructuarium vel colonum partiarium, contractus eft juftus. Si autem emptio cenfus fiat ex parte bonorum indeterminata, vel ex omnibus bonis, & periculum cenfus & fortis maneat penes folum venditorem, contractus eft injuftus, nifi collatio Summæ ita fuperet induftriam coloni vel focii partiarii, quod tamen in praxi vix fiet, ut tantum detrahatur a quantitate fructus feu cenfus partiarii jufti, quantum juxta communem æftimationem valet receptio totius periculi quoad

ad Capitale & fructus ex parte mutuatarii, seu potius coloni seu socii partiarii. Sic, si quis Agricolæ vel Aulico commodet mille florenos, atque ex illius prædio, ex hujus vero opera seu officio emat annuos redditus quinquaginta florenorum, & neuter possit annuatim etiam in anno fertili fructuum vel accidentium lucrari ultra centum florenos, contractus erit injustus, quando periculum census relinquitur ex parte solius mutuatarii. Ponitur enim in casu, quod in tali contractu emptionis seu potius Societatis, quinquaginta floreni sint portio justa lucri communis, etiamsi periculum juxta leges contractuum Societatis maneat commune. Itaque si solus mutuatarius in se recipiat periculum, tantum mutuans tenetur detrahere de æquali partitione fructuum, quantum alteri additur oneris ex recepto in se periculo juxta æstimationem prudentum.

Ex hoc sequitur, omnia mutua innixa præcise titulo emptionis, quando ob improportionem Summæ & rei, ex qua celebrari prætenditur emptio, sunt moraliter irreducibilia ad contractum Societatis, esse reipsa purum mutuum. Non enim potest æstimationem sumere justam ejusmodi emptio juris censualis, nisi sciatur, quantum mutuatarius suo labore vel officio possit lucrari ex summa mutuata. Hinc Summa mutuata comparanda esset ad valorem totius prædii vel officii, ut illi Summæ assignetur correspondens fructus, v. g. si prædium comparetur mille florenis; & annuum lucrum deductis expensis sit centum floreni. Si quis tali Colono commodet centum florenos; correspondens lucrum annuum erunt decem floreni. Cum igitur mutuans tantum conferat pecuniam, alter laborem, mutuanti solum debetur hujus lucri dimidium, nempe quinque floreni, ita tamen ut utrique tam mutuanti quam mutuatario sit commune periculum. Itaque si soli mutuatario relinquitur periculum, mutuanti non debentur quinque pro centum, sed minor pars, aut certe remissio totius census illo anno, quo res vel opera vel persona remansit sterilis sine lucro notabili. Ex his omnibus sequitur; titulum emptionis etiam erga personas, erga quas non datur obligatio mutuandi gratis, licet speculative per *contractum trinum* infra q. 16. explicandum defendi possit, practice tamen ac ordinarie variis periculis committendæ injustitiæ obnoxium esse. Vide dicenda q. 16.

Quæritur 13. An mutuans, aliunde non obligatus ad mutuandum gratis, possit aliquid ultra sortem accipere *titulo Census Germanici*?

Respondeo. Si Contractus censualis germanicus est re vera distinctus a contractu mutui, ita ut importet titulum practice distinctum a titulo mutui, licite aliquid accipitur ultra sortem titulo ejusmodi contractus censualis germanici. Si vero non distinguitur practice, sed tantum speculative per diversas intentiones & formalitates pure mentales, non est licitum uti hoc prætextu seu titulo. Hinc

Quæritur 14. Quid sit contractus censualis germanicus?

Respondeo. Contractus censualis germa est *permutatio juris realis* in re usu consumptibili pro *inæqualis valoris jure personali* ad eandem specie rem nullo alio charitatis aut justitiæ titulo debita, atque inæqualis valoris per censum lege taxatum legitima compensatio. In hac definitione pro genere proximo ponuntur illa verba: Permutatio *Juris realis in re usu consumptibili pro inæqualis valoris jure personali ad eandem specie rem*. Per hæc enim verba census germanicus ponitur in genere *permutationis*, prout permutatio in Jure dicit contractum specificum, specie distinctum ab omni alio contractu nominato in Jure. Non enim convenit cuivis contractui, v. g. emptioni, esse permutationem *juris realis pro jure personali*; cum in illis contractibus potius fiat permutatio *juris realis pro jure reali*. Imo per illa verba: *pro jure personali inæqualis valoris*, hic contractus censualis germanicus jam distinguitur inadæquate a contractu mutui tanquam

species a genere ; quia Mutuum latius patet quam ista permutatio. Licet enim omne mutuum sit permutatio *juris realis pro jure personali ad eandem specie rem*, non tamen omne mutuum est permutatio *juris realis pro jure personali inæqualis valoris*. Datur enim mutuum, quod est permutatio juris realis pro jure personali æqualis valoris, nempe gratuitum meritorium, & onerosum usurarium. Pro prædicato differentiali non solum ab aliis contractibus, sed etiam a contractu mutui universim ponuntur illa verba : *atque inæqualis valoris per censum lege taxatum legitima compensatio*. Nam per hæc verba iste contractus censualis distinguitur in primis a mutuo gratuito, quia in illo non exigitur ut census, sive jus personale sit ejusdem valoris sive diversi valoris cum jure reali, quod permutatur cum jure personali. Distinguitur etiam iste contractus censualis germanicus per illa verba *a mutuo usurario :* quia in mutuo usurario vel permutatur jus reale cum jure personali ejusdem valoris, vel quando permutatur jus reale cum jure personali inæqualis valoris, exigitur compensatio illegitima utpote repugnans vel legi naturali charitatis aut justitiæ, vel excedens generales limites constitutos per taxam legalem. Denique per illa verba Contractus censualis germanicus distinguitur etiam *a mutuo licito non gratuito*, sed oneroso per censum titulo lucri cessantis, vel damni emergentis ; quia in tali mutuo licite exigitur census, etiamsi fiat permutatio *juris realis pro jure personali ejusdem valoris*, puta in casu, quo melius est, vel æque exoptabile, habere jus personale ad rem, quam jus reale in re, v. g. tempore belli, in itinere, in loco furtis, incendiis, inundationi, corruptioni obnoxio. In tali enim casu non præstatur census in compensationem inæqualis valoris inter jus reale & jus personale, sed in compensationem damni concomitantis, ad quod refertur etiam *cessatio* actualis lucri physice vel moraliter præsentis. Valor autem inæqualis inter jus personale ad rem, & juris realis in re unice fundatur in *periculo incurrendi damnum*, taxato per legem taxa aliqua generali moderata ac justa. Perinde autem est, sive illud periculum respiciat periclitationem sortis, sive periclitationem lucri actualis jam moraliter præsentis, sive periclitationem incurrendi damnum aliud ex carentia pecuniæ. Ex his ergo manifestum est, Censum germanicum sic descriptum differre a mutuo. Fusius autem definitionem explicandam duxi, quia *Cl. P. Zech* in sua Differt. 3. de Usura Sect. 8. §. 279. fol. 183. hanc distinctionem assecutus non est.

Quæritur 15. Quales requirantur conditiones ad hoc, ut mutuans possit exigere auctarium sortis ex titulo Contractus Germanici ?

Respondeo. Requiruntur sequentes conditiones. 1. Ut vere interveniat tale periculum sortis, vel alterius damni incurrendi, quo stante *jus personale ad eandem specie rem* juxta æstimationem prudentum sit minoris valoris, quam *jus in re*, quod creditor cessit creditori *pro jure personali ad rem*. 2. Ut creditor non teneatur aliunde ex lege charitatis vel justitiæ mutuare gratis etiam cum suo periculo, prout obligatur opulentus succurrere constituto in gravi necessitate, præsertim amico, socio, subdito, suæ curæ specialiter commisso. 3. Ut census non transgrediatur generalem taxam periculi a lege statutam, nisi in casu particulari ob speciales circumstantias major taxa periculi fiat per expressum decretum principis, aut in ejus defectu communis æstimatio manifesta evidenter requirat aliam majorem taxam periculi v. g. in bello.

Quæritur 16. An licitum sit celebrare contractum trinum ad aquirendum auctarium sortis nullo concurrente particulari titulo damni emergentis, lucri cessantis, vel periculi sortis ?

Respondeo. Contractus trinus non est practice tutus in ordine ad exigendum auctarium sortis, nec potest haberi pro generali titulo excusante ab usura.

Antequam probetur responsio, explicandum prius est, quid sit *contractus trinus* ? Hunc vero exacte explicat SS.

D. N.

D. N. Benedictus XIV. in L. de Synodo l. 7. c. 50. his verbis: „ Contractus Societatis generatim acceptus est „ duorum vel plurium, *conventio contribuendi ad commune lucrum, & damnum, secundum proportionem rerum contributarum;* potest autem contribui, „ vel pecunia, vel opera, seu industria, „ vel instrumentum, puta Navis, Equus, „ animalia &c. eaque omnia debent „ ad negotiationem destinari: nulla quippe, nisi ficta, potest esse Societas, „ ubi nulla ex rebus a Sociis collatis „ instituitur negotiatio, ex qua lucrum „ sperari queat. Ut autem Societas justa sit, sicuti lucrum, ita & periculum, ac damnum debet, secundum „ eandem proportionem, esse singulis „ sociis commune: Nam, ut ait Ulpianus *in leg. 29. ff. pro Socio, si alter lucrum tantum, alter damnum sentiret*, Societas diceretur *Leonina*, ab „ apologo leonis, qui absque ullo sui „ periculo, aliarum ferarum venationis „ particeps esse voluit.

„ Ad ejusmodi vero periculum evitandum, atque unum ex Sociis solius lucri participem, ejusque securum reddendum, hic ineundæ Societatis modus est inventus: Titius init „ contractum Societatis cum Sempronio „ Mercatore, cui mille aureos tradit, „ e quibus probabiliter sperat, se centum, & triginta lucraturum: Sed metuens Titius, ne una cum sperato lucro, etiam capitale amittat, alium „ contractum init cum eodem Sempronio, cui condanat sexaginta aureos „ sperati lucri, ut, qualiscunque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat „ de securitate Capitalis mille aureorum; rursusque secum reputans Titius, melius sibi fore, aliquod moderatum lucrum, sed certum habere, „ quam pinguius, sed incertum, exspectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat, sive negotiatio bene, sive male „ succedat. Obstringitur itaque hisce „ contractibus Sempronius ad reddendum Titio, intra certum tempus, integram sortem, id est Summam mille aureorum salvam, & quinquaginta insuper aureorum incrementum. Hac explicatione præmissa, responsio hoc modo

Probatur 1. Hic contractu ex omnium confessione continet *generale* periculum peccati mortalis, nempe usuræ, eo quod conditiones ad ejus speculativam licentiam requisitæ vix unquam in praxi exacte observandæ fore prudenter sperari possint. Sed ejusmodi actus humani, qui continent generale periculum peccati mortalis, sunt jure naturæ prohibiti: m. prob. etiam ex natura rei. Ad justitiam enim hujus contractus speculativam requiritur, ut habeatur justitia emptionis, justitia assecurationis, & justitia cessionis lucri majoris pro minori; Atqui hæ tres justitiæ in praxi haberi non possunt sine exacto computu, & sine susceptione aliquali periculorum ex eventibus fortuitis. Nam justitia emptionis non habetur, nisi in emptorem transferatur periculum rei emptæ, nempe census usufructuarii; justitia assecurationis non habetur nisi in assecurato relinquat damnum certum ipsius pretii assecurationis, seu partis aliquotæ ex summa assecurata; & justitia cessionis majoris lucri sperati pro minori lucro importat certum damnum alicujus juris seu actionis utilis, pretio æstimabilis. Hæc omnia exigunt exactum computum, quo instituto vix ullus volet inire hunc contractum plerumque inutilem. At vero in praxi neglecto computu in contractu trino damnum certum subitur nullum, & lucrum comparatur certum.

Probatur 2. authoritate SS. D. N. Benedicti XIV. qui l. cc. hæc subjungit: „ Ad usum (hujus contractus trini) „ quod attinet, Episcopus tuto poterit „ contractum trinum, quem etiam ejusdem Patroni periculosum fatentur, pro „ viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari, quod a „ plerisque Episcopis in suis Diœcesanis „ Synodis sapientissime factum referunt „ Genettus tom. 1. & Natalis Alexander „ Ep. 94. in Append. ad suam Th. Mor.

§. XIX.

De Negotiatione & Ludo.

QUæritur 1. Quid sit Negotiatio?

Respondeo. Negotiatio est contractus, quo res emitur ea intentione, ut eadem sine mutatione in melius vendatur carius.

Quæritur. 2. An Negotiatio sit licita?

Respondeo, *Affirmative*.

Probatur argumento S. Thomæ, qui 2. 2. q. 77. a. 4. C. ait: *Negotiatio secundum se considerata quandam turpitudinem habet; inquantum non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium: lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importat aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium: unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum: & sic negotiatio licita redderetur*. Idem constat ex Prov. 31. If. 25. Item S. Augustinus in Ps. 70. conc. 1. ait: *Negotiator avidus aquirendi pro damno blasphemat, pro pretiis rerum mentitur & pejerat; sed hæc vitia hominis non sunt artis* (negotiationis) *quæ sine his vitiis agi potest*.

Quæritur. 3. An Negotiatio sit licita etiam Clericis & Religiosis?

Respondeo Negative.

Probatur 1. ex 2. Tim. 2. v. 4. ubi dicitur: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (vel ut alii vertunt, *vitæ negotiis*, per quod interpretes intelligunt *negotiationem*) *ut ei placeat, cui se probavit*; ergo.

Probatur 2. Clerici debent abstinere ab omni eo, quod difficulter vacat periculo peccati; sed talis est negotiatio; ergo. *Min. patet* ex Ecclesiastico 26. v. 28. *Difficile exuitur negotians a negligentia* (seu ut interpretes explicant) *a peccato*. *Maj. prob.* Clericus sicut tenetur ad majorem gradum perfectionis, ita tenetur etiam ad majorem fugam peccati, ubi id fieri potest sine gravioribus incommodis sui status; ergo.

Probatur 3. authorit. Patrum 1. S. Hieronymus Canon. *Negotiationem* 9. Dist. 88. *Negotiatorem Clericum quasi quandam pestem fuge*. 2. S. Augustinus Can. *fornicari* 10. ibid. *Antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari; facto jam non licet*. 3. S. Gelasius Can. 2. ibid. *A quæstibus noverint Clerici abstineudum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio vel cupiditate cessandum*. 4. Alexander III. cap. *Secundum* 6. *Ne Clerici vel Monachi &c. ait: Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici* (alias Canonici) *causa lucri negotientur*.

Ex dictis sequitur, Clericis & Religiosis non esse prohibitas negotiationes late & improprie dictas, v. g. 1. Si ipsa res, quæ venditur, non fuerit empta. 2. Si res non ematur ut vendatur. 3. Si vendatur mutata. 4. Si non vendatur carius, seu lucri causa. Ratio est, quia tales emptiones aut venditiones non sunt *proprie dictæ* negotiationes. Hinc sequitur 1. vendi posse a Clericis, quæ aquirunt per successionem ab intestato, per donationem &c. item quæ nascuntur ex eorum animalibus, fundis &c. & ita declaratum est a S. Congregatione referente *Barbosa*. 2. sequitur, non esse negotiationem, si Clerici vendunt, quæ sua industria vel arte elaborant juxta exemplum D. Pauli Act. 20. v. 34. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*.

Hoc tamen non obstante decet a Clericis & Religiosis vitari eas artes & lucra, quæ populo præbent ansam querelarum.

Probatur 1. *S. Basilius* Reg. 38. dicit: " Artes quasdam oportet statuere,
„ in quibus nos versari convenit, quod
„ aliæ aliis magis sint opportunæ. Eas
„ autem tractare convenit, quæ neque
„ vicinis, neque accolis tumultus afferant aut turbas: quia jam videtur
„ esse contra rectam rationem præbere
„ occasionem tumultibus sine necessita-

„ te

„ te præcise spe lucri, & augendi divitias.

Probatur 2. ex Decreto S. Congreg. Visitationis Apostolicæ, ab *Urbano VIII.* 1639. constitutæ. " Ad tollendos varios „ abusus, qui exercitio quæstuosarum artium in diversis Urbis ejusque districtus Monasteriis irrepserant, dum iidem Religiosi per se, vel a communitatibus aut aliis sæcularibus requisiti diversas mechanicas vel venales artes exercere student, quod omnino ab Ecclesiastica Disciplina alienum esse debet, cum præsertim in grave præjudicium pauperum artificum earumque familiarum hoc cedat. Unde statuit, atque inhibendo mandavit omnibus Superioribus quorumcunque Ordinum in Urbe existentium, & particularibus Religiosis; ne imposterum audeant per se vel alios exercere in suis Conventibus aut in quocunque loco ullam venalem artem, sive aromatariam, pistoriam, lanificium, textrinum, aut aliam quamlibet, præterquam pro suis Religiosorum usibus aut alumnorum. Nec ullo modo sæcularibus aut aliis Religiosis quælibet opificia quomodolibet elaborata vendere absque speciali licentia." Ita Decretum.

Quæritur 4. Quid sit *ludus* in genere?

Respondeo. Est dictum factumve animi relaxandi gratia. Tale *dictum* communius vocatur jocus; *factum* vero simpliciter ludus. Porro in definitione dicitur: *animi relaxandi gratia*; quia ubi opus non est relaxatione, ibi locum non habet ludus, quia alius finis in ludo haberi non potest, nisi earum virium, quæ ad corpus mentemque pertinent, restauratio & conservatio. Cum autem reparatio vel conservatio virium nil aliud sit quam reparatio ejus habitudinis, quam istæ vires habent ad suum finem, clarum est, quod ludus exeat extra naturam suam, nisi potentias seu animi seu corporis disponat ad actiones fini earum congruas.

Quæritur 5. An licitum sit ludere?

Respondeo. Ludus est licitus, si habeat debitas conditiones.

Probatur 1. authoritate & ratione *S. Augustini*, qui l. *de Musica* c. ult. ait: *Sapientis est remittere interdum aciem rebus agendis intentam*; hic autem ipse finis habetur in ludo; ergo. *Probatur* 2. authoritate & ratione *D. Thomæ*, qui 2. 2. q. 168. a. 2. C. ait. " dicendum, quod sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur, ita etiam est ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita, ad determinatas operationes proportionata: & ideo quando ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; præsertim, quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus; inquantum scilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus. - - Et ideo quando anima supra sensibilia elevatur operibus rationis intenta, nascitur exinde quædam fatigatio animalis; sive homo intendat operibus rationis practicæ, sive speculativæ. - - Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per animæ quietem: Quies autem animæ est delectatio. - - Et ideo oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissa intensione ad insistendum studio rationis. - - Hujusmodi autem dicta vel facta in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel jocosa: & ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad quandam animæ quietem: & hoc est quod Philosophus dicit in 4. Ethic. quod in hujus vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur. Et ideo oportet interdum aliquibus talibus uti." Ita D. Thomas, qui ibidem etiam utitur exemplo B. Joannis Evangelistæ, arcum intendi jubentis, ut animi refocillationem discipulis suis tum honestam tum necessariam jocum ac ludum esse ostenderet; cum ludus etiam ad aliquam virtutem, nempe *Eutrapeliam* pertineat.

Quæritur 6. Quid requiratur ut ludus sit licitus?

Respondeo. Requiri sequentia. 1. Ut finis non constituatur in ipsa delectatione, lucro aut aliis ludo adjacentibus, sed omnis illa delectatio habitualiter ordinetur ac re ipsa cooperetur ad relaxationem animi prius descriptam. *Ratio* est; quia idem est finis virium nostrarum ac potentiarum, & ipsius reparationis virium: si ergo potentiæ nostræ a Deo ordinantur ad finem homini congruum, ipsa etiam reparatio virium saltem habitualiter eo ordinari debet. 2. Ut ludus fiat tempore, loco ac circumstantiis debitis, ut v. g. & deceant personam & conditionem status. 3. Ut non fiat nimio affectu aut nimio tempore; quia ut *S. Thomas* l. cc. a. 4. C. observat ex Aristotele 9. Eth. *Parum de delectatione sufficit in cibo*. Et *Tullius* l. 1. de Officiis: " Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum „ & jocum facti esse videamur, sed ad „ severitatem potius & ad quædam studia graviora ipsumque genus jocandi „ non profusum nec immodestum, sed „ ingenuum esse debet. " Has ipsas conditiones D. Thomas l. cc. a. 2. C. sic comprehendit: " Videntur tria esse „ præcipue cavenda: quorum primum „ & principale est, quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus, vel „ nocivis: unde Tullius dicit in 1. de „ Offic. quod unum genus jocandi est „ illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: Aliud autem attendendum „ est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur; unde Ambros. dicit in 1. „ de Offic. Caveamus ne dum relaxare „ animum volumus, solvamus omnem „ harmoniam, quasi concentum quendam bonorum operum: Et Tullius „ dicit in 1. de Offic. quod sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena; sic in ipso joco „ aliquod probi ingenii lumen eluceat. „ Tertio autem attendendum est, sicut „ & in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur; ut scilicet sit & tempore & homine dignus. - - Hujusmodi autem secundum regulam! rationis ordinantur: „ habitus autem secundum rationem „ operans est virtus moralis; & ideo „ circa ludos potest esse aliqua virtus, „ quam Philosophus Eutrapeliam nominat: & dicitur aliquis Eutrapelus a „ bona conversione; quia scilicet bene „ convertit aliqua dicta vel facta in solatium: & inquantum per hanc virtutem homo refrænatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur. " Ita S. Thomas.

Quæritur 7. Utrum liceat ludere exposito moderato pretio?

Respondeo. Per se hoc licere. *Probatur*. Contractus lusorius, quo duo committunt sorti partem aliquam exiguam bonorum fortunæ, animo in alterum transferendi dominium, non repugnat æquitati naturali; quia cuilibet licet moderatam partem bonorum donare alteri; ergo etiam sub conditione sortis: neque datur in hoc contractu per se inæqualitas; quia uterque ponitur habere æqualem spem ad lucrum; ergo.

Quæritur 8. Quandonam in contractu lusorio non transferatur dominium; adeoque detur obligatio ad restitutionem?

Respondeo. Non transferri dominium 1. dum is, qui ludit, non habet potestatem alienandi, veluti sunt Minorennes, prodigi, pupilli, Religiosi, uxores, filiifamilias; quod intelligendum quoad summam transgredientem terminos liberæ administrationis 2. dum quis alium fraudulenter ad ludum induxit, simulans se imperitum 3. dum lucrum in ludo quæsitum est dolo vel fraude. In his tribus casibus obligatio restituendi datur lege naturæ. Ita *S. Thomas* 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. & *S. Antoninus* p. 2. T. 1. c. 23. §. 3. Addunt alii 4. casum, dum quis alium vi aut nimia importunitate nolentem induxit ad ludendum; in hoc enim casu obligationem restituendi agnoscunt *S. Antoninus*.

nus, *S. Raymundus*, *Thomas*, *Sylvester*, *Cajetanus*, *Soto* & *Covarruvias* &c. Quod intelligendum videtur, si importunitas tanta sit, ut in collusore non possit præsumi animus gratuitus donandi, qualis semper intercedit in contractu lusorio sub conditione sortis. 5. Quando leges civiles irritant contractum lusorium, prout irritavit *Ludovicus XIII.* 1611. in Regno Galliæ." Prohibemus, „ *inquit*, cujuscunque conditionis per- „ sonis, ne instituant ganneas in aliqua „ Urbe aut loco nostri regni, neque „ conveniant ad lusum chartarum aut „ taxillorum. Declaramus omnia debi- „ ta lusu contracta esse nulla, similiter „ omnes obligationes & promissiones lu- „ su factas nullas & sine effectu ac li- „ beras ab omni obligatione civili & „ naturali, "

Quæritur 9. Utrum quis teneatur ad restitutionem lucri, si notabiliter excedat alterum in arte ludendi?

Respondeo. Probabilius teneri ad restitutionem. Ita *Haun.* & alii communius. Ratio est; quia in contractibus sortis debet dari æquale periculum damni & lucri, ut patet etiam ex contractu Societatis, ubi emitur sola spes lucri, prout observat *Lugo*. Aliud foret, si lusor sciret alterius peritiam, ac nihilominus vellet ludere; tunc enim præsumeretur in eo animus donandi.

Quæritur 10. Quandonam lusus sit peccatum mortale?

Respondeo 1. Si quis faciat professionem in ludo, ita ut finis sit lucrum. 2. quando frequenter ex habitu totum fere tempus nocturnum vel diurnum diebus festis impenditur ludo. 3. Quando colludit cum iis, qui proni sunt ad blasphemias. 4. Cum ejusmodi ludo exponit magnam pecuniæ summam, ita ut in periculum conjiciat notabilis damni res familiares. Ita S. Antonin. Et quidem *quoad* 1. l. cc. §. 2. ait: „ Ludus aleæ (puta habitus ludendi) est pec- „ catum mortale secundum Raymun- „ dum, quod credo verum, quando ex „ cupiditate quis ludit scilicet principa- „ liter motus ad aquirendum aliquid *no-* „ *tabile* per ludum, hoc autem intelli- „ gendum de iis, qui se tanquam pro- „ fessioni alicui addicunt arti lusoriæ." Dein *quoad* 2. sic §. 6. ait: „ Lusores „ negligentes festa servare majus pecca- „ tum committere, quam si terram co- „ lerent: " quod etiam intelligendum, si frequentius id fiat; uno enim vel altero actu non videtur adeo præjudicari intentioni Ecclesiæ in observatione festorum. *Quoad* 3. & 4. per se patet; quia nemo potest præbere occasionem gravium peccatorum, nec se exponere periculo graviter damnificandi familiam, exponendo *notabilem* summam præcise sorti.

Quæritur 11. Utrum peccent graviter, qui hujusmodi ludis prohibitis aut lusoribus paratam habent domum?

Respondeo. Eos peccare graviter. Ita S. *Bernardinus*, qui Serm. 33. ait: „ Dans domum, ut intus ludatur (vi- „ delicet præfato ludorum genere) fit „ particeps tot peccatorum, quot ibi „ fiunt. Dans tabulam & taxillos to- „ ties peccat mortaliter, quoties præ- „ stat. Nullus Confessor poterit eum „ absolvere; donec removerit domum „ a tali pessimo usu ludendi. Impossi- „ bile est ipsum salvari, nisi relinquat „ illas suas artes maledictas. " S. Carolus in instruct. c. 5. ait: „ Ne eos „ absolvant, qui cum peccatis mortali- „ bus simul etiam eorum occasiones vi- „ tare plane non proponunt, ut sunt „ qui domum tenent in hunc finem „ aliis paratam, ut tabellis vel aleis lu- „ dant. " Quod intelligendum de iis, qui admittunt indiscriminatim omnes lusores etiam blasphemos & exponentes quamcunque summam, & in quibusvis circumstantiis lege naturali vel positiva prohibitis.

TRACTATUS VII.

§. I.

De obligatione Religiosorum.

QUæritur 1. Quid sit Religiosus?

Respondeo. Religiosus dicitur, qui per tria vota, castitatis, paupertatis, & obedientiæ in societate homi-

num ad purum Dei cultum per Ecclesiam ordinata se in perpetuum consecrat Deo.

Dixi 1. *per tria vota*, quæ sive sint *simplicia*, sive *solennia*, sive sint emissa *explicite*, sive *tacite* per ipsam susceptionem *status profitentis* eam, sui perpetuam consecrationem, ad substantiam Religiosi Status sufficiunt.

Dixi 2. *Castitatis*, quæ sive sit virginalis, vidualis, vel etiam conjugalis, ad substantiam Religiosi status in genere sufficit.

Dixi 3. *paupertatis*, puta Evangelicæ, quæ præter honestum suo statui congruentem victum & vestitum ex omnibus suis bonis nil in suum præcise commodum retinet. Cum autem sint varii gradus hujus paupertatis, nempe 1. abrenuntiatio omnium bonorum tam quoad dominium, quam usum; 2. abrenuntiatio omnium bonorum quoad usum liberum, non quoad dominium disponendi in aliorum commodum; 3. abrenuntiatio omnium bonorum ad necessariam sui sustentationem superfluorum, retento tamen necessariorum dominio & usu; 4. abrenuntiatio omnium bonorum ad honestam sui sustentationem superfluorum, retento tamen necessariorum usu, quilibet horum graduum ad substantiam Religionis in genere sufficit.

Dixi 4. *Obedientiæ*, quæ iterum potest esse *indefinita* ad omnia genera actuum humanorum, tam internorum, quam externorum, vel solum *definita* relate ad actus externos, & in hoc ipso genere actuum externorum potest esse *restricta* solum ad eos actus, qui præscribuntur per regulam, vel consuetudinem in certo genere vivendi. Quilibet gradus seu modus ejusmodi obedientiæ sufficit ad substantiam Religionis in genere.

Dixi 5. *In societate per Ecclesiam ordinata*, &c. puta per legem, vel regulam, vel consuetudinem Ecclesiæ. Neque enim ad substantiam Religionis in genere pertinet, ut ejus membra vivant in eadem communitate, in eadem domo, & mensa.

Dixi 6. *In perpetuum*, saltem ex præparatione animi, nisi aliud major Dei gloria, bonum publicum Ecclesiæ & Reipublicæ, manifeste judicio Superiorum Ecclesiasticorum petierit.

Quæritur 2. Quænam moderno tempore requirantur ex præcepto Ecclesiæ ad validam professionem Status Religiosi?

Respondeo. Ad validam professionem Status Religiosi ex præcepto Ecclesiastico Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. nec non circa illa tempora a Summis Pontificibus aliis requiri cœperunt sequentia. 1. ut professio emittatur in Religione approbata. 2. ut emittatur sub determinata aliqua Regula scripta. 3. ut emittatur per vota solennia, hoc est, per vota indispensabilia sine authoritate Papæ, & in ordine ad hunc effectum acceptata ab Ecclesia, a quo tamen requisito Gregorius XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, quoad solennitatem Votorum Societatem Jesu exemit. Concilium Tridentinum mediante Sæculo decimo sexto etiam ad validam professionem requirit abdicationem omnis Dominii, quod anterioribus temporibus absque libero usu in commodum proprium passim retinebant Canonici Regulares, prout videri potest in meo libro Venetiis apud Recurti edito sub Titulo: *Vetus Disciplina Canonicorum Regularium & Sæcularium*.

Quæritur 3. Quotuplex sit ordo Religiosus?

Respondeo. Ordo Religiosus dividitur a Summis Pontificibus & Conciliis in *Clericales*, & *Monachales*. Ante Sæculum duodecimum erat tantum unus Ordo Clericalis, qui dicebatur *Ordo Canonicus*, seu *Ordo Canonicorum*, in communi videlicet viventium, quamvis nec habuerint aliam Regulam, præter Canones Conciliorum, & cuivis eorum licuerit retinere dominium bonorum, quale etiamnum retinent Scholastici Societatis Jesu. Cum autem ex ea licentia retinendi dominium consequeretur, in iisdem communitatibus quosdam retinere, alios abdicare Dominium; visum est Sæculo undecimo & duodecimo plerisque Canonicis, melius fore, si dissolveretur ea in communi vivendi societas, ita ut

qui

qui more primitivæ Ecclesiæ, atque ad imitationem S. Augustini abdicassent dominium, pergerent in communi vivere in Collegiis, alii vero, qui retinuerant dominium bonorum, viverent in domibus separatis. Ex ea divisione ortum est, quod viventes in domibus separatis vocarentur *Canonici Sæculares*, retinentes vero communem vitam vocarentur *Canonici Regulares*, non quod per eam novam denominationem invectus sit novus Ordo, sed quod per eam denotaretur distinctio inter abdicantes & retinentes dominium, qui prius, quamdiu in iisdem communitatibus vixerant, communi nomine *Canonici* vocabantur. Neque etiam in iis, qui abdicaverant dominium, serius subsecuta adoptio Regulæ Augustinianæ mutabat statum; cum ea Regula priori vitæ talium Canonicorum nihil addiderit novæ obligationis, sed tantum explicitam professionem ejus vitæ, quam a primis Ecclesiæ temporibus, usu tantum & consuetudine sine forma vivendi scripta sub directione suorum Episcoporum tenuerant. Memoratu dignum est, quod ipsemet *Mabillonius*, qui prius scripserat, Canonicos Regulares primum Sæculo undecimo & duodemo exortos esse, repertis documentis indubiis publice retractaverit suam sententiam. In Actis Sanctorum Bollandianis ad diem nonam Septembris in vita *S. Petri Piperacensis* commentarii prævii §. V. num. 37. 38. 39. 40. 41. *Joannes Limpenus S. J.* sic scribit: *Canonicos Regulares anno circiter* 1060. *propagatos fuisse dico, non natos. Thomassinus in Concilii Romani, anno* 1059. *habiti, Canone quarto, non detexit fontem, e quo Sacer ille ordo originem traxit, sed e quo incrementum cepit. Ipse Thomassinus in suis principiis admittere debuisset, illum diu ante memorati Concilii celebrationem extitisse, si ejusdem Acta legisset, quæ Mabillonius anno vitæ supremo, Christi* 1707. *ex pervetusto Codice Romano Ottoboniano primus in lucem publicam protulit Tomo IV. Annalium Benedictinorum a pag.* 748. (in Editione Veneta pag. 686.) *Multi quidem Scriptores contra Thomassinum affirmant, Canonicos Regulares antiquiores esse Concilio Romano anni* 1059. *at simul, contendunt, illos Sæculo XI. primum exortos esse, nec ullam religiosam eorum familiam agnoscunt, quæ præcesserit Avenionensem S. Rufi, viginti circiter annis ante istud Concilium erectam. Sed hujus Acta illorum etiam sententiam adeo infirmant, ut imprudenter me agere existimarem, si eam amplecterer.* Et num. 39. *Nunc ex laudatis Concilii Romani anno* 1059. *habiti Actis ea accipe, quæ Canonicos Regulares Augustinianos, licet sub hoc nomine, de quo litigandum non est, ante idem Concilium non innotuerint, re tamen ipsa multo antiquiores esse evincunt.* „ Anno 1059. in Basilica Palatii Lateranensis Hildebrandus Archidiaconi authoritate functus ait: Nonnulli ex Clericali Ordine jam dudum in hac Romana Urbe, & in Provinciis atque Parochiis eidem specialius pertinentibus seu cohærentibus, noscuntur communem vitam primitivæ Ecclesiæ amplexi simul & professi in tantum, quod nihil sibi reservassent proprii, facultate sua vel distributa egenis, aut relicta propinquis, vel certe oblata Christi Ecclesiis. Quos sicut amor perfectionis conjunxit, sic abundantia iniquitatis paulatim disiungere quærit, ut post se recedant, & semel arrepti propositi Apostatæ fiant, dum sint in eis quos incauta adolescentia, aut suspecta senectus revocat ad præsumptionem peculiaritatis, quam suo vel parentum suorum voto reliquerant. Simul placeat Sanctitati Vestræ, ut recitetur professio illa, qua usque nunc in Romana Urbe Clerici instar primitivæ Ecclesiæ communiter victuri seipsos obligare sunt soliti. " *Hanc Professionem Mabillonius Tomo IV. Annalium Benedictinorum pag.* 587. (in Edit. Ven. pag. 538.) *ex eodem Codice Ottoboniano producit his verbis conceptam.* „ Sicut regulariter sancitum tenetur, ego ill. trado atque offero meipsum Catholicæ Ecclesiæ ill. vel sanctæ ill. & Domno ill. Præposito secundum Regulam Canonicam fideliter serviturum, palla altaris manibus involutis cum oblatione, mearumque rerum portionem ad

„ usum

„ usum & sumptum fratrum Canonicorum, isthic pro tempore instar primitivæ Ecclesiæ Deo deservientium, ita ut ab hac die non liceat mihi collum excutere de sub jugo regulæ, sed magis eandem regulam secundum instituta Sanctorum Patrum servare, & Domino cum cæteris grato animo militare. Et ut hæc promissio firma permaneat, manu mea firmavi & testibus roboravi. “ Verum de Instituto Canonicorum Regularium hæc pauca sufficiant ad corrigendum eorum præjudicium, qui existimant, ante Sæculum undecimum nullum extitisse *Ordinem Clericalem* reipsa quoad substantiam *Religiosum*. Plura de hac re videri possunt in meo Opere Venetiis apud Recurti edito sub titulo: *Vetus Disciplina Canonicorum Regularium & Sæcularium*.

Quæritur 4. Quotuplex sit Ordo Clericalis?

Respondeo. Ordo Clericalis dividitur in tot species, quot reperiuntur fines, quos quælibet Clericalis Societas sibi primario præstituit in genere functionum mere Clericalium. Sic Canonici Regulares a primis temporibus pro fine primario semper habuerunt decentem cultum in Altaris Sacrificio, regimen animarum in subiectis parochiis, & institutionem juniorum Clericorum, prout etiam *D. Giovanni* ante aliquot annos Regens Seminarii Panormitani, dein autem Canonicus Cathedralis Panormi, in suo erudito libro, *De Seminariis* observat. Idem Institutum, sub arctiori tamen rigore sectati sunt Canonici Regulares D. Norberti, dicti Præmonstratenses. Patres Dominicani, a D. Dominico, Canonico Regulari, exorti, qui & ipsi teste Gravesonio sunt Canonici Regulares, pro suo primario fine sumpserunt prædicationem, & explicationem Verbi divini. Patres Societatis Jesu ad hunc finem Prædicationis & Instructionis addiderunt alios duos fines, nempe Institutionem teneræ juventutis in Scholis publicis, & munus Missionum. Similes proprii fines primarii in aliis Ordinibus Clericalibus habentur,

Quæritur 5. Quotuplex est Ordo Monachalis?

Respondeo. Est duplex. Datur enim ordo Monachalis *pure laicalis*, eorum videlicet, qui quoad corpus communitatis, majori sua parte spectatum, nec habent nec tendunt ad Clericatum. Tales erant Monachi veteres in Eremis. In hanc Classem revocari possent ii Religiosi, qui ministrant Infirmis, & positive vi suorum Statutorum prohibentur habere plures Sacerdotes, nisi unum ac alterum. Alius est Ordo *monachalis mixtus*, eorum videlicet, qui licet quoad ipsum corpus ordinis majori ac præcipua sua parte spectatum non sint *essentialiter* Clerici, non tamen habent statum repugnantem statui Clericali, sed ex primæva sua Institutione potius ordinantur ad quasdam functiones connaturales ac proprias Clericis, puta, ad bonam institutionem juventutis, ad celebrandas publice laudes Dei, ad studium rerum Sacrarum, &c. sicque indirecte etiam ipsi ordinantur ad Clericatum. Tales erant Monachi instituti a D. Basilio, Monachi directi & per Africam extensi a D. Augustino, & imprimis Monachi instituti a D. Benedicto, qui sicut ipse teste *D. Gregorio* in sua juventute a quodam rurali Collegio Clericorum, quos postmodum vulgo Canonicos etiam in Occidente nominare cœperunt, institutionem accepit, ita suis Religiosis consimilem curam bene educandæ & instituendæ juventutis commendavit.

Quæritur 6. Quid notandum circa votum ingrediendi Religiosum Ordinem?

Respondeo. Circa hoc votum notari merentur sequentia, 1. Non est suadendum pueris. *Ratio* est, quia pueri plerumque non sufficienter apprehendunt obligationes essentiales & primarias hujus objecti, quod vovent. 2. Tale votum a pueris emissum in casu dubii de sufficientia maturæ deliberationis & agnitionis circa substantiales vel alias arduas obligationes Ordinis, ut etiam adultum possent absterrere a susceptione Status, possunt & debent a Confessario privilegiato in aliud opus pium mutari. 3. Liberi non obligantur voto suorum parentum, eos devoventium Religioni. Si tamen Deus ob illud votum contulisset

mani-

manifeste ingens beneficium sibi vel parenti, deberent colligere, hoc votum fuisse acceptum Deo, seque vocari ad Religionem, cui divinæ vocationi & adhortationi parentum vix posset resisti sine peccato. 4. Votum non ingrediendi ullum religiosum Ordinem est nullum, nisi in casu, quo eligeretur status *hic & nunc in casu particulari* conducibilior ad promovendam majorem gloriam Dei, plurium salutem, & utilitatem Ecclesiæ. *Ratio* est, quia votum debet esse de meliori bono. 5. Votum ingrediendi Religionem est reservatum Papæ, ita ut a nullo alio possit dispensari. Potest tamen ab eo dispensare Episcopus, quando intervenit dubium de ejus valore, vel quando dubium est, an comprehendatur sub reservatione ob adjunctas conditiones vel clausulas. 6. Talia vota dubii valoris, vel dubiæ comprehensionis sub reservatione sunt sequentia. *Voveo ingredi Religionem, nisi Deus aliud de me disponat*, postmodum autem dubitetur, an relate ad intentionem voventis Deus aliud disposuerit. *Voveo mori in Religione*, postmodum autem dubitetur, an vovens solum intenderit in sera ætate vel senio ingredi Religionem. *Voveo ingredi Religionem, si potuero*, postmodum autem dubitetur, an vovens respexerit *ad hunc* potius quam *alium* obicem? *Voveo, me ingressurum hanc religionem, si aliquam ingrediar*, postmodum autem dubitetur, an hæc Religio sit de meliori bono comparative ad capacitatem & dispositionem voventis. *Voveo, nullam personam mihi fore impedimento, quo minus ingrediar Religionem*, postmodum autem dubitetur, an hoc votum emissum fuerit ex suppositione anterioris voti ingrediendi? an vero solum intendat contemnere rationes dehortantium?

Quæritur 7. Ad quid obliget votum ingrediendi Religionem quando defertur ad varias circumstantias non prævisas? aut non ponderatas?

Respondeo. Quandocunque votum ingrediendi Religionem defertur ad circumstantias non prævisas, aut non ponderatas, quæ merito potuissent retrahere a voto ingrediendi, poterit & debebit dispensari ab Episcopo, vel commutari a Confessario privilegiato. Tales Casus sunt. 1. Si quis vovit ingredi Religionem vel monasterium, ubi postmodum advertit, disciplinam notabiliter esse relaxatam, vel notabiliter majus periculum ibi creari suæ animæ, quam crediderat. 2. Si quis vovit ingredi Religionem, & in nulla suis viribus proportionata recipiatur, nisi in valde relaxata quoad substantialia vel præcipua: 3. Si quis vovit ingredi Ordinem non cogitando de Ordine Militari, dein vero non reperit alium Ordinem, in quo possit sperare receptionem vel perseverantiam. 4. Si quis vovit ingredi Ordinem strictiorem, dein frangendo votum ingrediatur Novitiatum in Ordine notabiliter minus stricto, dubitet autem, an dimisso Novitiatu reperturus sit receptores in alio Ordine, aut num receptionem alibi sperare possit sine gravi perturbatione sui vel aliorum? 5. Si quis vovit ingredi Ordinem, & postea experiatur se in nullo recipiendum nisi in arctissimo. 6. Si quis vovens ingredi Ordinem jam per aliquot annos in tribus vel quatuor Ordinibus pulsarit fores, nec appareat spes, nisi valde tenuis, secuturæ receptionis. 7. Si quis vovit ingredi Ordinem, & illi præter expectationem ponitur valde ardua conditio pro receptione, v. g. ut laicus addiscat linguam latinam; vel si aspirans in statum Clericorum solum reciperetur in gradum laicorum seu Conversorum? Econtra si novæ circumstantiæ non possunt virum prudentem absterrere a Religione, non est locus dispensationi vel commutationi voti. Talis circumstantia foret, si spurius noviter discat, quod spurii in Ordine non possint ascendere ad dignitates sine dispensatione.

Quæritur 8. Quo tempore debeat impleri votum ingrediendi Religionem?

Respondeo. Debet impleri, quamprimum commode potest impleri. Dicitur enim Ecclesiastis. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*. Licebit tamen ingressum in Religionem tamdiu differre, quamdiu dilatio videtur esse expra-

ptabilior Deo, & conducibilior ad Dei gloriam, salutem animarum, vel bonum Ecclesiæ, v.g. si a vovente exigatur, ut ante ingressum absolvat studia.

Quæritur 9. An vovens ingredi Religionem satisfaciat voto, si egrediatur ex Novitiatu?

Respondeo. Si taliter vovens ingrediatur Religionem animo iterum discedendi sine rationabili causa, vel si egrediatur sine rationabili causa, hoc est, tali, quæ sufficiat ad prudentem mutationem ejusmodi status, non satisfacit voto, sed peccat mortaliter. *Ratio* est, quia ut habetur Ecclesiastis 5. *Displicet Deo infidelis & stulta promissio*. Stulta autem foret promissio, qua promitteretur Deo ingressus cum proposito vel libertate egressus indefinita.

Quæritur 10. Quænam possit esse rationabilis causa licite egrediendi ex Novitiatu?

Respondeo. Inter causas exeundi ex Novitiatu nullo præcedente voto suscipiendi statum religionis poni solent sequentes. 1. gravis necessitas patris, matris, fratris, vel sororis, cui aliter succurri non possit. 2. morbus, vel periculum morbi, ex quo sibi & Religioni timetur fore onerosus. 3. Si Novitius ex iis exemplis, mediis, & modo regiminis vel Disciplinæ, quæ observat, se credit in spiritualibus adeo parum profecturum, ut credat, se melius servitutum Deo, & magis suæ saluti prospecturum in mundo quam in Ordine. 4. Si Novitius considerata sua dispositione naturali melancholica, vel prava contracta habitudine peccandi, quam nec in Novitiatu deposuit, timet, sibi vel religioni, non obstantibus bonis propositis vel remediis, grave oriri posse nocumentum. Si vero præcessit votum assumendi statum religiosum, nulla datur alia causa licite exeundi in Novitiatu, nisi hæc generalis; quod Novitius experimento agnoscat, professionem sibi fore occasionem ruinæ spiritualis, & non majus bonum, idque absque sua gravi culpa. Aliqui ex D.Thoma tradunt hanc regulam. Quidquid impedit votum emittendum, etiam solvit obligationem voti jam emissi. *Dicitur impedit*, hoc est quod facit, ut aut licite aut prudenter non emitteretur. Hæc tamen Regula non procedit circa vota solennia, quæ, cum fuerint acceptata, seu ulteriori dispositioni Summorum Pontificum causa boni communis subjecta ab Ecclesia, intuitu boni privati personalis solvi non possunt.

Quæritur 11. Utrum in Novitio habente votum assumendi statum religiosum, si ob causam rationalem transitoriam, v. g. ob morbum, vel indigentiam parentum, egediatur, obligatio voti suspendatur vel extinguatur?

Respondeo. Si motivum exeundi tamdiu aut eo modo durat, ut vovens eo prævisio verosimiliter se non obligasset ad assumendum vel reassumendum statum religiosum, censendum est, obligationem voti esse extinctam; secus vero censendum est, eam solum esse suspensam, ita ut cessante impedimento redire teneatur ad Religionem, si denuo recipiatur. In dubio vero, locus est dispensationi per Episcopum, vel commutationi per Confessarium privilegiatum. *Ratio* est, quia in voto primus obligans est ipse vovens, a cujus intentione modus totus obligationis, adeoque etiam durationis, metiendus est.

Quæritur 12. An valida sint sponsalia, & licita in eo, qui ligatur voto ingrediendi Religionem?

Respondeo 1. votum ingrediendi Religionem antecedens sponsalia reddit ea illicita & invalida. *Ratio* est, quia non licet facere promissionem rei jam obligatæ tertio. 2. Si votum ingrediendi Religionem subsequatur sponsalia juxta communem authorum dissolvuntur sponsalia. *Ratio* est, quia licet Deus non acceptet promissionem rei jam *absolute* promissæ vel obligatæ tertio, censendum tamen est, contractum sponsalitium esse contractum bonæ fidei ac *tacite* conditionatum, nisi pro salute animæ meæ statum *eminenter* & *manifeste* salubriorem elegero. Hinc si in casu particulari ob varias circumstantias status religiosus respective ad talem personam non videretur *eminenter* & manifeste salubrior,

cen-

censerem, votum non acceptari a Deo, & in dubio de acceptatione divina esse locum dispensationi per Episcopum, vel commutationi per Confessarium Privilegiatum. 3. obligatio sponsalitia ex parte voventis ingressum in Religionem manet tantum *suspensa*, donec egrediatur vel ejiciatur, ex parte vero compartis manet *extincta*, si vult alteri nubere. *Ratio* est, quia vovens tacite renunciavit suo juri. 4. Si quis post votum ingrediendi Religionem defloravit virginem ignaram voti sub spe vel promissione matrimonii, tenetur quidem resarcire damnum decepto modo meliori, quo potest, non tamen tenetur petere dispensationem a voto. *Ratio* est, quia Deus non tenetur cedere jure suo ob ejusmodi contractum turpem supervenientem, per se jure naturali invalidum, ut suppono ex *Tract. de Just.*

Quæritur 13. Quid agendum, si ligatus voto ingrediendi religionem jam contraxit, vel proximo die contracturus est matrimonium?

Respondeo 1. Si jam contraxit matrimonium in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus, interrogandus est, an contraxerit *absolute* sine animo ingrediendi religionem, vel per bimestre super hanc rem deliberandi; an vero contraxerit solum *conditionate*, *nisi intra duos menses statum religiosum elegero*. Si contraxit *absolute* sine animo deliberativo ingrediendi religionem, peccavit quidem mortaliter, utpote frangendo suum votum; non tamen ipsi amplius licet ingredi religionem relicta conjuge.

Ratio est, qui, si absolute contraxit, jam actu suscepit Sacramentum Matrimonii. Sacramentum autem matrimonii ob significationem indissolubilis unionis Christi cum Ecclesia est jure divino indissolubile, ita ut ne quidem Papa in hoc dispensare possit.

Neque obstat, quod communis hoc tempore opinio Doctorum teneat, matrimonium ratum, quamtumvis in facie Ecclesiæ contractum, authoritate Papæ dissolvi posse. Hæc enim doctrina solum admittenda est circa matrimonia rata conditionate inita, sub ea videlicet conditione alterius conjugum, *nisi intra duos menses statum religiosum elegero*; non vero circa matrimonia talia, quæ in faciæ Ecclesiæ *absolute* sine animo deliberativo ingrediendi religionem contracta fuerunt. Ita recte docet *Palaus* cum *Angelo*, *Coninch*, & *Hurtado*, proxime referendus. Si autem sic ligatus voto contraxit in facie Ecclesiæ solum conditionate, videlicet sub hac conditione, *nisi intra duos menses statum religiosum elegero*, tenetur quidem intra bimestre abstinere a petendo & reddendo conjugali debito, & tale matrimonium per ingressum in religionem, vel per dispensationem Papæ erit dissolubile, cum nondum ante purificationem conditionis habeat rationem actualis Sacramenti; peccavit tamen sic contrahens mortaliter ex duplici capite. Nam imprimis, cum valde probabile sit, illa vel æquivalentia verba Parochi, tanquam Ministri: *Ego vos conjungo* &c. pertinere ad formam Sacramenti, eaque significet effectum Sacramentalem de præsenti, sic conditionate contrahens sub conditione de futuro exponit Sacramentum periculo nullitatis. Præterea decipit conjugem & Parochum in re gravissimi momenti cum certo effectu maximarum perturbationum. Si enim compars scivisset eam intentionem conditionatam contrahentis, certo nec voluisset nec licite potuisset contrahere in facie Ecclesiæ. Et si Parochus eam mentem conditionatam contrahentis scivisset; non potuisset uti forma absoluta: *Ego vos conjungo nomine Dei*, *vestrumque matrimonium confirmo*, *ratumque habeo* &c.

Respondeo 2. Si ligatus ejusmodi voto nondum contraxit, sed primum altero die contracturus est matrimonium, idque sine gravissimo scandalo, aut præjudicio aut perturbationum periculo differri nequeat, petenda est dispensatio ab Episcopo, qui circa ejusmodi casus extraordinarios, in quibus Papa adiri nequit, potest dispensare *ex licentia* seu delegatione *Papæ præsumpta*. Quod si etiam Episcopus adiri nequeat, prout in vastissimis Diœcesibus facile contingit; poterit ad effectum absolute contra-

tra-

trahendi & reddendi debitum dispensare a voto quilibet Confessarius *ex licentia* seu delegatione *Episcopi præsumpta* Vide infra dicenda §. 2. q. 5. Sic & P. *La-Croix* libro tertio parte prima numero quingentesimo sexagesimo tertio scribit. *Crousius* (de la Crux) *Leander Alvisetus*, *& alii apud Moyam* (t. 2. D. 1. q. 1. n. 17.) *addunt mendicantes semper posse per sua privilegia dispensare*, *uti Episcopus*, *quando est casus talis urgentis necessitatis*. Contradicunt quidem authores merito huic generali privilegio quando adiri potest Episcopus, etiam tempore Jubilæi; sed quando Episcopus adiri nequit tam celeriter sine gravissimo scandalo aut præjudicio, plane assentior, *ex præsumpta actuali generali delegatione Episcopi*, vel Papæ in ejusmodi votis vel etiam impedimentis ex delicto occulto, imprimis a Parocho, & Confessario privilegiato, & in ejus defectu a quovis Confessario, quantum necessitas petit, dispensari posse. *Ratio* mea est, quia in legibus Ecclesiæ & reservationibus Summorum Pontificum nil reperitur irrationabile. Esset autem irrationabile, si reservationes & leges Ecclesiæ se extenderent ad casus necessitatis moraliter inobservabiles in quibus non possunt alio medio vitari gravissima scandala, damna, perturbationes, & pericula animarum. Quod Episcopi multa possint *ex præsumpta licentia Papæ*, vide *La Croix* l. 3. p. 1. n. 563. & l. 6. p. 3. n. 840. & 845.

Ceterum, quod matrimonium in facie Ecclesiæ *absolute* contractum nec a Papa dissolvi possit, & quod illud privilegium bimestre non sit concessum iis conjugatis, qui de ingredienda religione propositum non habent, docet *Palaus* Tomo, seu Parte quinta, Tractatu vigesimo octavo, Disputatione tertia puncto secundo, paragrapho quinto, numero septimo cum *Angelo de Clavasio*, *Coninch*, & *Gaspero Hurtado*. Videtur etiam, Summos Pontifices dissolubilitatem tantum tribuere matrimonio rato, nondum contracto in facie Ecclesiæ. Sic enim si inspiciantur Epistolæ Alexandri III. ex quibus hoc privilegium in c. *ex debito*, & in. c. *commissum* desumptum est, videtur loqui tantum de matrimonio *rato clandestino*, cum in aliis Epistolis quæ videri possunt in Collectione Conciliorum Veneta *Coleti*, & in Appendice Corporis Juris Canonici in editione *Boehmeri*, in quibus agit de matrimonio rato *contracto in facie Ecclesiæ coram Sacerdote*, hos terminos non frustra addat & exprimat. Hinc ubi iteratis vicibus ad eum devolvebatur instantia pro dispensatione ad contrahendum cum alio matrimonium post contractum matrimonium ratum, hoc est, factum cum traductione sponsæ in domum, & cum pactione, assignatione, vel traditione bonorum reciproca, denegat constanter hanc dispensationem, *Si matrimonium ratum fuerit contractum in facie Ecclesiæ coram Sacerdote*, per quod dat locum excusandi *Antecessores aliquos*, quos testatur dispensasse in *matrimonio rato* ad contrahendum aliud matrimoniom. Relinquit enim locum conjiciendi, quod illi tantum dispensaverint in matrimonio *rato clandestino*. Hæc poterat esse causa, cur etiam *Tridentinum* Sess. 24. Can. 6. non addiderit eos terminos *contractum in facie Ecclesiæ*. Hinc etiam *Palavicinus* in Historia Concilii *libro vigesimo tertio Capite nono*, *numero septimo* observat, Canonem illum Tridentinum, cui se Cardinalis Lotheringus, attamen cum submissione ad judicium Papæ, opposuerat, verum esse, sive Matrimonium sit Sacramentum ante consummationem, sive non; ex quo colligitur, Tridentinum aut hunc Canonem solum edidisse per modum Decreti, in quo genere eodem Palavicino libro vigesimo secundo, Capite quarto, numero secundo, attestante Concilium sequebatur tantum *pluralitatem votorum*, aut si eum edidit per modum Dogmatis, in quo genere non *consueverat* aliquid *statuere ubi complures dissentirent*, saltem ejus mentem non fuisse, Sacramentum Matrimonii, ad quod requiritur significatio completa actualis symbolica unionis indissolubilis inter Christum & Ecclesiam, ullo in casu dissolvi posse etiam per ingressum in Ordinem.

Quæritur 14. Quid agendum, si ligatus

tus voto ingrediendi Religionem vult acceptare vel actu suscepit Episcopatum?

Respondeo 1. Ligatus voto ingrediendi Religionem, si moraliter certus est, sibi nec deesse animum, nec scientiam, nec vires, æque utiliter administrandi Episcopatum, ac eos, qui sunt eligibiles aut postulabiles, non opus habet dispensatione ad suscipiendum Episcopatum. Si vero de ea sui animi constantia, scientia, aut viribus comparative paribus dubitat, opus habet dispensatione. Qui si videat alios candidatos manifeste esse digniores se, nec dispensatio coram Deo ipsum excusat ab impletione voti, nisi credat, se extra Ordinem plus boni præstiturum pro gloria Dei, bono Ecclesiæ, & augmento sui meriti. In hoc enim casu cum materia voti saltem dubie desinat esse de meliori bono, locus est commutationi voti per Confessarium privilegiatum.

Ratio horum est, quia hæc omnia conformiora sunt tam intentioni rationabili voventis per ordinatam charitatem regulatæ, quam voluntati Dei votum acceptantis. Manifestum enim est, in Episcopatu præsupposita idoneitate plus boni præstari posse, quam in ordine, sicque statum Episcopalem esse majus bonum, quam statum Religiosum.

Respondeo 2. Idem dicendum esse jam suscepto Episcopatu; si enim non reperiat aut non speret notabiliter digniores se post se venturos ad Episcopatum, poterit manere in Episcopatu; si autem habeat alios manifeste utiliores se in suo Capitulo, eorumque unum indubitato venturum ad Episcopatum, tenetur a Papa petere vel dimissionem ab Episcopatu, vel coadjutorem, cujus consiliis, quoad manifeste non errant, libenter obtemperet in rebus Ecclesiasticis.

Ratio horum est, quia hæc omnia sunt conformiora intentioni præsumptæ Dei votum acceptantis, & Ecclesiam tranquille gubernantis.

Quæritur 15. An pater possit directe irritare votum ingrediendi Religionem, emissum a filio impubere?

Respondeo. Negative. Neque enim jus naturale, neque divinum, neque Ecclesiasticum tollit liberis libertatem eligendi statum aut viam perfectionis saltem pro foro interno. Si tamen dubium sit, an puer habuerit sufficientem deliberationem, locus est commutationi, vel dispensationi.

Quæritur 16. Quis possit dispensare in voto ingrediendi Religionem?

Respondeo. In tali voto, si certo sit & maneat validum, dispensare potest solus Papa. Si vero non sit certo validum; aut si dispensatio non verserur circa substantiam voti, sed tantum circa modum, v. g. si vovens strictiorem ordinem petat dispensari ad minus strictum, ea dispensatio fieri potest per Episcopum; immo etiam per Prælatum Novitii. Ita *Rotarius* l.1. C. 7. punct. 6. n.ult.

Ratio est; quia ejusmodi vota sic qualificata non probantur esse comprehensa sub reservatione Papali. Prælati autem in actibus voluntariæ jurisdictionis sunt ordinarii etiam Novitiorum.

Quæritur 17. Qualis sit obligatio Religiosorum ad observantiam suæ Regulæ?

Respondeo 1. Religiosi, qui vovent *obedientiam secundum Regulam*, vel secundum Constitutiones, quas profitentur, obligantur sub peccato mortali ad tria. 1. ut Superiori in re gravis momenti vel ad sequelas gravis momenti disponente, serio ex obedientia, hoc est, authoritative interposita omni ea authoritate, qua pollet, & quantum potest, præcipienti, si ea res in Regula formaliter vel virtualiter, aut implicite contineatur, obediant. 2. ut nec habeant nec monstrent *contemptum interpretativum* Regulæ quoad corpus vel partem seu articulum gravis momenti aut consequentiæ. Censetur autem contemptus interpretativus, si quis longo tempore v. g. per integrum annum, ex habitu continuo nulla emendatione interrupto, transgrediatur vel transgredi sinat aut juvet complures partes regulæ, vel aliquem gravis momenti aut consequentiæ articulum. 3. ut non resistant legitimo Superiori consuetudines, quæ contra tenorem vel certam intentionem Regulæ irrepserunt irrationabiliter, tollenti, & observantiam exactam Regulæ ad perfe-

ctis-

ctionem ex jure vel institutione debitam reducenti.

Ratio horum omnium est, quia hanc obligationem rationabiliter petit intentio Ecclesiæ & Ordinis Religiosum ad professionem admittentis, eamque obligationem rationabiliter in se recipit sine gravamine prudenti intentio profitentis. Quod attinet intentionem Ecclesiæ, ea colligitur ex verbis Concilii Tridentini Sess. 25. C. 1. ubi sic habet: *Quoniam non ignorat Sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis & recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus & regularis Disciplina restauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit: ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant; atque in primis, quæ ad suæ professionis NB. perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent; omnisque cura & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur, cum compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari.* Si enim illa, quæ bases *sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium, necesse est.* Ex hoc textu facile colligitur, non solum dari gravem obligationem ad servanda vota, sed etiam alia Superiorum præcepta gravis momenti vel gravis consequentiæ, puta ea, quorum neglectus *communem vitam, perfectionem status, splendorem & utilitatem Ecclesiæ* notabiliter lædit. Videri possunt ea, quæ scripsi in *Tract. de Leg.* §. 8. qq. 6. quæ conformiter ad hanc mentem Concilii Tridentini explicanda ac limitanda sunt.

Quæritur 18. Quinam prohibeantur ingredi vel recipi in Religionem?

Respondeo. Prohibentur ingredi in Religionem 1. Episcopi sine *licentia* Papæ, quæ non conceditur, nisi ex sex sequentibus causis, nempe ob crimen, ob debilitatem corporis, ob defectum scientiæ, ob malitiam plebis, ob grave scandalum pusillorum, ob irregularitatem ex bigamia. Ita habetur C. *nisi cum pridem de Renunt.* & C. *licet de Regul.* 2. Parochi inscio & *inconsulto* Episcopo. Ita habetur C. *admonet de Renunt.* Censeo autem, Alexandrum III. hoc termino uti voluisse, ut deliberetur, an non bonum commune Diœcesanum exigat retinentiam parochi in parochia. 3. Liberi in gravi necessitate parentum, & vicissim parentes in gravi necessitate liberorum, si aliter juvari non possint. 4. ordinata charitas ad idem aliquando potest obligare in gravi necessitate fratris & sororis, si Religionis ingressus non multo plus videatur conferre ad gloriam Dei, bonum Ecclesiæ, & salutem propriam. 5. Prohibentur suscipi ære alieno gravati, vel ratiociniis obligati, nisi prius satisfecerint; item criminosi judicialiter condemnati, vel existentes in probabili periculo condemnationis. *Sixtus V.* in Constitutione: *Cum de omnibus*, anno 1587. sic statuit: *Omnes criminosos vel suspectos, vel ære alieno supra vires suarum facultatum gravatos, vel reddendis ratiociniis obligatos ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus.* Hanc tamen inhabilitatem seu nullitatem professionis *Clemens VIII.* anno 1602. per Constitutionem: *In suprema*, sustulit. Hinc si monasterium vel Ordo scienter debitorem ad professionem admisit, tenetur creditoribus satisfacere, vel religioso dare facultatem, ut ipse tantum honeste lucretur, quantum ad expungendum debitum sufficit. 6. Eodem modo prohibentur recipi Excommunicati & Interdicti, irregulares irregularitate per Superiores indispensabili, infames notorii, sive sit infamia juris sive infamia facti, quod impedimentum non habetur ex jure, sed ex naturali congruentia rerum, quæ aliquando vincitur a majori congruentia oppositi. Eadem est ratio

tio de illegitimis. 7. Conjugati, nisi id fiat ex consensu amborum conjugum sub conditionibus a jure requisitis, ut videlicet etiam altera pars velit transigere vitam in monasterio, nisi ob senium omnem suspicionem incontinentiæ effugiat, & hoc permittat Episcopus. Causa divortii perpetui permittit quidem ingressum jus, sed fere semper eum prohibet ordinata charitas, quæ exspectat & recipit pœnitentes. Præterea notandum, quod pars in sæculo remanens non obstante licentia data possit adhuc ante professionem revocare compartem, prout docent *Suarez*, & *Passerinus* apud *Rotarium*, qui idem tenet.

Quæritur 19. Quam dispositionem bonorum possint facere Novitii?

Respondeo 1. Concilium Tridentinum Sess. 25. C. 16. irritat omnes dispositiones bonorum a Novitiis factas ante ultimum bimestre Novitiatus, immo etiam has irritat, nisi sequatur professio, idque fiat cum licentia ordinarii. Id solum concedit, quod jam tempore Novitiatus possint a Novitio exigi sumptus pro victu & vestitu juxta ratum temporis, quo Novitius mansit in Novitiatu. Verba Concilii sunt ista: *Nulla renuntiatio aut obligatio, ante* (professionem a Novitiis) *facta, etiam cum juramento, vel in favorem causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione. Aliter vero facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus. Sed neque ante professionem, excepto victu & vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocunque prætextu, a parentibus vel propinquis, aut Curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per Censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.*

Respondeo 2. Donatio Novitii ultimo bimestri facta non est conditionata, sed absoluta, licet ejus effectus suspendatur usque ad professionem. Hinc non potest a Novitio revocari, nisi titulo ingratitudinis adhuc factæ ante professionem, quæ tamen revocatio titulo ingratitudinis locum non habet si ea donatio facta sit alicui Ecclesiæ vel Monasterio consideratione ipsius Dei, tanquam principalis Donatarii, aut nisi revocatio ante professionem imminente morte Novitii fiat per modum Testamenti, quia donatarius ante professionem necdum aquisivit jus absolutum, sed ex parte sua tantum conditionatum, si sequatur professio. Sicut autem donatio non potest revocari, ita etiam non potest gravari novo onere. Potest tamen Novitius in donatione legitima intra bimestre ante professionem facta donatarium gravare aliqua pensione annua alicui tertio, vel etiam monasterio ad determinatos, aut, si ita disponit, indeterminatos usus solvenda; vel potest eum gravare obligatione, annuatim solvendi quandam summam mercatoribus, Bibliopolis, artificibus, vel operariis ad comparandas res vel operas toti monasterio ad usus communes utiles, a se annuatim designandas, quarum tamen peculiarem usum sperat facilius obtinere a libera concessione Superioris. Hæc enim dispositio, cum fiat ad usus communes, & monasteria sæpe non possint, aut nolint providere de rebus utilibus aut minus necessariis, non sapit reservationem proprietatis. Immo si monasterium nollet aut non posset omnibus in communi, aut singulis in particulari providere de honesto victu, & vestitu, de honesto apparatu librorum utilium ad apparanda capacia ingenia in május bonum Ecclesiæ, non præjudicaretur voto paupertatis, si Novitius in sua donatione ante professionem gravaret donatarium pensione annua, Superiori quidem consignanda, sed ea conditione, ut expendatur pro honesto victu, & vestitu, & apparatu

ratu librorum utilium pro usu privato donantis subordinato ad fines Ecclesiæ vel saluti animarum in genere utiles, dummodo taliter reservans velit & teneatur tales libros cuivis confratrum commodare ad usus, quoties id illis utile visum fuerit. Cæterum reservare ejusmodi pensiones ud usus indeterminatos, v. g. ad itinera voluptuaria vel periculosa, ad suppellectilem vanam, ad lusus; aut si ex tali fine non consignentur in depositum Superioris, est intrinsece illicitum & repugnans statui religioso. In classem finium licitorum, relate ad quos possunt reservari pensiones, possunt etiam referri medicinæ, suppellectiles honestæ privatæ vel communes, paramenta & vasa Ecclesiæ, correspondentiæ litterariæ utiles, novellæ litterariæ, sumptus Studiorum in Academiis vel aliis studiis publicis, si ejusmodi competentes sumptus nollet aut non posset ferre Monasterium. Reservatio omnium talium pensionum licita est, dummodo pecunia conferatur in Depositum Superioris; quia assignatio talis pensionis *principaliter* fit in supplementum indigentiæ veræ vel prætensæ a Superioribus, qua sublevata vellent & deberent etiam in usus ejusmodi etiam privatorum concurrere ad majus bonum Ecclesiæ. Novitius intra illud bimestre ante professionem potest etiam renuntiare juri suo ad hæreditatem paternam vel maternam, quamvis parens multis annis post professionem sit moriturus. Cum enim Esau potuerit vendere jus primogenituræ, & alii possint vendere jus hæreditatis, licebit etiam Novitio illud vendere, donare, vel cedere. Censeo tamen, hoc a Minorenni fieri non posse sine assensu Curatorum, & sine præscitu Superiorum, si spes obtinendæ hæreditatis considerata magnitudine summæ verosimiliter fuit motivum saltem impulsivum & secundarium ad præferendum hunc Candidatum aliis Candidatis quoad alias qualitates æque vel magis dignis; alioquin enim deciperetur Ordo vel Monasterium. Assensus tamen Superiorum ad valorem talis renuntiationis per se absente alio pacto licito vel jure speciali non requiritur.

Respondeo 3. Novitius non solum ultimo bimestri, sed etiam quovis alio Novitiatus tempore potest condere Testamentum, quod primum sortiatur suum effectum post ejus mortem naturalem.

Ratio est, quia hæc ejus libertas naturalis non restringitur a Concilio Tridentino. *Hinc sequitur*; quod multo magis possit condere Testamentum ante ingressum in Religionem. Poterit tamen hoc Testamentum revocari vel mutari ante Professionem, quandocunque voluerit. Sed post professionem Novitius non amplius potest illud valide revocare, quia non habet amplius dominium bonorum. Fructus bonorum, de quibus testatus est, cedunt post professionem Ordini vel Monasterio, si est capax dominii. Si vero non est capax Dominii, accrescunt massæ hæreditariæ & consequenter hæredi, nisi testator de iis disposuit in favorem alterius Donatarii vel legatarii. Si Novitius ante suam professionem nullam fecit dispositionem, & Ordo, in quo profitetur, non est capax Dominii bonorum, ea in momento professionis cedunt proximo hæredi ab intestato.

Respondeo 4. Si Novitius habeat Beneficium, potest illi sub forma per Concilium Tridentinum præscripta renuntiare; & nihilominus non obstante renuntiatione poterit usque ad momentum professionis licite percipere fructus beneficii, quia renuntiatio non habet effectum ante professionem.

Quæritur 20. Quid notandum circa receptionem Novitiorum?

Respondeo 1. Pueri ante annos pubertatis possunt quidem recipi ad habitum & probationem majorem Ordinis, non tamen gaudent privilegiis Novitiorum nisi ultimo anno probationis præcedente professionem. *Ratio* est, quia illa anticipatio probationis non reperitur prohibita, & ea extensio privilegiorum neque a jure neque per consuetudinem reperitur concessa. 2. cogentes fœminam ad ingressum in Ordinem, incurrunt excommunicationem, prout statuitur in *Concilio Tridentino Sess.* 25. C. 28.

C. 18. non tamen eam incurrunt cogentes virilis sexus personam; quia hoc non reperitur Statutum. Excipiuntur tamen duo Casus, in quibus puella potest cogi ad ingressum; nempe si puella emisit votum ingrediendi religionem, & hoc absque dispensatione implère recusat. Dein si ambo conjuges mutuo consensu ingressi sunt religionem, & uno eorum jam professo, altera vult retrocedere. 3. Qui conferunt suum suffragium ad receptionem personæ ineptæ ad religionem, peccant mortaliter, quia & Ordinem & personam receptam notabiliter gravant.

Quæritur 21. Quid notandum de tempore ad Novitiatum requisito?

Respondeo 1. Tridentinum Sess. 25. C. 15. statuit, ut annus pro Novitiatu sit completus, atque ut hoc anno expleto habiles ad professionem admittantur, inhabiles ejiciantur. 2. Possunt tamen Superiores annum Novitiatus ex rationabili causa extendere ad longius tempus, saltem ad sex menses. Ita enim teste *Rotario* l. 2. C. 4. obtinuit mos. Immo extensio Novitiatus per Statutum Monasterii vel Ordinis posset generaliter fieri ad plures annos. *Ratio* est, quia S. Congregatio Concilii 1622. 17. Febr. teste Graffio apud Rotarium l. cc. puncto 3. n. 5. declaravit, quod Concilium *non prohibuerit, tempus Novitiatus ad longius tempus extendi posse*. 3. Annus Novitiatus debet esse physice & Mathematice completus. Ita enim habetur ex continuo sensu ac traditione Doctorum a tempore Concilii. Hinc in anno Bissextili computandi sunt dies 366. completi a tempore suscepti habitus usque ad tempus professionis, ita ut si hora deficiat, professio sit nulla. 4. Concessit tamen *S. Pius V.* in Constit *Summi Sacerdotii* 1570. 23. Aug. Ordini Prædicatorum, ut possint admittere Novitios lethali morbo correptos ad professionem, si judicio Medici morbus judicetur mortalis. Hoc privilegio uti possunt Ordines communicantes cum Ordine S. Dominici in Privilegiis. *Passerinus* & *Rotarius* censent, non necessario amplius ratificandam esse professionem a Novitio, si reconvalescat. *Bordonus* docet oppositum. Censeo, eam professionem nova superveniente causa rationabili impugnari posse a Novitio, ejusque votum tantum habendum pro simplici: quod ab Episcopo dispensari, vel a Confessario habente potestatem commutari possit. *Ratio* est, quia S. Pius non censendus est in Constitutione sua voluisse limitare Decretum Concilii Tridentini ultra limites necessitatis, neque illud privilegium contulisse in favorem Ordinis, sed Novitii. Contulisset autem illud in odium & gravamen Novitii, si illi in articulo mortis conferendo spirituales gratias professorum sustulisset Indultum Concilii, per integrum annum experiundi austeritates Ordinis, donec procedatur ad *solennem professionem*, a qua vix unquam dispensatur ex causa privata. Immo hoc ipsum non raro cederet in gravamen ipsius religionis, quæ non libenter denegat Novitio moribundo gratiam admissionis ad professionem. Cæterum sicut votum simplex Novitii ab Ordine cum reciproca obligatione acceptatum non potest sine nova rationabili causa per dispensationem vel commutationem solvi, ita nec Novitius potest denuo ab Ordine ejici sine nova valde gravi causa. *Si quis dicat*; hoc votum Novitii esse reservatum Papæ, cum æquivaleat voto ingrediendi Religionem.

Respondeo; Id votum quidem æquivalere quoad intentionem ac dispositionem voventis; sed non quoad intentionem legislatoris & dispositionem juris; quia nec bono communi, nec bono Novitii, nec Ordinis expedit, limitari privilegium a Tridento indultum, experiundi libere per annum austeritates Ordinis.

Quæritur 22. Quid notandum circa interruptionem anni probationis?

Respondeo 1. Novitiatus censetur interruptus, quando ista tria simul concurrunt, *notoria dimissio habitus*, & *animus* verbo aut facto publice *expressus non amplius continuandi probationem*, & *actualis egressus* ex monasterio seu Do-

mo probationis; cum enim Novitiatus sit quidam Status publicus, non tollitur per actus mere internos vel occultos. Hinc sequitur, si Novitius Sæcularem habitum induat, & Superiori obedientiam renuntiet, nondum interruptum esse Novitiatum, si admonitione Superioris commotus intra eandem horam pœniteat, habitumque & disciplinam resumat. Talis enim in æstimatione morali nondum censetur mutasse statum suum. Idem dicendum, si in sæculari habitu adhuc per duos vel tres dies intra monasterii clausuram maneat, & consanguineos expectet, a quibus persuadetur ad manendum in Ordine. Idem dicendum, si Novitius egressus fuerit retento habitu, ita tamen ut bene perpensis circumstantiis appareat, eum non fuisse egressum animo renuntiandi subjectionem, sed tantum animo aliquamdiu liberius vivendi, vel Magistri sævitiem fugiendi, vel solatium ab amicis postulandi. Cæterum si dimissio habitus, & egressus, & animus renuntiandi statui notorie fuerit completus, Novitiatus jam censetur esse interruptus, etiamsi ea interruptio solum durasset unica hora.

Respondeo 2. De Jure communi Novitiatus non censetur interruptus, si Novitius cum assensu sui Superioris in alio loco extra monasterium ex causa rationabili transigat majorem anni partem, vel omnino decem aut undecim menses in probatione v. g. tempore belli, vel causa negotii, vel ob curam a vulnere, morbo &c. teste *Fagnano* ad C. *insinuante*. Sacra Congregatio approbavit professionem ejus, qui solum per mensem & dimidium in claustro, reliqua anni parte in Curia sub obedientia stetit. Id etiam docetur in C. *insinuante*, & in C. *qui Clerici*, & in C. *vo ventes*. *Rotarius* tamen l. 2. C. 4. p. 4. n. 9. docet, quod ob Decreta *Clementis VIII. Urbani VIII.* & *Innocentii X.* in Italia & adjacentibus Insulis Novitiatus censendus sit interruptus, si Novitius longius a monasterio absit, quam solum ad paucos dies. Ubi notandum; inter alias Congregationes Romæ erectas reperiri etiam Congregationem *Disciplinæ Regularium*, cujus tamen jurisdictio & Decreta se tantum extendunt ad Regulares Italiæ & Insularum appertinentium, quod bene ab Ultramontanis notandum est.

Respondeo 3. Novitiatus non interrumpitur per morbum etiamsi duret ferme per integrum annum; interrumpitur tamen, seu potius interpolatur per *amentiam*, ita ut tempus saltem debeat suppleri. *Ratio* est, quia in priori casu Novitius toto anno vivit sub obedientia & moraliter subit probationem virtutis; ad hoc enim spectata rerum natura non requiritur, ut Novitius experiatur omnes austeritates Ordinis, sed sufficit, dummodo eas sciat. In posteriori vero casu Novitius non potest dici moraliter versari in probatione, vel gaudere libertate deliberandi per annum de Statu retinendo vel abiiciendo quam libertatem in Novitiis, primario requirit Tridentinum.

Respondeo 4. Si Novitius exantlato anno probationis ex gravi causa cum assensu Superioris egrederetur Monasterio, & sumeret sæcularem habitum animo perseverandi sub obedientia, & redeundi constituto tempore, non foret interruptus Novitiatus. Ita teste Rotario censet *Fagnanus*. *Ratio* est quia Status quoad substantiam in æstimatione morali necdum censeretur esse mutatus. Idem dicendum, si hoc contingat intra annum, v. g. tempore belli. In hoc enim casu Novitiatus non esset *interruptus*, ita ut de novo inchoari deberet, sed tantum foret *interpolatus*, ita ut hoc tempus supplendum esset. Aliud dicendum, si Novitius sic discessisset sine assensu Superioris, nisi convincenter probaret, se discessisse non animo se subtrahendi ab obedientia in longum tempus.

Respondeo 5. Omnes illi Episcopi & Superiores, qui ex Officio possunt dispensare in juramento vel voto dubii valoris, possunt etiam cum Novitio dispensare in casu stricti dubii de valore continuationis seu interruptionis, quando causa non tractatur inter litigantes in foro contentioso.

Ratio est, quia si Legislator noluit per reservationem causæ limitare potestatem dispensandi per se Episcopis & Ordinariis connaturalem in casu & materia majoris momenti, & circa obligationes juris naturalis ac divini, præsumendum est, eum nec limitare voluisse potestatem dispensandi in re minoris momenti dependente a dispositione juris positivi ac voluntate arbitraria Ecclesiæ, quæ potest & vult supplere defectus fundatos in probabili errore. Cæterum, quandocunque dubium est, an Novitiatus sit interruptus ex gravi malitia, aut ex magna levitate, inconstantia, ac volubilitate animi, non obstante dispensatione Superioris, relinquitur tamen habentibus jus votandi ante professionem plena libertas, denegandi suum votum sic dispensato, aut certe exigendi novum tempus probationis.

Respondeo 6. Si Novitiatus est vere interruptus, debet inchoari de novo, & continuari per integrum annum.

Ratio est, quia Tridentinum requirit constantiam animi annualem, qualis non datur, si interrumpitur ab animo volubili. Ita constat ex perpetuo sensu ac traditione Doctorum a temporibus Concilii.

Quæritur 23. An religiosi professi, quando transeunt ad alium Ordinem, vel ad aliud monasterium ejusdem Ordinis, teneantur subire novum Novitiatum?

Respondeo 1. Quando transeunt ad strictiorem Ordinem, debent subiici novo Novitiatui,

Ratio est, quia licet de hac re non extet specialis lex juris positivi, extat tamen lex naturalis per observantiam universalem, & declarationes Cardinalium varias explicata, qua Superiores strictioris Ordinis tenentur avertere omne justum gravamen communitatis sibi subditæ. Gravaretur enim communitas, si teneretur assumere in suum fratrem personam extraneam sine legali probatione, sicque periclitari de sua tranquillitate.

Respondeo 2. Idem dicendum, si fiat transitus ad Ordinem minus strictum interveniente dispensatione.

Ratio est eadem; licet enim transiens præsumatur facilius toleraturus Ordinem minus strictum, non tamen præsumendum est, religiosos hujus Ordinis minus stricti libenter toleraturos transeuntem sine nova probatione, si illis obtrudererur a Superiore.

Respondeo 3. Quando fit transitus ab uno Monasterio ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, in quibus est stabilitas loci, sive hoc sit strictioris, sive laxioris Disciplinæ, tenetur tamen Superior recipiendo præscribere Novitiatum legalem juxta formam præscriptam a Tridentino.

Ratio est, quia frustraretur magna parte intentio ac finis Concilii generaliter intentus, consistens in quiete Spiritus Regularis, si Religiosi voventes stabilitatem loci cogerentur periclitari de sua traquillitate per receptionem hominis sibi necdum experimentaliter cogniti probatione legali.

Respondeo 4. Novus tamen Novitiatus non requiritur, si Religiosus post suum transitum ad alium Ordinem vel Monasterium redeat & recipiatur ad primum locum vel Ordinem.

Ratio est, quia cessant rationes requirendi novum Novitiatum, cum personæ genius & qualitas jam sufficienter perspecta sint.

Quæritur 24. Qualis sit jurisdictio Superioris seu Prælati in Novitium?

Respondeo. Prælato seu Superiori competit plena jurisdictio in Novitium tanquam Judici Ordinario.

Ratio est, quia Novitius eximitur a foro sæculari, utpote gaudens privilegio fori; nec etiam subiicitur foro Episcopi, cum præcise ex eo, quod sit Novitius, nondum sit Clericus; tum etiam ex eo, quia spectata moderna Disciplina Ecclesiæ & exemptione Ordinum multorum Novitius non dependet ab Episcopo quoad receptionem communionis Paschalis & Extremæ Unctionis & absolutionis Sacramentalis, quæ confertur Novitio a Confessario approbato tantum a Superiore.

riore. Ergo, cum dici nequeat, Novitium nulli foro subjectum esse, dicendum erit, eum esse subjectum suo Superiori in utroque foro, tam interno quam externo. Ita quoad rem *Rotarius* l. 2. C. 4. p. 6. Hinc infertur 1. Quod Novitius pro enormi crimine in Novitiatu patrato possit puniri pœna perpetua, sicut Laicus delinquens in alieno territorio potest puniri a Judice loci. 2. quod a Superiore sic delinquens repeti possit ad pœnam, si ex Novitiatu effugiat, quocunque se contulerit. 3. quod Prælatus possit Novitio aliquid præcipere sub excommunicatione. *Notandum* tamen, quod Novitius maneat Episcopo subjectus quoad crimina & causas, in quibus fungitur munere Inquisitoris, vel in quibus procedit tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ.

Quæritur 25. An Novitius possit valide confiteri Confessario approbato quidem ab Episcopo generaliter pro tota Diœcesi, non tamen approbato a Superiore seu Prælato etiam pro Novitiis?

Respondeo Negative. Ita *Rotarius*, a quo allegatur in hanc sententiam *Peregrinus*, *Bordonus*, *Suarez*, *Palaus*, *Layman*, *Passerinus*. *Ratio* est, quia spectata moderna Disciplina & conniventia Episcoporum nullus Regularis Confessarius accipit jurisdictionem in Novitium, nisi a Superiore, a quo etiam accipit approbationem relate ad Religiosos & Novitios. Ergo absolutio talis Novitii, etiamsi Prælatus & Episcopus conferrent approbationem cumulative, erit tamen nulla ex defectu jurisdictionis, si absolvatur a Confessario per Superiorem non approbato pro Novitiis, puta per loci Prælatum, vel per Provincialem provinciæ. Censeo tamen, a Prælatis ac Superioribus approbationem & jurisdictionem quoad valorem non censendam esse restrictam, nisi Superiores id exprimant. In praxi quoad Ordines & Monasteria, in quibus est stabilitas loci, videtur approbatio & jurisdictio esse a Superioribus nec nimis amplianda ad omnes Confessarios, nec restringenda solum ad unum, sed tantum ad tres vel quatuor prudentes & expertos, quibus Novitii, saltem aliquoties per annum, postulata prius a Magistro Novitiorum vel a Superiore licentia, licite & valide confiteri valeant. Imo expedit, & christiana charitas videtur requirere, ut hæc illis licentia semel vel bis per annum ultro offeratur. *Clemens VIII.* in suo Decreto edito *pro Disciplina Regularium*, quod etiam ultramontanis extra Italiam servit saltem directive, ubi agit de Instructione Novitiorum, sic scribit: *Ipsi autem Magistro* (Novitiorum) *soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur liceat tamen Superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem confessiones audire*. Ita Pontifex, potissimum, ut videtur, respiciens ad eos Ordines, in quibus non est stabilitas loci.

Quæritur 26. Quibusnam privilegiis gaudeant Novitii?

Respondeo. Novitii universim gaudent omnibus privilegiis Ordinis, nec Ecclesiæ, nec Ordini, nec ulli tertio præjudiciosis. Id patet ex universali sensu Doctorum & notorio usu Religiosorum, tolerato a Summis Pontificibus & Episcopis, id scientibus, ac conniventibus, qualis usus & tolerantia aut supponunt aut fundant privilegium. In specie gaudent 1. privilegio Canonis & fori. 2. gaudent Indulgentiis Ordinis. 3. dispensantur a defectu Natalium, si Episcopus consentiat, cui ea nota in suo Clerico posset displicere, si egrederetur Novitius. 4. Possunt ordinari a loci Episcopo, si consentiat. Debebit tamen habere titulum patrimonii, vel beneficii, vel pensionis. 5. Manent Novitio beneficia & jura beneficialia, circa quæ v. g. electus vel nominatus, habet jus ad rem. 6. Manet etiam jus electivum, quo possit eligere & eligi seu a jure per fundationem vocari ad aliquod beneficium, non solum Episcopale, sed etiam aliud inferius. 7. Quamvis a Prælato non possint directe irritari vota Novitii, possunt tamen ea irritari indirecte, inquantum præjudicant bono regimini ac directioni alicujus Novitii. 8. Possunt

a Præ-

Prælato Regulari dispensari circa præcepta dispensabilia Ecclesiæ, quando concurrit sufficiens ratio dispensandi, v. g. circa jejunia obligationem audiendi Sacrum, vel recitandi Breviarium. 9. Possunt absolvi pro foro interno a censuris contractis in sæculo, & a casibus reservatis. Si enim Novitius adhuc in sæculo existens fuerit nominatim excommunicatus vel declaratus, non potest a Prælato Regulari absolvi. Si autem delictum Novitii nondum fuerat denuntiatum Judici Ecclesiastico, quamdiu fuerat in sæculo, non potest amplius ab illo suo priore Judice molestari propterea. Hoc privilegium favet iis etiam, qui jam sunt suscepti ad Ordinem, & jam actu versantur in Monasterio ad proxime suscipiendum habitum; quia hoc privilegium Gregorius XI. concessit Ordini Prædicatorum in Constit. *Virtute conspicuos*, cum quo in privilegiis communicant multi alii Ordines. Immo hoc privilegium videtur potius declarativum transitionis a foro Civili ad Ecclesiasticum per ingressum Monasterii cum animo manendi & retinendi habitum.

Quæritur 27. Quid sit professio Religiosa?

Respondeo. Professio Religiosa est spontanea sui oblatio ad stabile servitium Dei per votum tacitum vel expressum paupertatis, castitatis & obedientiæ cum contractu reciproco inter Ordinem & profitentem ad ferendam communi onera & jura.

Quæritur 28. Quot modis professio reddatur invalida?

Respondeo. Professio redditur invalida 1. *ex defectu ætatis*. Si Novitius emittat professionem ante annum ætatis decimum sextum completum, etiamsi deesset hora tantum unica. Idque procederet, etiamsi ille defectus primum retegeretur post decem, viginti aut plures annos. Ita habetur partim ex Tridentino, partim ex novis Resolutionibus S. Congregationis Concilii. 2. *ex defectu consensus*. Si Novitius tantum exterius simulavit emissionem votorum, interius vero expresse retinuit assensum, Si enim taliter professus certus sit de suo positivo dissensu vel de retentione consensus, coram Deo non obligatur ad vota & annexum contractum reciprocum inter se & Ordinem. In foro tamen externo ipsi non crederetur, sed fugitivus haberetur pro Apostata, nisi defectum sui consensus sufficienter, hoc est, convincenter probaret per testimonia scripta vel vocalia edita immediate ante vel post actum professionis. Quod si ultra quinquennium differat reclamationem contra valorem professionis ex defectu consensus aut libertatis, non amplius auditur, prout habetur in Tridentino Sess. 25. c. 19. 3. *ex defectu debitæ libertatis*. Si enim Novitius vi aut gravi metu cogatur ad emittendam professionem, professio est nulla ut habetur c. *Prælatum* & c. *cum dilectus* Tit. *de his*, *quæ vi metusve*. Et hæc nullitas non est juris solum positivi, sed etiam divini & naturalis. *Ratio* est, quia *Alexander III.* in C. *Perlatum*, non intendit condere novam legem sed tantum respondere, & actricem relinquere in sua libertate, quam credebat se habere per se spectato jure naturali, prout patet legenti textum. Cæterum gravis metus cadens in constantem virum foret, si intentaretur *mors vel cruciatus corporis*, prout in c. *cum dilectus* habetur. 4. *ex defectu consensus tacito vel expresso ex parte Ordinis*. Si enim Novitio ante professionem expresse dicatur, Superiores vel Capitulares nolle dare consensum in professionem, si reticeretur a Novitio aliquis determinatus defectus corporalis, de quo habetur suspicio, vel si reticeret defectum aliquem notabilem quemcunque corporis, qui ipsum posset reddere Ordini notabiliter onerosum, reticentia ejusmodi defectus redderet professionem invalidam ex defectu explicito consensus in professionem ex parte Ordinis. Si autem ex parte Ordinis ante professionem nulla fuisset facta protestatio seu monitio de manifestatione defectuum, qui professum possint reddere inhabilem ad functiones Ordinis, vel notabiliter onerosum, reticentia talium defectuum reddit professionem invalidam ex defectu *solum tacito* consensus Ordinis, ac tunc solum, quando

illi defectus occultatus a Novitio est adeo notabilis, ut in æstimatione prudentum intentio contrahentium ex parte Ordinis merito censeatur alligata qualitati requisitæ ad fines Ordinis necessarios; quæ alligatio colligitur ex particulari natura Instituti vel Monasterii, in quo fit professio. Et eatenus valor professionis regulandus est instar aliorum contractuum *bonæ fidei*. Neque enim expedit bono Ecclesiæ & Ordinum habere Religiosos inhabiles aut onerosos. 5. redditur professio invalida *ex errore substantiali*, vel redundante in substantiam professionis seu votorum. Censetur autem *error substantialis*, qui versatur circa obligationem quandam primariam voti vel status Religiosi, qua cognita Novitius verosimiliter non fuisset emissurus professionem. Error vero ille juxta Suarezium invalidat vota, etiam solennia, etiamsi fundetur in ignorantia *crassa* & *supina*, dummodo non fundetur in ignorantia *affectata*. Ita docet *Suarez*, cui licet non assentiar, quatenus docet, etiam per meram ignorantiam, quamvis sit crassa & supina, rei pertinentis ad substantiam votorum, invalidari professionem; assentior tamen illi, quatenus docet professionem invalidari per deceptionem, seu errorem positivum. Is de Virtute & Statu Religionis l. 1. c. 11. n. 6. sic scribit. *Quoties votum fit ex ignorantia proprietatum & conditionum substantialium voti, assero talem ignorantiam impedire valorem voti, nisi vovens non obstante tali ignorantia velit promittere eo modo, quo alii promittunt*. Et num. 8. *Dico secundo, ignorantia circa materiam voti, si sit circa conditiones substantiales ejus, vel circa res adeo graves, ut moraliter existimentur pertinere ad rei substantiam, impedit valorem voti*. Et c. 12. n. 4. *Quando ignorantia talis est, ut sit causa & ratio emittendi votum, & alioqui est de re substantiali, parum refert ad rationem voti, quod talis ignorantia sit voluntaria indirecte per negligentiam repellendi illam, quamvis id fieri potuerit. Quia ad votum non sufficit voluntarium in causa, vel interpretativum. Voluntarium autem ex hac ignorantia est solum interpretativum in causa, quia conditio ignorata non est in se volita. Ergo ad summum potest censeri intenta interpretativo modo, & in causa, scilicet in ipsa ignorantia. Alia ratio est, quia quod ignorantia sit illo modo voluntaria, & quod homo illam possit vincere, potest quidem referre, ut actus censeatur imprudenter factus, & consequenter, ut sit peccaminosus, nihil tamen refert, ut sit validus ad obligationem (voti) inducendam. Quia hoc solum pendet ex facto, id est, ex eo, quod aliquis habeat voluntatem se obligandi, quam non magis habet, qui in eo casu prudenter operatur post diligentiam adhibitam, quam qui temere & imprudenter. In ordine ad peccatum vitandum tenetur quis diligentiam adhibere, ut ignorantiam prius expellat, & ideo si sit negligens, censetur illa ignorantia proprie voluntaria, licet indirecte. In ordine autem ad votum emittendum, & ut quis obligatus maneat ad ea, quæ non novit, non tenetur quis adeo diligenter examinare omnes conditiones, quas simplici modo existimat inesse rei promissæ. Nulla enim lege de tali obligatione constat, & ideo talis ignorantia non tam est voluntaria seu volita, quam permissa, & ideo non sufficit, ut votum censeatur voluntarium etiam quoad conditionem ignoratam. Et hæc quidem clara videntur, quando ignorantia est tantum indirecte voluntaria. Quando vero est directe volita examinanda est diligentius intentio operantis. Nam qui directe vult ignorare aliquid, jam directe cogitat de illa, quod ignorare vult, seu quod non vult examinare, an ita sit; ideoque potest etiam directe velle se ad id obligare, saltem ex hypotesi, si forte ipse decipitur; & ideo cum tali ignorantiæ modo potest sine dubio esse voti obligatio: tamen in eo casu ignorantia non est causa vovendi. Nam ideo homo sic affectus non curat rem examinare ad tollendam ignorantiam, quia habet voluntatem se obligandi cum quacunque conditione. Advertere autem oportet, quod licet cum illa ignorantia sic explicata possit esse prædicta voluntas vovendi, non propterea necessarium est, ut quoties ignorantia est affectata*.

stata, voluntas voventis sit, absolute & omnibus modis se obligandi; quia potest etiam illa voluntas ignorandi seu non examinandi rem, oriri ex aliquo timore humano, vel alio simili respectu, & ita potest nihilominus, qui vovet, non habere intentionem se obligandi nisi juxta exigentiam materiæ sub tali vel tali conditione propositæ, & ideo in hujusmodi casu diligenter examinanda est voluntas voventis. Nam inde res tota pendet. Ita. Suarez. *Idem de Virtute Religionis* Tom 3. l. 6. c. 5. n. 3. scribit. *Potest error vel deceptio contingere in rebus substantialibus Religionis, vel adeo gravibus, ut moraliter ad substantialia revocentur. n. 4. Quando ignorantia vel deceptio est in rebus substantialibus, reddit professionem nullam. n. 9. Ratio est, quia non solum impedit consensum injuriosa deceptio, sed etiam ignorantia, sive per errorem sit, sive per scientiæ privationem. Quin videtur parum referre, quod ignorantia sit probabilis, vel negligentia aliqua intercedat, dummodo ignorantia affectata non sit, quod supra dixi, tractando de voto in genere; & nunc etiam verum videtur de professione ob similem rationem, scilicet, quia ignorantia, etiamsi crassa vel supina sit, impedit verum consensum & directum in professione. Nec quoad hoc est similis ratio de peccato & professione. Nam ad peccatum sufficit indirectum voluntarium & moralis imputatio, in hoc fundata, quod potuit quis & debuit, negligenter tamen omisit. In præsenti autem non sufficit hæc indirecta voluntas, seu imputatio; quia non agitur de culpa sed de voluntaria obligatione. Secus est, quando ignorantia est affectata: nam tunc intervenit voluntas directa ignorandi, & consequenter virtualis consensus in talem actum, confuse volendo illum, prout in re ipsa fuit. Nam revera ita est ille consensus interpretandus, nisi aliud constiterit de expressa intentione voventis.* Hucusque *Suarez*, cui quoad *pura vota*, quibus non est annexus alius contractus, quoad formam, modum, & alias conditiones vel effectus in esse valido dependens a determinatione Legislatoris humani aut divini, omnino assentior: sed quoad vota solennia, quibus est annexus aliquis contractus, nempe professi cum Monasterio, Subdiaconi cum Ecclesia, Suarezii discursum non admitto quo ad meram ignorantiam supinam vel crassam substantialium, sed eum duntaxat admitto quoad deceptionem seu errorem positivum, quamvis fundatum in ignorantia crassa seu supina. *Ratio* est, quia Ecclesia, quæ ponit formam & modum essentialem contractui inter professum & monasterium seu Ordinem inito, non tolerat ejusmodi ignorantiam meram substantialium, sed obligat omnes laborantes mera ignorantia ad hanc intentionem tacitam in contractu habendam, ut contrahens se generaliter ac indefinite ad ea, quæ solent voveri ab aliis, & statui religioso juxta Constitutiones Ecclesiæ per se insunt, etiamsi distincte non agnoscantur. Econtra laborantes *positivo errore* seu *deceptione* non videtur Ecclesia velle obligare ad eum vovendi modum indefinitum, cum longe difficilius sit obligari lege extrinseca ad aliquid vovendum, quod vovens positive existimat non comprehendi in voto, vel obligari sub voto ad aliquid sub peccato mortali, quod positive credit, esse exclusum a materia gravi suæ obligationis, quam præcise obligari per legem extrinsecam ad ea omnia, quæ in confuso agnoscit, posse includi in voto, cum probe sciat, a se necdum perfecte ac distincte intelligi extensionem objectorum conprehensibilium sub voto. Dein, ut illam ignorantiam mere negativam Ecclesia non toleret ad invalidandam professionem, ob nimiam ejus universalitatem exigit bonum Ecclesiæ, quod tamen istud bonum Ecclesiæ non exigit *circa errorem positivum* utpote rarum. In praxi tamen, alleganti errorem positivum vix unquam credendum, si ad eum allegandum motus videatur repentina aliqua passione v. g. metu pœnarum, iræ, amoris, vel turbationis, quæ speretur sedanda lapsu temporis. Si autem videantur fundari in passione aut vitio habituali moraliter immedicabili diuturnitate temporis, præbendæ sunt aures probationibus.

Dices

Dices. In dubio de valore professionis pronuntiandum potius est pro valore, quia jura potius inclinant, ut *valeat actus*, *quam ut pereat*, prout etiam fit in matrimonio.

Respondeo. Hoc concedendum esse, quando dubium agitatur in foro contentioso, & dissolutio actus tendit in grave præjudicium unius partis collitigantis, nec ex confirmatione actus timentur gravia damna bono publico, vel bono Ordinis, v. g. scandala, turbæ, &c. Cæterum, si ambæ partes consentiant pro dissolutione actus, puta professus & ordo, uxor & maritus, aut si iis de valore litigantibus præjudicium partis stantis pro valore non est æquiparandum damno, quod probabiliter imminet bono publico ex conservatione valoris, standum & pronuntiandum potius est pro dissolutione actus. Ita quoad casus dubios de valore professionis respondet *Cardinalis de Luca*, *Cardinalis Pignatellus*, & *Ursaya*, insignis Advocatus Curiæ Romanæ. *Cardinalis de Luca* l. 14. de Regul. Discursu 43. n. 13. sic scribit: *In hac materia in dubio pro invaliditate potius, quam pro validitate respondendum videtur, quoniam, quando Religiosus constituit in animo redire ad sæculum, ac non permanere in eo statu, pernitiosum videtur, illum invitum retinere. Non quod ista ratio simpliciter ac indefinite admittenda sit, ne alias detur ansa iis, qui statum regularem jam professi sunt, pro libito redeundi ad sæculum; sed ut quoties probabile dubium desuper cadat, non adeo mordicus insistendum sit, sed potius in dubio judicandum sit pro egressu ex ejusdem religionis bono publico*. Similia habet l. 14. Disc. 41. n. 2.

Pignatellus Tom. 9. Consult. 173. n. 7. *Sane magis expediens est Religionibus ac ipsis Regularibus*, (reclamantem in casu valoris dubii dimitti) *quia Regularis eo deveniens, ut prætendat, nullam fuisse professionem, dum invitus intra claustra manet, semper molestias affert religioni, nec quidquam boni ab eo exspectari potest. Unde utilius est Religioni, quod dimittatur, si potest dimitti*.

Ursaya Tom. 9. part. 2. Discept. 1. n. 206. recensens mentem gravium Doctorum sic habet: *Amayden scribit: Ego sane ut ingenue fatear, propensior sum erga dimissiones Regularium in claustris vitam degere renuentium; nam ii sunt, qui reliquos quietos turbis miscent, Ordinemque universum sus deque agunt. Et propterea existimo, me obsequium præstare Deo, quandocunque adsum causæ Regularis contra professionem reclamantis, qui ope mea Religionis vinculo liberetur. Cum qua optima congruentia ab experientia comprobata sæpe me scribente* (Ursaya) *processit hæc S. Congregatio. Neque deest legalis ac stringens ratio, quia scilicet, cum in istis circumstantiis saltem remaneat dubia validitas, vel nullitas professionis, dubietate se tenente ex defectu liberi consensus, in hoc dubio semper inclinandum est pro nullitate professionis, seu favore libertatis*. Ita *Dominicus Ursaya*, qui pro se citat *Rebuffum*, & *Ricciardellum*. Idem docet *Rotarius*, qui decis. 9. n. 84. & Decis. 491. n. 20. responsionem suam limitat ad casum, quo valor professionis dubius est ratione consensus.

Quæritur 29. Utrum in casu, quo valor professionis est dubius, Episcopo competat potestas dispensandi in voto solenni dubie valido?

Respondeo. Quod Episcopus universim, quando valor professionis est dubius, & causa necdum deducta aut proxime deducenda est, ad forum contentiosum, una parte dissolutionem professionis postulante, altera parte renitente, saltem extra Italiam habeat potestatem dispensandi in tali voto dubio, vel illud commutandi.

Ratio est, quia sicut peccata dubia, ita nec vota dubia quæcunque sunt reservata. Quod in tali casu valoris dubii Episcopis & Superioribus competat potestas dispensandi, confirmari potest etiam a pari circa alias leges. Sic quamvis Episcopus, aut Superior Regularis sine speciali facultate Apostolica non possit dispensare quoad recitationem Breviarii, potest tamen dispensare in casu obligationis dubiæ. *Suarez* Tom. 2. de Relig. l. 4. c. 27. n. 20. dicit: *Si Medicus dubius esset*, (an morbus ægrum excuset

a re-

a recitatione Breviarii) *tunc potest requiri consensus Prælati, quod necessarium est non propter solum judicium seu certitudinem* (de sufficientia causæ excusantis) *sed propter usum jurisdictionis. Videtur enim posse saltem in casu dubii aliquid condonare per modum dispensationis, seu relaxationis. Atque hoc maxime locum habet in Religiosis. Pro sæcularibus vero verum est, habere Episcopum ex vi sui muneris illam potestatem, quia moraliter est necessaria ad conveniens regimen, & quidquid ejusmodi est, intelligitur eis concessum, si non est prohibitum. Hoc autem prohibitum eis non est, ut constat, unde etiam in præceptis jejuniorum & Missæ censentur habere similem potestatem.*

Idem l. cc. n. 41. *Dico, Episcopum non posse dispensare* (circa recitationem Breviarii) *propie loquendo. Quia Episcopus non potest ordinarie dispensare in jure communi. Dixi autem, dispensare proprie loquendo; quia in casu dubio occurrente licentiam dare potest Episcopus, ut supra diximus. Illud vero potius est per modum interpretationis, quam dispensationis.*

Idem l. cc. l. 4. C. 6. n. 1. De votis dubiis ratione conditionis per jus humanum requisitis loquens ait. *In his probabiliter censeo, in casu dubio, judicandum esse votum infirmum, seu irritabile. Ratio est, quia favores sunt ampliandi, pertinet autem ad favorem, ut talia vota irritabilia sint. Qui favor non solum personarum, sed ipsius etiam Religionis, & divini cultus censendus est, quia talia vota facile franguntur, & ideo consultius est, ut irritari valeant. Et hoc confirmat exemplum de casibus reservatis, qui absolute dicti tantum includunt casus moraliter certos. Ita enim vota non irritabilia illa tantum censentur, quæ constat habuisse tales vel tales conditiones. Nam sicut reservatio, ita exemptio a potestate irritantis videtur odiosa & restringenda.*

Idem l. cc. C. 5. n. 15. *Qui non servat votum dubium* (per dictamen reflexum) *certus est, se non agere contra illam legem: Reddes Domino vota tua: Nam illa lex merito intelligitur de votis moraliter, & humano modo certis seu probabilibus, non de incertis, quæ probari non possunt etiam a propria conscientia. Sicut de peccatis reservatis dicimus, non obstante reservatione alicujus peccati absolute facta posse absolvi illum, qui dubitat, an tale peccatum commiserit, quia reservatio, quæ onerosa est, restringeret ad casum certum: & qui tunc absolvit, licet dubitet, an peccatum tale fuerit commissum, certus est, non esse reservatum, & ita tutam & tutissimam partem sequitur. Ita ergo in præsenti lex imperans implere vota merito restringitur ad vota certa moraliter, & ideo licet quis dubitet de voto, certus esse potest non obligari illa lege, quia nondum materia ejus constituta est. Talis autem interpretatio legis fundari potest* in C. *ex parte de Censibus, ubi benignior fit interpretatio; tum quia Deus non est tam rigorosus exactor, ut etiam debita incerta, & non probata exigat, tum ex omnibus quibus supra probavimus, in votis benigniorem interpretationem esse faciendam, ubi etiam ostendimus, hoc tandem cedere in majorem favorem Religionis propter vitandum periculum, quod in his vinculis multiplicandis invenitur.*

Idem l. cc. l. 6. C. 21. n. 1. *Nunc pauca addenda sunt de votis reservatis Pontifici, in quæ præcipue sunt castitatis & religionis. Præmittendum est, quod reservatio votorum solum fiat respectu Episcoporum, quatenus aliqua ab ordinaria eorum jurisdictione eximuntur. Respectu vero Episcoporum solus Papa potest vota reservare, quia solus ille potest eorum jurisdictionem ordinariam restringere, vel ex parte auferre. Dispensatio autem votorum ad jurisdictionem ordinariam Episcoporum pertinet. Unde etiam fit, ut hæc reservatio stricte interpretanda sit, quia non fit per non concessionem jurisdictionis, sed per ablationem ejus, & quasi diminutionem ordinariæ potestatis, quæ non mensuratur per affirmativam regulam, ut scilicet Episcopi ea tantum possint in dispensandis votis, quæ ipsis inveniuntur concessa; sed per negativam, ut omnia possint, quæ ipsis non inveniuntur prohibita. Et ideo est proprissime & rigorosa reservatio.* Et n. 4. *Hæc reservatio, si antiquitatem respiciamus, magis traditione*

ne & consuetudine ; quam jure scripto probanda est, ut sentit Sylvester.

Idem dixit Soto & Navarrus. Et videtur hæc reservatio jam satis esse expressa in Extrar. Etsi Dominici 2. De pœnit. & remiss. (edita a Paulo 2. anno 1468. , Ex eodem principio Suarez cum communi Doctorum . Ibid. C. 22. n. 3. & C. 23. & C. 24. deducit, non esse Pontifici reservata vota conditionata , nec vota pœnalia, nec vota disjunctiva.

Idem l. cc. C. 26. n. 1. 4. & 5. & 6. sic pergit : *Quamvis prædicta quinque vota sint Papæ reservata, adhuc superest explicandum an in aliquibus casibus illa regula patiatur aliquam exceptionem, quod dubium prius circa Episcopos tractabimus. Primus casus seu prima exceptio assignari solet de votis castitatis vel religionis, quæ ab impuberibus emittuntur. Secundo excipiunt aliqui hæc vota ex metu facta. At quando metus est justus & cadens in constantem virum, vel votum est invalidum, ut habet probabilis opinio, & sic non est necessaria dispensatio. Vel si reputatur validum, videtur etiam de illo procedere ratio facta, ut per Episcopum dispensari non possit. Nihilominus tamen in tali voto alia ratione potest dicta exceptio sustineri, quia dubium est, an talia vota valida sint vel nulla ipso jure naturali sive Ecclesiastico. Quamvis enim probabilis opinio sit, esse valida, tamen contraria non caret probabilitate, quæ sufficit, ut voti obligatio non sit certa, & hac ratione poterit Episcopus in tali voto dispensare. Immo hic possumus generalem regulam constituere, quoties de valore voti castitatis, aut simili fuerit morale dubium, sive illud sit dubium facti, sive juris, & sive sit negativum propter conjecturas, quæ non sufficiunt ad determinatum judicium ferendum, sive sit positivum ex opinionibus probabilibus contrariis, tale votum non esse reservatum, sed posse per Episcopum tolli. Hoc patet tum ex alia regula supra posita, quod hæc reservatio est valde stricti juris, & ideo restringenda: ergo debet intelligi de votis certis & indubitatis, nam dubia vota non sunt vota simpliciter, sed secundum quid; tum etiam quia de peccatis & censuris reservatis similis regula ab omnibus admittitur. Hæc regula vero traditur propter casus dubios, in quibus dubium per se non sufficit ad excusandum voventem ab obligatione voti, & in eis credimus esse restringendam reservationem, ut solum vota omnino certa ibi comprehendantur.* Hucusque Suarezius.

His omnibus accedit, quod Episcopi habeant potestatem dispensandi circa vota Papæ reservata, quando agitur de periculo animæ, & Papa sine gravi difficultate adiri non potest. In præsenti vero casu Papa sine gravissima difficultate saltem ab ultramontanis conveniri non potest eo modo & forma, quæ Romæ ad obtinendam hujusmodi dispensationem requiritur, nempe in *forma probante*, qua series actorum, & complexum omnium circumstantiarum fiant credibilia.

Suarezius l. cc. l. 6. C. 26. n. 9. dicit : *Difficultas est, an existente periculo incontinentiæ, vel alia æquivalente necessitate, interveniente impotentia, vel gravi impedimento adeundi Pontificem, vel petendi ab illo commutationem, vel dispensationem, Episcopus possit in tali eventu dispensare in quocunque voto alias reservato. In quo puncto valde communis sententia affirmat, in eo casu posse Episcopum dispensare. Id a fortiori tenent Summistæ allegati, & Canonistæ in C. veniens. Idem clarius docet Sylvester, Navarrus, Aragonius. Quæ sententia fundatur solum in conjecturata mente Pontificis, quia non videtur verisimile, voluisse Pontificem reservationem hanc facere cum tanto rigore, ut relinquantur homines sine remedio in gravissimis necessitatibus & periculis, in quibus ad ipsum nec per se, nec per alios recurrere possunt. Quæ conjectura est valde probabilis, maxime cum hæc reservatio non sit tam necessaria ad bonum commune Ecclesiæ, ut cum majore rigore intelligenda videatur; immo aliter intellecta videri posset in destructionem potius, quam in ædificationem quoad illum rigorem. Hanc ergo sententiam nunc admitto, & propono ut practice probabilem, & securam.* Ita Suarezius.

Quæ-

Quæritur 30. Utrum in casu, quo valor professionis redditur dubius ex allegationibus professi, concurrentibus aliis adminiculis possit illi deferri juramen tum suppletorium?

Respondeo. Quando dubietas de valore professionis jam semiplene probata est ex allegationibus professi, poterit Episcopus professum, alioquin fide dignum, admittere ad juramentum suppletorium, quamvis ad hoc non teneatur, si videat, bono communi suæ Diœcesis & gloriæ divinæ posse ex ea admissione juramenti creari æquale periculum, ac creatur Monasterio vel Ordini ex denegatione admissionis ad juramentum. Ita docet *Dominicus Ursaya* Tom. 9. part. 2. discept. 1. num. 212. ubi sic scribit: *In hoc dubio posset principali dari juramentum in supplementum plenæ probationis ad omnem omnino scrupulum tollendum, juxta Theoricam Innoc. in C. vidua. Host. Butr. Ancor. Portell. Piton. & probat Pignatell. Consult. 4. n. 9. Tom. 1. ubi ait*: „ Non obstat, quod „ in re professionis stari non debeat ju„ ramento professi, quia quando sunt „ aliæ præsumptiones potentissimæ, ad„ minicula & conjecturæ, quæ nulliter „ professo favent, multi authores, iique „ gravissimi asserunt. " *Quam opinionem secuta fuit hæc S. Congregatio in Asten. 20. Sept.* 1710. *in Mantuana* 18. *Aug.* 1696. *in Neapol.* 7. *Sept.* 1718. *in Cesenat.* 16. *Mart.* 1720. *in Prænest.* 12. *Nov.* 1717. & *in Nullius* 1727.

Quæritur 31. Quænam sit in Religioso materia gravis quoad violationem voti paupertatis?

Respondeo 1. Ad gravem transgressionem voti paupertatis sufficit & requiritur eadem materia, quæ sufficit & requiritur ad constituendum peccatum mortale furti. Hinc illud erit materia gravis, ad cujus ablationem Superior prudenter potest & debet esse graviter invitus. In dubio vero, an Superior possit & debeat esse graviter invitus, illa materia erit materia gravis, quam Superior declarat pro materia gravi. Per eam namque declarationem ostendit; se esse graviter invitum. Idem dicendum; si ex sensu communi vel consuetudine Monasteriorum, Conventuum, vel Collegiorum recte ordinatorum ejusdem provinciæ aliqua materia habeatur notorie pro materia gravi. Regulariter vero, quando non concurrunt in casu particulari speciales rationes aliud præsumendi de mente Superioris, pro materia gravi, quam notabiliter transgredi non liceat, habendus est unus florenus, seu quinque Julii Romani, prout in Tract. de Jure & Just. a me ostensum est.

Respondeo 2. In Religiosis habentibus administrationem sub potestate Superiorum illud est materia gravis quoad transgressionem voti paupertatis, cujus alienatio in sumptus Monasterio inutiles fit graviter invito Domino, nempe Monasterio vel Collegio, cujus Superior est administrator primarius, vel, si alienatio fiat in sumptus Monasterio utiles, cujus dispensatio graviter repugnat fidelitati, quæ debetur administratori primario & communitati. Et hinc potest aliquando contingere, quod Officialis, v. g. Parochus, Procurator, Granarius, Cellarius, Sacrista, non peccet graviter, si gravem summam expendat in sumptus Monasterio valde utiles, quando Superior est tantum leviter invitus, vel ubi prudenter nec potest nec debet esse graviter invitus spectata intentione rationabili communitatis, in qua residet dominium bonorum.

Respondeo 3. In ipsis Superioribus quoad transgressionem voti paupertatis illud est materia gravis, cujus alienatio in sumptus Monasterio prorsus inutiles graviter repugnat justitiæ, & sic est eadem materia paupertatis, quæ est materia furti, si quis religiosus privatus, aut extraneus furaretur monasterio vel Ecclesiæ, cum bona religiosorum reipsa sint bona Dei, sicut alia bona Ecclesiastica. Quando vero Superior bona Monasterii expendit in sumptus Monasterio quidem aliqualiter utiles, sed neglecto ordine eligibilium, ita ut contra leges fidelis administratoris minima maximis, & ea, quæ præcise serviunt ad melius esse vel ad honestatem mere accidentalem, summe necessariis præponat, ea dispen-

dispensatio contra paupertatem graviter erit peccaminosa, quæ fit graviter invito Capitulo vel Definitorio, cujus nomine & ex cujus consensu tacito vel expresso gerit administrationem. Quamvis enim videatur solum peccare contra fidelitatem, peccat tamen etiam contra votum paupertatis quod non solum prohibet omnem proprietatem, sed etiam omnem usum bonorum invito Domino, prout patet exemplo Officialium suomet arbitrio res sibi concreditas expendentium invito Domino. Notandum tamen, quod in casu, quo nullæ urgent necessitates Ecclesiæ vel Monasterii, possit a Prælato præferri bonum commune Ecclesiæ, Ordinis, vel Patræ bono privato quoad dispensationem bonorum, quia sic aget recto ordine charitatis juxta voluntatem supremi Domini bonorum Ecclesiasticorum, nempe Christi, & Papæ, qui est Supremus administrator bonorum Ecclesiæ, circa quem modum agendi Capitulares non possunt esse rationabiliter inviti. Vide dicta in *Tract. de Jure & Just. de Dominio Religiosorum*.

Quæritur 32. Ad quæ obliget votum obedientiæ?

Respondeo. Votum obedientiæ obligat ad obediendum Superiori. 1. Quando ea præcipit, quæ continentur in Regula, nisi per dispensationem tacitam vel expressam fuerint excepta. Ad dispensationem tacitam pertinet consuetudo rationabilis legitime præscripta notoria, ac tolerata ab Episcopis vel aliis Delegatis Papæ pro visitatione Regularium. 2. Quando præcipit moraliter necessaria ad rectam observantiam regulæ, etiamsi difficilia sint. 3. Quando præcipit valde utilia ad rectam observantiam regulæ & status, si non sint valde difficilia seu ardua. 4. Quando præcipit valde utilia ad honestatem status, vel ad bonum commune Ecclesiæ, a qua Religiosi habent suam institutionem, directionem, & privilegia, si ea non sint valde ardua supra rigorem regulæ vel status. 5. Quando præcipit ex suo genere quidem indifferentia, quæ tamen in particulari circumstantia videntur Superiori utilia ad honestatem vel bonum Monasterii, nisi manifeste appareat præceptum Superioris repugnare legi Divinæ vel Ecclesiasticæ, vel bono communi Ecclesiæ, aut Ordinis aut Monasterii, aut necessitati privatæ ad vitam suam & functionem recte obeundam. Vide dicta in *Tr. de Conscientia Disp.* 2. *q.* 4. *object.* 5.

§. II.

De Officio & Obligatione Parochi.

QUæritur 1. Quid sit Parochus?

Respondeo. Parochus est Minister Ecclesiæ ad prædicationem Verbi divini, administrationem Sacramentotorum, & animarum directionem in viam perfectionis christianæ pro loco particulari ab Episcopo stabiliter institutus. Parochi vocantur alicubi etiam *Plebani*, *Curati*, *Rectores.*, *Sacerdotes proprii*.

Quæritur 2. Quomodo differat Parochus a *Vicario?*

Respondeo. Parochus differt a Vicario per hoc, quod Parochus suo nomine seu authoritate propria, Vicarius autem alieno nomine seu ex commissione alterius particularis Rectoris Animarum gerat curam Ecclesiæ Parochialis. Quamvis enim nemo alieno nomine possit prædicare, baptizare, consecrare, absolvere &c. potest tamen alieno nomine curare rectum ordinem divinorum, redditus Ecclesiæ, & bona parochialia. Hinc in illis Diœcesibus, in quibus more veteri Episcopus Ecclesiis particularibus nullum præficit Rectorem particularem stabilem, solus Episcopus est Parochus omnium Ecclesiarum suæ Diœcesis. Idem contingit, quando plures Canonici vel beneficiati per turnum v. g. hebdomadatim vel menstruatim curam animarum exercent. In tali enim statu *cura habitualis* animarum manet penes Rectorem Ecclesiæ principalem, nempe penes Præsidem, vel penes Collegii Præfectum. Effectus hujus curæ habitualis est, quod moriente Vicario ejusmodi temporaneo ad nutum, vel per vices amovibili a Rectore, non cen-

sea-

featur vacare Parochia, sed ea interea ex dispositione Rectoris principalis possit provideri de alio Vicario per Diœcesim generaliter approbato, donec novus Vicarius localis possit commode pro approbatione sisti Ordinario.

Quæritur 3. Quomodo differat Parochus a Vicario perpetuo?

Respondeo. Vicarius perpetuus ab Episcopo institutus quoad spiritualia in omnibus æquiparatur Parocho, & vere sortitur nomen Parochi; quoad regimen vero reddituum, & bonorum Ecclesiasticorum Ecclesiæ ac domus Parochialis exercet solum Vicariam potestatem relate ad Rectorem principalem.

Quæritur 4. Quomodo differat Parochus a Beneficiato Curato?

Respondeo. Parochus differt a Beneficiato Curato, quod ille gaudeat jure prædicandi Verbum divinum, administrandi Sacramenta, & dirigendi ad perfectionem animas modis sibi placitis, idque *authoritate propria*. Beneficiatus vero Curatus solum habet potestatem administrandi Sacramenta & prædicandi Verbum Divinum *ex commissione Parochi*, *& ex delegatione jurisdictionis* in Parochianos.

Quæritur 5. An Parochus in suos Parochianos habeat jurisdictionem etiam externam, v. g. statuendo pœnas, vel dispensando a legibus?

Respondeo, *Negative*.

Ratio est, quia hæc potestas nullibi reperitur concessa. Possunt tamen in casu particulari, vel in casibus repentinis, in quibus non potest statim recurri ad Episcopum, habere *potestatem provisionalem* dispensandi, quantum & quousque necesse est, si ita velit vel conniveat Episcopus, vel quatenus eam potestatem tenetur tacite delegare Episcopus. Hoc sibi bene notent parochi pro casibus urgentissimæ necessitatis, quando opus est dispensatione Episcopi in votis vel impedimentis occultis, & ille adiri nequit, nec remedium differri possit sine magno scandalo, damno, turbatione, vel periculo animarum. Censetur enim Vicario, Delegato, Procuratori id omne delegatum, sine quo officium recte implere nequit.

Quæritur 6. Qualis sit obligatio Parochi ante suam institutionem?

Respondeo. Parochus ante institutionem tenetur, 1. *Depurare suam intentionem* ab omni immixto vel concomitante inordinato affectu temporalium, puta honoris, commoditatis, aut lucri, ita ut curam Parochialem unice suscipiat ex amore Dei & Zelo animarum. Nam *D. Thomas* Quodl. 9. art. 15. C. scribit: *Cum intentione*, *ut aliquis sit ditior*, *ut lautius vivat*, *beneficium habere*, *esset illicitum*. Et *D. Antoninus* p. 2. Summæ Tit. 3. C. 5. §. 4. scribit: *Quærere & appetere hujusmodi curata* (beneficia) *principaliter propter honores & divitias*, *videtur esse mortale*. Et *S. Leo* Epist. 85. *Principatus* (Ecclesiasticus) *quem ambitio occupavit*, *etiamsi actibus suis & moribus non offendat*, *ipsius tamen initii sui exemplo pernitiosus est*, *& difficile*, *ut bono peragantur exitu*, *quæ malo sunt inchoata principio*. Formulam bonæ Intentionis sæpius a Parocho renovandam reperies in *meo Devotionali piorum Sacerdotum*. 2. Tenetur habere firmum propositum, expendendi in causas pias omnes redditus Ecclesiasticos intuitu laboris Clericalis partos, prout ostensum est in *Tract. de Justitia*. 3. Tenetur habere manum & mentem a labe Simoniaca puram, de qua actum est in *Tract. de Decalogo Sect.* 1. Ubi tamen in praxi observandum est; Pœnas in Simoniacos jure Ecclesiastico latas non incurri, si crimen non sit *certo* Simoniacum, & *certo* peccatum mortale, & non per ignorantiam *affectatam*, vel *crassam* affectatæ æquiparandam, commissum, prout universim in pœnalibus observo & in *Tract. de Legibus* dictum est.

Quæritur 7. Quænam sint requisita in Parocho ad legitimam Institutionem?

Respondeo Ut Parochus legitime instituatur in Parochia, requiritur 1. ætas viginti quinque annorum saltem inchoata. Ita statuitur in Concilio Generali Lateranensi, prout refertur C. *cum cun-*

ctis

ctis. §. *inferiora* ; & C. *licet Canon.* de Elect. in 6. Hinc sequitur, eum, cum quo circa ætatem dispensatum est ad Presbyteratum, necdum esse capacem Curæ Parochialis sine nova dispensatione Pontificia. Neque enim Episcopus dispensare potest circa hoc requisitum, cum requiratur per legem duorum Conciliorum Generalium. 2. Requiritur, ut, si Patronus fuerit Ecclesiasticus, ad requisitionem Episcopi subeat Examen coram Examinatoribus Synodalibus in ordine ad inquirendum, quis in Concursu appareat dignior? Et tenetur se submittere judicio Examinatorum ac Episcopi, nisi is qui sibi præfertur, fuerit manifeste minus dignus, de qua re inspicienda est Epistola Decretalis SS. D. N. *Benedicti XIV.* scripta 9. Apr. 1746. ad Archiepiscopum Florentinum, quam inserui in *Append. Theol. Eclect.* 3. Requiritur, ut ab Examinatoribus pro digniori habitus, vel a Patrono præsentatus, se Ordinario pro speciali examine in ordine ad approbationem pro Cura sistat, atque ab eodem in Parochia instituatur. Ubi tamen notandum, quod in Provinciis, in quibus administratio omnium bonorum Ecclesiasticorum per Concordata, vel antiquissimam consuetudinem a pluribus Sæculis pertinet ad Principem, Parochus instituatur ab Episcopo in Ecclesia ad spiritualia, a Principe vero in ædibus Parochialibus ad temporalia, prout moris est in Bavaria.

Quæritur 8. Quæ sit formula Institutionis in Parochia?

Respondeo. *Barbosa* de Officio & Potestate Parochi l. 1. c. 2. affert hanc: *Rodericus Episcopus &c. Vacante nuper Beneficio N. N. fuerunt vocati omnes de sic vacante Ecclesia provideri volentes. Tandem prævio rigoroso Examine per tres Examinatores in diœcesana Synodo deputatos fuisti repertus, habitus, & existimatus magis idoneus ad hanc Parochialem Ecclesiam regendam. Nos igitur tibi Parochialem eandem cum illi forsan annexis juribus & pertinentiis conferimus & assignamus, de illaque te coram Nobis propter hoc flexis genibus humiliter constitutum per Birreti Capiti tuo impositionem investimus, &c.*

Quæritur 9. Quæ sit formula actualis Introductionis in possessionem Parochiæ?

Respondeo. *Barbosa* pro actuali captione possessionis affert sequentem formulam. *In nomine Domini*, *Amen*. *Anno*. -- *in mei Notarii præsentia constitutus Presbyter N. N. tenens in manibus collationis & provisionis de Ecclesia* .... *litteras D. Executori N. N. easdem tradidit*, *eumque*, *ut se in possessionem Ecclesiæ .... poneret*, *requisivit*, *qui attendens*, *requisitionem hujusmodi esse justam*, *dictum N. N. in corporalem*, *realem*, & *actualem possessionem Parochialis Ecclesiæ*, *juriumque*, & *pertinentiarum per traditionem*, *tactum*, & *palpationem clavis*, & *annuli*, *atque introitum ad Altare*, & *pulsationem campanarum ejusdem Ecclesiæ ... nemine contradicente posuit & introduxit*; & *omnibus Parochianis*, *ut dicto N. N. de fructibus*, *redditibus & proventibus dictæ Ecclesiæ loco & tempore congruis responderent*, *præcepit*, *&c.* In aliis Provinciis, in quibus administratio bonorum Ecclesiasticorum subjacet curæ Principis, tenor introductionis in possessionem, ne novationibus locus relinquatur, bene inspiciendus est. Videri potest *Monacellus*, in *Formulario Legali Practico*

Quæritur 10. Quæ sit obligatio Parochi Instituti ad deponendam professionem fidei?

Respondeo. Parochi post adeptam pacificam possessionem suæ Parochiæ tenentur intra duos menses emittere fidei Professionem coram Episcopo vel aliquo ejus Vicario, deputato ad hunc actum. Ita statuit Concilium Tridentinum sess. 24. c. 12. his verbis: *Provisi de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi*, *vel eo impedito coram Generali ejus Vicario*, *seu Officiali orthodoxo suæ fidei publicam facere professionem*, & *in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent*. Formula professionis fidei, quæ finito Concilio Generali a Pio IV. edita est,

repe-

reperitur in Ritualibus & in Statutis Synodalibus. Porro ea professio emitti potest etiam per Procuratorem, speciali mandato præditum, dummodo mandans prius legerit, & distincte sciat, quod juratur. Pœnæ differentium vel omittentium professionem, quæ incurruntur in foro externo post sententiam Judicis a die elapsi bimestris, sunt sequentes, 1. amissio fructuum decursorum post lapsum duorum mensium. 2. quod omittens talem professionem non possit se tueri etiam longissima possessione in ordine ad lucrandos fructus durante omissione perceptos. *Barbosa* c. 3. l. cc. Immo Azor, Ledesma, Garcias, & alii censent, quod omittens professionem ne quidem pro foro interno faciat fructus suos, quia Tridentinum verbis præfatis subjungit: *Alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur*. Cum Barbosa tamen sentiunt Navarrus, Eman. Rodriquez, & Sanchez, & hæc opinio mihi videtur verior; quia Tridentinum non disponit his terminis *de dominio perfecto* bonorum Ecclesiasticorum, cujus Clerici sunt jure divino incapaces, prout in Tractatu de Justitia docui, sed tantum *de administratione*.

Quæritur 11. Qualis sit obligatio Parochi ad recipiendum intra annum Presbyteratum?

Respondeo. Parochus tenetur a die captæ pacificæ possessionis intra annum recipere Ordinem Presbyteratus. Si hoc negligat, ipso jure privatus est beneficio. Ita statuit *Bonifacius VIII. C. licet Canon* De electione in 6. his verbis: *Licet Canon a. f. r. Alexandro III. editus statueris, ut nullus regimen Ecclesiæ Parochialis suscipiat, nisi XXV. ætatsi annum attigerit, & quod talis, si monitus non fuerit præfixo tempore in Presbyterum ordinatus, a regiminis ejusdem amoveatur officio, & alii conferatur; quia tamen in observatione præfati Canonis se multi exhibent negligentes, statuimus collationes de parochialibus Ecclesiis iis, qui non attigerint XXV. annum, viribus omnino carere. Is etiam, qui ad hujusmodi regimen assumetur, intra annum, a sibi commissi regiminis numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis Constitutionis authoritate privatus*. Ex hoc textu infero, cum Tridentinum requirat in Ordinandis Interstitia, neminem sine speciali dispensatione posse ad Parochiam promoveri ante susceptionem actualem Subdiaconatus. Ex eodem textu infert *Barbosa* cum aliis authoribus. 1. quod infra annum non recipiens Presbyteratum, in conscientia non possit retinere beneficium, teneaturque ad fructuum restitutionem. 2. quod ad omnium, etiam intra annum perceptorum, fructuum restitutionem teneatur etiam ille, qui Parochiam accepit animo absoluto eam dimittendi, & non suscipiendi Sacerdotium. 3. quod ille, qui declaratur privatus beneficio ob neglectam susceptionem Sacerdotii, non possit ea vice iterato beneficium recipere, prout declarat idem Bonifacius VIII. l. cc. C. *commissa*. Ceterum si quis impeditur impedimento sibi non libero a susceptione intra annum Presbyteratus, ei annus non currit, prout hoc C. commissa, habetur.

Quæritur 12. Qualem obligationem Parochus habeat quoad prædicationem Verbi divini?

Respondeo. Parochus tenetur omnibus diebus Dominicis & festis solennibus per seipsum, nisi impeditus fuerit, prædicare Verbum Dei. Quod si monitus trium mensium spatio id neglexerit, per censuras, vel fructuum pro alio Concionatore separationem compelli potest. Ita statuit ac declarat Concilium Tridentinum Sess. 5. C. 2. his verbis: *Archipresbyteri, Plebani, & quicunque parochiales Ecclesias, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & festis solennibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, virtutes quas sectari oporteat, ut pœ-*

pœnam æternam evadere, & cęlestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet, pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Idem Concilium Sess. 24. C. 4. eam obligationem prædicandi extendit in Adventu & Quadragesima, ita ut hoc tempore quotidie, vel saltem ter in hebdomada fieri debeat. Concilium sic habet. *Prædicationis munus cupiens Sancta Synodus, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri, mandat, ut Episcopi in Ecclesiis per parochos, sive iis impeditis per alios, saltem omnibus Dominicis, & solennibus diebus festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias, quotiescunque id opportune fieri posse judicaverint.* Ita Concilium. Similia habentur Sess. 24. C. 7. inferius *quæst.* 14. referenda. Censeo tamen, in Quadragesima & Adventu extra majores Urbes commode satisfieri posse, si Parochi in suis Ecclesiis opportuno tempore, v. g. vespertino instituant Meditationes seu Considerationes, tractim prælegendo duo vel tria puncta consideranda cum congruis affectibus, & devotionibus, prout SS. Domini Nostri Benedictus XIV. in suo Decreto in Appendice meæ *Theologiæ Eclecticæ* allegato ordinat. In hunc finem servire possent Meditationes *Ludovici de Ponte de Vita Christi* in faciliorem formam contracto a P. *Frizon* S. J. quæ etiam in idioma germanicum versa prodiit *Manhemii* sub Titulo:

Quæritur 13. Quæ sit obligatio Parochi quoad Catechesin?

Respondeo. Concilium Tridentinum obligat ad habendam diebus Dominicis & festis præter Concionem etiam Catechesin. Sess. 24. C. 4. sic habet: *Episcopi etiam saltem Dominicis & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent, non obstantibus privilegiis & consuetudinibus.* Ita S. Synodus. Hinc gravissimam rationem reddent Deo, qui sub prætextu antiquæ consuetudinis hanc partem ministerii Parochialis notabiliter negligunt. Si enim adulti semper instar horologii de novo excitandi atque animandi sunt, ne sistant, & sistente timore divino contrahant vitium, multo magis in pueris & juvenibus id accidere solet, quorum adhuc volubilis & insensibilia illicia pronior est animus. Id animadvertens *D. Paulus* sub interminatione divini judicii obtestatur Timotheum 2. Ep. C. 4. his verbis: *Testificor coram Deo & Christo Jesu, qui judicaturus est vivos & mortuos, & per adventum ejus & regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune, opus fac Evangelistæ* (hoc est, Præconis Evangelii), *ministerium tuum imple*; qua admonitione Apostolus sine intermissione, etiamsi aliquando hoc nonnullis importunum videatur, prædicationi & instructioni *instandum* esse docet. Sic & ad Phil. 3. v. 1. scribit: *Mihi quidem eadem vobis scribere non pigrum, vobis autem necessarium.* Et D. Petrus 2. Ep. 1. *Incipiam vos semper commonere de his, & quidem scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. Justum arbitror, quam diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione.* In quem sensum etiam D. Petrus Act. 6. dicit: *Non est æquum; nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis -- Nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Neque ab hac obligatione Parochi dispensantur ex prætextu, quod frequens iteratio sermonis non multo majorem aut nullum

spon-

spondeat fructum. Ut enim D. Chrysostomus in 1. Cor. C. 1. scribit: Si *non persuaseris hodie, cras persuadebis. Quod si nunquam persuaseris multis, paucis inter multos poteris persuadere. Nam & Apostoli non omnibus persuaserunt, locuti sunt tamen omnibus, & mercedem, quæ debetur pro omnibus, habuerunt. Non enim ex exitu eorum, quæ recte fiunt, sed ex mente eorum, qui recte faciunt, solet Deus coronas definire. Non ergo propter desiderium magnorum vel multorum te a paucis subtrahas. Si non potes hominum centum, decem curam gere. Si decem non potes, quinque ne despicias. Quod si quinque non potes, unum noli despicari. Quod si nec unum possis, noli animum despondere.* Idem confirmat *D. Bernardus* l. 4. de Consid. his verbis: *Fac tu, quod tuum est. Nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga, & tuas explevisti partes. Sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus. Ubi vero noluerit, tibi deperit nihil. Medici est, medicamenta adhibere. Non est in manu Medici semper, relevetur, ut æger. En, plaga tibi incumbit, cura eam; curam exigeris, non curationem.* Et ne quis existimet, hæc D. Chrysostomi ac D. Bernardi monita solum esse pia consilia, quæ sine periculo damnationis præteriri possint, audiamus *D. Prosperum* l. 1. de vita contempl. c. 22. ubi ait: *Sacerdotes ideo rei sunt, non quia forte populi eorum verba non audiant, aut audita contemnant; sed si ab iis corrigendis desistant.* Et *Beda* in Prov. 11. *Qui prædicationis verba retinet, maledicetur in populis, quia in solius culpa silentii pro multorum, quos corrigere potuit, culpa damnatur.*

Quæritur 14. Quænam particulatim a Parocho in concione & Catechesi sæpius explicanda sint?

Respondeo. Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 7. vult, ut præ aliis frequentius explicentur. 1. Natura & effectus Sacramentorum ex Catechismo Concilii Tridentini. 2. Libri Historiales Sacræ Scripturæ per omnia Capita cum reflexionibus Moralibus. 3. Libri Sapientiales S. Scripturæ, ac præsertim Sermones Morales Christi & Apostolorum excerpendi ex Evangeliis & Epistolis Canonicis. 4. Orationes, preces, atque actiones Sacerdotis in Missa. 5. Incitamenta ad virtutes, & dehortationes a vitiis. 6. Obedientiam erga Decreta Romanæ Ecclesiæ & Conciliorum Generalium. 7. Mortificatio carnis per jejunia. 8. Devotiones festivæ. 9. Obedientiam erga Superiores. Hæc omnia inculcat Concilium Tridentinum in variis locis. Loco 1 1. sic habet: Ut *fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit S. Synodus Episcopis omnibus, ut non solum, cum hæc per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie prudenterque etiam lingua vernacula si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a S. Synodo in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a parochis omnibus populo exponi curabunt; necnon ut inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem Sacra Eloquia & Salutis monita eadem vernacula lingua NB. singulis diebus festis vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.* Et Sess. 22. C. 8. *Mandat S. Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.* Hoc loco Concilium per ea, quæ in Missa leguntur, sine dubio intelligit, preces, Epistolas, Prophetias, Evangelia, &c. Et Sess. 25. in Decreto finali. *Hortatur S. Synodus, & per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut illa omnia, quæ Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater & magistra statuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quam*

in aliis œcumenicis statuta sunt, fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur: ut iis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus & jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota & religiosa celebratio; admonentes populos crebro obedire præpositis suis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient. Hucusque Concilium.

Quæritur 15. Quænam sint aliæ obligationes Parochi?

Respondeo. Concilium Tridentinum Seff. 23. C. 1. enumerat sequentes his verbis: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, declarat Sacrosancta Synodus, omnes obligari ad personalem in sua Ecclesia residentiam, neque abesse posse, nisi ex causis & modis infrascriptis.*

Quæritur 16. Qualis sit obligatio Parochi quoad residentiam.

Respondeo. Parochis non licet abesse a sua Parochia ultra bimestre etiam cum licentia Ordinarii, nisi ex causa gravi. Censetur autem gravis causa, ubi reperitur Christiana charitas, vel urgens necessitas, vel debita obedientia, aut evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. In sua absentia tenentur constituere idoneum Vicarium. Si absint sine causa legitima & licentia, pro rata temporis absentiæ fructus non faciunt suos. Hæc omnia statuuntur a Concilio Tridentino partim Seff. 23. C. 1. partim Seff. 6. C. 1. & 2. In priori loco, postquam docuerat, Ecclesiis Cathedralibus Præfectos obligari ad residentiam, in sua Ecclesia, Episcopos in sua Diœcesi, nec eos abesse posse, nisi ex causis & modis in Concilio expressis, hæc subjungit: *Cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, decernit S. Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente a Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, in scriptis esse approbandas. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, S. Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos aut ad summum tres menses excedere, & haberi rationem, ut id ex æqua causa fiat, & absque ullo gregis detrimento. Si quis autem contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, statuit S. Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas, ac mortalis peccati reatum, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare prohibita quacunque compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur. Eadem omnino etiam quoad culpam* (mortalem) *amissionem fructuum & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, S. Synodus declarat & decernit, ita tamen, ut quandocunque eos causa prius per Episcopum cognita & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentia in scriptis gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineat. Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per Censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliaque*

juris remedia, *etiam usque ad privationem compellere*.

Quæritur 17. Quænam sit obligatio Parochi quoad applicationem Missæ Parochialis?

Respondeo 1. Parochi qui habent sufficientes redditus constantes pro sua congrua sustentatione, tenentur applicare Missam Parochialem pro suis parochianis omnibus Dominicis & festis de præcepto, in quibus ex præcepto Ecclesiæ tenentur legere Missam.

Respondeo 2. Parochi habentes sufficientes constantes redditus pro congrua sustentatione, qui etiam sub hebdomada ex ipsa primæva parochiæ fundatione tenentur quotidie vel aliquoties legere Missam, tenentur toties pro parochianis applicare Missam, quoties ex ejusmodi fundatione tenentur legere Missam.

Respondeo 3. Parochi, qui solum habent tenues redditus, hoc est, qui solum sufficiunt ad honestam sustentationem sufficientia infima, possunt in diebus Dominicis & festis minus solemnibus accipere eleemosinam & applicare Missam pro particulari persona, ita tamen ut intra hebdomadam suppleant applicationem pro parochianis.

Respondeo 4. Parochi, qui non habent sufficientes constantes redditus pro congrua sustentatione, non tenentur applicare pro populo, nisi in iis diebus festis, in quibus fiunt generales oblationes a populo.

Respondeo 5. Tenentur tamen etiam illi Parochi, qui non habent sufficientes constantes redditus pro congrua sustentatione, in omnibus diebus Dominicis & festis de præcepto applicare Missam saltem secundario pro parochianis.

Ratio horum omnium Responsionum est, quia fructus Sacrificii Missæ, quod idem est cum Sacrificio Christi in cruce, de se in actu primo est infinitus, omnibus præparatus & applicabilis rite dispositis pro sua cujusque dispositione, *applicatio* vero nihil aliud est, quam solennis deprecatio Sacerdotis, qua Sacerdos Deum orat, ut fructum indefinitum hujus Sacrificii cæteris paribus copiosius largiri velit conferenti eleemosinam. His autem præsuppositis rationi, exspectationi fidelium, & tacito contractui inter parochianos & parochum, conformius est, ut in positis casibus a parocho fiat *deprecatio* Sacerdotis *primaria* vel *secundaria* pro populo. Si enim parochus non habet congruam sustentationem constantem a populo, v. g. ex decimis, bonis prædialibus, vel aliis redditibus moraliter stabilibus, certis, ac fixis, populus prudenter nequit esse invitus, si parochus in oblatione Sacrificii pro omnibus primario meminerit sui benefactoris conferentis eleemosinam, dein primum sui populi, ac dein assistentium Missæ. Econtra si parochus habeat suam honestam sustentationem a populo ex Decimis, vel ex bonis prædialibus, quæ, prout ex *Capitularibus Regum Franciæ* apud Baluzium videre licet, jussu Ludovici Pii a Communitatibus fuerunt assignata Parochis in tota Gallia & Germania, populus rationabiliter posset esse invitus, si Parochus in sua solenni oblatione Sacrificii seu deprecatione pro omnibus primario meminisset alterius benefactoris, quam sui. Tota perplexitas ac turbatio in hac materia fuit exorta ex male intellecta divisione triplicis fructus Sacrificii, Sæculis primis tredecim prorsus incognita, quam omnium primus sæculo decimoquarto Scotus invexit. Non enim ea divisio sic intelligenda vel admittenda est, quasi jam per se ex anticipata destinatione ac partitione Christi alius fructus generalissimus sit communicabilis Ecclesiæ, alius specialis sit pro arbitrio Sacerdotis communicabilis, cui voluerit, & alius specialissimus pertineat ad Sacerdotem; sed tantum in eo sensu admittenda est, quod sicut Sacerdos in Missa facit triplex *memento*, seu oblationem & deprecationem, nempe pro tota Ecclesia & ejus præcipuis membris, dein pro benefactoribus servato eorundem debito ordine, ac denique pro circumstantibus ac seipso, ita etiam triplicis Classis gratiæ pro triplici genere hominum juxta quorumlibet dispositionem atque habitudinem a Deo sperari possint. In hanc explica-

tionem D. Thomas p. 3. q. 22. a. 4. ad 1. congruenter ſcribit: *Sacerdotes effectum Sacerdotii ſui* (in Sacrificio Miſſæ) *participant*, *non inquantum Sacerdotes*, *ſed inquantum peccatores*. Cæterum, quod Parochus habens congruam ſuſtentationem ſtabilem a populo juxta modum congruentiæ generaliter taxatum ab Epiſcopo teneatur modis præfatis applicare Miſſam, fuſe probo infra §. 9. num. XXXVII. ubi agitur de obligatione Epiſcoporum urgendi hanc applicationem. Idem probatum reperies in *Tractatu de Sacramento Ordinis* §. 23. qq. 22. ex declarationibus Cardinalium per centum annos invariatis, quod eſt certum indicium, jus naturale ac divinum in hac re adeo eſſe liquidum, ut nullam omnino admittat variationem ingeniorum in iis, qui rem ex principiis intrinſecis examinant.

Quæritur 18. Qualis ſit obligatio Parochi quoad adminiſtrationem baptiſmi?

Reſpondeo. Obligationes Parochi ſunt 1. Moneat frequenter matres tam publice quam privatim, præſertim quando coram ipſo contrahuntur ſponſalia, ne geſtatione vel ſublevatione onerum, vel aliis modis, prolibus in utero mortis periculum creent. Similiter oblata occaſione opportuna moneat patres, ne uſu immoderato conjugii intumeſcente jam utero prolem exponant periculo. Obſtetrices in magnis urbibus expertæ teſtantur, in earum potiſſimum parturientium partu magnam exire fœcum copiam, quæ ultimis gravidationis menſibus immoderatum uſum conjugii pati debuerunt. Moneant etiam Matres, ut proles, quas geſtant in utero, frequenter inter fervidos actus charitatis Deo commendent & offerant. 2. Acriter invehantur in enorme crimen procurationis abortus, quo ſcelere multæ proles ſine baptiſmo decedunt. 3. Curent, in ſua parochia haberi peritas obſtetrices, quas de requiſitis & forma baptiſmi examinent, aut inſtruant. Quod ſi in arte obſtetricandi imperitas judicent, faciant eas ab aliis peritis obſtetricibus, vel Medicis, vel Chirurgis inſtrui per collectationem ſumptuum, aut impenſis Eccleſiæ. Procurent iis etiam libros de hac arte, v. g. *Obſtetricem Viennenſem*, *Berolinenſem*, *Baſileenſem authore Fatio*, editos germanice, in Germania. 4. Eaſdem inſtruant de baptiſmo conditionato nondum perfecte natorum ex utero. Ipſimet vero Parochi talem baptiſmum non adminiſtrent, ſed eum curent miniſtrari per laicam perſonam. 5. Vocati ad baptiſmum non differant ejus adminiſtrationem, niſi moraliter certi reddantur, abeſſe in prole mortis periculum. 6. Patrinos recuſent ad hoc munus non idoneos, quos ſuo tempore prolis in educatione bona curam habituros ſperare non licet. 7. Nomina invitis parentibus vel Patrinis non obtrudant imponenda infantibus. 8. Infantes ex utero habitos pro mortuis non ſinant detineri in aere intemperato, nec patiantur eos deferri in loca remota ad imagines, quas vocant Thaumaturgas, nec eas ſepeliant, donec in iis reperiatur certum mortis indicium, v. g. ex gravi odore cadaverico, rigore membrorum &c. De qua re vide dicta in *Tractatu de Baptiſmo*.

Quæritur 19. Qualis ſit obligatio Parochi circa adminiſtrationem Euchariſtiæ?

Reſpondeo. Parochus 1. nullum parochianum a frequenti uſu Sacramenti Euchariſtiæ, etiamſi per hebdomadam ſæpius iterato, excludat, niſi manifeſte & notorie indignus ſit, aut Miſſam & Concionem parochialem propterea omittat, aut niſi per hoc cauſentur lites domeſticæ, vel ſcandalum juſtum. 2. Pueris & puellis, quantumvis ſolum dubie capacibus, præſertim in articulo mortis, hoc Sacramentum non differat. 3. Ad ægros Euchariſtiam, ſi ob paupertatem ejus ſumptionem protrahant, gratis deferre ſpondeat. 4. Frequentem uſum S. Communionis, ſaltem menſtruum, omnibus ſuadeat. Videantur, quæ ſcripſi in Tract. *de Sacramento Euchariſtiæ*.

Quæritur 20. Quodnam ſit Officium Parochi circa adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ?

Reſpondeo. Parochus 1. omnibus ſuadeat expurgationem conſcientiæ ſaltem menſtruam, puta, tertia, quarta, vel quin-

quinta circiter hebdomada, in quem finem serviet erectio alicujus Confraternitatis habentis annexam devotionem quandam solidam menstruam, v. g. de SS. Sacramento, de SS. Nomine Jesu, de Crucifixo, de bona morte, de Rosario. 2. Circa peccata pœnitentium præterita sit mansuetus & misericors; ad præcavenda autem futura omnem adhibeat curam. Illos, qui gravitatem peccati non ponderant, ad eam ponderandam excitet graviori pœnitentia; occasiones peccatorum diligenter inquirat, & serio sub comminatione denegandæ alias absolutionis præscindat, consuetudinem peccandi indaget, & remediis opportunis corrigat. 3. Ægros etiam non vocatus invisat atque ad confessionem animet. 4. In diebus festis & Dominicis stato tempore ante & post divinum Officium in Confessionali publico sedeat, ut hoc modo parochianos ad confitendum excitet.

Quæritur 21. Quodnam sit Officium Parochi quoad administrationem Extremæ Unctionis?

Respondeo. Parochus 1. hujus Sacramenti finem & effectum singulis annis vel bienniis publice explicet. 2. ægro lente ac tractim ea, quæ in Rituali in idiomate vulgari continentur monita, intelligibiliter prælegat, aut verbis propriis in memoriam revocet. 3. ægrum propositis motivis ad actus pœnitentiæ, resignationis, & fervidæ charitatis excitet. 4. Preces in Rituali præscriptas pro impetranda ægris necessaria gratia perfectæ conversionis sine gravi causa non abbreviet, sed integras lente ac devote recitet. 5. Populum ad consimiles preces excitet. 6. Hinc ad ista post S. Communionem tranquillius peragenda consultius videtur, si more Romano unam solum ad ægrum deferat Hostiam.

Quæritur 22. Quodnam sit Officium Parochi quoad administrationem Matrimonii?

Respondeo. Parochus diligenter moneat populum, ab iis incurri excommunicationem, qui scienter contrahunt in gradu prohibito, vel qui liberos cogunt ad contrahendum matrimonium. 2. Sponsum & Sponsam moneat, quantum referat, ut contrahant in statu gratiæ, ne priventur gratia Sacramentali & jure ad gratias extraordinarias Sacramentales futuris temporibus sibi necessarias. 3. Eosdem moneat de præfigendo sibi certo ordine devotionum, & actionum in gubernatione familiæ observando. Quo enim ordine inchoantur matrimonia, in eodem regulariter perseveratur. 4. Ante omnia iis inculcet serium propositum curandi, ut liberi instituantur in pietate, & in legendi ac scribendi peritia. 5. Iis præcipue commendet pacem, concordiam, & reciprocam in silentio tolerantiam. 6. Sponsos non bene institutos in Doctrina Christiana suspendat, quantum fieri potest, a matrimonio, donec eam actu didicerint. De usu matrimonii eos non instruat, sed tantum de peccatis in conjugio cavendis moneat in genere, quoad alia dubia eos ad Confessarios remittat.

Quæritur 23. Quodnam sit officium Parochi circa ægros aut moribundos?

Respondeo. Parochus 1. ægros frequenter visitet, commiserationem & studium juvandi monstret, brevi aliquo textu Scripturæ ad patientiam, spem in Deum, amorem, vel alium pium affectum excitet, & visitationem pia aliqua Litania & aliis brevibus orationibus lente prælegendis finiat. 2. In discursu opportune nonnulla interdum de vanitate mundi, brevitate vitæ, amore & patientia Dei erga homines, incertitudine horæ supremæ, desiderio beatæ vitæ, &c. inserat. 3. Periculose decumbentes moneat de examinanda conscientia; an nullo teneantur juramento vel voto, quod necdum impleverint? an nullis obligentur ad restitutionem bonorum vel famæ? an erga neminem foveant inimicitiam, vindictam, vel aversionem animi? an nulla contraxerint debita adhuc solvenda, liquidanda, vel assecuranda? an non versetur in occasione proxima vel propinqua statim removenda? an nil in se reperiat, quod aliis causet scandalum vel offendiculum? an nulla laboret prava consuetudine mortali vel veniali, nunquam serio congruis mediis emendata? an negotia sibi con-

credita in ordinem redegerit? &c. 4. laborantes morbo variabili ac facile declinante in periculum modis omnibus saltem ad confessionem inducat. 5. moribundos, quos extremis Sacramentis providet, ad actus perfectæ charitatis excitet, eos ad lucrandam in articulo mortis Indulgentiam plenariam, Confratribus Confraternitatum indultam disponat, atque ad satisfaciendum congrue pro suis peccatis, si forte reconvalescerent, moneat, aut pœnitentiam delictis, & viribus proportionatam simul cum alia modica statim persolvenda in casum reconvalescentiæ, prout Ecclesia antiquitus consuevit, imponat. 6. Moribundum de matura dispositione legitima suorum bonorum admoneat. 7. Domesticos in præsentia ægroti hortetur, ut bene ac Christiane inserviant, & coram illius lecto quotidie bis, ter, quater, ac sæpius alta voce breves aliquas orationes, aspirationes, vel partes Litaniarum, præsertim de SS. Nomine Jesu, ac Passione Domini recitent, ægro Crucifixum exosculandum porrigant, eumque aqua benedicta aspergant. 8. Agonizantibus nisi necessario Officio publico impediatur, ipsemet usque ad extremum halitum, quantum vires & aliæ functiones magis necessariæ admittunt, assistat.

Quæritur 24. Quodnam sit Officium Parochi quoad institutionem & directionem Scholarum?

Respondeo. Parochus omni modo possibili curet. 1. ut in sua parochia habeantur boni Ludimagistri, quorum Scholam omnes pueri & puellæ frequentent, ut saltem discant legere pios libros. 2. pro infantibus pauperum, ut Magistris possint solvere consueta pro instructione, collectationem instituat, benefactores inquirat, vel ipse contribuat. 3. Scholam frequenter visitet, discentes examinet, ut una vel altera per hebdomadam die spiritualia seu Catechetica tractentur, provideat 4. ut infantes Cantilenas spirituales non paucas successive addiscant, easque frequenter, præsertim ante & post Scholam & Catechesin decantent, procuret. 5. Ut omnes Scholares uniformi quodam Catechismo ab Episcopo loci specialiter approbato utantur, suadeat.

Quæritur 25. Quænam sit obligatio Parochi, ut cognoscat oves suas?

Respondeo. Ut Parochus oves suas non tantum in genere, sed etiam in individuo agnoscat, requiritur, ut eas in variis libris annotatas habeat. Itaque habeat 1. Librum, in quo familias, & familiarum singularum personas cum ætatis nota, & de Sacramentorum præsertim ad salutem necessariorum receptione describat. 2. Librum baptismalem, in quo per columnas sint descripti baptizati cum parentibus & Patrinis, designato etiam die & anno. Parentes tamen illegitimorum notentur solum signo remissivo ad alium librum secretum, si alioquin timeatur scandalum. 3. Librum Matrimoniorum contractorum. 4. Librum mortuorum. 5. Librum Confirmatorum. 6. Notulam pauperum & miserabilium personarum suæ parochiæ.

Quæritur 26. Qualis debeat esse vigilantia Parochi supra suas oves?

Respondeo. Parochus semper apertos ac vigiles oculos circumferre, & per eos, qui in communitate virtute ac prudentia præstant, interdum caute exquirere debet. 1. An nulla serpat perversa doctrina in rebus fidei & morum? An nulli irrepant pernitiosi, superstitiosi, vel alias suspecti libri? 2. An nullæ foveantur superstitiones? 3. An nulli inveniantur nefarii seductores vel corruptores juventutis? 4. An habeantur periculosa nocturna conventicula juvenum & puellarum? 5. An alia reperiantur scandala vel abusus? 6. An nulla videantur oriri diffidia vel inimicitiæ, ut mature componantur? 7. An aliqui reperiantur pauperes, debiles, vel alias miserabiles, qui timentur a Dæmone absorberi barathro tristitiæ? 8. An utriusque sexus liberi, famuli, ancillæ, sinantur dormire in iisdem cameris, aut lectis? Ut ejusmodi dœmonum insidiis mature obvietur, omnem curam adhibeat Parochus adhibitis etiam precum subsidiis, & amicorum consiliis.

Quæ-

Quæritur 27. Qualis sit obligatio Parochi quoad recitationem Breviarii, vel eo omisso ad restitutionem fructuum?

Respondeo 1. Parochus a die captæ possessionis tenetur recitare Breviarium, etiamsi per dispensationem necdum sit constitutus in Sacris Ordinibus, & exiguos aut nullos adhuc percipiat fructus, dummodo habeat jus vel spem eos consequendi suo tempore; ita *Barbosa* p. 1. C. 10. de Parocho. 2. Parochus potest in Ecclesia Titulari recitare Officium de Sancto sub Ritu duplici. Idem licet Parochis de Sancto in Martyrologium inserto, cujus in parochiali aut filiali Ecclesia habetur insignis Reliquia, ab Ordinario approbata & recognita pro Reliquia Sancti ejusdem, qui continetur in Martyrologio. Censetur autem insignis Reliquia Corpus, Caput, brachium, crus, aut notabilis pars ejus membri, in quo passus est Sanctus. 3. Si Parochus ex culpa mortaliter peccaminosa omittat Breviarium vel integram Horam Canonicam, tenetur restituere fructus correspondentes diei, & parti omissæ. S. Pius V. in sua Constitutione: *Ex proximo*, modum restitutionis his verbis exprimit: *Si quis uno aut pluribus diebus totum Officium omisit, restituat fructus omnes, quos illo die vel illis diebus percepit. Si Matutinum omisit, restituat mediam partem fructuum respondentium illi tempori. Si reliquas sex Horas tantum, etiam restituat dimidiam partem. Si aliquam tantum ex illis sex, restituat tantum sextam partem fructuum talis diei* (*artificialis, computati ab ortu usque ad occasum solis.*) *Et sic tenetur solum sextam illius medietatis partem restituere*. 4. Ea restitutio fieri debet in *fabricam* Ecclesiæ, in qua habetur beneficium, vel in *pauperum eleemosinas*. Ita habetur in præfata Constitutione. Censeo autem, hoc loco intelligi pauperes physice tales, non vero eos, qui tantum sunt moraliter tales; neque etiam hoc loco intelligi animas purgatorii; quamvis, si reperiantur Sacerdotes vere pauperes, talis eleemosina possit iis impendi sine onere applicandi Missam pro se. Neque enim verosimile est, Pontificem admittere voluisse eum restitutionis modum, quo pecunia iterum indirecte reflueret in crumenam restituentis.

Quæritur 28. Quodnam sit Officium vel jus Parochi quoad celebrationem Missarum?

Respondeo. 1. Parochus in diebus festis tenetur celebrare Missam in Parochia propria. Ita censuit *S. Congregatio Trid.* Conc. 1629. 2. Non tenetur in Nocte Nativitatis dicere tres Missas, nisi aliud petat conventio tacita, vel lex charitatis ad vitandum scandalum. 3. Non potest cogere parochianos ad audiendam Missam in Parochia propria in majoribus urbibus; possunt tamen obligari ad audiendum verbum Dei in parochia propria *in oppidis, villis, & aliis locis extra civitatem*. Ita habetur in Notis ad Concilium Trid. sess. 24. C. 4. num. 9. 4. Missæ Votivæ dici possunt quocunque die non Dominica, nec Officii duplicis; nisi ex rationabili causa etiam in die Dominica aut festo Duplici aliud postulet rationabilis causa, qualis foret necessitas publica, aut pietas vivorum votivas solennes Missas postulantium, aut voluntas defunctorum fundatorum. 5. Missa de Requiem potest celebrari etiam in Dominicis excepto die Paschatis, vel alio Paschali solennitati æquiparando, & quibusvis festis, adhuc insepulto & in Ecclesia præsente Cadavere, ubi viget consuetudo sepeliendi cadavera post Missam. 6. Missa de Requiem tolerari potest in festo duplici, quod non est de præcepto, pro voluntate testatoris implenda. 7. Missæ certo die dicendæ eo impedito transferuntur in sequentem. 8. Missæ triginta D. Gregorii pro vivis & defunctis fuerunt prohibitæ, non vero illæ, quæ ex devotione leguntur per triginta dies pro solis defunctis, si continuum horum dierum non sumatur ita rigorose ac superstitiose, ut ex causa rationabili interpolari non possit. Similiter prohibita fuit Missa quindecim Auxiliatorum & de Patre æterno, prout *Barbosa* l. cc. C. 11. n. 29. testatur. 9. Parochus in casu necessitatis poterit quidem celebrare sine Ministro, in nullo autem casu licet in Mi-

Ministram adhibere fœminam, quia ex sensu Doctorum apud *Barbosam* l. cc. minor indecentia est celebrare sine Ministro, quam adhibere fœminam. 10. Parochus iis annis, in quibus redditus Anniversariorum fundatorum nec interveniente Judice Ecclesiastico nec Sæculari obtineri possunt, non tenetur celebrare Anniversaria, quantumvis confirmata ab Ordinario, nisi justum stipendium compensetur per auctarium annis anterioribus perceptum. Si autem ea vacatura reddit.uum duret ultra triennium, & nulla appareat spes redintegrandæ vel resuscitandæ per amicos fundatoris defuncti fundationis, postulanda est ab Ordinario Anniversarii reductio, vel commutatio, vel extinctio. Multo magis id locum habet, quando Anniversaria non fuerunt confirmata ab Ordinario.

Ratio horum est, quia ejusmodi fundationes referendæ sunt ad contractus bonæ fidei, in quibus inspicitur æqua intentio contrahentium etiam relate ad casus impræevisos, qualis præsumptive habita foret, si casus seu circumstantia fuisset prævisa. Non vero arbitror, primos constituentes anniversarii & parochum acceptantem onus obligaturos fuisse successorem pro tali casu.

Quæritur 29. Quæ sit obligatio Parochi quoad conservandam Ecclesiæ fabricam?

Respondeo 1. Parochi, si ex bonis & fructibus Ecclesiasticis necdum sæcularizatis ultra congruam sustentationem superfluos redditus percipiunt, tenentur pro eorum rata contribuere non solum ad fabricam & reparationem Ecclesiæ, sed etiam ad ejus decentem instructionem in altaribus, cathedris, vasis, paramentis, pavimentis, sedilibus &c. si bona Ecclesiæ ipsusmet ad hoc præstandum non sufficiunt. Ita statuit Concilium Tridentinum Sess. 21. C. 7. his verbis: *Ne ea, quæ Sacris ministeriis dedicata sunt, obsolescant, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, parochiales Ecclesias, quæ vetustate vel alias collapsæ sint, & ob eorum inopiam nequeant reparari, refici & instaurari procurent ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos cogant.* Et in C. *de his* De ædificandis Ecclesiis, Alexander III. dicit: *De his, qui parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem & institutionem* (hoc est, *ad instructionem*, prout in antiquo Manuscripto Codice apud Bohemerum relato habetur) *Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.*

Quæritur 30. Quæ sit obligatio Parochi quoad conservandam Ecclesiis debitam reverentiam?

Respondeo. Parochi tenentur, a suis Ecclesiis arcere omnia profana negotia vel acta, aliena a sacratione loci. Ita denuo statuit Concilium Tridentinum Sess. 22. in Decreto, his verbis: *Ab Ecclesiis eas Musicas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur; item sæculares omnes actiones, vana atque adeo profana Colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceantur, ut Domus Dei vere Domus orationis esse videatur & dici possit.* In eam Classem arcendorum ab Ecclesia Sacri Canones referunt Judicia Sæcularia & omnes ejusmodi actus forenses, contractus civiles, conclamationes, seditiones, ludos theatrales profanos, saltationes, interludia vana, convivia, comessationes, compotationes, &c. Ex eadem causa non debet a parochis permitti, ut suppellectilia seu utensilia domus extra casum necessitatis, v. g. incursionis hostilis, incendii &c. in Ecclesia reponantur; Similiter & qui miscent vana colloquia, gestus inhonestos, immoderatos risus, &c. per Constitutionem S. Pii V. *Cum primum*, editam Kal. April. 1566. ex Ecclesia sunt eiiciendi.

Quæ-

Quæritur 31. Quæ ſit obligatio Parochi quoad conſervationem bonorum Eccleſiaſticorum?

Reſpondeo 1. Parochi ſub pœna Excommunicationis & aliis graviſſimis pœnis prohibentur, ne abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ ullo pacto bona immobilia Eccleſiæ ultra triennium locent, aut alia ratione alienent. Ita habetur in *Extravag. Ambitioſę, de rebus Eccleſiæ non alienandis*. Nomine autem alienationis illic intelligitur omnis actus, quo dominium rei directum, vel utile, vel uſusfructus, aut jus in alterum transfertur vel abdicatur; ac proinde nomine alienationis non ſolum venit venditio, aut alius contractus gratuitus, vel oneroſus, quo rei dominium in alterum transfertur, verum etiam hypotheca, infeudatio, & contractus Emphiteuticus; non autem repudiatio, ſeu remiſſio Legati, vel hæreditatis, aut rei Eccleſiæ non incorporatæ. 2. In alienatione tamen rerum tenujorum, licet immobilium, non requiritur authoritas Sedis Apoſtolicæ, nec requiruntur aliæ ſolennitates, alioquin ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiri ſolitæ, dummodo cauſa cognita & evidente Eccleſiæ utilitate comperta eam authoritate ſua Ordinarius approbaverit. Ita habetur C. *terrulas*, *cauſa* 12. *q.* 2. Cenſeo tamen, etiam tenuia fragmenta adhuc reſidua primævæ antiquiſſimæ fundationis in Claſſem rerum pretioſiſſimarum, nunquam ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ alienandarum ob varias conſiderationes, & ob ipſum publicum ex antiquitatum Eccleſiaſticarum conſervandarum ſtudio bonum, referenda eſſe.

Quæritur 32. Quæ ſit obligatio Parochi quoad faciendas denuntiationes?

Reſpondeo 1. Si Parochus ſcienter vel ex habituali gravi negligentia non denuntiet ea, quæ populus tenetur ſcire, v. g. feſta de præcepto, jejuniorum dies, celebranda matrimonia &c. peccat mortaliter; agit enim in re gravi contra expreſſum Decretum Concilii Tridentini Seſſ. 25. in Decreto de ciborum delectu, Seſſ. 24. C. 1. 2. Tenetur etiam denuntiare ea, quæ Principes Territoriales circa conſcientiæ obligationes juris naturalis, divini, vel humani liquidi, inculcari volunt populo. Si vero agatur de obligatione juris non liquidi, jus illud prius recognoſcendum eſt ab Epiſcopo.

Ratio prioris partis eſt, quia Parochus ad annuntiandum Verbum Dei, & promulgandas obligationes Conſcientiæ certas non ſolum conducitur a Chriſto & Eccleſia, ſed etiam a Republica. 3. Si agatur de aliis denuntiationibus, ſolum faciendis ex petitione privatorum, poteſt aliquando peccare contra charitatem, ſi anſam querelis ſine gravi cauſa præbeat; aliquando autem poteſt graviter peccare, ſi per denuntiationem anſam Simoniis vel Superſtitionibus præbeat: v. g. ſi denuntiet merces vænales benedictas, vel ſchedas, orationes, libellos vænales ſuperſtitioſos. 4. Prohibetur denuntiare quaſcunque novas Indulgentias, vel nova miracula, antequam in ſpecie & particulatim recognoſcantur ab Epiſcopo. Ita expreſſe habetur in Tridentino Seſſ. 25.

Quæritur 33. Quæ ſit obligatio Parochi quoad formam Imaginum, & altarium, & ornatuum in Eccleſia?

Reſpondeo 1. Parochus tenetur abſtinere ab introducenda notabili novitate necdum recepta cum aſſenſu Ordinarii poſitivo vel uſu Eccleſiæ. Id enim repugnat perpetuo ſenſui ac ſpiritui Eccleſiæ, ſemper tendentis ad uniformitatem, unitatem, & eam univerſalitatem, quæ reſplendeat ex invariatione rituum Eccleſiæ. 2. Parochus, ut filius obediens Eccleſiæ, obſervet Decreta S. Congregationis Indicis, quæ, prout habetur in noviſſimo Indice librorum prohibitorum edito anno 1752. prohibuit ſequentia.

1. Imagines D. N. J. Chriſti, B. Virginis, Angelorum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & aliorum Sanctorum, ſculptorum, impreſſorum, aut pictorum, cum habitu, aut modo, diverſis ab eo, quo ſolebant ab antiquis temporibus in

Ca-

Catholica Ecclesia vestiri & efformari, vel cum veste propria alicujus [Regularis Ordinis, nisi fuerint Sancti talis Ordinis.

2. Imagines Domini Dei & Sanctorum stupide, barde, rustice, seu inepte effigiatorum, & tam ruditer, ut ubi deberent movere ad devotionem, potius possint movere ad risum, ludibrium, vel horrorem, vel si sint expressæ cum actibus & gestibus indecentibus, & inconvenientibus, vel si referant aliquid lascivi, præsertim in Ecclesiis, & locis sacris. Ex Dec. S. Cong. Offic. 11. Sept. 1670.

3. Imago Christi Domini Nostri, quæ dicitur formata opera dæmonis, ut repræsentet Christum in ea forma, in qua expiravit in cruce. Ex Dec. S. Cong. Offic. 15. Oct. 1701.

4. Imago Crucifixi necdum mortui, in qua apparet vulnus lateris; cum sit hæretica opinio afferens, quod Longinus lancea perfoderit Redemptorem, dum adhuc erat vivus.

5. Imagines, in quibus repræsentantur viri & fœminæ, quæ tanquam mancipia pendent a Christo, Domina Nostra, vel a Sacra Pixide, vel a B. Virgine, vel a S. Josepho, vel a quocunque alio Sancto, in quo modo solet repræsentari Societas Sclavorum Domini, vel B. Virginis, vel alterius Sancti, jam prohibita & damnata; prout etiam prohibiti sunt omnes libri, qui tractant de hac materia.

6. Imagines, in quibus repræsentatur B. Virgo cum suo divino filio in medio duorum Sanctorum Societatis Jesu, quorum uni consignat librum, alteri Rosarium cum hac Inscriptione. *Virgo Mater Dei simul cum filio inspirat & commendat Societati Jesu Institutionem Societatis, & usum Officii & Rosarii.*

7. Imagines, in quibus repræsentatur puer Jesus, elevatus in altum, & sub ipso tres Doctores, & loco horum in antiquis imaginibus videntur tres alii Religiosi Sacerdotes cum his versibus: Jesu Doctorum intima, qui nubes ignorantiæ &c. *Hyer Wien scu. & excud.*

8. Imagines S. Basilii in habitu Benedictino.

9. Imagines S. Augustini & aliorum Sanctorum Ordinis S. Augustini in habitu, quem gestant Augustiniani discalceati ejusdem Ordinis. Ex Dec. Urbani VIII. 13. Jan. 1630.

10. Imagines S. Francisci, & S. Antonii de Padua cum inscriptionibus, in quibus dicitur, quod in vita gestaverint talem habitum, in quo repræsentantur; aut quod in hoc vel illo Ordine reperiantur veri filii S. Francisci.

11. Imagines SS. Trinitatis in figura hominis cum tribus vultibus vel cum duobus Capitibus, inter quæ media est Columba; quod repugnat Decreto Concilii Tridentini Seff. 25. Ex Dec. Sac. Cong. Officii 24. Sept. 1625.

12. Imagines S. Crucis aut Sanctorum depictæ in locis publicis sordidis, aut indecentibus, non sunt tolerandæ, ne pereat respectus & veneratio illis debita. Ex Dec. S. Cong. Rit. 23. Maij 1596.

13. Imagines personarum cum aureola, radiis, vel splendoribus, vel cum titulo *Sancti*, si nondum fuerint Canonizatæ vel Beatificatæ ab Ecclesia Romana, vel cum titulo *Venerabilis*, si ea Ecclesia necdum id permisit suo suffragio.

14. Imagines profanæ vel bestiales vestitæ in habitu sacro vel Religioso, vel alio modo pertinente ad cultum divinum.

15. Imagines Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, Personarum Ecclesiasticarum, aut Principum, vel aliarum insignum personarum cum habitu vel inscriptione indecenti & ignominiosa, aut in postura seu forma ridicula &c.

16. Imagines Joannis de Cala, Eremitæ dicti, cum signo Sanctitatis vel Beatitudinis.

Quæritur 34. Quæ sit obligatio Parochi quoad Benedictiones & Exorcismos?

Respondeo 1. Peccat graviter, si utatur Benedictionibus vel Exorcismis a Summo Pontifice, vel a suo Episcopo expresse prohibitis.

Ra-

Ratio est, quia talis inobedientia versatur circa materiam gravem, utpote vergentem in magnam dehonestationem & vilipensionem nostræ Religionis. 2. Non licet uti Benedictionibus & Exorcismis, desumptis ex libro vel authore Romæ prohibito. Idem dicendum de Exorcismis & Benedictionibus authorum se referentium ad libros Romæ prohibitos. Quales autem in hac materia libri fuerint Romæ prohibiti, docui in Tract. *de Sacram. Ordinis* Tit. *De Exorcistatu* 3. Non licet Parocho sine speciali licentia Episcopi uti aliis Benedictionibus vel Exorcismis, nisi contentis in Rituali Romano correcto, & in Rituali Diœcesano.

Ratio est, quia omnis alia praxis ducit ad difformitatem in Sacris Ritibus, æmulationem, dissensionem, quæstum, aut etiam non raro superstitionem, quæ omnia horret vera Religio.

Quæritur 35. Quæ sit obligatio Parochi tempore pestis, vel morbi contagiosi?

Respondeo 1. Parochi tenentur tempore pestis manere in loco, vel cum assensu Ordinarii æque idoneum substituere. Si talem non inveniat, aut repertus suum Officium negligat, tenetur etiam cum manifesto vitæ periculo suis parochianis ministrare Sacramenta non tantum necessaria ad salutem nempe Baptismum & Pœnitentiam, sed etiam valde utilia, nempe Eucharistiam & Extremam Unctionem. Potest tamen in Peste si fuerit ita necessarium pro assecuratione communitatis, ne amittat suum Pastorem unicum, nec inventuræ alium, baptismi collationem non solennem committere alteri, & Eucharistiam transmittere ægro, ut ipsemet eam sumat, vel a domestico accipiat, Extremam vero Unctionem potest administrare statim post absolutionem in uno sensu minus periculoso, & mediante spongia vel gossipio statim concremandis.

Ratio est, quia ad hoc ex jure divino agendi verum Pastorem, nec fugiendi irruente lupo, se tacite obligavit Parochus. Non enim minus est vitæ periculum a lupo, quam a peste, & quamvis hoc posterius periculum sit majus, attamen incomparabiliter etiam majus est animarum præ ovibus pretium.

Respondeo 2. Si parochus videat se ex peste mortuo nullum facile reperiendum Sacerdotem, qui suis parochianis Sacramenta ministret, & alioquin magnum foret suæ infectionis periculum, certum, ac jam præsens dispositione, poterit ea omnia in peste omittere, quæ morali certitudine credit, ad salutem non fore infirmis necessaria. Hinc poterit omittere omnes Cæremonias, absolvere ægrum sine rigoroso examine confessum, aut si omnes pestiferi audiri nequeunt, solum generaliter instar militum, ante pugnam, & in notabili distantia; Extremam vero Unctionem poterit omnino omittere.

Respondeo 3. Parochus imminente periculo pestis debet instituere generalem comprecationem, & gravissime monere, quod omnes non solum constituti in gravi peccato, sed etiam pii teneantur adhuc sano corpore sumere Sacramentum Eucharistiæ præmissa Confessione, & quod jam eo tempore teneantur facere suam dispositionem ultimam in Scripto ad evitandam omnem confusionem, enasci solitam tempore pestis. Ea enim præcautione omissa ipsis voluntaria erit impotentia confitendi integre, sumendi Eucharistiam, seque debite disponendi ad mortem.

§. III.

De Canonicis, & aliis Beneficiatis, vel Pensionariis Ecclesiasticis.

QUæritur 1. Quid sit Beneficium? *Respondeo*. Beneficium est Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ratione spiritualis Officii authoritate Ecclesiæ constitutum. *Dicitur*, *perpetuum*, inquantum; saltem spectato jure novo Tridentini, beneficiatis ne quidem ab Episcopo tolli potest jus semel aquisitum ad fructus sui beneficii sine

ſine cauſis Canonicis in jure expreſſis. Nam primis decem ſæculis, quamvis omnes Clerici fuerint adſcripti ſervitio determinatæ Eccleſiæ, ex cujus redditibus ſuam congruam ſuſtentationem ab Epiſcopo acceperant; poterant tamen ab Epiſcopo transferri ab una Eccleſia ad aliam, cum omnes redditus Eccleſiaſtici Diœceſani quarumvis Eccleſiarum nondum tranſierint in jus privatorum Clericorum, ſed pertinuerint ad curam & adminiſtrationem ſolius Epiſcopi, prout videri poteſt in Thomaſino *Veteri Diſciplina de Beneficiis*. *Dicitur* 2. *ratione ſpiritualis Officii*, quo termino antiquitus primis decem Sæculis intelligebatur ſolennis in Eccleſia recitatio Horarum Canonicarum, aſſiſtentia ad ſolennem Miſſam, & quævis alia cooperatio ad Sacramentorum adminiſtrationem, & alia miniſteria Eccleſiæ. Necdum enim erant introductæ fundationes pro Miſſis anniverſariis privatis, ſed tantum pro ſolennibus Miſſis, celebrari ſolitis cum aſſiſtentia totius Cleri, prout videri poteſt in Muratorii Opere, quod inſcribit: *Antiquitates medii ævi*.

Quæritur 2. Quotuplex ſit Beneficium?

Reſpondeo. Beneficium ſpectato jure novo *dividitur* 1. in *Regulare* & *Sæculare*. 2. in *Curatum*, & *non Curatum*. 3. in *Manuale* & *non Manuale*. 4. in *Electivum*, *Patronatum*, & *Collativum*. Beneficium *non Curatum ſubdividitur* in Beneficium *ſimplex*, in *Perſonatum*, & *Dignitatem*. Beneficium *Regulare* eſt, quod ex fundatione, privilegio, vel pacto debet conferri Regularibus, ſi ad tale Beneficium præſententur Epiſcopo. Beneficium *Sæculare* eſt, quod ex ſua fundatione vel ex pacto debet conferri Clericis Secularibus. Hæc diſtinctio necdum dabatur primis decem Sæculis, quia illis temporibus necdum occurrit diſtinctio inter Clericos Sæculares & Regulares, ſed omnes ſtabant ſub obedientia Epiſcopi, & poterant applicari ad quævis Diœceſana Beneficia adnutum Epiſcopi. Beneficium *Curatum* eſt, cui annexa eſt cura animarum; *non Curatum* eſt, cui non eſt annexa cura animarum. Beneficium *Manuale* eſt, a quo Beneficiatus poteſt amoveri etiam ſine cauſa Canonica. *Non manuale* eſt, a quo Beneficiatus non poteſt amoveri ſine cauſa Canonice. Ante Concilium Tridentinum fere omnia beneficia parochialia erant Manualia, ita ut Eccleſiæ parochiales commendarentur presbytero inſtar famuli conductitio ſolum ad breve tempus, v. g. ad annum, vel ad aliud tempus amovibiliter ad nutum Epiſcopi vel Patroni. Hinc, quia cura animarum negligenter gerebatur ab ejuſmodi Sacerdotibus conductitiis, jam in Concilio Conſtantienſi inſtabatur, ut in parochiis inſtituerentur Paſtores animarum perpetui, quod tamen conſilium primum in Concilio Tridentino ad finem perductum eſt. Beneficium *Electivum* eſt, quod obtinetur mediante prævia electione Cleri vel populi per Epiſcopum vel Papam confirmanda. Beneficium *Patronatum* eſt, quod ab Epiſcopo confertur perſonæ præſentatæ vel nominatæ a Patrono aliquo Eccleſiaſtico vel Sæculari, cui ex fundatione, privilegio, vel pacto competit ejuſmodi jus præſentandi vel nominandi. Beneficium *Collativum* eſt, quod confertur ab Epiſcopo, vel alio habente jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, ſine prævia electione, præſentatione vel nominatione. Hinc ſequitur; quod in caſu, quo aliquando Principes vel Principiſſæ dicuntur *conferre* beneficia, ille modus loquendi, quamvis toleretur ob reverentiam talibus perſonis debitam, juxta Stylum tamen Eccleſiaſticum non ſit exactus, ſed valde improprius. Beneficium ſimplex eſt, cui ex ſua fundatione neque animarum cura, neque Eccleſiaſtica dignitas, neque jus alicujus præcedentiæ aut prærogativæ in Collegio aliquo Eccleſiaſtico eſt annexum. *Dignitas* vocatur Beneficium, cui annexa eſt præeminentia aliqua cum juriſdictione in foro externo, vel cum adminiſtratione *Perſonatus* eſt Beneficium, cui annexa eſt præeminentia ſine juriſdictione in foro externo. Quando autem beneficio ſolum eſt annexa adminiſtratio ſine juri-

jurisdictione in foro externo & sine præeminentia, vocatur *Officium*. Sic in Ecclesiis Cathedralibus *Præpositus*, cui incumbit administratio temporalium, *Decanus*, cui incumbit jurisdictio in Capitulares, & *Archidiaconus*, cui incumbit jurisdictio in suo Archidiaconatu, habent *Dignitatem*. *Cantor* habet *Personatum*, *Custos* habet *Officium*.

Quæritur 3. An & quomodo beneficium differat a Vicaria perpetua, a Capellania perpetua, a Præstimonio, vel pensione?

Respondeo 1. *Vicariæ perpetuæ* in parochialibus non differunt a vero beneficio Ecclesiastico. Ubinam autem etiam post Tridentinum adhuc tolerari possint vel debeant in parochialibus Vicarii temporales ad nutum amovibiles, videri potest Leurenius Tom. 1. C. 3. q. 114.

Respondeo 2. Capellaniæ perpetuæ, quæ fuerunt erectæ authoritate Episcopi in titulum perpetuum, ita ut Capellanus non possit amoveri sine crimine vel alia causa Canonica, declaranda ab Episcopo, sunt vera beneficia.

Ratio est, quia in hujusmodi Capellanis reperitur jus saltem *de se* perpetuum, nisi per accidens concurrat crimen, vel alia causa Canonica ad amotionem sufficiens agnoscenda ab Episcopo, qualis tamen non necessario debet esse tam gravis, ac requiritur in amotione a parochia, sed videtur a jure relinqui judicio Episcopi. Si autem Capellania vel non sit erecta authoritate Episcopi, vel, si ejus authoritate sit erecta, Capellanus tamen ad nutum Patroni amoveri possit sine causa Canonica, seu legitima, ab Episcopo recognoscenda, non est verum beneficium; quia deest perpetuitas juris.

Respondeo 3. Præstimonia, quæ nihil aliud sunt, quam stipendia vitæ ex bonis Ecclesiasticis cum vel sine onere præstandi Officii spiritualis pendi solita Clericis vel Laicis, non sunt beneficia Ecclesiastica, saltem *stricte dicta*, etiamsi erecta fuerint authoritate Episcopi etiam in titulum perpetuum, nisi onus annexum importet solenne quoddam Officium in Ecclesia pertinens ad cultum publicum ac universalem Religionis. Hinc etiamsi Præstimonio annexa sit obligatio recitandi privatim vel in Oratorio privato Horas Canonicas, vel Officium B. Virginis, vel peragendi in Ecclesia publica aliquam devotionem, v. g. comprecationem, attamen non pertinentem ad cultum publicum solennem Religionis ex antiquo tempore ab universa Ecclesia receptum, non erit tamen tale præstimonium beneficium stricte dictum, sed tantum *late dictum*, quo in sensu intelligendus S. Pius V. infra referendus, dum videtur, ea in Classem Beneficiorum referre. Multo minus nomine Beneficiorum veniunt illa Præstimonia seu stipendia, quæ Studiosis tantum pro tempore studiorum pendi solent.

Respondeo 4. Hinc neque in Classem beneficiorum, sed tantum *piarum fundationum* pertinent *Pensiones* reservatæ super beneficiis, *Commendæ* Ecclesiarum carentium proprio parocho vel Rectore, *Coadjutoriæ* etiam cum jure successionis, *Officia* Cellarii, vel custodiis. Quamvis enim talia jura conferri soleant ad vitam titularis, sicque habeant quandam perpetuitatem personalem, non habent tamen perpetuitatem fundamentalem ipsius fundamenti, super quod constituitur illud jus. *Pensio* enim extinguitur morte pensionarii, &, nisi aliud expresse fuerit deductum in pactum, etiam obligati ad pensionem, & ex pluribus aliis causis. *Commendata* Ecclesia potest commendari alteri ob negligentiam Commendatarii, & alias causas. *Coadjutoriæ* & *Officia* mere temporalia in præsenti statu Ecclesiæ non habent ex isto præcise titulo annexam obligationem ad officium spirituale in Ecclesia.

Quæritur 4. Quid intersit in praxi, utrum aliquod jus percipiendi fructus Ecclesiasticos vocetur Beneficium *stricte* vel *late* dictum?

Respondeo. Multum interest. Nam 1. Episcopus non tenetur eos ordinare *titulo beneficii*, qui non habent beneficium *stricte dictum*, ac *certo conprehensum* sub termino Beneficii simpliciter accepti; neque etiam tenetur cum iis quoad interstitia dispensare tanquam arctatis

tis beneficio. Verum quidem eſt, quod habentes talia beneficia *late* dicta poſſint ordinari titulo patrimonii ſeu quaſi patrimonii, ſi redditus annui, quos jure ad dies vitæ perpetuo percipiunt, ſufficiant ad honeſtam ſuſtentationem juxta taxam conſuetam loci, vel ſi aliunde ſuppleatur per aliud auctarium conſtans; ſed in caſu, quo redditus annui ſunt valde tenues, non tenetur Epiſcopus ordinando talem perſonam in ſe recipere periculum, ſuſtentandi Clericum, ſi in ſenio vel infirmitate ipſi non ſufficiant redditus, prout tamen Epiſcopus hoc periculum ſubire tenetur in arctatis beneficio *ſtricte* dicto, etiamſi eorum redditus ſint valde tenues. 2. Ad depoſitionem beneficiati requiruntur cauſæ Canonicæ valde graves expreſſæ in jure. Econtra ad depoſitionem ſeu dimiſſionem aut privationem habentis ſolum beneficium ſimilitudinarium, late dictum, ſufficit ſolum cauſa legitima ac juſta non expreſſa in jure, dummodo ſpectato jure naturali & natura contractus, videatur ſufficiens Epiſcopo. 3. differunt etiam quoad ceſſionem, reſignationem, vacationem, reſervationem Simonias, & pœnas Simoniacorum, & alias proprietates beneficiorum, prout conſideranti patere poteſt.

Quæritur 5. An & quo jure Beneficiati teneantur expendere ſuos redditus in cauſas pias?

Reſpondeo 1. Beneficiati tenentur, omnes ſuos redditus expendere in cauſas pias. Ita concorditer docent Doctores tam antiqui quam Recentiores.

Reſpondeo 2. Illæ cauſæ debent eſſe ſaltem *formaliter piæ*, hoc eſt, ex motivo pio, v. g. religionis, miſericordiæ, Ad hoc enim, ut expendantur in cauſas *materialiter profanas*, v. g. ad conſervationem familiarum Catholicarum, præſertim Nobilium, profectum artium, munitionem urbium, in locis mixtæ religionis exmotivo religionis conſervandæ, vel meliorandæ, &c. poteſt diſpenſare Pontifex, & valere conſuetudo rationabilis.

Reſpondeo 3. Hæc obligatio expendendi redditus beneficiales in cauſas *ſaltem formaliter pias* eſt juris divini, adeoque indiſpenſabilis per Papam. *Ratio eſt*, quia ex inſtitutione divina Statui Clericali repugnat, eſſe mercenarium, ſeu lucratorium in commodum proprium temporale. Ergo ex ipſa natura Status tenentur ſuos redditus, ad honeſtam ſui ſuſtentationem ſuperfluos expendere vel deſtinare in cauſas pias.

Reſpondeo 4. Ea obligatio ſe extendit etiam ad Diſtributiones quotidianas, & omnes alios proventus intuitu functionis Clericalis partos. *Ratio eſt* eadem; quia ex inſtitutione divina Statui Clericali repugnat, ullam ejus functionem proprie Clericalem eſſe mercenariam.

Reſpondeo 5. Beneficiati in applicatione ſuorum reddituum in cauſas pias tenentur obſervare ordinem charitatis & intentionem præſumptam ſupremi Domini bonorum Eccleſiaſticorum, nempe Chriſti. *Ratio* eſt, quia, cum Statui Clericali ex inſtitutione divina repugnet, ullam functionem Clericalem eſſe mercenariam, conſequitur, dominium Clericorum, quod in redditus Eccleſiaſticos habent, eſſe tantum imperfectum, ac tantum *reſpectivum relate ad homines*, a quorum nemine quoad uſum liberum prohiberi poſſunt, non vero relate ad Deum, a cujus voluntate, intentione, ac nutu tanquam fideles adminiſtratores, uſufructuarii, ſeu potius fideicommiſſarii dependent.

Reſpondeo 6. Quamvis in iis, qui de bonis Eccleſiaſticis nulla interveniente cauſa ſaltem formaliter pia participant, per ſe daretur obligatio reſtitutionis, in praxi tamen ad reſtitutionem obligandi non ſunt, niſi iſta tria concurrant. 1. quod Clericus certo non habuerit alia bona patrimonialia, vel quaſi patrimonialia, aut induſtrialia, ex quibus ſumi potuerint in uſum profanum expenſæ. 2. quod certo non interveniat cauſa formaliter pia. 3. quod Summa ſit valde notabilis, ita ut nulla ratione præſumi poſſit condonatio reſtitutionis. *Ratio* eſt, quia etiam in tutore, curatore, vel alio generali adminiſtratore bonorum non ſolet adeo rigoroſe urgeri reſtitutio, niſi exceſſus infidelis adminiſtrationis ſit

adeo

adeo notabilis, ut etiam ab accipientibus potuerit, & debuerit adverti, a dante excedi limites potestatis sibi concreditæ ad alienandum validæ.

Quæritur 6. An repugnet juri naturali & divino Pluralitas beneficiorum?

Respondeo 1. Quando beneficia concurrente evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate sunt unibilia, spectato jure præcise naturali ac divino etiam sine unione perpetua sunt per dispensationem vel consuetudinem regibilia per unum. Censetur autem concurrere evidens Ecclesiæ necessitas vel utilitas ad unionem perpetuam, quando alterutrum beneficium est adeo tenue, ut non sufficiat ad honestam sustentationem alicujus Clerici idonei ad beneficium, qui possit & velit in se recipere onera beneficii adeo tenuis; vel si plura illa beneficia sint quidem satis pinguia, sed ob paucitatem Clericorum non reperiantur qui possint præfici singulis; vel si beneficia sint quidem pinguia, ac etiam facile reperirentur Clerici idonei, qui libenter præficerentur singulis, attamen consideratis circumstantiis apparet esse utilius Ecclesiæ, si plura illa beneficia sub unius directione vel bonorum administratione regantur per Vicarios sub nutu Beneficiati vel Episcopi.

Dixi: *Spectato jure præcise naturali ac divino*. Quando enim ex pacto, vel lege positive in beneficiis ejusmodi requiritur residentia personalis, haud dubie opus est dispensatione causa boni publici, vel solutione pacti per compaciscentes aut eorum successores.

Respondeo 2. Quandocunque in beneficiis non concurrit evidens Ecclesiæ necessitas aut utilitas *de se* sufficiens ad beneficiorum unibilitatem, pluralitas beneficiorum repugnat legi naturali & divinæ. *Ratio* est, quia pluralitas beneficiorum est quædam temporalis unio beneficiorum. Ergo si motivum pluralitatis seu unionis temporalis non est ita comparatum *de se*, ut *si foret perpetua*, sufficeret ad unionem perpetuam, etiam non sufficiet ad unionem temporalem, cum diuturnitas habitudinis reciprocæ inter duas res non mutet naturam terminorum vel habitudinis.

Dixi, *de se sufficiens*, *si foret perpetua*. Nam si causa dispensandi pro hic & nunc ad pluralitatem beneficiorum non est perpetua, sufficere nihilominus debet ad unionem temporalem. Itaque non est verum, prout aliqui scribunt, minorem requiri causam dispensandi ad pluralitatem quam unionem Beneficiorum. Ex hoc *Colligitur* 1. nemini licitam esse pluralitatem beneficiorum incompatibilium, aut compatibilium sine evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate. Consequenter *Colligitur* 2. nisi recipiens plura beneficia intendat firmiter majorem Ecclesiæ utilitatem, hujusque sui propositi sibi, Deo, & Ecclesiæ securam præbeat fidem præmissa matura consultatione, & declaratione vel Antistitis Ecclesiæ, vel aliorum peritorum indifferentium, eum non fore excusatum & securum in judicio. Si enim ipsimet recipienti plura beneficia non videatur evidens, eam pluralitatem beneficiorum cessuram in majorem utilitatem Ecclesiæ, eoipso peccat, quia non reperitur causa sufficiens ad unionem beneficiorum ex sua fundatione vel ex suo primo statu proprios Beneficiatos requirentium. Si autem amore proprio excæcatus erronee judicat, eam pluralitatem cessuram evidenter in majorem utilitatem Ecclesiæ, ea culpabilis suiipsius persuasio non erit impunis apud Deum. Itaque in hac re deliberandum est mature cum viris peritis indifferentibus, & in quovis casu particulari particulatim examinandum, an stantibus talibus circumstantiis particularibus, & stantibus talibus propositis recipientis beneficia tuto fidi possit ut evidens dici mereatur, eam pluralitatem cessuram in majorem utilitatem Ecclesiæ.

Quæritur 7. Ex quibus causis possit fieri unio vel dismembratio Beneficiorum?

Respondeo. Unio vel dismembratio Beneficiorum fieri potest, quando *evidens Ecclesiæ necessitas vel utilitas id exigit*. Ita quoad unionem respondit *Honorius III.* anno 1222. in C. *exposuisti* 33. *De præbendis*. Tales causæ necessitatis vel utilitatis allegantur in jure

jure 1. si duæ Ecclesiæ vicinæ adeo sint pauperes, ut ad victum duorum non sufficiant. 2. Si fructus alicujus beneficii adeo tenues sint, ut non reperiatur idoneus, qui illud acceptare velit. 3. Si Ecclesia ab hostibus devastata sit. 4. Si populus bello aut peste nimis diminutus sit, & non appareat spes restitutionis in sufficientem numerum. 5. Si status alicujus Ecclesiæ vel Monasterii adeo deformatus sit, ut non appareat spes recuperandæ formæ debitæ. Hæc omnia continentur in variis textibus Juris Canonici. Ad talem autem unionem legitime faciendam requiritur prævia cognitio causæ, & vocari debent ii, quorum interest, ne unio fiat. Cum autem contrariorum sit eadem ratio, eodem modo in contrarium discurrendum est circa dismembrationem Beneficiorum, v. g. Episcopatuum, Parochiarum, &c. ut ubi id exigit Ecclesiæ necessitas vel utilitas, saltem tempore vacaturæ beneficii fieri possit.

Quæritur 8. Quales Beneficiis sint annexæ obligationes?

Respondeo. Beneficiis annexæ sunt *a jure communi* duplicis generis obligationes, nempe 1. *obligatio ad recitandum Officium divinum*, quod usque ad sæculum decimum sextum ab omnibus parochis & aliis Beneficiatis debebat publice statis horis recitari in Ecclesia. 2. *obligatio ad residentiam*. Cum enim antiquitus omnes Clerici fuerint adscripti ad servitium determinatæ Ecclesiæ, præsertim ad assistendum Solenni Missæ, etiam Beneficiati non eximebantur ab hoc servitio personali. Verum, cum sæculo decimo quarto authore Scoto inciperet divisio fructus Sacrificii in generalem, specialem, & specialissimum, & fideles libenter vellent sibi appropriare fructum specialem, aucto numero Sacerdotum simplicium sensim urgeri & observari desiit utraque illa obligatio, retenta solum obligatione recitandi Horas Canonicas privatim, solenne vero Officium & alia onera Missarum, saltem in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis supplendi per vicarios. Aliæ obligationes Beneficiis annecti solent *ex Lege*, vel *ex pacto*. Solet enim Episcopus nonnunquam Beneficiis annectere obligationem juvandi Parochos in Confessionali & Catechesi &c. Ex pacto vero seu fundatione solent fundatores Beneficiatum obligare ad varia onera Missarum, & alias functiones Clericales.

Quæritur 9. Qualis etiamnum Beneficiis inhæreat obligatio recitandi Horas Canonicas?

Respondeo. Beneficiati statim ab hora pacifice aditi & possessi Beneficii obligantur ad recitandas saltem privatim Horas Canonicas residuo illius diei correspondentes; & si hoc negligant, peccant mortaliter. Post sextum vero mensem pacifice possessi Beneficii, si negligat recitare Horas Canonicas, fructus illi diei vel Horæ respondentes non facit suos, sed tenetur eos restituere Ecclesiæ vel in pauperes. Ita authores graviores deducunt ex Constitutionibus Ecclesiæ. Concilium Lateranense sub Leone X. anno 1510. Sess. 9. sic habet: *Statuimus & ordinamus, quod quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimonto cessante Beneficiorum suorum fructus non faciat suos pro rata omissionis Officii, & temporis; sed eos, tanquam injuste perceptos, in fabricas Ecclesiarum hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum Eleemosinas erogare*. Hanc Constitutionem innovavit & explicavit S. Pius V. in sua Constitut. 135. *Ex Supremo*. 1571.

Quæritur 10. An ad restitutionem fructuum teneantur etiam illi, qui choro intersunt, sed tamen non recitant Breviarium?

Respondeo. Affirmative. Ita declaravit in præfata Constitutione *S. Pius V.* his verbis: *Statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem*

diei amittat : tametsi aliquis Choro addictus non recitans omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit , fructusque & distributiones forte aliter assignatas , sola præsentia juxta Statuta , consuetudinem , fundationem , vel alias sibi lucrifecisse prætendat , etiam præter fructuum , & distributionum amissionem .

Quæritur 11. An etiam illi , qui solum habent Præstimonia , vel Pensionem Ecclesiasticam cum obligatione recitandi Officium , v. g. B. Virginis , teneantur ad restitutionem ?

Respondeo . Affirmative. Ita declaravit in Præfata Constitutione *S. Pius* his verbis : *Declarantes* (statuimus) , *Præstimonia , Præstimoniales portiones , & quæcunque alia Beneficia , etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes , cum prædictis pariter conveniri* (hoc est , cum obligatis ad restitutionem supra qq. 10. recensitis) . *Et quicunque pensionem , fructus , aut alias res Ecclesiasticas ut Clericus percipit , eum modo prædictum ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum , fructuum , rerumque ipsarum amissioni obnoxium .*

Quæritur 12. Quænam alia a Beneficiatis notari debeant quoad obligationem recitandi Horas Canonicas?

Respondeo Ea videri debent in Tract. de Sacramento Ordinis . §. Decimoquinto . *De Horis Canonicis* qq. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Quæritur 13. Quid notandum circa Residentiam Beneficiatorum ?

Respondeo . *Notandum* 1. quod spectato jure novo Tridentini residere teneantur Episcopi & Parochi seu quivis alii curam animarum exercentes , in quorum Classem haud dubie etiam referendi Prælati Regulares . 2. Ad residentiam etiam obligantur , qui in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis habent Canonicatus vel Præbendas. 3. Ea obligatio in conscientia obligat , etiamsi velint carere fructibus ; quia fundatur in pacto tacito inter fundatores seu potius Deum , tutorem fundationum piarum , & Beneficiatum . 4. A Concilio Tridentino Sess. 24. C. 12. tantum conceduntur tres menses absentiæ : de consuetudine vero , saltem in ordine ad valide lucrandus , conceduntur in nonnullis Ecclesiis quatuor, quinque , sex , septem , octo, aut omnino novem menses . Utrum enim licita sit tam diuturna absentia, pertinet ad causas absentiæ, quæ an rationabiles vel non rationabiles sint , videntur ejusmodi Ecclesiæ reliquisse cujuslibet conscientiæ . Nec enim licitum est , uti consuetudine contraria non solum generali Concilio consuetudines oppositas reprobanti , sed etiam ipsi fundationi,ac naturæ beneficiorum, nisi interveniat causa saltem rationabilis.5.Parochis aConcilio Tridentino ad valide lucrandos fructus conceditur pro absentia spatium duorum mensium . Ut enim licite per spatium bimestre absint, requiritur causa rationabilis approbanda ab Episcopo.

Quæritur 14. Quænam causæ excusent a residentia ?

Respondeo . Concilium Tridentinum insinuat quatuor causas excusantes a residentia. Sunt autem sequentes : 1. Christiana Charitas . 2. Urgens necessitas . 3. Debita obedientia . 4. Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas . Verba Concilii Sess. 23. C. 1. sunt ista : *Cum Christiana charitas , urgens necessitas , debita obedientia , ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant , decernit S. Synodus , has legitimæ absentiæ causas a Romano Pontifice , aut a Metropolitano &c. in scriptis esse approbandas , nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus vel Reipublicæ officium &c.* Ad causam *Christianæ charitatis* refertur , si quis absit ex motivo proximum juvandi , v. g. ob litem componendam ; inimicitiam sedandam . *Ad urgentem necessitatem* pertinet , si Beneficiatus absit ob infirmitatem , invasionem hostium . *Debita obedientia* excusat , si Beneficiatus absit ex mandato Papæ, vel in servitio necessario Sedis Apostolicæ . *Utilitas* Ecclesiæ locum habet, si quis absit in negotio Ecclesiæ , vel Studii Theologici & Juris Canonici causa . Ad hanc causam referendum

 est,

est, dum C. *de cætero*, & C. *audientiam*, De *Clericis non residentibus* Episcopo conceditur, ut duos Canonicos secum habere possit, qui pro residentibus habeantur. Supponitur enim, Episcopum semper versari in negotiis suæ Diæcesis, ubicunque sit.

Quæritur 15. Quid sint distributiones quotidianæ? Et quibus debeantur?

Respondeo 1. Per distributiones quotidianas intelligitur aliqua pars fructuum seu redditūum Ecclesiasticorum toti Capitulo annuatim obvenientium, quæ in singulos anni dies divisa præsentibus in Choro distribuitur. Pars vero absentibus, si comparuissent, destinata accrescit alicubi præsentibus, alibi vero ad massam Capituli.

Respondeo 2. Hæ distributiones debentur etiam *infirmis*, & aliis, *quos vel justa ac rationabilis corporalis necessitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas excusat*. Ita habetur in C. un. de Clericis non resid. in *6*.

Quæritur 16. Quot modis aquiruntur beneficia?

Respondeo. Aquiruntur tribus modis; nempe *Electione*, *Præsentatione* vel Nominatione, & *Collatione*.

Quæritur 17. Quænam sunt notanda circa Electionem?

Respondeo. Notanda sunt sequentia. 1. Jus eligendi pertinet ad eos, quibus de jure vel consuetudine convenit. Quando hoc jus de consuetudine convenit laicis, id quidem non repugnat *tolerantiæ* juris naturalis ac divini pro varia circumstantia personarum, motivorum, locorum, & temporum, per se tamen & ex genere suo semper repugnat *connaturali inclinationi ac exigentiæ* juris naturalis ac divini, semper tendentis ad connaturalem suavem, ac rectissimum ordinem rerum. 2. De Jure Canonico a jure eligendi excluduntur Excommunicati, Suspensi ab Officio, Irregulares, eligentes scienter indignum seu jure naturali, divino, aut positivo incapacem, admittentes in electione sæcularem potestatem non privilegiatam a jure vel consuetudine, impuberes, &c. Si dubium fuerit, an quis merito repellendus sit a jure eligendi, admittendus interea erit cum protestatione, quod ejus suffragia non plus valeant, quam de jure valent, si inventa fuerint decisiva in scrutinio, sic enim servatur jus id impugnandi. 3. Circa Electiones ad Episcopatus, & Præposituras Regulares, indulgetur a jure tantum spatium trium mensium, quod, cum jura clara non sint, arbitror numerari posse per dies civiles integros non computato die obitus. Circa electiones vero ad beneficia alia non Episcopalia, vel non pertinentia ad Præposituras Regulares, quamvis sint Dignitates vel Præposituræ in Ecclesiis Collegiatis vel alia inferiora Beneficia electiva, indulgetur spatium sex mensium.

Ratio est, quia Episcopatibus & Prælaturis Regularibus in foro externo annexa est jurisdictio, quam non decet diu vacare. Hoc spatio trimestri vel semestri evoluto jus electionis seu provisionis devolvitur ad Superiorem, ita ut beneficium possit conferre, cui conferendum duxerit. 4. Electus ante Confirmationem administrationem suscipere non debet; alioquin cadit *jure* ad rem per electionem quæsito. Idem jus perdit, nisi intra trimestre petat confirmationem. 5. Forma electionis tribus modis habetur, nempe per scrutinium, per compromissum, vel per inspirationem. *Per Scrutinium* electio Canonica fieri dicitur, quando Capitularium duæ tertiæ partes, vel, prout consuetudo fert, pars comparative ad omnes votantes *absolute major*, hoc est, plusquam dimidia, eaque sanior, per vota secreta in unum conspirat. Censetur autem semper major pars sanior, nisi notorie constet de opposito, vel in promptu adsint luculentæ probationes. *Per Compromissum* electio fieri dicitur, quando Capitulares ex suo gremio vel extra gremium eligunt duos, vel tres, vel quatuor, vel plures, qui habeant jus eligendi unum ex gremio, ita ut ille habeatur pro electo, quem eorum major pars elegerit. Ad compromissum quoque referri potest, quando Capitulares conveniunt post tentata frustra duo vel tria scrutinia eum habendum pro electo, qui habuerit pro

se

se vota *respective majora*. v. g. si fuerint duodecim Capitulares, *duæ tertiæ* partes erunt *octo*, vota *absolute majora* erunt septem, si vota fuerint dispersa in plures, quam duas personas, vota respective majora possunt esse sex, vel quinque, vel quatuor, vel etiam tria. Quamvis censeam, incumbere Conscientiæ Scrutatorum, ne hoc postremum genus Compromissi factionibus obnoxium admittant, prout revera a jure ad hoc non obligantur, quando adverterint, vota solum respective majora facile coitura in subjectum notabiliter minus dignum. Potius proponant Capitulo solum duos vel tres certe dignos, ut unum ex his eligant. *Per inspirationem* divinam, electio fieri dicitur, quando Capitulares, antequam ad actum Electionis procedatur, unanimiter declarant, se determinatum quempiam ex gremio sumere in suum Superiorem. Veruntamen, cum nonnunquam ob respectum humanum, quæpiam efferantur in publico, quæ privatim negarentur, censeo, vix unquam acquiescendum ejusmodi inspirationi, nisi declaratio singulorum fuerit privatim excepta coram Notario & duobus testibus. 6. Dicitur, quempiam eligi *Per Postulationem*, quæ tamen non differt ab Electione, nisi quod eligatur laborans impedimento ad Prælaturam vel Dignitatem, attamen dispensabili ac dispensari solito. Dein ad Postulationem requiritur *Concors* omnium Capitularium votum; quod tamen *Concors* censeri potest, si in magno votantium numero v. g. inter triginta vel quadraginta votantes, unus vel alter dissentiat. Forma Postulationis, quæ non necessario fit per scrutinium, consistit in precibus ad Superiorem, ut, si opus dispensatione, *dispensando postulatum admittat*. Plura de hac re videri possunt apud Canonistas.

Quæritur 18. Quænam sit origo juris quoad *Præsentationem* vel *Nominationem* ad Beneficia?

Respondeo 1. Jam antiquis temporibus fundatores Ecclesiarum, saltem inferiorum Cathedralibus, sibi reservare consuevisse duo jura, nempe jus tuitionis cum reservatione alicujus exiguæ recognitionis stabilis pro se & suis hæredibus, quod a posteris dictum est *Jus Advocatiæ*. Immo non raro fundatores aut etiam Benefactores reservabant sibi, vel etiam filiis, usumfructum bonorum donatorum Ecclesiis, quo modo donandi dicebantur reciproce ab Ecclesia eadem accipere in beneficium eadem bona, quæ donaverant, idque interdum ad duas vel tres generationes. Universim autem omnes fundatores Ecclesiarum censebantur sibi tacite reservasse jus subsidii temporalis, si aliquando fundator vel ejus necessarii hæredes gravi premerentur necessitate vel inopia. Id insinuare videtur ipsum Jus Canonicum, dum C. 25. De Jure Patronatus Clemens III. seu potius Cœlestinus III. Clementis III. anno 1192. successor sic scribit: *Pro fundatione Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur, & si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in Sacris est Canonibus institutum*. Alterum jus, quo fundatores & eorum hæredes gaudent, consistit in facultate præsentandi Episcopo idoneum Clericum ad Beneficium a se fundatum. Interdum vero uni ejusmodi hæredum competit jus, unum vel plures Clericos ad Beneficium denominandi, hoc est, *jus nominationis*, alteri vero competit jus, Clericum vel Clericos ab alio denominatos Episcopo præsentandi. Cui hoc jus convenit, *Patronus* Ecclesiæ dicitur.

Quæritur 19. Quænam sint notanda circa jus præsentandi ad Beneficia?

Respondeo; Notanda esse sequentia. 1. Jus Patronatus seu præsentandi non solum acquiritur fundatione, sed etiam constructione vel dotatione, si Patronus eam dotare sufficienter, vel post destructionem reædificare renuat. Et hinc in tali casu erunt simul plures Patroni. 2. Si Patronus fuerit Laicus non privatur ea vice jure præsentandi, si præsentaverit indignum: immo licet ei variare, si loco præsentati, nondum tamen in Beneficio instituti, velit substituere alium. Econtra id Patrono Ecclesiastico non licet, & si præsentet indignum, privatur

tur ea vice jure præsentandi. 3. Patrono in Sessionibus & Processionibus competit præcedentia. Si ipse, vel ejus necessarii hæredes, absque suo crimine manifesto ad inopiam vergat, poterit ab Ecclesia alimenta petere, inquantum ipsa Ecclesia quoad fabricam, paramenta, & honestam sustentationem Beneficiati non conijceretur in parem inopiam. Ita habetur in C. *nobis* h. tit. & C. *quicunque*, eodem tit. Extra hunc vero casum non licet Patrono imponere novum onus Beneficio. 4. Ad reparationem indigentis Ecclesiæ non tenetur contribuere Patronus, sed Ministri Ecclesiæ, si habeant redditus superfluos; si autem non habeant redditus superfluos, tenentur contribuere Decimatores & alii participantes de redditibus Ecclesiæ; & in horum defectu ipsimet parochiani. 5. Patronus Ecclesiasticus potest exigere rationem administrationis a Beneficiato, non autem Patronus Laicus, cui non competit jurisdictio vel administratio, nisi aliud obtineat consuetudo. Neque enim Patrono Laico, etiamsi Ecclesiam vel Capellam fundaverit, uspiam reperitur concessa administratio v. g. Gazophilacii, nisi solum ad dies vitæ fundatoris, ut habetur C. *decernimus*. 16. q. 7. aut nisi aliud possit monstrari per Concordata vel consuetudinem. Econtra Patrono Ecclesiastico id nullibi legitur inhibitum, sed potius concessum per consuetudinem vel tacitam delegationem Episcoporum. 6. Jus Patronatus potest etiam competere fœminæ, vel adhuc impuberi. 7. Possessor Juris Patronatus, si bona fide possidet, valide præsentat. Et hoc verum est, quamvis in foro civili fuerit declaratus prodigus, & amotus ab administratione causa debitorum. Ratio est, quia nec sola prodigalitas declarata sine debitis, nec sola obæratio bonorum quemquam excludit a jure præsentandi. Aliud dicendum foret, si vel a Supremo Judice Ecclesiastico, vel a consuetudine & observantia per Supremum tribunal civile declarata excluderetur a jure præsentandi. 8. Jus Patronatus transferri potest successione, donatione, permutatione, & indirecte per venditionem integri dominii, cui jus Patronatus annexum est. In quo tamen casu jus Patronatus non potest separatim taxari pretio, nisi in jure Patronatus simul involvatur aliquod jus utile pretio æstimabile, quod etiam num vigeat usu, v. g. jus percipiendi annuam pensionem, per privilegium vel consuetudinem separabile a Titulo Spirituali. Vide *Garciam*, *Molinam*. 9. Patrono Ecclesiastico sex menses ad præsentandum, Patrono autem Laico tantum conceduntur quatuor menses. Ratio hujus diversitatis forte erat, ne Patroni Laici nimis diu usurparent bona beneficii vacantia, prout antiquitus quorundam violentia factum est.

Quæritur 20. Quid notandum circa *Collationem* Beneficiorum?

Respondeo, Notanda esse sequentia. 1. Per collationem liberam intelligitur actus legitimus Episcopi, vel alterius habentis potestatem ab Episcopo, quo alicui idoneo confert jus ad Beneficium neque impeditum jure electivo, neque jure Patronatus. 2. Beneficium conferri nequit, nisi vacantis. Tridentinum enim Concilium Sess. 24. C. 19. sustulit omnes *gratias exspectativas* his verbis: *Decernit S. Synodus, Mandata de providendo, & gratias, quæ Exspectativæ dicuntur, nemini amplius quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura concedantur, & hactenus concessa* (indulta) *abrogata censeantur*. 3. Beneficium dicitur vacare *de jure & de facto*, si nullus habeat in illo jus aut possessionem, ne quidem coloratam. Si enim aliquis in Beneficio nulliter institutus habeat illius possessionem sub titulo saltem *colorato*, dicitur Beneficium vacare *de jure*, sed *non de facto*. Quando Beneficium *pleno jure*, hoc est, cum redditibus beneficii, est unitum seu incorporatum Collegio Ecclesiastico, cum jure illud Beneficium regendi per Vicarium ad nutum amovibilem, non vacat istud Beneficium per mortem, sed potest illud Beneficium, etiamsi Curatum sit, ad

breve

breve tempus regi per alium Vicarium quemcunque pro Diœcesi generaliter approbatum, donec præsentetur Ordinario alius Vicarius, specifice pro Cura parochiali approbandus.

Ratio est, quia, ut docent *Layman*, *Leurenius*, *Argiro*, *cura habitualis* residet in Collegio, quod non moritur, vel in Rectore principali ipsius Beneficii. 4. Collator ordinarius omnium Beneficiorum in qualibet Diœcesi est Episcopus, & Sede vacante Capitulum Cathedrale. In Germania per Concordata inter Nicolaum V. & Nationem Germanicam inita amore pacis conventum est, quod omnia Beneficia totius Germaniæ tam curata quam non curata, nisi fuerint Electiva vel Juris Patronatus possint alternatim conferri a Summo Pontifice & Episcopo, eo videlicet ordine, ut Beneficia, quæ vacant in mense *Januario*, *Martio*, *Majo*, *Julio*, *Septembri*, *& Novembri*, possint conferri a Papa, quæ autem reliquis mensibus non Papalibus sed Episcopalibus vacant, possint conferri ab Episcopo. 5. Extra menses Papales præfatos solet Papa etiam conferre Beneficia ex triplici alio Titulo, nempe *jure præventionis*, *jure concursus*, & *jure devolutionis*. *Jure præventionis* dicitur conferre beneficium, quando alicui confert gratiam exspectativam ad determinatum beneficium. Qui tamen modus a Tridentino non fuit approbatus. *Jure concursus* dicitur Papa conferre Beneficia, inquantum juxta communem Canonistarum censetur in potestate & jurisdictione concurrere cum quolibet Ordinario. *Jure devolutionis* dicitur Papa conferre Beneficia, quando Electores in beneficiis Electivis, vel Patroni in beneficiis Patronatis neglexerunt eligere vel præsentare tempore ipsis indulto, nempe intra tres, quatuor, vel sex menses non impeditos.

Quæritur 21. Quænam requiruntur conditiones ad obtinenda Beneficia?

Respondeo 1. Ad obtinenda Beneficia *Simplicia* juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. C. 12. requiritur ætas quatuordecim annorum saltem inchoata. Ad obtinenda Beneficia *curata* juxta idem Concilium l. cc. requiritur ætas viginti quinque annorum saltem inchoata. Ad obtinenda Beneficia *duplicia*, nempe Dignitates & Personatus, requiritur juxta idem Concilium Sess. 24. C. 12. ætas viginti duorum annorum completa. 2. Circa Beneficia Sacerdotalia, vel Diaconalia, sic dicta, quoniam ad ea requiritur Ordo Sacerdotalis vel Diaconalis, spectato jure communi in *Clem.* 2. *de ætate & qualit.* & Tridentino Sess. 22. C. 4. sufficit, si intra annum suscipiatur ille Ordo requisitus. 3. Ad Episcopatum requiritur Ordo Subdiaconatus *C. a Multis de ætate &c.* 4. Præficiendus Beneficio debet esse legitimus. Simpliciter dispensatus ad Ordines non eoipso est dispensatus ad Beneficia, & dispensatus simpliciter ad Beneficia non censetur dispensatus ad Beneficia curata. 5. Filius illegitimus non potest obtinere Beneficium in eadem Ecclesia, in qua ejus Pater obtinuit Beneficium. 6. Filius legitime natus non potest suo patri in Beneficio immediate succedere. 7. Qui recipit Beneficium, tenetur sub peccato mortali habere animum recipiendi suo tempore Ordines requisitos in Beneficio, & si non habeat eum animum, tenetur fructus restituere.

Ratio est, quia Ecclesiam in materia gravi defraudat, & non servat conditiones tacite initas in contractu bonæ fidei inter Ecclesiam & Beneficiatum inito. Vide dicta in *Tract. de Ordine* §. 1. 8. Requiritur ut non sit irregularis vel aliqua censura, v. g. Excommunicatione irretitus; Collatio enim Beneficii Excommunicato facta est invalida, prout habetur *C. postulastis* & C. *ult. de Clerico Excommunicato*; & collatio Beneficii facta Irregulari est saltem illicita. Ita colligitur ex C. ult. cc. ubi ejusmodi electio excommunicati Excommunicatione Minore, cui æquiparandus Irregularis, solum dicitur infirmanda.

Quæritur 22. Quid agendum, si collatio Beneficii fuerit invalida?

Respondeo. Quamprimum talis reflectit ad nullitatem collationis beneficii, tenetur 1. statim habere propositum satisfaciendi Ecclesiæ de præterito, &

proxima occasione, vel cedendi Beneficium, vel postulandi revalidationem mediante dispensatione, & si opus fuerit, absolutione. 2. Si possit sine periculo infamiæ aut scandali & sine periculo salutis alienæ abstinere ab exercitio actuum Beneficialium, tenetur abstinere, usque dum obtineat revalidationem. Id fieri poterit peregrinando, amicum dissitum salutando, negotia alibi curando, &c. atque interea Vicarium constituendo. Si autem id fieri nequeat sine periculo infamiæ propriæ, vel scandali, vel sine præjudicio salutis alienæ, non tenetur abstinere ab exercitio sui Beneficii.

Ratio est, quia omnes Leges, præsertim Ecclesiasticæ, sunt regulatæ a prudentia legislativa. Non foret conveniens prudentiæ Legislativæ, si Papa juberet, ut Beneficiatus, qui supponitur esse bonæ famæ, se absque necessitate boni publici, vel jure tertii, exponat probabili periculo infamiæ, aut scandali, aut salutis alienæ. Itaque mens & intentio legis irritantis collationem Beneficii non est referenda ad effectus & casus tacite exceptos, quos Legislator verosimiliter excepisset, si de his fuisset consultus. Præsumendum est potius generaliter, quod Legislator suis legibus irritantibus nolit attingere casus merito excipiendos; aut si eos generalis uniformitatis causa comprehendit, præsumendum est, quod omni sua authoritate, potestate & potentia velit operari ad suspendendos effectus legis generalis relate ad casus ratione infamiæ, scandali, vel salutis animarum a prudente Legislatore necessario excipiendos. Jam vero in potestate Legislatoris est, pro tali casu Beneficiatis relinquere jurisdictionem, approbationem, & usum licitum sui Beneficii, &, quatenus dispensatio, vel absolutio necessaria est, eam etiam tacite præsumendus est impertiri vel delegare *ad hunc præcise effectum*. Certe Ecclesia nec est Tyrannica obligando Clericos bonæ famæ ad sui publicam infamationem; nec est adeo imprudens, ut dum puniendus est Clericus, puniat populum, eum scandalizando, vel periculo salutis exponendo. Vide dicta de Impedimentis Matrimonii devolutis ad casum perplexum, & dicta superius §. 2. q. 5. & §. 1. q. 13. 3. Tenetur talis Beneficiatus, quamprimum potest, scribere ad Episcopum, vel Pœnitentiariam Romanam pro absolutione, dispensatione, revalidatione, & compositione quoad restitutionem fructuum. Vide dicta in *Tract. de Legibus* §. 14. *de Dispens.*

Quæritur 23. Quibus modis beneficia amittantur?

Respondeo. Beneficia amittuntur. 1. *per mortem* Beneficiati. 2. *ex dispositione juris*, quando Beneficiatus actu assumit aliud Beneficium incompatibile cum priore, v. g. Episcopatum, vel quando assumit Statum incompossibilem cum Beneficio, nempe Statum Matrimonialem, vel Statum Religiosum per solennem professionem: vel quando committit crimen, per quod *ipso jure* incurritur privatio Beneficii, vel quando promotus ad parochiam negligit intra annum recipere Sacerdotium. 3. *Per sententiam Judicis*, quando videlicet Beneficiatus ob crimen aliquod in Jure expressum, quod in jure dicitur mereri privationem, cui tamen non *ipso jure* annexa est privatio Beneficii, a Judice condemnatur ad amissionem Beneficii. 4. *Per liberam resignationem*, *seu*, ut in Jure vocatur, *Renuntiationem*, quando Beneficiatus in manus legitimi Superioris Beneficium dimittit, & Superior eam dimissionem acceptat. Dicitur autem Superior non Patronus, qui ad Beneficium præsentavit, sed qui contulit Beneficium, nempe Papa, vel Episcopus, vel ejus Vicarius. Porro ad resignationem refertur etiam *Permutatio*.

Quæritur 24. Qualia sunt illa crimina, ob quæ *ipso jure* incurritur privatio Beneficii?

Respondeo. Azor tom. 2. l. 7. C. 17. enumerat sequentia. 1. Crimen hæresis C. *cum secundum de hæret. in 6.* 2. Crimen læsæ majestatis. Ita Doctores in C. cc. 3. Si quis Cardinalem percusserit, ceperit, &c. *C. felicis de pœnis*. 4. Cum quis Episcopum per injuriam percusserit, ceperit, &c. *Clement*. 1. *de pœnis*. 5. Cum quis falsavit Litteras Apostoli-

ſtolicas addendo, interlineando, delendo. *C. ad falſariorum, de Crimine falſi.* 6. Cum quis coegerit Clericum ad reſignandum vel dimittendum beneficium, l. cc. 7. Cum Prælatus Epiſcopo inferior, Abbas, Commendatarius, vel alius Eccleſiæ Rector alienavit bona Eccleſiæ, l. cc. 8. Aſſaſſinus, & mandans. C. 1. de homicidio, in 6. 9. Obtentio Beneficii Simoniaca. *Conſtit cum deteſtabile. De Simonia, Extrav. Commun.* 10. Cum quis vi ſe intruſit in Beneficium. *C. eum qui. De Præb. in 6.* 11. Electionem alicujus electi impugnans, & non probans. C. 1. *de elect. in 6.* 12. Cum habens plura Beneficia incompatibilia ob prætenſam diſpenſationem, eam ſuo Epiſcopo intra tempus præfixum non exhibet. *C. Ordinarii. De officio Ordin. in 6.* 13. Qui obtinent beneficium ſecundum incompatibile, & primum non dimittunt, privantur ipſo jure utroque. *Concilium Tridentinum. Seſſ.* 7. C. 4. & Seſſ. 24. C. 17. 14. Obtinens Beneficium per Simoniam Confidentialem. S. *Pius in Conſtit. Intolerabilis.* 15. Dantes & accipientes aliquid ex promiſſo vel pacto pro accipienda aliqua gratia Apoſtolica, privantur ipſo jure omnibus Beneficiis, quæ habent. Greg. XIII. Conſtit. *Ab ipſo Pontificatus.* 16. Dantes aliquid pro publicatione Reſignationum ſub *determinata forma in ea Conſtitutione expreſſa.* l. cc. 17. Habentes Beneficia vel Penſiones ex bonis Eccleſiaſticis, ſi non deferant habitum Clericalem, *Sixtus V. in Conſtit. Sacroſanctam.* 18. Promoti ad Ordines ſine diſpenſatione ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ſine Dimiſſoriis ſunt ſuſpenſi; & ſi ſuſpenſi miniſtraverint in Ordine, fiunt irregulares, & incurrunt ipſo facto privationem omnium Beneficiorum. *Sixtus V. in Conſtit. Sanctum & ſalutare.*

Quæritur 25. Quænam ſunt illa crimina, ob quæ Beneficiatus Beneficio privari poteſt *per ſententiam* Judicis?

Reſpondeo. Crimina illa eſſe ſequentia. 1. *Abſentia* ſine legitima cauſa & facultate a loco Beneficii requirentis perpetuam reſidentiam. *C. inter, & C. conquerente, & C. ex parte de Clericis non reſid.* 2. *Homicidium. C. Clericis. Ne Clerici vel Monachi.* 3. *Concubinatus.* Tridentinum Seſſ. 25. C. 14. duplicis generis pœnas in Concubinarios ſtatuit. In eos, qui non obſtantibus monitionibus Epiſcopi ſub protectione poteſtatis laicalis, in domo vel loco concubinas, quas idem Concilium Seſſ. 24. C. 8. invocato brachio ſæculari expelli vult, contumaciter *detinent*, ſtatuit privationem Beneficii lentam, inquantum refractarios primæ monitioni vult privari tertia parte fructuum, & inobedientes ad ſecundam monitionem vult privari omnibus fructibus & ab adminiſtratione ſuſpendi, & tunc primum, ſi etiam poſt ſuſpenſionem concubinam *non expellant*, vel cum ea *etiamnum verſentur*, vult procedi ad privationem Beneficii. Hic *lentus* proceſſus ſolum locum habet tempore perverſiſſimo, quale erat tempore Concilii Tridentini, quo concubinarii publice protegebantur a poteſtatibus laicis, ita ut eo tempore decem millia Clericorum concubinariorum fuerint numerata in Germania, & *Barumgartner* Legatus Ducis Bavarici ad Concilium in Concilio dixerit, in tota Bavaria reperiri pauciſſimos non Concubinarios. Cum enim tali tempore non poſſent ſtatim reperiri alii idonei Miniſtri, Concilium ſapienter adhiberi voluit *lenta remedia*. At vero temporibus, quibus dantur in abundantia idonei Miniſtri, & Sæculare Brachium invocatum prompte expellit concubinas, prout, Deo ſint laudes, noſtris temporibus in regionibus Catholicis fit, adhibendum eſt potius alterum genus *expeditum* a Tridentino præſcriptum, nempe ut concubina invocato brachio ſæculari ſtatim ejiciatur, &, ſi Beneficiatus eam reſumat, excommunicetur; & ſi per annum in excommunicatione inſorduerit, tanquam ſuſpectus de hæreſi tractetur, ac conſequenter etiam Beneficio privetur. Ita habetur Tridentino partim Seſſ. 24. C. 8. ubi agit de ejiciendis concubinis, partim Seſſ. 25. C. 14. ubi jubet excommunicari reaſſumentes concubinam dimiſſam, partim Seſſ. 25. C. 3. ubi jubet inſordeſcentes in excommunicatione tractari tanquam

quam suspectos de hæresi. 4. Merentur Beneficio privari per sententiam *Hæreticorum receptores & fautores C. excommunicamus.* 1. §. *credentes*. *De hæreticis*. 5. *Perjurium* in pactis, contractibus, negotiis, puta solennibus, & in judiciis. Ita Glossa & Authores in *C. querelam de Jurejur. & in C. illud. De excess. Prælat.* 6. *Blasphemia in Deum vel Sanctos*. C. si quis per capillum. 22. quæst. 1. & *Leo X.* in Concilio Lateranensi, ubi sic habet: *Quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscœnis verbis D. N. J. Christum, vel B. V. Mariam, expresse blasphemaverit, si Sacerdos vel Clericus fuerit eo ipso die, quo de hujusmodi delicto fuerit convictus, Beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus unius anni mulctetur pro prima vice, pro secunda vero, si ita deliquerit & convictus fuerit, si unicum habuerit Beneficium, eo privetur, si plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur, &c.* 7. *Clericus ultra annum in excommunicatione persistens*. Glossa in C. 1. de Judiciis, & C. rursus, & C. quicunque. 11. q. 3. & Trid. Sess. 25. C. 3. 8. *Sodomia etiam non frequentata*. Nam S. Pius Clericum *exercentem*, hoc est, *frequentantem* crimen Sodomiæ, dicit esse *ipso jure* privatum Beneficio. In sua Constitutione contra Sodomitas edita sic habet: *Omnes & quoscunque Presbyteros & alios Clericos Sæculares & Regulares cujuscunque gradus ac dignitatis tam dirum nefas* (Sodomiæ) *exercentes privilegio Clericali omnique Officio Canonis authoritate privamus*. Teste Navarro in Manuali C. 27. n. 249. §. *Cupienti mihi*, S. Pontifex interrogatus respondit, eam Constitutionem respicere etiam forum interius.

Quæritur 26. An illi, qui dicuntur *ipso jure* privati Beneficio, possint exercere omnes functiones sui Beneficii, & gaudere fructibus, donec declaretur crimen per sententiam Judicis?

Respondeo, Affirmative. Immo non solum, antequam criminosus teneatur dimittere Beneficium, prærequiritur sententia declaratoria criminis, sed etiam requiritur, ut executio privationis per Judicem fiat. Prior responsionis pars, quod requiratur sententia declaratoria criminis, teste *Laymano l.* 4. *Tract.* 2. *c.* 17. *num.* 1. tenetur a communiori Doctorum. Posteriorem vero docet Layman l. cc. cum Covaruvio, Henriquez, & Sanchez.

Quæritur 27. Quales sint diversi effectus, si quis dicatur *ipso jure* privatus Beneficio, vel si dicatur privatus *per sententiam*, cum in utroque casu requiratur sententia Declaratoria Criminis?

Respondeo. Azor part. 2. l. 7. c. 17. numerat quinque, sed præcipui sunt hi effectus. Nam, si quis est ipso *jure privatus* Beneficio, tenetur post sententiam declaratoriam criminis restituere fructus perceptos a tempore commissi delicti, & jam ab eo tempore habendum est Beneficium pro vacante, ita ut ab eo tempore facta resignatio vel permutatio sit nulla; Econtra in eo, qui privatur per sententiam, ea sententia non operatur retro, sed illi effectus primum post sententiam Judicis incipiunt. Dein, si quis privatus est *ipso jure*, Beneficium jam a die commissi criminis potest valide impetrari quoad Titulum, quamvis non possit impetrari quoad possessionem, quia licet Beneficium vacet *de jure*, non tamen vacat *de facto*. *V.* Layman l. cc. n. 2.

§. IV.

De Judice.

QUæritur 1. Quid sit Judex?

Respondeo. Judex est persona publica ad id constituta, ut a litigantibus implorata jus dicat vel ponat, non implorata violatum notorie plectat & servet. *Dicitur* 1. *dicat vel ponat*. Si enim causa litigiosa comprehenditur in lege, tenetur enuntiare seu dicere legem. Si autem causa litigiosa nec explicite nec implicite continetur in lege, tenetur juxta naturalem æquitatem inter privatos ponere legem. *Dicitur* 2. *plectat & servet*. Officium enim Judicis est, ut non solum a litigantibus imploratus

ratus jus dicat aut ponat, ſed etiam ut non imploratus publicas ac notorias tranſgreſſione juris attente obſervet, vindicet, & emendet, v. g. miſeris notorie oppreſſis ex officio ſuccurrendo, ſcandaloſos notorios inquirendo ac caſtigando, tranſgreſſiones legum publicas vindicando, ſicque populum ſubditum ab aggreſſoribus honeſtatis ac ſecuritatis publicæ ex officio defendendo.

Quæritur 2. Quid ſit Judex Ordinarius, Delegatus, Pedaneus, Arbiter?

Reſpondeo 1. *Judex Ordinarius* dicitur, cui a Deo vel a Principe committitur juriſdictio ordinaria. Per juriſdictionem autem Ordinariam intelligitur poteſtas in integra communitate ſtabiliter & ordinarie ſine nova requiſitione vel commiſſione quoad omnes cauſas ſpecialiter non exceptas jus dicendi, ponendi, conſervandi. Talis Judex eſt Papa in tota Eccleſia, Epiſcopus in Diœceſi, Princeps in Provincia, Magiſtratus in urbe, Prætor in ſua Præfectura. 2. *Judex Delegatus eſt*, cui committitur tantum juriſdictio delegata. Per juriſdictionem autem delegatam intelligitur tantum poteſtas juris dicendi limitata ad tempus vel cauſam particularem. Quando commiſſio poteſtatis judicialis limitatur ſolum ad cauſam particularem, ea poteſtas exſpirat finita cauſa. Quando vero alicui committitur poteſtas judicialis ad univerſitatem cauſarum non exceptarum ſolum ad tempus, v. g. ad annum, triennium, vel ad tempus indeterminatum, attamen revocabiliter ad nutum committentis, ea commiſſione non aquiritur jus ſtabile *in re* vel *ad rem*, nempe ad Officium vel in Officio judicis. Tales Judices delegati ad univerſitatem cauſarum, quin tamen habeant jus in re vel ad rem, ſed ſolum uſum, & uſufructum, hoc tempore vocantur *Commiſſarii Judiciales*. 3. *Judices Pedanei* ſeu Notionales appellantur, quibus committitur ſola poteſtas cognoſcendi & referendi in cauſis, non tamen definiendi cauſam vel exequendi. 4. *Arbiter* ſeu *Compromiſſarius* eſt, quem partes litigantes eligunt ad cognoſcendam & decidendam cauſam cum pacto reciproco ſtandi deciſis. Hic modus terminandi lites per Arbitros ſuadendus eſt omnibus partibus litigantibus; habet tamen hoc incommodi, quod, cum Arbitri careant poteſtate compulſiva, in executione una parte renitente deſit firmitas, niſi *laudum*, hoc eſt, *ſententia arbitri*, & pacificatio compromittentium confirmetur a Judice Ordinario. Notandum vero, quod non idem ſit *Arbiter*, & *Arbitrator*, hujus enim poſterioris Officium præciſe eſt, ut pacifice componat diſſidentes.

Quæritur 3. Quotuplex ſit juriſdictio?

Reſpondeo. Juriſdictio dividitur 1. in Civilem & Eccleſiaſticam. 2. in Altam & Baſſam. 3. in voluntariam & contentioſam. 4. in privativam, & cumulativam. 5. in realem & perſonalem. 6. in ordinariam & delegatam. 1. *Juriſdictio Civilis* eſt, quæ petit exerceri a Judice laico circa cauſas reſpicientes ſolum bonum externum temporale hominum; *Eccleſiaſtica* eſt, quæ connaturaliter petit exerceri a Judice Eccleſiaſtico circa cauſas reſpicientes primario bonum internum ac æternum generis humani. 2. *Juriſdictio Alta* vocatur juriſdictio Civilis competens Judici habenti poteſtatem illimitatam non ſolum in actiones, bona, & jura temporalia ſubditorum, ſed etiam in corpus & vitam. Juriſdictio Baſſa vocatur juriſdictio Civilis competens Judici habenti ſolam poteſtatem limitatam in actiones, bona, & jura temporalia ſubditorum, non autem in corpus, & vitam. *Juriſdictio alta*, quatenus habet annexum *jus gladii*, vocatur etiam *Imperium merum*, hoc eſt, purum & perfectum, nihil habens admixtum imperfectionis, limitationis, vel delegationis. Econtra Juriſdictio Baſſa, quatenus caret jure gladii, vocatur *Imperium mixtum*, quia habet admixtam imperfectionem, limitationem, ac quandam ſpeciem delegationis. 3. *Juriſdictio voluntaria* dicitur, quæ non exercetur ad inſtantiam partium litigantium, ſed tantum ad inſtantiam ſubditi petentis officium Judicis ad actum a nullo vocatum in litem, vel quæ exercetur motu Judicis proprio, ex

ex Officio Judicis Nobili, prout dicitur. Prioris generis actus sunt confirmatio Testamentorum vel contractuum; legitimatio prolium &c. Posterioris generis sunt inquisitio in criminosos, auxiliatio oppressorum, assignatio tutorum &c. *Jurisdictio* autem *contentiosa* vocatur, quæ exercetur ad instantiam partium litigantium. Et hæc jurisdictio dicitur exerceri per *Officium Judicis mercenarium*. 4. *Jurisdictio privativa*, seu *separata* vocatur, quæ jure convenit uni sine conjudice. Econtra *Jurisdictio cumulativa* seu *concurrens* vocatur, quæ non exercetur valide sine conjudice. 5. *Jurisdictio realis* est, quæ inhæret bonis immobilibus, v. g. castro, cum quo etiam transit ad alium Dominum. *Personalis* autem est, quæ solum inhæret personæ, cum qua etiam extinguitur, nec transit ad hæredes vel successores bonorum. 6. *Jurisdictio Ordinaria* est, quæ possidetur jure stabili annexo ad Officium de se ex sua natura stabile, prout dictum est qq. 2. Econtra *Jurisdictio delegata* est, quæ possidetur solum usu, aut jure non stabili; sed revocabiliter & limitate ad tempus vel mo um juxta arbitrium committentis.

Quæritur 4. Quænam sit potestas & obligatio Arbitri pro foro interno?

Respondeo 1. Potestas Arbitri dependet unice ab intentione compromittentium verbis claris expressa, ita ut nec passu unico in alterutrius compromittentis præjudicium solum ex facultate præsumpta procedere possit ultra terminos sibi explicite concessos. *Ratio* est; quia hic contractus, cum sit mere gratuitus ex parte compromittentium cum gravi suo onere standi laudo & periclitandi de bonis, videtur esse stricti juris, nec extendendus ad ea, quæ verosimiliter concedenda fuissent, sed tantum ad ea, quæ explicite concessa sunt, vel cum concessis necessario, manifeste ac notorie connexa sunt. 2. Tenetur in examinanda diligenter causa longe majorem, quam Judices Ordinarii, pro sua capacitate adhibere diligentiam; adeoque consulere peritos, procedere lente, communicare partibus merita partis collitigantis, concedere terminos dilatorios, & substantialem formam judicii jure naturali requisitam observare in omnibus. Ratio est; quia a Laudo non datur appellatio. Ergo cum error in Arbitro commissus, nisi sit omnino crassus, non sit reparabilis, ad eum evitandum etiam major requiritur diligentia. 3. Ut susceptum semel hoc Christianæ charitatis officium invitis partibus, antequam completum fuerit, non deserat, nisi justa desertionis causa intervenerit. Talis causa foret, si partes compromisso novas conditiones apponerent, si non ederent documenta, vel si nollent suis sumptibus afferre testes aut testimonia, &c. 4. Tenetur pronuntiare Laudum nomine aliorum Arbitrorum, si plures fuerint, idque in numero plurali, ut intelligatur pronuntiari nomine omnium 5. Idem Laudum debet pronuntiari in die feriato, non in die festo. Econtra tenentur reciproce compromittentes stare suo promisso, & Laudo; omnesque expensas utiles Arbitro refundere, nisi prævie admonitus crassum & manifestum errorem in continenti non correxerit, in quo casu pars gravata posset a Judice Ordinario petere revisionem actorum, & interea suspensionem executionis. Si temere una pars resiliat a Laudo, vel ejus executionem etiam spontaneam absque compulsione Judicis recusat, peccat graviter contra justitiam, nec est capax absolutionis, nisi fuerit fraudulenter inducta ad compromissum per studiosam suggestionem falsi, aut reticentiam veri, vel si non habuisset potestatem compromittendi, qualem non habent, qui non habent liberam administrationem aut alienandi facultatem, prout eam non habent Minorennes, Uxores, Prælati sine authoritate Curatoris, Magistratus, Capituli.

Quæritur 5. Quænam sit pro foro interno potestas & obligatio Judicis Delegati?

Respondeo 1. Potestas Judicis Delegati metienda est ex mandato & intentione delegantis rationabiliter præsumpta. *Ratio* est, quia Delegatio videtur reducenda ad contractum locatio-

nis utrinque onerosum, qui est contractus bonæ fidei, ubi inspicitur non solum id, quod expresse tractatum est, sed etiam quod verosimiliter fuisset tractatum, si de eo fuisset cogitatum. 2. Hinc, nisi aliud constet de intentione delegantis, potest omnia, sine quibus commissa causa decenter expediri nequit. 3. Quia vero delegantes ad universitatem causarum non solent sibi reservare executionem sententiæ; econtra delegantes ad causam particularem sibi ordinarie solent reservare executionem, in dubio a Delegatis ad causam particularem executio sententiæ Deleganti vel Ordinario Judici a Delegante constituto relinquenda est. 3. Delegatus ad universitatem causarum, potest ad unam vel alteram causam particularem, vel, si impeditur, etiam ad universitatem causarum durante impedimento, subdelegare alterum. Econtra Delegatus ad causam particularem non potest subdelegare alterum. *Ratio* est, quia talis rationabiliter præsumi potest intentio Delegantis. 4. Judex Delegatus non potest procedere invitis partibus ad ullum actum Delegationis, nisi exhibeat fidem authenticam delegationis. *Ratio* est, quia alias nemo tenetur parere Delegato. 5. Tenetur instar Judicis Ordinarii observare omnia saltem jure naturali requisita ad ferendum justum judicium. Adeoque tenetur admittere quasvis probationes *idoneas* causæ, non calumniosas vel solum protractivas inutiliter, vel incidentes impertinenter; tenetur etiam concedere necessarias dilationes, exceptiones rationabiles, & appellationes legitimas. 6. Reliquæ obligationes sunt, ut non accipiat munera, ut non protrahat causam, ut non causet partibus sumptus non necessarios, quæ obligationes, & aliæ similes ipsi cum judicibus Ordinariis communes sunt.

Quæritur 6. Quæ sit in foro interno potestas & obligatio Judicis Ordinarii?

Respondeo 1. Judex tenetur observare substantialia formæ judicialis jure naturali requisita. Substantialia autem formæ judicialis jure naturali requisita sunt accusatio rei, citatio rei, accusationis confessatio vel negatio, in casu negationis probationum coram reo publicatio, sufficientis defensionis permissio, sententiæ justæ pronuntiatio, appellationis justæ ad Superiorem concessio. Attamen loco accusationis aliquando servifama, vel ipsius Judicis propria inspectio. Huc servit illud *Act.* 25. *v.* 16. *Non est Romanis consuetudo, damnare aliquem hominem prius, quam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur.* 2. Tenetur etiam observare formam judicii accidentalem a Legibus præscriptam, quatenus ipsæ Leges & forma in majori parte provinciæ adhuc in usu sunt. Porro ad accidentalem judicii formam pertinent varii modi accusandi, citandi, probandi, defendendi, sententiandi; v. g. *solennis oblatio libelli*, hoc est, petitio vel accusatio in Scripto; *litis contestatio*, qua reus in scripto testatur, se velle respondere & agere judicialiter; *juramentum calumniæ*, quo partes litigantes in judicio jurant, se nolle agere vel respondere præcise animo calumniandi; *dilationes*, hoc est, concessio temporis a legibus indulti ad parandas probationes vel responsiones; *Replicationis*, qua Actor ad defensionem rei de novo respondet & instat, & quadruplicationis, & quintuplicationis pro parte Actoris; Duplicationis vero & triplicationis quibus reus ad replicationem & quadruplicationem seu quartam instantiam actoris secunda & tertia vice respondet, pro parte rei admissio vel recusatiot, *feriæ*, seu tempora a legibus constituta, in quibus non licet agere, & variæ sententiarum vel Appellationum formulæ.

Quæritur 7. An Judex licite recipiat munera sponte oblata?

Respondeo. Peccat Judex, si a partibus accipiat, vel a sua uxore aut liberis accipi sinat quæcunque munera directe vel indirecte tendentia ad inclinandam mentem potius in unam partem, quam aliam, vel ad suscipiendum aliquem laborem jam aliunde jure naturali vel positivo debitum. Si munera illa sint adeo notabilia, ut spectata dispo-

ſpoſitione, avaritia, vel indigentia, aut ſorditie Judicis, apta videantur aut videri poſſint ad ejus mentem notabiliter inflectendam ab æquilibrio juris, peccat graviter. Idem dicendum, ſi *paſſim* ſine diſcrimine perſonarum indigentium, cauſarum ſatis liquidarum, laborum debitorum vel indebitorum, accipiat ex conſuetudine munera quantumvis levia, aut ſi ſinat ſe *iteratis vicibus* ſtimulari ad laborem, quem negligit, vel ſi *in omnibus ferme cauſis* differat laborem, & juſtitiam, donec ſtimuletur; ea praxis ſeu conſuetudo eſt peccatum mortale toties iteratum, quoties ponitur novus actus; *Ratio* eſt, quia hæc praxis graviter damnificat Rempublicam fovendo generalem negligentiam Judicum; & quia munera etiam tenuia, præſertim multiplicata & accreſcentia in graviorem Summam ex ſuo genere ſunt idonea reſpectu animi tam generaliter ſordidi, ut eum notabiliter inflectant in partem ferentis munera, vel ad differendos notabiliter labores aliunde ſub gravi obligatione debitos, donec ſtimulent munera. Econtra ſi munera ſolum tendant ad maturandum negotium feſtinatione vere indebita, ac conſequenter ad ſuſcipiendum laborem vere indebitum, aut ſi moderata munera primum conſequantur gratuito ſine ullo prævio tacito vel expreſſo pacto ſententiam præciſe in gratitudinem ob debite geſtum negotium, ſic licite accipiuntur proportionata merito judicis & conditioni remunerantis munera. Quod ſi munera ſententiam antecedentia ſic comparata ſint, ut nec ex ſuo genere, nec conſideratis circumſtantiis in individuo idonea ſint ad creandum grave, probabile, ac propinquum periculum violandæ graviter juſtitiæ, ſed tantum ad creandum periculum leve ac remotum, & ipſa munera tendentia ad obtinendum laborem aliunde debitum non aſcendant ad materiam reſpective gravem furti, ſic ea acceptatio munerum erit peccatum veniale. Sive autem ea acceptio munerum ſit peccatum veniale ſive mortale, ſemper parit obligationem reſtitutionis; quia ea donatio referenda eſt ad Contractum innominatum; *Do, ut facias*, in quo intervenit tacitum pactum utrinque obligatorium. Itaque, ubi Judex non facit laborem aliunde indebitum, ille contractus caret titulo transferendi dominium, ac conſequenter datur obligatio reſtitutionis. Hactenus dicta confirmantur ex Scriptura, quæ acceptationem munerum tanquam rem ex ſuo genere inductivam malorum, Deo odioſam, & injuſtam in Judice inducit. *Deuteronomii 16. v. 18.* dicitur: *Judices & Magiſtros* (Magiſtratus) *conſtitues in omnibus Portis* (urbibus) *tuis, ut judicent populum juſto judicio, nec in alteram partem declinent: Non accipies perſonam, nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum. Juſte quod juſtum eſt, perſequeris.* Per hunc textum innuitur, ab iis, qui accipiunt munera, etiamſi proferant ſententiam *juſtam*, eam tamen non *juſte* proferri. *Iſaias* C. 1. v. 23. deſcripturus ſcelera Jeroſolimæ provocativa graviſſimæ iræ divinæ, inter ea primo loco ponit praxin ſeu conſuetudinem Judicum accipiendi munera, quam praxim *nobile furtum* vocat, & *infidelitatem* muneris, commiſſam contra pactum tacitum cum populo initum. *Principes tui*, inquit, *infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus: Heu, conſolabor ſuper hoſtibus meis, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & reſtituam Judices tuos, ut fuerunt prius, & Conſiliarios tuos ſicut antiquitus.* Et *Micheæ* 3. v. 11. *Abominamini judicium, & omnia recta pervertitis. Principes in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, & ſuper dominum requieſcebant dicentes: Nunquid non Dominus in medio noſtrum?* Ex hac confidentia Judæorum colligitur, quod iſta tria genera peccatorum, inter quæ comprehenditur praxis paſſim ſine ſcrupulo acceptandi munera, non fuerint agnita pro peccatis, ac conſequenter non eſt ſermo de acceptatione munerum ex fine, ſcienter ferendi ſententiam injuſtam,

ſtam, ſed eſt ſermo de ea acceptatione munerum, quam Judæi credebant eſſe licitam, hoc eſt, eam, qua poſita nihilominus Judices proponebant ferre juſtam ſententiam.

Quæritur 8. An Judex teneatur ſequi litteram Legis humanæ poſitivæ, ſi in caſu particulari oppoſitum ipſi videatur æquitati naturali conformius?

Reſpondeo 1. Si caſus particularis manifeſte comprehenditur non tantum ſub Littera, ſed etiam ſub legati intentione Legislatoris, quæ ſemper eo tendit, ut nil fiat contra æquitatem naturalem, judex inferior tenetur judicare ſecundum Litteram & intentioem legis ſibi præſcriptæ a ſuo Principe. Sub ea enim conditione & obligatione munus judidicandi a ſuo Principe accepit. 2. Si judex inferior judicat, caſum particularem probabilius vel ægre probabiliter non comprehendi ſub terminis generalibus & intentione legis, non tenetur judicare juxta apparentem corticem ipſius legis.

Ratio eſt, quia juxta dicta de Probabiliſmo inter characteres legis eſt, ut reddatur veriſimilior, ſeu credibilior non ipſa. Ergo ſi Judex hunc characterem legis relate ad ſuum caſum non reperit, non adſtingitur lege. 3. Si Judex credat, caſum particularem ſua generalitate, ſat ampla ac ſat frequente ad promerendam diſpoſiticnem alicujus legis, probabilius comprehendi ſub generalibus terminis ac intentione legis, nec poteſt licite, nec valide judicare contra legem, niſi conſulto & diſpenſante prius ipſo Legislatore, quæ tamen diſpenſatio ad caſum ſingularem fieri nequit, niſi ob exigentiam abſolutam graviſſimi boni publici, de quo facienda eſt notificatio & compenſatio parti collitiganti, ne ſententia appareat eſſe injuſta. 4. Si Judex videat, caſum eſſe prorſus ſingularem ob circumſtantias perſonales, locales vel reales adeo individuas ac ſingulares, ut non mereantur quandam generalem diſpoſitionem legis: & præterea videat, æquitati naturali notabiliter minus conformem fore ſententiam, ſi trahatur ad diſpoſitionem legis generalis, non tenetur judicare per approximationem juxta diſpoſitionem legum generalium, ſed tenetur conſulere Principem, ſi commode fieri poteſt; & ſi id fieri commode nequeat, tenetur potius judicare juxta æquitatem naturalem.

Ratio eſt, quia Leges non ſolent ferri ac dari circa caſus prorſus ſingulares, qui intra centum annos vix unquam aut non niſi rariſſime occurrunt, niſi ſingularis enormitas criminis, aut gravitas rei, unde ſalus Reipublicæ dependet, id expoſcant. Itaque Judex in defectu legis pro tali caſu tenetur obſervare legem & æquitatem naturalem.

Quæritur 9. An Conjudex in publico Conſilio regio, aulico, vel urbico, ubi moris eſt, ut graviſſima negotia ſimul proponantur & ſtatim reſolvantur, tuta conſcientia poſſit ſtatim dare votum ſuum ſine maturiori diſcuſſione ac deliberatione.

Reſpondeo. Si in ejuſmodi conſilio agatur ſuprema authoritate ſine ulla alligatione ad Corpus vaſtum legum Civilium, & ſine indulto ulterioris appellationis, ſic licebit dare votum ſuum deciſivum ex ſtapete & tripode. Cum enim authoritas ſuprema ſaltem valide poſſit in ſua provincia tollere obligationem ſequendi leges contentas in Corpore vaſto Juris Civilis, vel etiam Leges anteriores Provinciales tam Anteceſſorum quam proprias, niſi forte paucas, faciles comprehenſu memoriter, ſicque omnia judicia reducere ad principia juris naturalis, prout fiebat in Statu Legis Naturæ & in lege Scripta Moyſaica, ubi judicia exercebantur in *Portis* urbium, vel ab ipſiſmet Regibus, in aula & prout a tempore Caroli Magni uſque ad tempora Maximiliani I. qui præſcripſit uſum Juris Civilis pro Dicaſteriis, in Germania pleræque Controverſiæ terminabantur per *Placita publica*, vel *Compromiſſa*, etiam licitum erit, juſſu ſupremi Principis procedere judicio Summariſſimo obſervatis præciſe iis, quæ requiruntur jure naturali.

Reſpondeo 2. Si tamen Princeps ejuſmodi

modi Dicasterii non permittat judicare authoritate suprema independenter a vasto Corpore Legum Civilium ac Provincialium, sed partibus concedat appellationem ad superius Tribunal, in quo judicatur secundum Leges Civiles vel Provinciales, difficiles captu distincte, sic in causis extraordinariis, aut aliunde ob speciales circumstantias intricatis, in quibus ex frequenti recursu necdum habetur stylus Curiæ, aut ob facilitatem casus plana resolutio, non licet voto absoluto præcipitare sententiam, sed suspendendum est votum usque ad majorem liquidationem omnium circumstantiarum & conditionum, & viarum, quibus possit inveniri modus, litem vel componendi, vel satisfaciendi partibus ob æquam vel saltem aliquam veram probabilitatem utriusque partis, prout dicetur in proxima quæstiuncula.

Quæritur 10. Quid agendum Judici, si ex utraque litigantium parte sit æqualis probabilitas?

Respondeo 1. In tali casu Judex tenetur in causa criminali absolvere ab accusatione reum, præbita tamen a reo sufficienti cautione de securitate pro bono publico vel aliorum privato. 2. In Civili causa tenetur cæteris paribus possessorem relinquere in pacifica possessione suspendendo absolutam de proprietate rei sententiam.

Ratio est, quia non habet majus fundamentum proprietatem adjudicandi uni quam alteri. 3. Si neuter litigantium est in possessione, & res, de qua agitur, est divisibilis, vel compensabilis, tenetur præcipere æquam divisionem, vel compensationem.

Ratio est, quia non datur fundamentum uni assignandi majus emolumentum pretio æstimabile, quam alteri. Si vero res est indivisibilis, prout contingit in re spirituali, vel in puncto honoris, famæ &c. & ambo vel neuter est in quasi possessione, debet favere vel alleganti titulum aut statum anteriorem, vel assignare possessionem alternatim, vel cum jure successionis, vel rem relinquere sorti. Vide dicta *de Probabilismo*, §. 4. q. 4. & de *Divinatione* seu *Sortilegio* in *Præcepto primo Decalogi*.

Quæritur 11. An Judex teneatur adjudicare causam integram habenti causam probabiliorem?

Respondeo. Nisi probabilitas unius partis sit evidenter & eminenter major, Judex etiam in hoc casu potest & tenetur dividere causam juxta cujusque majorem vel minorem probabilitatem.

Ratio est, quia non est æquitati naturali conforme, ut ob jus alterius incertum quis ferat damnum aut præjudicium certum. *Confirmatur* ex eo, quia si quæstio est intricata, aut aliunde ob incertitudinem documentorum, vel legum interminabilis, plerumque facta appellatione, prout *Cardinalis de Luca in Theatro Veritatis & Justitiæ libro decimo Discursu vigesimo quinto & libro secundo Discursu centesimo Decimo septimo* observat, variant tribunalia stantibus iisdem meritis causæ, ita ut ea causa, quæ uni Dicasterio visa fuerat probabilior, eadem alteri Dicasterio videatur minus probabilis. Ergo, nisi una causa sit *evidenter* & *eminenter* probabilior, ita ut nulla timenda sit prudenter variatio Tribunalium, non est bonum generi humano, nec exoptabile, nec pacto tacito exigibile, ut Judices adjudicando uni parti totum præcludant tranquillæ compositioni viam, sicque innumeris appellationibus, immensis sumptibus, diuturnis inimicitiis & non raro perpetuis dissensionibus, aliisque gravissimis malis charitati Christianæ & bono Reipublicæ contrariis aperiant januam.

Quæritur 12. An Judices Ecclesiastici teneantur sequi Corpus Juris Canonici?

Respondeo. Affirmative.

Ratio est, quia, licet Decretales Summorum Pontificum, ex quibus ferme totum Corpus Juris Canonici compilatum est, non sint scriptæ pro tota Ecclesia, sed fere omnes sint tantum Rescripta ad particulares Episcopos, insertæ tamen fuerunt Corpori Juris Canonici. Et quamvis etiam ipsum Corpus Juris Canonici nullibi reperiatur directe præscriptum toti Ecclesiæ, sed

Gre-

Gregorius IX. suos quinque Libros Decretalium tantum præscripserit Universitati *Bononiensi* & *Parisiensi*, quæ Academiæ eo tempore habebant jurisdictionem in Professores, Collegia, eorum famulos, & Studiosos, ita ut in eos exercerent potestatem judiciariam sat amplam, prout videri potest in Epistola hujus Pontificis præfixa quinque libris Decretalium, & in alia Epistola illius ad Academiam Parisiensem, quæ reperitur in *Miscellaneis Baluzii*, receptum tamen est de consuetudine in Dicasteriis Superioribus Ecclesiasticis. Igitur, si inferiora Tribunalia in ferendis sententiis a Corpore Juris Canonici recederent, reformarentur appellationibus interpositis per Superiora Tribunalia, sicque sine necessitate exponerent partes litigantes gravium sumptuum & turbationum periculo. Accedit, quod Corpus Juris Canonici non solum fuerit consuetudine receptum etiam in inferioribus Dicasteriis, sed etiam præscriptum a *Maximiliano* I. Imperatore in Dicasteriis Imperii Civilibus, prout patet ex ejus Decreto edito in *Comitiis Ratisbonensibus anno* 1507. Itaque foret insolentis audaciæ perturbativæ generalis ordinis, & tranquillitatis publicæ, si quis Ecclesiasticorum Judicum præsumeret recedere a Corpore Juris Canonici, quatenus generali consuetudine, & universali Tribunalium observantia receptum est. Denique Spiritus unionis & pacis in Ecclesia Dei perpetuo movet fidelium mentes *ad facilem accessum* erga responsa & judicia Sapientum, quos Deus posuit in Candelabro Ecclesiæ, videlicet ad Canones Synodorum etiam particularium, usu ab Ecclesia receptos, ad Summorum Pontificum Rescripta, atque ad Sanctorum Patrum sententias. Ea enim perpetua Spiritus Sancti motio *ad accessum facilem*, *unionem*, *uniformitatem* & *concordiam* probari posset ex constanti praxi Ecclesiæ & plurimis locis Scripturæ, v. g. Jacobi 3. ad Romanos 12. & 15. ad Philippenses 1. & 2. & 4. & ad Colossentes 4. & 1. Cor. 12. & 14. & 1. Petri 3. & ex Concilio Meldensi celebrato anno 845. ac relato C. *Canonum* 1. *de Constitutionibus*. Itaque non ageret ex motione Spiritus Christiani ac Sancti qui tenderet ad recessum a Corpore Juris Canonici, quatenus est receptum universali consuetudine & observantia Tribunalium. Hic enim recessus dissolveret rectum Ordinem, tranquillitatem, & uniformitatem Ecclesiæ.

Quæritur 13. Utrum ab sobrium ac prudentem usum Juris Canonici pertineat, ut Judex recurrat ad fontes textuum? vel potius ut sistat in ipsis textibus?

Respondeo; triplicem esse casum, in quo non est sistendum in ipso textu, sed recurrendum ad fontes. 1. *quando textus est obscurus*, ita ut ejus genuinus sensus eruendus sit ex fontibus. 2. *quando exstensio textus est ambigua*: quando videlicet dubitatur, an sit extendendus *ad casum in* substantia eundem, sed in motivis vel *circumstantiis valde diversum?* vel utrum sit extendendus *a pari?* vel *a simili?* ad casum tamen diversum? vel an sit extendendus *ad connexa*, vel *ad effectus* &c. Ex fontibus enim apparebit, a qua circumstantia, vel a quo motivo Pontifex vel alius Conditor legis fuerit principaliter motus. 3. *quando textus videtur exorbitare a communibus regulis juris*. Ex fontibus enim apparebit, an Conditor textus in casu singulari voluerit agere ac rescribere utendo authoritate absoluta? per modum provisionalem ad tempus, per modum privilegiantis vel punientis accommodate ad singulares circumstantias? per modum temperamenti præcise attemperati ad circumstantiam transeuntem personæ, loci, & temporis? Primum, modum ad quem etiam secundus & tertius revocari possunt, innuit SS. D. N. *Benedictus XIV.* in Rescripto ad Archiepiscopum in Insula, *Hispaniola*, anno 1744. 5. Decembris, ubi §. 13. sic scribit: *Memineris, laudandam quidem esse illius diligentiam, qui Decretalem integram consulit, ut eam, quæ* (in Corpore juris Canonici) *integra non est, perfectius intelligat. Sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram*

confugiat, ubi perspicua & dilucida est illa, quæ aliquo modo mutilata fuit. Et si quid huic deesse dignoscitur, id eo jubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat authoritate; eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse Legislator servari voluit, in tuto poneretur, neve turbari illam & nutare contingeret, si tota Decretalis novæ Compilationi (Gregorii IX.) *inserta fuisset*. Ita Sanctissimus D. N. qui in Præfatione hujus Rescripti præmonet his verbis: *Quod præsentibus nostris Litteris* (fraternitati tuæ respondeamus, id) *facimus non ex authoritate Apostolicæ Sedis, sed meram sustinentes personam Doctoris privati*.

Quæritur 14. An Judex possit condemnare juxta allegata & probata reum, quem privata scientia novit esse innocentem?

Respondeo. Sive agatur in causa Civili præcise civiliter, sive agatur criminaliter ad pœnam corporalem, præsertim mortis, nunquam Judici licet condemnare eum, quem certitudine fidei aut physica novit esse innocentem; potest tamen condemnare eum, quem solum certitudine morali scit esse innocentem, si nullum pateat effugium, & allegata ac probata importent certitudinem physicam, v. g. ex testibus de visu vel auditu omni exceptione majoribus.

Ratio est, quia in tali casu, si nullum pateat effugium, poterit potius credere, suam certitudinem moralem fallere, quam visum & auditum testium omni exceptione majorum, sanæque mentis, & sine suspicione pravi, vel passionati, vel perturbati animi loquentium, quando testantur non in confuso seu in genere, sed circumstantionate de dicto vel facto individuo. Quoad priorem autem partem *probatur*

Responsio 1. ex Scriptura, ubi Exodi 23. dicitur: *Non suscipies vocem mendacii; nec in judicio plurimorum aquiesces sententiæ, ut a vero devies. Insontem & justum non occides*. 2. Si hoc liceret Judici, ex eodem capite licuisset Ministris Judicum occidere Christum, de quo Cayphas & totum Concilium testabatur, se audivisse blasphemiam, vel Stephanum, de quo pariter testes deponebant, se audivisse blasphemiam, vel Christianos, de quibus testes Apostatæ testabantur, & qui pro convictis in judicio habebantur, quod celebrarent Thyastæ convivia, quod comederent infantem, quod tractarent artes magicas, &c. 3. Scriptura *Eccles. 7. v. 6.* dicit: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem*. Ergo etiam non debet manere Judex, nisi possit superare notoriam iniquitatem. 4. Provocatus ad Duellum nequit acceptare Duellum, etiamsi illud recusando amittat suum Officium, seque uxorem, & liberos coniiciat in miserrimum statum, prout patet ex propositionibus de hac re damnatis a SS. D. N. *Benedicto XIV.* Ergo multo magis tenetur Judex deponere Officium, si hoc servari nequit sine occisione certa certo innocentis.

Quæritur 5. An Judex ex Officio teneatur supplere ea, quæ a partibus & earum Advocatis ex ignorantia Juris vel facti in defensionem suæ causæ omissa sunt?

Respondeo. Judex universim, non tantum respectu personarum miserabilium vel causarum piarum, sed respectu omnium personarum & causarum in judicio comparentium tenetur tam quoad obliviones facti, quam juris supplere ea, quæ a partibus & eorum Advocatis per ignorantiam, inadvertentiam, vel incuriam in defensionem suæ causæ omissa sunt.

Ratio est 1. Judicis est, diligentissime investigare veritatem exemplo Jobi, qui c. 29. v. 16. de seipso scribit: *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam. Frustranea autem foret* hæc obligatio investigandi, si non teneretur aut posset uti aliis notitiis, nisi per informationem partium & Advocatorum haustis. 2. Judices sunt naturales Advocati justitiæ & veritatis, alii vero Advocati primum serius adinventi sunt in subsidium Judicum, qui introducta multitudine legum, & varietate casuum, & aliorum negotiorum copia, addere liceat, & negligentia, non poterant aut

non

non volebant esse intenti ad omnia juris aut facti præsidia. Ergo, si in ipsismet Advocatis & partibus irrepit oblivio, inadvertentia, vel ignorantia juris aut facti, tenentur advocare utrique parti pro viribus ad patrocinandum justitiæ & veritati. Quando autem in Jure Judicibus præcipitur, ut agant Judicem, non Advocatum, id haud dubie intelligendum, ne agant Advocatum unius partis, non vero ne agant Advocatum utriusque partis, seu potius justitiæ & veritatis. 3. Imperatores suas Leges non scripserunt plebi, sed judicibus cum obligatione, ut populum jus ac legem doceant; quod fieri non potest, nisi in ipsis tribunalibus relative ad speciem facti & circumstantias, ad quas se jura & leges, v. g. de præscriptione &c. referunt. Ergo si Judex observet, Actoris Libellum esse ineptum, vel quod reus non detulerit Actori juramentum calumniæ, ubi adhuc in usu est, vel quod non petierit dilationes, vel quod non exceperit contra testes non legales, vel quod non opposuerit exceptionem præscriptionis, aut privilegii Senatus Consulti Vellejani, Macedoniani, &c. vel quod non exceperit contra præscriptionem illegitimam, aut Instrumentum falsum, vel quod alterutra pars ignoret legem, Statutum, Decretum, præjudicatum, consuetudinem in sui favorem editum; vel quod alterutra pars pro se posset producere hos vel illos testes, quos Judex scit, sed pars litigans ignorat, vel quod posset producere talia Instrumenta partem latentia; vel quod posset uti talibus probationibus, talibus exceptionibus fundatis in facto ignorato a parte, vel tali privilegio, vel tali dilatione, vel quod posset petere satisfactionem pro injuria, aut compensationem expensarum, &c. Hæc omnia Judex potest & tenetur indifferenter pari utrinque studio & diligentia suggerere tam Actori quam reo; sicque supplere eorum ignorantiam vel incuriam. Imperator *Justinianus* ad Senatum C. P. in Confirmatione Instit: sic scribit: *Sciatis, collectas esse has Constitutiones, ut earum recitatio in omnibus ad citeriores litium decisiones fiat in judiciis*. Et in Confirmatione ad Viros Illustres. *Hæc omnia obtinere sancimus, ab omnibus tam Professoribus, quam Legum Auditoribus, & ipsis etiam Judicibus observanda*. Et in Confirmatione Digestorum: *Omnes Judices easdem Leges suspiciant, & tam in suis judiciis, quam in hac Regia Urbe habeant & proponant. Curæ autem erit omnibus Præfectis Prætoriis, omnibus, qui suæ jurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare*. Et in Publicatione ad omnes civitates sui Imperii: *Omnes Magistratus ut utantur prædictis nostris Legibus* (omnes nostri subditi), *unusquisque in suo procurabit judicio. - - Curæ erit Præfectis Prætoriorum per sua Edicta ista facere manifesta ad omnium subditorum inexcusabilem notitiam*. Si ergo Imperator vult suas leges publicari subditis per Judices, id a fortiori observandum in causis forensibus.

Quæritur 16. Ad quæ Judex teneatur ex Officio etiam non requisitus?

Respondeo. Judex ex Officio tenetur præstare omnia, quæ licite præstare potest, quando ad ea præstanda ipsum obligat Charitas erga Deum & proximum, vel bonum communitatis, cui præest. Cum enim quoad potestatem gubernativam Communitatis Judex sit Vicarius sui supremi Principis, qui potestatem a Deo accepit cum obligatione invigilandi pro gloria Dei, & pro bono Reipublicæs ut subordinato ad majorem Dei gloriam,, manifestum est, quod exigente emolumento divinæ gloriæ, vel bono Reipublicæ teneatur ex officio præstare omnia, quæ licite ex officio potest præstare. Ea vero, quæ Judex ex officio possit præstare enumerat *Cardinalis Tuschus V. Judex Conclus.* 395. & 397. ubi enumerat plusquam centum ejusmodi casus. Sic habet: 1. „ Judex ex officio potest remittere juramentum solvendi usuras. 2. Potest compellere Fideicommissarium universalem ad restituendum fideicommissum substituto. „ 3. Cognoscere, esse vel non esse consuetudinem circa ea, quæ non sunt „ magni præjudicii, vel quæ sunt contra jus. 4. Calumniose agentem con-

„ demnare ut calumniosum, & in expensas; quod tamen faciendum non ante vel post sententiam, sed in ipsa sententia. 5. Immo potest & debet eum repellere. 6. Et eum inhibere ab agendo etiam parte non citata, & sine causæ cognitione, si aliunde videlicet sit certus de struenda calumnia. 7. Præcipere Arbitro, ut ferat sententiam. Item inhibere, ex causa, ne proferat Laudum. Item sub pœna nullitatis aliquid inhibere; & si fiat contrarium, nullum erit. 8. Cognoscere nullitatem sublatam ex Statuto, licet non possit opponi per partem, dummodo cognoscatur ex Actis. 9. Idque verum est, ut etiam possit repellere Agentem, si videat nullitatem sententiæ, in qua se ille fundat, licet pars non possit contra eam excipere stante Statuto. 10. Idque procedit, etiamsi Statutum tolleret Officium Judicis, quia illud intelligendum foret de implorato. 11. Appellatio ab interlocutoria vel in executivis, quando non est appellatum intra tempus, licet transeat in judicatum quoad Partem, non tamen in judicatum quoad Judicem. 12. Potest repellere exceptiones etiam relevantes, quando per calumniam proponuntur, & vehementer potest hoc præsumere. 13. Maxime quæ oriuntur ex ventre Instrumentorum, vel sententiæ, quia dicuntur notoriæ. 14. Potest denegare dilationem ab una Parte petitam ad differendum & per calumniam. 15. Transgredi jura ex causa. 16. Et pœnas ac dispositionem Statutorum. 17. Sequestrum a legibus prohibitum apponere possessioni, quando imminet periculum deveniendi ad arma. 18. Ad evitandum scandalum dividere ea, quæ alias sunt indivisibilia, eo modo, quo fieri potest, & causa legitima est, si alter sit rixosus. Idem procedit etiam in Minore, qui non potest provocare ad divisionem, si causa subest. 19. Ex causa augere vel minuere pœnam a lege statutam. 20. Minus tamen id licet in extrajudicialibus. 23. Interrogare accusatum, & supplere pro accusatore, etiam in causa accusationis vel inquisitionis; etiam hoc procedit post conclusionem in causa. 24. Testes obscuros repetere, & inquirere conditiones testium &c. 25. Taxare operas & industriam alicujus. 26. Taxare alimenta tanquam convenientia alicui, & quantum importent. 27. Taxare interesse generaliter petitum. 28. Parti habenti Instrumentum publicum cum constituto, ut capiat possessionem bonorum debitoris, concedere associationem seu familiam loco introductionis in possessionem bonorum. 29. Dare licentiam Parti, ut ingrediatur possessionem fundi alieni pro executione sibi debita. 30. Probationem conjecturalem, (ex præsumptionibus individualibus moraliter certis, quamvis legaliter) imperfectam habere pro perfecta, & illi adhibere fidem. 31. Potest iis uti ad utilitatem publicam, quæ facta sunt coram se, licet non sint producta. 32. Prohibere per præcepta, ne subditi deveniant ad arma vel rixas. 33. Concedere reductionem Laudi enormissime, hoc est, ultra dimidium Summæ, per Arbitrum sententiatæ, lædentis. 34. Pro parte absente vendere, pro ea absente producere testes, & sumere probationes. 35. Inquirere tam ad publicam quam ad privatam necessitatem. 37. Judex criminalis potest & debet examinare testes pro innocentia alicujus absentis non solum contra fictam, sed etiam veram confessionem inductam a Statuto, licet sint publicatæ attestationes. 38. Immo potest in tali casu absentiæ pro utraque parte veritatem investigare, testes examinare, & probant plene, ac si a partibus essent inducti & examinati. 39. In tali casu potest etiam examinare Instrumenta, an sint vere talia. 40. Potest perquirere de veritate, etiamsi pars rei jam sit confessa. 42. In hoc casu potest etiam repetere testes. 43. Potest inquirere pro innocentia rei tam ante, quam post sententiam, cum cuilibet

„ li-

„ liceat docere de innocentia alterius. „ 45. Et hoc procedit, etsi Judex prohiberetur per Statutum examinare „ testes ex officio: nisi in Statuto etiam „ statuatur terminus, quo elapso reus „ non amplius audiatur. In tali autem „ casu agendi pro innocente post sententiam requiritur ad allegandum causas innocentiæ, ut de iis constet ex „ actis, vel inquisitione. 49. Potest „ etiam sine indiciis mittere in domum „ alicujus rei ad perquirendum, an res „ alicujus furto ablatæ ibi sint. 50. Potest ad instantiam Partis publicare „ Edictum, ut, quicunque scit rem „ furatam, debeat revelare. Et in tali „ casu Judex Ecclesiasticus potest concedere Litteras Excommunicationis. „ 51. Potest exceptiones pro communi „ utilitate inductas opponere parte non „ petente. 52. Potest tamen in causis tam „ civilibus, quam criminalibus inquirere veritatem, testes inducere, & probationem sumere, quando præjudicium est irreparabile, puta, si est „ in causa appellationis, ex qua oritur „ judicatum, & quando proceditur contra absentes. 53. Potest inhibere delinquenti, ne alienet bona. Immo id „ licet, etsi non sit delinquens, neque „ prodigus, quando ex alienatione potest alicui præjudicium afferri. 55. „ Potest ex justa causa capere suspectum „ de delicto, vel custoditum facere, vel „ sub cautione ponere. 56. Potest expellere ex civitate, recludere in domo, ne exeat, sub præcepto; idque „ sine causæ cognitione. Potest enim „ in iis, quæ pertinent ad suum officium, præcipere subditis. " Idem *Cardinalis Concluf.* 397. loquens de iis, quæ Judex ex officio possit, vel debeat supplere in Judicio; sic pergit „ 1. Judex debet ex officio supplere pro Parte instruendo pro veritate invenienda „ & probanda, hoc est, per modum „ consultoris. 2. potest supplere de facto super delictis in judicio pro absente & contumace, circa deducta in „ Actis & nemine opponente. 3. id procedit etiam in notoriis Judici, ut Judici. 5. supplet exceptiones pro reo, „ quando constant in Actis. 6. & in „ iis, quæ respiciunt ineptitudinem Libelli. 8. potest supplere exceptionem „ non implementi ex parte Actoris agentis ex contractu ultro citroque obligatorio, & denegando audientiam & „ executionem etiam post sententiam. „ 9. repellit actorem ex actione, quæ „ nondum nata est. 10. potest repellere „ accusatorem non legitimum a judicio, „ qui non permittitur accusare secundum communem, maxime si accusator ex culpa sua repellitur. 11. idque „ verum est, etsi accusatus non possit „ repellere accusatorem. 12. actore non „ probante, licet reus non excipiat, „ excipit jus, ut absolvat reum, licet „ reus non excipiat. 13. quia supplet „ ea, quæ sunt juris, potest accommodare informationes juris unius partis „ alteri parti, ut respondeat, & supplere in cognitione in iis, quæ sunt juris. 14. Supplet etiam ea, quæ sunt „ juris statutarii. Hinc licet statutum „ mandet, reum non audiri, & tollat „ omnem defensionem, non tamen tollit, quin Judex repellat actorem non „ probantem intentionem suam, quia „ licet reus non sit audiendus, Judex „ tamen pro exequendo suo officio auditur. 15. Sic etiam Judex multa ponit circa pupillorum educationes etiam „ contra mentem testatoris, & circa Ecclesias, & circa pauperes, (quibus „ tutorem ponere vel per seipsum supplere, jure naturali & divino tenetur.) „ 16. potest multa supplere in facto potestate ordinaria interrogando testes, „ & partes, & similia. 17. potest etiam „ potestate extraordinaria multa supplere in facto ob utilitatem publicam, „ etsi tantum agatur de Interesse privato. 18. quando pro actore producitur Instrumentum, quod ex sui facie „ probet aliquid pro reo, potest Judex „ etiam parte non opponente supplere. „ 20. quando de crimine publico agitur, non ad privatam utilitatem, potest supplere pro Parte. 21. quando „ actor probavit contra debitorem de „ debito, sed non de quantitate debiti, „ potest Judex etiam post conclusionem „ in

„ in causa eligere peritos, qui liquident „ debitum. Male faciunt Judices, qui „ absolvunt debitorem, quia non con„ stat de quantitate debiti. 22. quando „ Judex juramento adstringitur, ut ex„ pediat causam intra certum tempus, „ potest partibus invitis supplere, ne in„ cidat in perjurium vel pœnam. 23. „ potest in notoriis supplere parte non „ petente: si non suppleat, dicitur gra„ vare partem. 25. supplet etiam in „ iis, quæ constant ex actis. Si tamen „ actor excludatur per Statutum, v. g. „ si non appellavit intra terminum, vel „ notoria est nullitas, non supplet judex „ in commodum privatum. Ratio prio„ ris partis responsionis est, quia judex „ non potest condemnare innocentem. „ Ergo nec potest condemnare eum, „ qui habet defensionem a jure civili „ vel Statuto. 26. non debet supplere „ Libellum ineptum, sed rejicere. 28. „ non debet supplere in facto pro Par„ te circa exceptionem competentem „ reo, nisi reus ad hoc specialiter im„ ploret ejus officium. Verum si Judici „ moraliter constet, petitionem Actoris „ esse frivolam, non debet audire eum, „ quem scit non esse audiendum, & sic „ non audiendo proprie non supplet. „ 35. Si judex videt ex facie Libelli, „ vel Inquisitionis, vel accusationis, „ reo defensionem competere, debet „ reum absolvere non obstante, quod „ vere, vel ficte ex contumacia confi„ teatur contenta in Libello, v. g. si „ inquiratur in Bannitum ante decem „ annos, & detur Statutum post lapsum „ decem annorum non esse inquiren„ dum, cum tamen intra hoc tempus „ potuerit inquiri. 38. si ex Libello „ constat, non competere actionem, „ potest repelli Actor, etiam Parte non „ opponente, idque tam in causa Civi„ li quam criminali. 40. potest repelli „ persona actoris non legitima, etiam „ parte non opponente. 45. Illud, quod „ dicitur, quod Judex non possit sup„ plere in facto, debet intelligi, ut „ suppleat, tanquam quod sibi nota „ sint, quasi velit judicare ex conscien„ tia, non secundum acta; secus, si „ vult supplere de facto, ut legitime ali„ quid constet, maxime in criminali„ bus, & ubi agitur de validitate pu„ blica: & non dicitur Judex in cau„ sa propria, nisi ad eum spectaret uti„ litas. Et quod dicitur, de officio suo, „ nisi petatur (non impertinendo), „ procedit in *nobili officio*, secus in „ mercennario, quod servit actioni. „ Quod actore non probante reus absol„ vi debeat, procedit, nisi actor desi„ stat in criminali, & ubi de utilita„ te publica agitur, vel nisi agatur con„ tra agentem; quia Judex tenetur in„ quirere veritatem, vel ubi potest ap„ pellari, & deprehensa veritate tolle„ retur appellatio, vel ubi agitur con„ tra absentem. 47. repetit Judex te„ stes obscure deponentes. 48. perquirit „ conditiones testium, &c." Hucusque *Cardinalis Tuschus*, qui singulis his assertionibus, quamvis interdum inter se nonnihil contrariis, apponit suos authores. Hoc tamen ex omnibus istis eruitur, quod Judex possit & debeat supplere tanquam vindex criminum & defensor innocentiæ in criminalibus, & tanquam Advocatus publicus justitiæ & veritatis in Civilibus non tantum circa ea, quæ sunt juris, sed etiam circa ea, quæ sunt facti. 1. per modum consultoris suggerendo. 2. etiam compellendo, ubi agitur ad utilitatem publicam vel contra absentem. Cæterum hæc fusius recensere volui, quia Judices interdum a Parochis, vel aliis bonis amicis moniti de interponendo suo Officio, putant, vel simulant, sibi nil licere in hoc vel illo negotio, nisi ad requisitionem, instantiam, vel accusationem alicujus, aut Partis.

Quæritur 17. An Judex possit pœna mortis, vel alia pœna ordinaria afficere convictum, sed non confessum?

Respondeo. Si ob exigentiam boni publici, v. g. si alias nimium invalescerent crimina Reipublicæ perniciosa ob multitudinem delinquentium, Princeps supremus ferat legem ut pœna ordinaria etiam mortis afficiantur convicti, quamvis non confessi, Judex licite obtemperat huic legi. Ita pro Statu Ro-

mano declaravit SS. D. N. *Benedictus XIV.* per Statutum, quod reperitur in *Supplemento* §. 5.

Quæritur 18. An Judex teneatur pro validis habere ac tueri Legata & Testamenta uxorum, facta ex aquæstu vel ex dote, non obstante pacto conjugali, ut si improlis decedat, dimidia pars dotis redeat ad consanguineos?

Respondeo. Si dos fuit constituta filiæ a parentibus duplo excessu ultra legitimam, v. g. si legitima fuisset summa centum aureorum, & parentes dedissent in dotem summam ducentorum aureorum, parentes recte & valide potuissent dotem filiæ improlis gravare ea conditione substitutionis. Si autem filiæ solum dederunt legitimam, vel si filia suam dotem obtinuit per hæreditatem propinqui aut alieni, vel per donationem, vel per artem seu industriam, nemo alius potuit gravare ejus dotem hoc onere, nisi ipsa sponsa contrahens. Hæc vero, si sapuit, in illo pacto conjugali noluit sibi ultro nemine cogente præcludere libertatem testandi de suis bonis. Ergo sensus illius pacti conjugalis prudenter alius esse vel præsumi non potest, nisi, quod per se juri conforme est, ut omnia illa bona, quæ per pactum conjugale utrinque reciproce obligatorium marito obligata sunt, cedant proximis consanguineis, si decesserit ab intestato, & nil aliud disposuerit per modum Legati, Codicilli, vel Testamenti. *De Aquæstu* prorsus indubitatum, quod uxor possit disponere libere, id solum pertinet ad Judicem, ut æstimet de quota bonorum aquisitorum pertinente ad uxorem. Judex pro intenerur in conscientia exequi legata vel testamenta sic jure facta ab uxoribus circa legitimam suam, & circa alia bona per hæreditatem, industriam, donationem, aquæstum, &c. parta, immo etiam circa excessum dotalem legitimæ, nisi constet, parentes illum excessum voluisse ita gravare onere} substitutionis, ut nec per testamentum possit aliter disponi.

Quæritur 19. An Judex in subhastatione parentum teneatur liberis majorennibus assignare Salarium pro servitiis parenti præstitis?

Respondeo. Quando liberi jam majorennes non solum valide sed etiam licite a parentibus pacto *tacito* vel expresso petunt *congruum* Salarium, tenetur Judex in subhastatione hoc illis assignare servato ordine creditorum. *Dixi* 1. *pacto tacito*; hoc enim ipsismet parentibus non invitis intervenire censendum est, quando jam incipit periculum subhastationis. Id enim tam parentibus quam liberis est exoptabilius, ut perditis omnibus bonis paternis saltem liberi aliquid obtineant pro fidelibus servitiis, & ideo merito censendi sunt liberis tacite in hypothecam pro debitis Salariis obligare sua bona, quamvis hoc expresse non deducatur in pactum. Ipsa namque æquitas naturalis sancit in tali casu contractum bonæ fidei inter parentes & liberos innominatum: *facio, ut des*. *Dixi* 2. *congruum Salarium*. Cum enim liberi in vestitu & victu & labore plerumque honestius tractentur, quam famuli vel ancillæ, immo nonnunquam clam plura sine magno scrupulo præsumant vel subtrahant, pertinebit ad æstimationem ac determinationem Judicis, quantum Salarium censeat congruum.

Quæritur 20. An Judex etiam hominibus plebeis ac rusticis, ex mero infortunio absque sua culpa ad incitas redactis, in subhastatione recte concedat competentiam status?

Respondeo. Nisi tales personæ ob morem notorium & generalem alicujus regionis, quando petierunt mutuum, beneficio competentiæ tacite renuntiaverint, dicendum, est, quod Judex teneatur iis assignare beneficium competentiæ.

Ratio est, quia Imperator Justinianus testatur; *nullam gentem esse tam barbaram*, quæ aliter sentiat. Textum attuli in *Tract. de Contract.* §. 1. de solut. qq. 4.

Quæritur 21. Quæ sint aliæ obligationes Judicum?

Respondeo. Tenentur 1. adhibere moralem diligentiam in aquirenda sufficienti scientia & praxi legitima juris, in consulendis super causa controversa obli-

gatoriis legibus, & in examinanda exacte causa. Alioquin omnes sententiæ injustæ ex ignorantia graviter vincibili prolatæ ipsis coram Deo imputabuntur in peccatum mortale, eosque adstringent ad restitutionem, prout ostendi in *Tract. de Peccatis*. 2. peccant graviter, si absque præviis indiciis personas simplices interrogent vel trahant in quæstionem de crimine occulto. 3. Ipsis non licet deferre testibus juramenta execratoria, nisi in causis gravissimis, prout ostendi in *Decalogo de Juramentis*. 4. Tenentur articulos probatoriales variis circumstantiis involutos minutatim distinguere, & testes de singulis articulis sic distinctis ante juramentum monere ut non jurent, nisi de omnibus circumstantiis in quovis articulo contentis omnino ex visu vel auditu proprio certi sint. Alioquin illaqueabunt conscientias testium & suas. 5. Tenentur modo meliori, quo possunt, promovere gloriam divinam, tollere publica scandala, peccata notoria non solum vindicare, sed etiam eorum occasiones proximas non necessarias exscindere, tueri venerationem diebus festis, locis sacris, & personis Deo sacratis debitam, cooperari Verbo divino & ejus Ministris, compellere subditos ad auditionem Verbi divini, & juventutem ad Catechesin, ordinare cumulative bonos Ludi magistros, pernitiosas personas expellere, conservare jura & bona Ecclesiæ, assistere Ministris Dei ad omne bonum, &c.

Ratio hujus obligationis est, quia ad hæc omnia jure naturali & divino anticipato obligatur Princeps, cujus ipsi sunt Ministri & Vicarii, prout §. 4. de *Obligatione Principum* ostensum est. Ergo ad eadem obligatur Judex tanquam Minister, Vicarius, & delegatus Principis ad universitatem causarum non exceptarum seu reservatarum a Principe. Cuivis enim Judici in commissione sui muneris tacite a suo Principe in præfato sensu dictum esse putandum est, quod Imperator Valentinianus dixit D. Ambrosio adhuc laico, quando eum in Judicem ac Præfectum Mediolanensibus præfecit, *Vade non tam Judex, quam Episcopus*. 6. Tenetur in conscientia procurare bonum temporale modo meliori, quo potest, non solum Communitatis totius in genere, sed etiam singulorum sibi subditorum.

Ratio est, quia ad hoc jure naturali & divino tenetur Princeps, cujus ipse est Minister, Vicarius, & Delegatus ad universitatem causarum non exceptarum a Principe. Hinc & eum repræsentat in omnibus actis *gestis* vel *gerendis*, vel *susceptibilibus authoritate Principis*, inter quæ haud dubie comprehenditur omnis ordinatio rationis in bonum commune & privatum subditorum. 7. Hinc etiam tenentur invigilare, ne Advocati, Procuratores, Ministri judiciales justitiæ excedant limites recti in gravamen subditorum. Omnes enim eorum excessus conniventia vel tolerantia vel supina negligentia inspectionis a Judicibus commissa secuti imputabuntur ipsis coram Deo. 8. Tenentur etiam invigilare pro bono temporali suorum Principum, & pro conservandis eorum juribus, ita ut nullas defraudationes sui principis ex motivo proprii Interesse tolerent, nihil alienent, nihil donent, nihil in præjudicium Principis disponant, sed omnia sui muneris negotia agant ex rationabiliter præsumpto assensu aut nutu *legali* Principis Catholici, justi, æqui, & boni, seu perfecti, nisi Princeps aliam suam voluntatem *personalem*, quæ nec justitiæ, seu juribus tertii, nec æquitati in casu particulari, nec charitati ac misericordiæ Christianæ manifeste repugnet, satis aperte declaraverit.

Quæritur 22. An Judex possit aliquando cognoscere in causa propria?

Respondeo. Judex inferior non potest directe cognoscere in causa propria; potest autem judicare in causa propria indirecte, inquantum potest judicare judicialiter, vel ex officio extrajudicialiter circa quæstionem juris vel facti non principaliter aut immediate, sed tantum secundario vel mediate cedentis in suum commodum.

Ratio prioris est, quia Principes suis Judicibus inferioribus nec concedunt, nec prudenter possunt concedere, ut ju-

dicent

dicent directe in causa propria, cum id nec leges Ethnicorum permiserint. Econtra possunt Judici inferiori concedere, ut judicet in causa propria indirecte, nisi pars opposita ex justa causa excipiat contra Judicem. Neque enim debet Judici subtrahi jurisdictio, si respective emolumentum indirecte in ipsum refluat, neque ille, cujus causa directe agitur, debet propterea cum sua molestia trahi ad alienum vel altius tribunal, in quo circumstantiæ rerum & personarum minus perspectæ sunt. *Dixi Judex inferior*. Quod enim attinet *Judicem supremum*, seu Principem, tenetur jure naturali sumere arbitros indifferentes ab utraque parte electos, si habeat causam cum subdito, & subditus id petat. Quamvis enim subditus non possit prudenter excipere contra personam ipsius principis, si ipsemet personaliter omnia documenta legat, & personaliter testes examinet, & ubi opus est ocularem inspectionem personaliter faciat, & principia juris naturalis bene calleat, nisi agatur de objecto, de quo gravi tentatione vehementer pulsari solent etiam animi principum, poterit tamen interdum coram Deo excipere contra judices vel arbitros a solo principe constitutos, si in casu particulari periculum sit, ne præjudicia, passio, vel servilis dependentia a gratia principis serviant passioni prædominanti principis. Hæc probantur ex Lege naturali, quæ sine fuco nobis proponitur in testimonio principis gentilis, nempe Jobi, qui adhuc vivebat in lege naturæ extra legem datam Abrahamo ac Moysi. Is C. 31. v. 13. sic de se scribit: *Si contempsi subire judicium cum servo meo & ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? Et cum quæsierit* (de violentia aut inæqualitate usurpata in causa cum subdito) *quid respondebo illi? Nunquid non in utero* (æqualiter) *fecit me, qui & illum operatus est, & formavit me in vulva unus?* Hucusque princeps in terra Huss, ubi notandum, quod *subire judicium* utique non idem sit, ac *ferre judicium* per se vel suos.

Quæritur 23. Utrum acta Judicis excommunicati sint licita & valida?

Respondeo 1. Si excommunicatio Judicis est occulta, hoc est, necdum publice denuntiata, vel in notoria percussione Clerici certo graviter peccaminosa notorie incursa, ejus acta saltem in Germania sunt licita & valida.

Ratio est, quia Jus Canonicum ante Concilium Constantiense non privavit Judices potestate Jurisdictionis, quando eorum excommunicatio non est publica: & Concilium Constantiense solum eos excommunicatos declaravit in Germania esse vitandos, qui vel sunt personaliter denuntiati, vel qui incurrerunt excommunicationem ob notoriam percussionem Clerici. *Primum* patet ex C. *ad probandum*, *De Sententia & re judicata*, ubi Alexander III. sic scribit: *Si unus ex delegatis judicibus excommunicationis vinculo esset publice innodatus, quando sententia lata fuit, ipsa cassata*, (de causa) *iterum cognoscatis*. *Secundum* vero, de non vitandis aliis excommunicatis probatur ex Concordatis Martini V. cum Natione Germanica, quæ exhibentur in Collectione Conciliorum Veneta Coleti post Sessionem quadragesimam tertiam, ubi §. 7. sic habetur: *Insuper ad vitanda scandala & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, vel extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, ac Interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum certum, vel certa, a Judice publicata vel denuntiata specialiter & expresse: Constitutionibus Apostolicis & Actis in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus: salvo, si quem pro Sacrilegio & manuum injectione in Clerum sententiam latam a* Ca-

Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a Communione illius licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canonicas Sanctiones. Hucusque Concordata Martini V. cum Natione Germanica, quæ facta sunt die 15. Aprilis anno 1418. finita jam Sessione 43.

Si quis dicat, hæc in Concilio Lateranensi sub Leone X. tacite fuisse revocata.

Respondeo 1. In subscriptione Episcoporum quorundam appositas fuisse clausulas conservativas jurium particularium Germaniæ, prout attento lectori Actorum hujus Concilii patebit.

Respondeo 2. Quamvis acta Judicis ejusmodi excommunicati sint licita & valida, licebit tamen Parti contra eum excipere, ut patet ex *C. Exceptionem de Exceptionibus*, prout observat Lessius.

Respondeo 3. Acta Judicis publice excommunicati ob percussionem Clerici, vel denunciati sunt illicita & invalida, saltem post sententiam invalidationis. Id patet ex *C. ad probandum*, ubi jubetur sententia *cassari*.

§. V.

De Advocato.

QUæritur 1. An Advocatus possit in se recipere causam mere probabilem?

Respondeo. Nisi causa opposita appareat evidenter, certo, & eminenter probabilior, poterit eam licite tueri in judicio.

Ratio est, quia, prout dictum est in Tract. de Conscientia §. 4. *de Probabilismo*, & superius §. 5. *De Judice*, q. 11 Judex in tali casu non solum potest, sed etiam tenetur mandare æquam compositionem, & dividere jus juxta cujuslibet majorem, æqualem, vel minorem probabilitatem.

Quæritur 2. Quinam, & in quibus causis prohibeantur esse Advocati?

Respondeo. Advocati esse non possunt 1. *Excommunicati*, videlicet vitandi, de quibus vide §. 5. q. ult. & *C. Excommunicatus de hæreticis*. 2. *Religiosi*; nisi pro suo Ordine vel Monasterio ex mandato Superioris, ut habetur in *Clement. C. Religiosus de Procuratoribus*. 3. *Clerici* in Sacris constituti, vel etiam constituti in Minoribus, si habeant Beneficium, *C. Clerici de postulando*. Ubi tamen notandum, quod solum prohibeantur agere Advocatum coram Judice laico, non coram Judice Ecclesiastico. Immo possunt etiam agere Advocatum coram Judice laico in quatuor generibus causarum, videlicet quando agunt in causa propria, in causis propinquorum, in causa rei vel personæ Ecclesiasticæ, in causiis personarum miserabilium, prout habetur *C. Cum Sacerdotis, de postulando*.

Quæritur 3. An Advocatus cum cliente licite pacisci possit de *quota litis*? v. g. de tertia vel quarta parte Summæ obtinendæ per victoriam?

Respondeo. Hoc pactum tanquam continens generale periculum usuræ, fraudis, injustitiæ, ac immisericordiæ, est juri naturali & bonis moribus contrarium.

Ratio est, quia omnes leges tam gentilium quam Christianorum hoc pactum tanquam ex genere suo bonis moribus contrarium condemnant, l. 7. ff. Mandati. *Papinianus* scribit: *Considerandum erit, an eventum litium majoris pecuniæ præmio contra bonos mores procurator redemerit?* Et *L. Si qui C. De postulando*. Imperator *Constantinus* scribit: *Si qui Advocatorum existimationi suæ illicita compendia præferentes emolumenta sibi certæ partis cum gravi damno litigatoris & deprædatione poscere inventi fuerint, placuit, ut ab hac professione penitus arceantur*. Similiter *Diocletianus* & *Maximinianus* Imperatores, quamvis cœteroquin fuerint tyranni, nihilominus in l. *litem C. de Procuratoribus* agnoscunt hoc pactum ex genere suo esse *bonis moribus* contrarium & *reprehensione dignum*

Quæritur 4. An Advocatus possit cum Cliente pacisci de certo Palmario seu prœmio dandi, si litem evicerit?

Res-

Respondeo. In regionibus, ubi jam a principe vel magiſtratu conſtituta eſt certa taxa in pretium laboris pro Advocatis, non licet paciſci de tali palmario.

Ratio eſt, quia non licet paciſci de auctario pretii ſupra taxam a Republica ob bonum publicum conſtitutam in merces. Ego nec licet tranſcendere taxam a Republica conſtituta in operas ac labores Advocatorum, cum ea conſtitutio manifeſte cedat in bonum publicum ad præcludendum generale periculum fraudum, injuſtitiarum, & immiſericordiæ actuum. In regionibus vero, in quibus necdum conſtituta eſt certa taxa pro labore Advocatorum, licebit de ejuſmodi Palmario paciſci, ſi pro labore ſuo tantum petierit pretium medium, & palmarium, quod petit, non tranſcendat pretium laboris ſummum juxta æſtimationem prudentum conſideratis circumſtantiis. Aliter vero non licet ob defectum tituli.

Quæritur 5. An Advocatus teneatur ſervire gratis in cauſis pauperum?

Respondeo. Si Cliens conſtitutus ſit in gravi neceſſitate, & alius Advocatus gratis ſervire nolit vel non poſſit, poſt fruſtra imploratam vel fruſtra ſperandam aliorum gratuitam operam, tenetur quilibet Advocatus ſervire gratis, ad quem Cliens tandem poſt fruſtra tentatam aliorum opem primo confugerit.

Ratio eſt, quia conſtitutis in gravi neceſſitate tenetur quilibet ſuccurrere, ſi id poſſit ſine gravi ſuo detrimento. quo ipſemet conjiceretur in periculum delabendi in gravem neceſſitatem. Si tamen prævideatur, Clientem obtenta victoria emerſurum ex gravi neceſſitate, poteſt Advocatus paciſci in eventum victoriæ de competente ſalario, ex quo Cliens non timeatur relapſurus in gravem neceſſitatem. Vide dicta in *Præcepto Primo Decalogi Diſput.* 1. §. *6. De miſericordia*.

Quæritur 6. An Advocatus teneatur ſtatim deſerere cauſam, quando incipit amittere omnem ſpem victoriæ?

Respondeo. Quando v. g. deprehenſa falſitate facti, in quo ſe fundabat, adeo periit ſpes victoriæ, ut etiam judicio aliorum Legiſperitorum certo & evidenter præcluſa ſit omnis ſpes victoriæ, tenetur non ſolum Clientem monere de ſtatu cauſæ, ſed etiam deſerere.

Ratio eſt, quia alias cooperaretur non ſolum ad ſui Clientis, ſed etiam Partis oppoſitæ damnificationem certo injuſtam. Si autem judicio alicujus periti, præſertim ipſius Judicis, cauſa ſui Clientis non videatur adeo deſperata, ut accedente novo examine teſtium & documentorum, vel diligentiori perquiſitione Inſtrumentorum ac circumſtantiarum cauſa videri poſſit incerta, ſicque relinqui via ad compoſitionem, poterit Advocatus defenſionem proſequi.

Quæritur 7. An, & in quo caſu teneatur Advocatus ad reſtitutionem?

Respondeo. Tenetur ad reſtitutionem in ſequentibus caſibus. 1. Si ex ignorantia juris craſſa fuit cauſa damnificationis gravis. 2. Si ex negligentia ſupina in perquirendis documentis, volvendis de ea materia libris, vel conſulendis in re intricata peritis fuit cauſa efficax gravis damni. 3. Si parti adverſæ prodidit ſecreta ſui Clientis, ita ut ex ea proditione illi ſecutum ſit grave damnum. 4. Si ampliando Scripturam deductionibus, Annotationibus, allegationibus, excurſionibus, calumniationibus, vel exceptionibus apud peritos Judices prorſus inutilibus cauſet majores ſumptus Clienti & parti adverſæ, tenetur juxta exceſſum ſumptuum ad reſtitutionem partibus. 5. Ad ſimilem reſtitutionem damni & intereſſe tenetur, ſi præciſe ex motivo protelendi litem cauſet dilationes, vel inſpectiones oculares non neceſſarias, vel utiles. *6.* Si deprehenſa injuſtitia certa & manifeſta ſuæ cauſæ partem adverſam metu, dolo, vel motivo captioſo, vel mendacio inducat ad tranſactionem.

§. VI.

De Teſtibus.

Q*Uæritur* 1. Quinam ſunt teſtes idonei.

Respondeo. Teſtes *idonei*, ſeu, quod

quod idem est, *legitimi* dicuntur, quibus nulla qualitas deest in jure ad testificandum requisita. Quod si in iis reperiantur præter qualitates requisitas tanta authoritas, veracitas, probitas, circumspectio, memoriæ & sensuum vigor, & prudentia, ut moraliter certum videatur, eos nec falli nec fallere in audiendo, videndo, loquendo, vocantur *testes omni exceptione majores*.

Quæritur 2. Quænam a jure requiruntur qualitates in teste legitimo?

Respondeo. Qualitates a jure ad testificandum requisitæ sunt duplicis generis. Aliquæ enim requiruntur *universim* in omni causa & ab omni teste. Aliquæ vero requiruntur solum *particulatim* ad testificandum *in certis causis*, vel tantum *pro certis personis*, *aut contra certas personas*. Qualitates *universim* in omnibus testibus & in omnibus causis requisitæ sunt sequentes. 1. *ut non laboret defectu mentis*, prout laborant stulti, plene ebrii, actu furiosi. 2. *ut non laboret defectus sensu necessarii* ad legitime testificandum, prout laborant cœci circa objecta visus. Item surdi circa objecta auditus. 3. *ut non laboret defectu famæ*, prout laborant infames *infamia juris*, hoc est, declarata a jure circa certa genera criminum, v. g. adulterii, polygamiæ, incestuosarum nuptiarum, &c. vel *infamia facti*, hoc est, scandalosi simul & inurentis notam vilipensionis publicam, necdum purgata per emendationem notoriam. Sive enim contra ejusmodi homines excipiatur, sive non, nunquam servire possunt ad complendam cum uno Conteste plenam fidem. 4. *ut non laborent defectu fidei integræ*, prout laborant perjuri semel judicialiter convicti de perjurio; pretio conducti ad ferendum testimonium; pecunia corrupti ad dicendum falsum testimonium; redemptores litium; personæ valde viles ob inopiam & pravos vel necdum probatos mores subjectos suspicioni de corruptione.

Quæritur 3. Quinam sunt testes idonei solum in certis causis?

Respondeo. Testes solum in certis causis idonei sunt Impuberes & pupilli, infantiam jam egressi. Hi enim, licet in jure civili ordinarie non admittantur ad testificandum in causis civilibus, admittuntur tamen pro teste. 1. in contractu matrimoniali celebrato in facie Ecclesiæ coram Parocho. 2. in criminibus exceptis, v. g. in crimine læsæ majestatis, hæresis &c. 3. in omni casu, saltem concernente bonum publicum, v. g. quando Judex ex officio inquirit in homicidam, furem, adulterum, quo alii testes haberi non possunt. Immo spectato jure naturali in tali casu admitti etiam possent infantes, si v. g. decemquinquennes pueri vel puellæ testarentur unanimiter absque condicto aut suggestione, se vidisse homicidam, furem, &c. in ipso actu.

Quæritur 4. Quinam prohibeantur testari pro certis personis?

Respondeo 1. *Servi proprie dicti* excluduntur in omnibus causis sive testentur pro sive contra dominum. Sed hoc tantum verum est de jure civili, quod cum ferme sola consuetudine receptum sit, non urget ultra limites æquitatis naturalis. 2. in favorem producentis testari nequeunt *parentes pro liberis*, *liberi pro parentibus*, *conjux pro conjuge*, *propinqui pro propinquis* usque ad quartum gradum inclusive, *amici singulares*, *vasalli*, *subditi*, *famuli*, *officiales*, *tutores*, *procuratores*, *testamentorum executores*, *& universim omnes*, *quorum fides* relate ad producentem ratione specialis vinculi amicitiæ vel subjectionis *in suspicionem vocari meretur*. Hinc etiam 3. *nemo permittitur testari in causa propria*. Verum, cum Jus Civile in plerisque regionibus ferme sola tribunalium consuetudine receptum sit, non tenentur Judices illi scrupulose, & Judaice insistere ultra limites æquitatis naturalis, ubi circumstantiæ personales fidem complent, vel ubi causa solis præsumptionibus, etiam non convincentibus, sed tantum majori probabilitate contenta est, prout in plerisque causis civilibus contingit. Spectato enim jure naturali, quamvis ejusmodi personæ se solis non pariant fidem plenam; si tamen cæteroquin sint omni exceptione majores, faciunt magnam præsumptionem, & con-

concurrentibus aliis adminiculis fundare poſſunt majorem, æqualem, vel ſaltem aliquam probabilitatem ſeu veram dubietatem cauſæ, quæ juxta dicta de Advocato & Judice, ſufficit ad imperandam æquam compoſitionem.

Quæritur 5. Quinam prohibeantur teſtari contra certas perſonas?

Reſpondeo. Prohibentur teſtari 1. inimicus contra inimicum, ſi inimicitia ex parte teſtantis ſit injuſta & necdum depoſita. Si enim inimicitia, v. g. erga improbos, ſeductores, ſit juſta, prout erat in Davide, qui in Pſal. 138. v. 21. de ſeipſo ſcribit: *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*; non propterea teſtis alioquin omni exceptione major ſpectato jure naturali meretur minorem fidem. 2. *Parentes contra liberos, & liberi contra parentes* in cauſis civilibus, & in criminibus non exceptis cauſa boni publici. An vero Judex fratrem contra fratrem, conjugem contra conjugem, &c. admittere poſſit vel debeat ob paritatem rationis, non conveniunt Doctores. Cenſeo, in cauſis civilibus debere admitti in teſtes; quia veritas & juſtitia omnibus commune eſt bonum. In cauſis autem criminalibus, niſi conſideratis circumſtantiis & qualitate delicti aliud bonum commune poſtulet, ejuſmodi perſonæ ſpeciali vinculo amoris vel reverentiæ debitæ colligatæ ſpectato jure naturali nec debent nec poſſunt admitti. Cenſeo autem verſari bonum publicum, quando alioquin foret periculum ſeductionis plurium, vel infamationis integræ familiæ, aut communitatis. 3. In eodem ſenſu & modo non permittuntur teſtari Advocati, Tutores, vel Curatores contra Clientes; adminiſtratores ac Syndici contra ſuos, ac viciſſim. 4. Laici contra Clericum prohibentur teſtari in criminalibus, niſi hoc teſtimonium exigatur a Judice cauſa boni publici, vel cauſa præſtandæ ſatisfactionis aut ſecuritatis ſibi, vel tertio debitæ. 5. Judæi & Pagani contra Chriſtianos; hæretici non tolerati contra Catholicos, niſi pariter bonum publicum vel juſtitia alicui, etiam Gentili vel Judæo debita, aliud petat, & veracitas talium hominum non aliunde ſuſpecta ſit interpoſito quamvis juramento. 6. Socius contra Socium criminis non admittitur in Jure civili. Spectato tamen jure naturali nil impedit, quin admittatur, ſi in tali teſte appareant vera ſigna pœnitentiæ de commiſſo delicto, nec aliunde habeatur ratio ſuſpicandi tam gravem malitiam enormis vindictæ. Immo *Bonifacius VIII.* C. 1. h. tit. in 6. admittit in teſtem Socium Simoniæ, ſi nil de pretio accepit & agatur civiliter; ſi enim ageretur criminaliter, etiam ipſi Mediatores Simoniæ traherentur in partem accuſatoris ac rei ad communem pœnam.

Quæritur 6. Quinam prohibeantur teſtari in certis cauſis?

Reſpondeo. Teſtari prohibentur 1. Fœminæ in Teſtamentis, prout habetur §. *teſtes Inſtit. de Teſtamentis*; 2. Clerici contra Laicos in cauſis criminalibus criminaliter ad pœnam mortis intentatis coram Judice laico; quia eſſet periculum incurrendæ irregularitatis, niſi teſtimonium exigente bono publico deponeretur juſſu Epiſcopi coram Judice Eccleſiaſtico. In Jure Canonico Can. 9. Cauſa 11. q. 1. prohibetur, ne in ulla cauſa *Clerici teſtimonium adverſus laicum in publico*, hoc eſt, in foro, ubi antiquitus judicia agitari conſueverant, *recipiatur*, *quia non decet Clericum in publico examinari, ſed in Eccleſia* coram Epiſcopo. Hinc etiam Novella 123. C. 7. Imperator anno 541. jubet, ut ſi Epiſcopi teſtimonium requirendum ſit, *Judex ad eum mittat ex ſuis Miniſtris, ut propoſitis SS. Evangeliis dicat, quæ noverit*. Quare *Libertus* & *Boemerus* non bene correxerunt præfatum Canonem, dum ſic legendum cenſent, ut teſtimonium *laici* adverſus *Clericum* non recipiatur.

Quæritur 7. In quibus cauſis admittuntur teſtes alioquin in Jure excepti?

Reſpondeo. Admittuntur 1. quando teſtes alioquin excepti ratione affectionis aut cognationis teſtantur potius in præjudicium propinqui vel amici, v. g. quando propinquus teſtatur de impedimen-

mento dirimente sui propinqui ad contrahendum matrimonium alioquin favorabile. 2. quando testis deponit contra eum, a quo producitur. 3. in causis civilibus vel etiam criminalibus, in quibus sola probabilitas, dubietas, seu incertitudo causæ sufficit ad absolvendum, vel ad imperandam compositionem. 4. quando veritas seu certitudo in neutram partem haberi potest per alios testes, & nihilominus sententia ferenda sit de proprietate bonorum, vel suspectatione personæ secundum fortiores præsumptiones. 5. quando testimonium tendit ad probandam innocentiam rei. 6. quando testis est aliunde omni exceptione major, aut eminentis conditionis, v. g. princeps. 7. quando causæ justitia vel injustitia est aliunde certa ac notoria, ita ut testes solum requirantur ad supplendam formam judicii. 8. quando agitur de criminibus exceptis, v. g. læsæ majestatis, hæresis, &c. 9. quando in casu particulari ita exigit bonum commune, ut procedatur secundum meras præsumptiones. 10. quando inhabilitas vel minor idoneitas testium suppletur eorum numero, v. g. si decem pueri testantur de viso a se homicidio, furto, &c. 11. quando testimonium tendit ad impediendam continuationem formalis peccati, vel ad excludendum periculum non necessarium peccati sine cujusquam injuria. Horum omnium ratio est, quia ita exigit æquitas naturalis, cui nec lex nec consuetudo absque exigentia absoluta boni publici præsumitur velle derogare, nisi ubi qualitas testium requiritur ad valorem ac formam contractus, prout fit in testamentis.

Quæritur 8. An testes ante depositionem testimonii debeant esse jejuni?

Respondeo. In Can. 1. h. tit. requiri quidem a testibus judicialibus jejunium, ratione videlicet juramenti, quod a testibus omni reverentia, circumspectione, & præsentia animi deponendum est; verum cum iste Canon desumptus fuerit ex Capitulariis Caroli M. non est verosimile, quod sub isto termino intellexerit ac requisierit jejunium naturale vel Ecclesiasticum, sed tantum civile, cui non opponitur jentaculum, mane ante prandium sobrie acceptum. Sic enim & Afranius scribit: *Hæc jejunia ientavit*.

Quærttur 9. Quomodo testes sint examinandi a Judice?

Respondeo. Testes a Judice examinandi sunt 1. præstito prius juramento de veritate dicenda, ubi ita moris est, vel saltem præmissa monitione ac promissione de præstando post testificationem juramento, si exigatur. 2. singillatim. 3. secreto. 4. super interrogatoriis tam generalibus quam specialibus. 5. super articulis eorumque circumstantiis. *Dixi* 1. *præstito juramento*, ubi tamen notandum, non esse a Judice proponendam formulam jurandi execratoriam, nisi in causis summi momenti, prout in *Decalogo Disput.* 3. §. 1. q. 12. monui. *Dixi* 2. *singillatim*, hoc est, seorsim, non præsentibus aliis testibus, ut testentur liberius, & sine collusione. *Dixi* 3. *secreto*, hoc est, remotis omnibus aliis hominibus, nisi Notario, & Assessoribus judicii. Ita namque testes loquentur liberius, si non timeant prodi sua testimonia ab iis, qui nullo speciali vinculo ex officio status ad secretum obligantur. *Dixi* 4. *super interrogatoriis tam generalibus quam specialibus*. Per interrogatoria *generalia* intelliguntur Interrogationes, in quibus quæritur & annotatur 1. nomen, cognomen, patria, ætas, status, officium, & conditio testis. 2. an sit conjunctus, consanguineus, domesticus, subditus producentis. 3. an fuerit subornatus, vel instructus a producente. 4. an sit inimicus adversæ partis. 5. an non habeat interesse in causa. 6. cui parti optet victoriam. Per interrogatoria *specialia* intelliguntur Interrogationes, quæ sumuntur ex specie facti & ejus circumstantiis, v. g. si testis interrogetur 1. an sciat, tale crimen commissum, vel negotium gestum esse. 2. unde id sciat? an ex visu vel auditu proprio, vel tantum ex relatione? 3. quo tempore, quo loco, qua occasione, quo modo, quibus præsentibus, res gesta sit? quæ omnes circumstantiæ per distinctas interrogationes

nes indagandæ sunt. *Dixi* 5. *super articulis*. Per hos intelliguntur positiones in quæstione facti, in quibus se fundat Actor. Cæterum notandum, quod in casu inquisitionis generalis, ubi inquiritur in authorem delicti, Judici non liceat proponere Interrogatoria *modo suggestivo* v. g. in casu, quo adhuc nescitur, quis sit author patrati homicidii, interrogando; an determinate Lucius Titius tale homicidium commiserit? prout habetur *l.* 1. §. 21. *ff. de quæstionibus*. Finito examine assertiones testium testi cuilibet denuo prælegendæ, & si eadem confirmet, tunc primum ab iis juramentum desuper excipiendum nisi jam ab initio fuerit præstitum; eoque deposito omnes imposito silentio dimittendi sunt. Si quis testium responderet, se quempiam articulum solum scire ex alterius relatione; interrogari poterit, an credat, sibi relata vera esse? si id affirmet, poterit ab eo exigi juramentum *credulitatis*. Verum, ne hoc juramentum credulitatis unquam exigatur, nisi a personis sanissimi, serenissimi, prudentissimi, expertissimi ac firmissimi atque immobilis judicii, reverentia divini nominis, & christiana charitas prohibet.

Quæritur 10. Quid juris tam in foro interno, quam externo, si testes varient?

Respondeo. Variationem testium posse esse vel *obstativam* vel *diversificativam*. *Obstativa* dicitur, in qua affirmantur ita contraria ac repugnantia inter se, ut simul stare ac simul verificari nequeant. *Diversificativa* vocatur, in qua affirmantur quidem diversa, quæ tamen ambo eodem tempore simul stare & verificari possunt, v. g. si unus affirmet, Petrum stare, alter dicat, eum sedere, erit horum testium diversitas *obstativa*. Si vero unus dicat; Petrum hora prima stetisse, & alter affirmet, eum hora secunda sedisse, diversitas horum testimoniorum vocatur *diversificativa*. Quod si circumstantiæ ejusmodi diversæ tendunt ad eundem finem, v. g. si unus testis dicat, quod audiverit, Petrum Paulo minatum esse, alter dicat, quod viderit Petrum præparare arma ante cædem Pauli, & tertius dicat, quod hora post cædem Pauli observaverit vestes Petri respersas sanguine, ejusmodi testes vocantur *testes singulares singularitate adminiculativa*. Quod si vero testimonia testium non serviant ad probandum idem objectum, dicuntur testes simpliciter *singulares*, His prænotatis.

Respondeo 1. Si idem testis variet diversitate obstativa, inspiciendum est motivum. Si enim alterutrum horum testimoniorum constat fundari in metu, corruptione, passione amoris vel odii, errore; illud abjiciendum, alterum retinendum est. Si vero utrumque vel neutrum in ejusmodi fundatur motivo, neutri adhibenda est fides ad condemnandum, vel obligandum. Secundum vero testimonium prioris revocatorium servire debet ad absolvendum, nisi aliunde adsint sufficientia ad condemnandum vel obligandum indicia. In hoc tamen casu testis varians, nisi prius ejus testimonium fundetur in errore probabili, obligatur parti læsæ ad satisfaciendum pro toto interesse in honore, fama, ære. Notandum etiam, quod ipsum secundum testimonium aliquando fundetur in errore conscientiæ, quo nonnulli Casistæ adstringunt ad revocanda testimonia judicialia jurata suos pœnitentes, quando per detractionem detulerunt ad judicem crimina quidem vera, sed occulta. Si hoc a Judice verosimiliter advertatur ex modo æquivoco testantis, & aliis circumstantiis, non tenetur insistere secundo testimonio sed poterit procedere, prout procedendum in casu dubio. Immo si certo probare posset, secundum testimonium fundari in tali errore Casistarum, posset insistere primo testimonio.

Respondeo 2. Si diversi testes varient *variatione obstativa*, unice attendendum est ad *veracitatem personalem* testium, non vero ad numerum, aut conditionem status. Potest enim v. g. Sacerdos maturus & prudens, ubi agitur de testamento vel alia ultima dispositione moribundi, esse fide dignior duobus aut tribus testibus rusticis, qui in audiendo exacte

potue-

potuerunt falli ; aut fallere ex motivo secreto commodi . Econtra potest contingere , quod testimonium viri unius laici experti & probi , ubi agitur de exacto tenore & circumstantiis omnibus loquentis, testantis, contrahentis , &c. sit fide dignius testimonio duorum Clericorum necdum expertorum , & circumspectorum circa varios modos contrahentium, vel disponentium .

Respondeo 3. Si variatio testium reddat causam dubiam , sive dubium sit æquale sive inæquale , in criminalibus pronuntiandum & sentiendum est pro reo, in civilibus pronuntiandum & sentiendum est pro possessore sub titulo colorato , hoc est, ubi non constat , initium possessionis fundari in furto, fraude , violentia , dolo, vel alio vitio manifesto . In aliis causis compositio imperanda, & ultro offerenda est , prout dictum est de Probabilismo , & superius §. 4. de Judice .

Quæritur 11. Quinam testes possint vel non possint a Judice cogi ad ferendum testimonium ?

Respondeo . Cogi ad testificandum a Judice possunt omnes, qui a jure naturali , divino, vel positivo specialiter non eximuntur , idque verum est tam in causis civilibus, quam criminalibus .

Ratio est , quia potestas jurisdictionis & bonum publicum id petit . *Eximuntur* autem a jure naturali 1. illi , quos Judex non legitime cogit ad testificandum . v. g. si cogat testari de crimine vel facto , de quo certum est , non haberi sufficientia indicia ad inquirendum , vel judicialiter procedendum , eo quod nec præcesserit fama delicti , nec accusatio actoris, nec alia notitia sufficiens ad procedendum ex officio . 2. si testis non sit certus de objecto, de quo quæritur . 3. si testis rem sciat præcise sub secreto naturali idque Judex nesciat, & ex observatione secreti non patiatur vel periclitetur graviter bonum publicum . 4. Si testificatio cederet in probabile periculum gravis damni , a quo Judex testantem tueri efficaciter non posset aut nollet, nisi ejusmodi periculum vel damnum adeundum foret causa boni publici .

De Jure civili autem etiam in causis civilibus cogi non possunt parentes consanguinei ,& affines usque ad secundum gradum inclusive contra liberos , consanguineos & affines ejusmodi , ac vicissim . 2. Clerici a Judice laico . Horum enim testimonium Judex laicus ab Episcopo requirere debet . 3. Absentes reipublicæ causa . 4. Milites actu versantes in expeditione . 5. Infirmi , senes, personæ illustres . Horum enim testimonia in eorum ædibus , castris , vel loco, ubi degunt , facta prius requisitione, in scripto, vel per delegatos exigenda & excipienda sunt .

Quæritur 12. An testis a competente Judice legitime interrogatus teneatur testari verum ?

Respondeo Affirmative . Ita respondet D. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. cum communi . *Idem* patet ex toto Titulo vigesimo primo *de Testibus cogendis* . l. 2. Decret. ubi testes a Judice legitime interrogati jubentur compelli sub excommunicatione , quæ pœna non infertur nisi obligatis in conscientia ad parendum .

Ratio est , quia Legislator humanus pro tali casu potest , & ex communi sensu Doctorum vult , immo sic exigente bono communi universim tenetur velle obligare testes ad testandum vera , prout de ea exigentia Doctores testantur .

Quæritur 13. An Testes uti possint æquivocatione , vel restrictione mentali absolute sensibili ?

Respondeo 1. Quando dubium est, an Judex legitime interroget, & agitur de præjudicio tertii moraliter irremediabili , licitum est uti æquivocatione .

Ratio est , quia in tali casu datur gravis & justa causa celandi judici aliter veritatem . Notandum vero , cum semper pro Judice stet generalis præsumptio, nunquam prudenter dubitari posse, an legitime interroget , nisi sciatur positive, qualia habeat indicia ac motiva ad inquirendum , & ea revocentur in dubium a doctoribus vel judicio peritorum , an sufficiant ad inquirendum .

Respondeo 2. Restrictione mentali quan-

quantumvis absolute sensibili testibus uti non licet, nisi certum & evidens sit, Judicem injuste compellere ad testandum & jurandum, ita ut injustitia obligationis ipsi obliganti perspecta sit vel esse debeat.

Ratio est, quia in juramentis nunquam uti licet tali restrictione mentali, nisi injustitia exigentis juramentum ipsimet obliganti perspecta sit, prout dictum est de secundo & octavo Præcepto Decalogi.

Quæritur 14. An Judex possit a teste per torturam extorquere veritatem, si eam ex malitia celare velle videatur?

Respondeo. Nisi Judici aliunde certum sit, v. g. per confessiones extrajudiciales contestium, vel amicorum testis jam defunctorum, testem celare veritatem ex malitia, non potest extorquere veritatem per torturam.

Ratio est, quia ejusmodi tortura nunquam Judici ullo jure reperitur concessa, quando malitia celantis solum est dubia.

Quæritur 15. An testis teneatur ante sententiam revocare testimonium, quando per errorem, vel oblivionem deposuit falsum?

Respondeo. Si falsitas testimonii sit certa, eaque prævideatur posse fieri motivum *sine quo non* ferendi injustam sententiam in grave præjudicium tertii, vel boni publici, tenetur illud revocare etiam cum periculo incurrendi pœnam a Judice, vel infamiam falsi. Idque verum est, sive prævideat, ea revocatione in judicio se profuturum, sive non.

Ratio est, quia spectata æquitate naturali favorabilior est causa innocentis quam errantis vel obliviscentis in juramento, in quo requiritur maxima circumspectio, certitudo, & diligentia in examinanda conscientia propria. *Dixi etsi prævideatur revocatio in judicio non profutura*. Poterit enim prodesse vel ad appellandum, vel ad tuendam famam condemnati & familiæ.

Respondeo 2. Si falsitas testimonii non sit certa, sed dubia, tenetur testis in casu posito nihilominus revocare; quia facta revocatione certitudinis Judex eo testimonio non poterit uti ad faciendam plenam fidem cum unico solum conteste, & hoc testimonium se solo non sufficiet ad faciendam probationem semiplenam. *Dixi*, *in casu posito*. Si enim certum sit, falsitatem testimonii Judici non fore motivum *sine quo non*, eo quod falsitas tantum versetur circa circumstantiam accidentalem neglectam, vel si versetur circa substantiam, aliunde tamen in judicium deducta fuerint testimonia vel documenta *certo vera*, a quibus Judex sinet se moveri ad ferendam sententiam, datur quidem obligatio revocandi, si potest fieri sine gravi damno & præjudicio revocantis; quia pars læsa juste id petere potest, & præsumitur partim ad moderationem sententiæ, vel saltem ad expurgandam suam fidem & veracitatem quoad negationem illius articuli, quod non parum æstimatur a quavis persona honesta. Si vero testis suum errorem circa ejusmodi circumstantiam accidentalem non possit revocare sine gravi suo damno vel præjudicio, & condemnato ex aliis probationibus ex ea falsitate accidentali non accedat notabile damnum vel auctarium pœnæ, censetur & tenetur condonare obligationem revocationis.

Quæritur 16. An testis teneatur testari veritatem, si nulla præcesserunt publica indicia criminis, idque solum forte duobus aut tribus cognitum fuerit, nisi crimen pernitiosum sit?

Respondeo. Si crimen duobus aliis, præter reum & testem sciatur notum esse, vel posse esse notum, testis tenetur fateri crimen, etiamsi pernitiosum non sit, dummodo Judex testetur se non procedere ex mera suspicione, sed ex sufficienti notitia criminis.

Ratio est, quia testis in tali casu non potest scire, an Judex non procedat ex denuntiatione, & ex inquisitione, vel ex officio. Itaque locum habet generalis regula, quod testis Judici legitime interroganti teneatur testari verum, quamdiu non est certus, quod interroget illegitime. *Probatur* etiam arg. C. *super his de testibus cogendis*, ubi Judice

ce procedente ex fama, cui æquiparanda vel omnino præferenda eſt denuntiatio ſecreta, jubentur compelli teſtes ad teſtificandum. *Idem* confirmatur ex eo, quia primis quatuor ſæculis dabatur graviſſima obligatio denuntiandi graviorum criminum reos Epiſcopo, ut eos vel paterna correctione emendaret, vel, ſi privata correctio non profuiſſet, publicæ pœnitentiæ ſubjiceret, prout oſtendi *in Decalogo Diſput.* 1. §. 5. q. 9. Hæc autem obligatio fuiſſet fruſtranea, ſi non daretur obligatio teſtandi de alieno facto aut crimine. Certe *D. Auguſtinus* ibidem relatus Hom. 49. inter 50. dicit, *Si deviaſtis a vinculo conjugali, ſit in vobis humilitas pœnitentiæ. Commendo vos cuſtodiendos uxoribus veſtris, zelent viros ſuos, Ego jubeo, Chriſtus in me jubet, interpellate contra illos Eccleſiam*. Cum ergo magna pars hujus poteſtatis judicialis, poſtquam loco tribunalium gentilium ſucceſſerunt Chriſtiana, translata fuerit in Judices laicos, non poteſt præſumi, eos procedere illegitime, ſi inquirant in crimen tribus vel ſolum duobus cognitum, ſibi autem per denuntiationem ſecretam vel aliunde ſat notum.

Quæritur 17. An teneatur teſtari Medicus, Advocatus, Obſtetrix, vir conſilii cauſa interrogatus, vel amicus intimus, qui receperunt rem ſub ſecreto, id non ignorante Judice?

Reſpondeo. Si Judex non obſtante, quod ſciat vel ſuſpicetur, rem ſub ſecreto naturali acceptam eſſe, nihilominus inſtet pro teſtimonio, tenetur teſtari verum, niſi certum ſit, a Judice hoc non exigi ex motivo boni publici valde utilis aut neceſſarii, ſed tantum per abuſum ſuæ poteſtatis ex privato motivo avaritiæ ad extorquendam mulctam pecuniariam.

Ratio eſt, quia in dubio Judex præſumitur agere ex fortiori motivo boni publici, quo ſuperetur obligatio ſecreti naturalis. Accedit, quod committens & recipiens rem ſub ſecreto naturali non velit ad plus obligare, vel obligari, niſi præciſe ad hoc, ne per ipſum res directe vel indirecte vulgetur aut deferatur ad tribunal, quod pactum eſt *certo licitum*, niſi celatio opponatur bono publico, non vero ad pactum *dubie licitum*, quo imponeretur obligatio ſilentii, ſi Judex aliunde informatus de crimine per indicia fortia inſtaret pro ferendo teſtimonio. Ita quoad rem ſentit *P. Layman*, qui l. 3. tract. 6. C. 4. n. 9. ſic ſcribit: *Interrogatus de crimine teſtari non tenetur, ſi quis accepit ſub ſigillo ſecreti, ut conſilium vel remedium adhiberet miſero & delinquenti, puta Medicus, Obſtetrix, Advocatus, vir doctus, aut valde amicus. Ita Navarrus, Petrus Navarrus, Corduba, Molina, Leſſius. Quæ ſententia certa eſt, ſi Judex juridice interrogans neſciat, notitiam cum pacto juſti ſecreti acceptam eſſe. Tunc enim non præſumitur obligare velle ad revelandum, niſi agatur de malo in futurum impediendo. Sin vero Judex ſciens vel ſuſpicans, ſecretum commiſſum eſſe v. g. Medico, vel Obſtetrici, legitime inquirat, quia præceſſit criminis infamia, vel ſemiplena probatio, tum arbitratur Abbas, & Sotus, veritatem aperiendam eſſe, quia privata pactio, quamvis juramento firmata ſit, non poteſt juri Magiſtratus præjudicare. Quæ doctrina vera eſt, ſi ponamus crimen ex alio capite cognitum eſſe.*

Quæritur 18. Quot requirantur teſtes ad plene probandum?

Reſpondeo 1. In omni cauſa litigioſa tam Eccleſiaſtica quam Civili, aut Criminali ad plene probandum requiruntur & ſufficiunt duo teſtes legitimi. Sic & Chriſtus Math. 18. Legem Deuteronomii C. 17. & 19. approbans ait: *In ore duorum vel trium ſtat omne verbum*. Id verum eſt etiam, quando agitur de condemnando Epiſcopo vel presybtero, ſaltem de conſuetudine, prout *Layman* l. cc. C. 4. obſervat. Quando vero antiquitus C. *præſul* 2. *q.* 4. requirebantur triginta, ſexaginta, aut ſeptuaginta teſtes, quam legem ab *Hadriano* Papa in Galliam tranſmiſſam *Carolus M. vix tolerandam* dixit, videtur tamen, ab authoribus illius legis ſolum requiſitos fuiſſe tot teſtes *de iredulitate*, quod duo teſtes vera dicant, in quo proin ſenſu id

ſolum

ſolum efficiebatur, quod ad condemnandum v. g. Epiſcopum requiſiti fuerint duo teſtes judicio ſeptuaginta teſtium omni exceptione majores. Id vero non eſt intoleranda, ſed omnino rationabilis lex, cum etiam in matrimonio ejuſmodi juramenta teſtimonialia *ſub ſeptima manu propinquorum* de credulitate exigantur.

Reſpondeo 2. In judicio poſſeſſorio in favorem poſſidentis ſufficit unus teſtis, dummodo teſtimonia poſitive contraria non adſint. Ita *Layman ex Navarro*.

Reſpondeo 3. In cauſis non judicialibus, ideſt, non litigioſis, nulli præjudicantibus, ſufficit unus teſtis idoneus. Sic in caſu, an infans ſit baptizatus, an intercedat impedimentum in contrahendo matrimonio, an detur inhabilitas ad Ordines vel ad beneficium, ſufficit unus teſtis. *Nav. & Layman*.

Reſpondeo 4. Extra hos caſus unus teſtis, quamvis omni exceptione major, facit tantum ſemiplenam probationem. Præbet tamen judicium ſufficiens ad torturam. *Ita cummunis*.

§. VII.

De Reo.

QUæritur 1. Quot modis poſſit procedi contra reum?

Reſpondeo. Tribus modis 1. per *accuſationem*. 2. per *denuntiationem*. 3. per *inquiſitionem*. Per *accuſationem* proceditur, quando actor directe agit ad vindictam, ita ut oblato libello petat punitionem delinquentis ex motivo primario vindicandi ſuam aut ſuorum injuriam. Verum hic modus parum conveniens moribus Chriſtianis, cum nunquam vindicta ſit juſta, ſi ſiſtatur in ſolo deſiderio vindictæ, paſſim receſſit a tribunalibus Chriſtianis per Decreta principum. Per *Denuntiationem* proceditur, quando crimen commiſſum a privata perſona denuntiatur Judici non ex intentione vindictæ ſeu pœnæ tanquam termini, in quo ſiſtatur, ſed ex motivo obtinendi ſecuritatem publicam vel privatam, vel ex motivo avertendi ſcandali, aut procurandæ correctionis, aut præcavendi vindictam Dei. Per *Inquiſitionem* proceditur quando Judex ex fama, vel ex officio movetur ad inquirendum de criminibus in ſua communitate commiſſis.

Quæritur 2. Quotuplex ſit Inquiſitio?

Reſpondeo. Inquiſitio eſt triplex. 1. inquiſitio *generalis*. 2. *ſpecialis* ſeu perſonalis. 3. *mixta*. *Inquiſitio generalis* eſt, quando Judex neque inquirit in perſonam determinatam, neque in crimen determinatum, ſed tantum interrogat in genere, an nullus reperiatur in communitate ſcandaloſus, criminoſus, ſeductor, tranſgreſſor legum? Hoc genere inquiſitionis uti ſolent Viſitatores, etiamſi nulla præceſſerit infamia, aut indicium ullius criminis. *Inquiſitio ſpecialis* eſt, in qua Judex interrogat de perſona determinata & de crimine determinato, v. g. an Titius homicidii reus ſit? *Inquiſitio mixta* eſt, quando vel de perſona, vel de crimine particulatim, de altero vero ſolum generatim interrogatur, v. g. ſi Judex quærat; *quis* commiſerit homicidium patratum, vel an Titius aliquod crimen commiſerit? vel aliquod ſcandalum dederit?

Quæritur 3. Utrum in generali Inquiſitione liceat Judici denuntiare omnia crimina, quæ ſciuntur?

Reſpondeo. In generali inquiſitione, in qua agitur ad publicam vindictam ſeu pœnam, non exigitur nec licet aperire *delicta occulta*. Ita declarat *Innocentius III. in C. qualiter & quando De accuſationibus* his verbis: *Jurent Clerici, quod ſuper his, quæ ſciunt vel credunt eſſe in ſua Eccleſia reformanda tam in capite quam in membris, exceptis occultis criminibus, meram & plenam dicant inquiſitoribus veritatem*. Dicuntur autem *crimina occulta*, quæ non niſi duobus aut tribus vel certe tam paucis ſecreti tenacibus perſonis nota ſunt, ut nullum ſit periculum aut motivum *diffamandi* perſonam ream in communitate.

Ratio eſt, quia in Jure iſta duo immediate inter ſe opponuntur, *infamia*,

& *occultum*. Ergo quidquid non est aptum seu pronum ad causandam infamiam, in classem occultorum referendum est. Dicitur autem infamia, prout *Cajetanus* in 2. 2. q. 69. a. 1. observat, *non frequens vox dyscolorum*, *sed frequens vox talis*, *ut apud probos & providos viros reddatur persona de crimine rationabiliter suspecta*. Idem patet ex C. *inquisitionis*, inferius referendo.

Respondeo 2. In tali inquisitione nec licet aperire crimina jam certo & constanter per aliquot annos emendata, aut dudum oblivione sepulta, vel spatio viginti annorum jam omnino præscripta, aut talia, quæ juridice probari non possunt.

Ratio est, quia talium criminum manifestationem nec Judex exigere, nec subditus præstare potest salvis legibus justitiæ & charitatis, nec *Innocentius III.* præjudicare voluit juri veteri naturali & divino correctionis & charitatis fraternæ.

Respondeo 3. Quamvis peccata occulta (idem est de emendatis) & ea quæ probari juridice nequeunt, in generali inquisitione manifestari nequeant ad pœnam & vindictam, possunt tamen aliquando Visitatori manifestari ad correctionem paternam, vel ad cautelam & securitatem communitatis publicam, seu ad aliud impendens malum avertendum, si opus fuerit. Ita *Layman* l. 3. tract. 6. C. 2. n. 3. Vide etiam dicta in *Decalogo de Correctione fraterna Sect.* 1. §. 5. q. 6. 7. 8. 9. ubi monui, dari vitia, quæ licet quoad voluntatem emendata sint, relinquunt tamen in intellectu principia nociva bono publico.

Quæritur 4. Quænam requirantur ad hoc, ut Judex licite instituat inquisitionem specialem?

Respondeo 1. De jure requiritur, ut præcedat fama, seu infamia de commisso a tali persona delicto. Ita habetur in C. *qualiter & quando*, *de accusationibus*, superius relato, & ex C. *inquisitionis*, eod. Tit. & ex C. *cum oporteat* eod. Tit. ubi dicitur: *Mandamus*, *quod nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noveritis*, *vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis*.

Ratio autem est, quia, si non præcessit infamia, ex ipsa inquisitione sequeretur infamia, qua onerare non licet innocentem, de quo necdum constat esse nocentem, quamdiu nulla cogit necessitas boni publici.

Respondeo 2. Licet tamen etiam sine præcedente infamia procedere ad inquisitionem specialem, quando per legitimos testes morali certitudine constat de facto jam aliunde publico ac notorio, habente annexam infamiam juris vel facti, etiamsi famam publicam de inhonestate actus nemo probare velit aut possit. Id probatur ex *C. Prælatorum de accusationibus*, ubi *Innocentius III.* id his verbis permittit. *Dilecti filii*, *& quatuor alii Canonici Frisigien. denuntiando monstrarunt*, *quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus*, *quem*, *ut dicunt*, *minus Canonice fuit assecutus*, *adeo graviter dilapidat*, *& consumit*, *quod nisi celeriter adhibeatur remedium*, *Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deducatur*, *nec solum rerum*, *verum etiam famæ suæ prodigus & salutis viam ducit enormiter dissolutam*. *Discretioni vestræ mandamus*, *quatenus personaliter accedentes ad locum inquiratis sollicite veritatem*, *& eam fideliter conscribentes sub Sigillis vestris nobis transmittatis*, *&c.*

Respondeo 3. Etiamsi per indicia gravissima & urgentissima, v. g. per duos aut tres testes legitimos constet de occulto crimine, non tamen licet procedere per inquisitionem specialem sine præcedente infamia. Id *Probatur* ex C. *inquisitionis*, *de Accusationibus*, ubi *Innocentius III.* sic scribit: *Apostolico petiistis oraculo edoceri*, *utrum*, *cum duo vel plures jurati affirmant*, *aliquem crimen aliquod eisdem videntibus commisisse*, *de quo tamen aliqua infamia non laboret*, *aliquam illi pœnam infligere debeatis*, *& utrum ad petitionem quorundam quasdam schedulas vobis occulte tradentium*, *infamationem Episcopi continentes*, *sit ad inquisitionem eorum*, *quæ in ipsis continentur schedulis*, *procedendum? Ad hæc respondemus*, *nullum esse pro crimine*, *super quo aliqua non laborat infa-*

mia, seu clamosa insinuatio non praecesserit, propter dicta hujusmodi puniendum, quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui praecesserunt. Nec ad petitionem eorum, qui Libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum est ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam. Quaesivistis etiam, utrum aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo vel tres vel etiam plures dixerint infamatum, licet de ipso nihil sinistri in publico audiatur? Ad quod est nostra responsio, quod propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos & graves laesa opinio non existit. Ex his ergo contra nonnullos authores tenendum, non esse licitum instituere *specialem inquisitionem* in personam propter aliorum occultam denuntiationem.

Quaeritur 5. Quid agendum Judici, si per indicia gravissima de crimine constet, nec tamen praecedat infamia?

Respondeo; Azorius part. 3. l. 13. C. 18. suggerit duo media; nam primo Judex poterit agere ex officio, ut unus denuntiatorum deponat querelam contra reum, & alii denuntiatores producantur in testes. Vel si hoc non procedit, poterit facere, ut publicus Officialis seu Fiscalis ad denuntianda crimina deputatus denuntiet contra reum, & tunc Judex ad ejus denuntiationem vocabit conscios, ut deponant contra reum. Quod si bonum publicum petat, debebunt ejusmodi testes etiam compelli ad testandum, prout §. 7. dictum est.

Quaeritur 6. An Judex reum jam convictum vel confessum licite possit interrogare, atque ad confessionem obligare de Sociis criminis?

Respondeo. Judex licite inquirit & reus convictus ex obligatione respondet de Sociis criminis in sequentibus casibus. 1. Quando reus aliunde etiam absque inquisitione Judicis teneretur per se accusare Socium, v. g. quando alias non potest tuto obviari futuris malis, quae machinatur in grave damnum Reipublicae, vel quae molitur in perniciem alicujus personae tertiae. Tales Socii sunt latrones, proditores patriae, falsarii monetarum, custodes carceris pecunia corrupti, de quo genere Sociorum jubent etiam Leges civiles inquiri. 2. quando reus est alicujus domini subditus, v. g. mancipium, famulus, & ex ipso genere delicti apparet, quod non commiserit delictum ex motu proprio, sed ex alterius instinctu. Idem dicendum, si ex genere commissi criminis agnoscatur, illud verosimiliter fuisse commissum ex alterius instinctu vel imperio, eo quod nec proficisci poterit ex subitanea passione, nec ex motivo lucri vel commodi proprii. 3. quando crimen commissum non potuit committi sine socio, prout sunt adulterium, fornicatio, sodomia. 4. quando crimen commissum directe opponitur bono communi, illudque etiam in futurum solet continuari per socios. Tale est crimen laesae majestatis, seu machinatio in vitam aut statum principis, haeresis, proditio patriae, conjuratio, rebellio, fraudatio seu falsificatio mercium, salis, olei, vini, frumenti, monetae &c. In his omnibus reus, sicut a Judice licite interrogatur de sociis, ita etiam in conscientia tenetur manifestare socios, nisi moraliter certus sit, ab iis nullum amplius timendum esse periculum, & quaestio declinari possit sine mendacio.

Quaeritur 7. An reus convictus vel confessus de uno crimine possit interrogari, & teneatur respondere verum etiam de alio crimine?

Respondeo. Judex reum convictum vel confessum de uno crimine non potest licite interrogare atque ad respondendum obligare etiam de alio crimine non connexo. Licite autem interrogat, & reus tenetur respondere verum etiam de alio crimine connexo v. g. Si reus fassus est, se commisisse adulterium cum Bertha, cujus dein maritus in lecto occisus reperitur, potest interrogari, an ipse occiderit? vel si reus convictus est de homicidio personae, quae omnibus rebus spoliata ac nuda reperta est, potest etiam interrogari, an ipse eam spoliaverit? Ita *Azor.*

Quæritur 8. An reus possit a Judice interrogari, & ipse teneatur respondere verum de crimine, cujus nullum aliud habetur indicium, nisi ex judicialii confessione socii?

Respondeo. In tali casu, si crimen est capitale, reus non tenetur fateri crimen suum. *Ratio* est, quia, prout ex *Bartolo*, *Baldo*, *Sylvestro*, *&* *Angelo* docet *Azor*, confessio Socii, sive sit ultronea, sive extorta, Judici solum præbet jus ad inquirendum in socium, atque ad capiendam de eo informationem, non vero ad eum examinandum, interrogandum, torquendum, vel condemnandum. Si ergo Judex non habet jus ad condemnandum, neque habet jus ad extorquendam confessionem, ad quam consequeretur jus condemnandi.

Quæritur 9. An capitalis criminis reus a Judice legitime interrogatus teneatur fateri crimen suum?

Respondeo. Distinguendos esse tres casus. *Primo* si contra reum necdum habetur semiplena probatio, sed tantum gravia indicia, quæ necdum sufficiunt ad gravem pœnam corporalem, vel pecuniariam, vel infamatoriam irrogandam, & Judex non aget præcise *civiliter*, seu ex officio ad meram correctionem, vel aliorum assecurationem, sed *criminaliter* ad condemnandum, saltem in ordine ad pœnam extraordinariam reus non tenetur fateri crimen suum. Ita communis. *Ratio* est, quia spectato jure naturali nemo tenetur agere testem contra seipsum in ordine ad pœnam ordinariam mortis, vel extraordinariam incarcerationis, relegationis, &c. ad quam Judex independenter a suo testimonio inferendam jus non habet. *Secundo*. Si contra reum habeatur quidem semiplena probatio per testem idoneum, non tamen omni exceptione majorem, ita ut spectato jure naturali se solo pariat moralem certitudinem sufficientem ad torturam, ne sic quidem datur obligatio fatendi crimen suum, nisi Judex fide dignus promittat, se non condemnaturum sponte confessum ad pœnam mortis, vel æquivalentem torturæ, sed tantum ad pœnam moderatam correctoriam pro avertendo scandalo ex impunitate peccati, vel tantum assecuratoriam boni publici. *Ratio* est, quia spectato jure naturali nemo potest obligari ad agendum testem contra seipsum in ordine ad pœnam gravissimam, quam Judici non licet inferre independenter a proprio testimonio. *Tertio*. Si contra reum habetur semiplena probatio per testem idoneum omni exceptionem majorem, qui se solo pariat moralem certitudinem, vel per testem præcise legitimum, qui tamen concurrentibus aliis præsumptionibus violentis pariat moralem certitudinem, tenetur reus in conscientia fateri crimen suum. *Ratio* est, quia in tali casu Respublica potest spectato jure naturali reum afficere pœna mortis, quando ob frequentiam criminis aliter bono publico provideri nequit; prout patet ex declaratione *SS. D. N. Benedicti XIV.* superius §. 5. *De Judice* allegata, qua ex sensu fere omnium Doctorum declarat, exigente bono publico, reumconvictum, hoc est, talem, *de cujus crimine non possit haberi prudens dubium in oppositum*, posse condemnari ad pœnam non solum extraordinariam, sed & ordinariam. Ergo concurrente generatim necessitate publica etiam potest obligare reum, ut fateatur crimen, etsi juxta formam juris positivi requirentis duos testes probatio necdum dicatur *plena*. Si autem potest obligare, præsumendum est, quod etiam velit obligare; quia sic exigit bonum commune. Si enim non vellet obligare, multa crimina manerent impunita cum gravi præjudicio Reipublicæ, in quibus non potest haberi probatio *plena plenitudine illa accidentali*, quam requirit jus positivum, ut nempe habeantur duo testes. *Confirmatur* hæc responsio ex eo, quia sic conciliantur authores, qui videntur dissentire inter se in hac gravissima materia. Nam authores, qui asserunt, reum teneri fateri crimen, quando contra ipsum habetur semiplena probatio, explicari vel exaudiri possunt, inquantum per semiplenam probationem intelligunt eam, qua jam habetur moralis certitudo; & authores, qui negant

reum

reum habita tantum semiplena probatione obligari ad fatendum crimen, explicari & intelligi debent de illa semiplena probatione, cui non inest moralis certitudo.

Quæritur 10. Qualia requirantur indicia ad hoc, ut reus possit subjici torturæ, & obligari ad confessionem criminis?

Respondeo. Requiruntur ad utrumque indicia moraliter certa.

Ratio est, quia si reus posset torqueri sine indiciis moraliter certis, subiret pœnam gravissimam, jamque condemnaretur ad pœnam non solum enormem, sed etiam infamem ob delictum adhuc dubium & incertum. Sed hoc repugnat æquitati naturali, ut inferatur pœna certa ob delictum incertum. Idem sequeretur si ob ejusmodi indicia incerta teneretur fateri crimen. Si enim id fateretur, pateretur mortem, si non fateretur, pateretur torturam. Hæc autem necessitas disjunctiva, cui subjiceretur reus, subeundi mortem vel torturam, jam foret pœna gravissima certa ob delictum incertum in foro externo.

Quæritur 11. Quid agendum vel consulendum reo, si Judex eum interroget de crimine, de quo nondum habentur indicia moraliter certa?

Respondeo. Reus poterit respondere *primo* illud Christi: *Quid me interrogas? Interroga eos, qui viderunt & audierunt*. Ego enim non teneor tibi agere testem contra me ipsum. *Secundo*, si Judex non aquiescat, poterit appellare ad altius tribunal. *Tertio*. Si appellatio non recipiatur, poterit æquivocatione quærere effugia. *Quarto*. Si æquivocatio nulla occurrit, vel non attenditur, debet quærere ex Judice, an possit & velit sibi donare vitam & alias graves pœnas morti pares. Si dicat, se hoc nolle, vel non posse, respondeat Judici, se non credere, quod reus nec dum per indicia moraliter certa convictus teneatur supplere ultronea confessione probationes insufficientes, sicque seipsum occidere, itaque a se non esse exspectandum super hac interrogatione & extorsione tam injusta responsum sincerum, facta hac protestatione poterit negare factum cum restrictione mentali sensibili subintelligendo alium locum, tempus, vel modum. Nam ex ipsa præcedente protestatione non loquendi sincere ea restrictio *fit sensibilis*, cum audiens prudenter possit colligere, a loquente subintelligi & insinuari alium modum rei, quo addito ejus propositio vera sit. Nam si alicui dicam; *illud, quod loquar, non est verum, nec sincere loquar*, nemo dicet, me illum fallere, si propositionem materialiter falsam proferam.

Quæritur 12. An reus Judici pro sua liberatione licite offerat, & Judex licite acceptet Summam pecuniæ?

Respondeo 1. Si reus sciat, non esse in potestate Judicis relaxare pœnam a lege vel principe constitutam, non poterit talis Summa pecuniaria pro reo jam convicto offerri, nec a Judice acceptari.

Ratio est, quia non licet sollicitare ad committendam injustitiam, nec committere.

Respondeo 2. Si Judici liceat relaxare vel minuere pœnam, ita ut modus plectendi certa genera peccatorum in ære vel cute, & modus tractandi ac taxandi quædam extraordinaria genere crimina in lege non expressa relinquatur arbitrio judicis, licebit compositionem inire cum Judice, nisi ex ejusmodi compositione sequatur grave scandalum ad aperiendam januam etiam in casibus ordinariis vænalitati justitiæ, vel ex liberatione rei sequatur periculum probabile gravis damni bono communi, qui casus in concessione generali principis semper præsumuntur tacite excepti.

Ratio est, quia in tali casu *Jus fisci, & jus aggratiandi* censetur relinqui Judici in partem salarii. Itaque sicut in casibus, in quibus nec creatur scandalum, nec præjudicatur bono communi, licet inire compositionem cum fisco, vel principe, ita licebit idem cum Judice.

Respondeo 3. Si Judex injuste procedat contra debitum ordinem juris naturalis vel positivi, aut si condemnet ad torturam, vel pœnam indebitam, vel ju-

justo graviorem, etiam licebit injustam vexam Summa pecuniaria redimere: Judex tamen tenebitur ad restitutionem pecuniæ. Id patet ex jure naturali & ex dictis de restitutione. Reus enim nullo jure prohibetur emere ab iniquo detentore suam libertatem, & Judex nullo justo titulo permittitur aquirere dominium talis pecuniæ.

Respondeo 4. Si Judex remittat pœnam pecuniariam a lege taxatam, & ejus pars, v. g. dimidia, vel tertia, ex concessione principis spectet ad tertium, Judex sine ejus consensu saltem tacito vel præsumpto remittens totum vel partem non solum peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem, præsertim si pro condonatione tacito pacto accepit honorarii nomine pretium.

Quæritur 13. An reus possit licite fugere ex carcere?

Respondeo 1. Si reus fugit sine effractione carceris ante sententiam condemnatoriam, licite fugit.

Ratio est, quia nullo jure naturali vel positivo probatur, quod conscius gravis criminis peccet, si post citationem ad tribunal fugiat in aliud territorium. Ergo etiam non peccat, si fugiat post incarcerationem sine effractione & ullius incuria. Incarceratio enim non superaddit novam citationi obligationem, sed tantum novam assecurationem, prout patet in incarceratione ratione debitorum, a qua eximuntur habentes sufficientia bona immobilia.

Respondeo 2. Si innocens falso accusatus ex metu torturæ vel diuturni squalloris fugiat etiam cum effractione carceris, ac insuper cum violenta aggressione custodum, dummodo non intendatur eorum occisio aut gravis vulneratio, non peccat.

Ratio est, quia Legislator non potest prudenter innocentem spoliare jure naturali defensionis contra aggressores suæ vitæ, famæ & bonorum, quantumvis aggrediantur ex ignorantia invincibili aut præsumptione falsa, v. g. si nobilis cum suis famulis existimans se incidisse in latrones, aggrediatur itinerantes errantes per sylvam, vel integra legio aggrediatur legionem amicam putans esse hostilem. Neque etiam bonum commune exigit, ut innocens privetur hoc jure respectu Judicis non supremi, & ejus Ministrorum, cum hac licentia potius conserventur boni cives Reipublicæ; nec videtur, viros probos antecedenter ad omnem hypothesin particularem, si pro condenda lege naturali a toto genere humano fuissent consulti, fuisse responsuros negative, cum lex permissiva fugæ omnibus probis in Ecclesia Dei & Republica sit longe exoptabilior nullo gravi motivo retrahente in oppositum.

Respondeo 3. Reo gravis criminis nec ante sententiam nec post sententiam licet fugere cum violenta aggressione Ministrorum justitiæ, aut cum tali effractione carceris, quæ Ministros justitiæ vel custodes etiam apud Judices justos conjiciet in periculum gravis damni.

Ratio est, quia reus non reperit ullum titulum, quo ipsi a Deo vel a Legislatore humano permittatur violenta aggressio Ministrorum justitiæ, vel alia actio ex sua natura ac per se etiam apud Judices æquos accusatoria gravis negligentiæ Ministrorum, vel actio, qua custodes vel Ministri incurrant periculum vitæ, gravis vulnerationis, &c. Reus enim non habet jus tuendi vitam contra Ministros justitiæ cum eorum violenta aggressione vel damnificatione; cum hoc jus ipsis adimi bonum generis humani, & securitas publica, & tranquillus ordo gubernationis ac subordinationis politicæ petat. *Dixi talis effractionis.* Si enim eo modo perfodiant murum, vel effringant carcerem, ut prudenter non possit Ministris & custodibus imputari gravis negligentia, nisi a tyranno, qualis erat Herodes jubens *duci milites* ad mortem, qui custodierant D. Petrum *Act.* 12. non peccant graviter. Respublica enim, prout superius dictum est, non ponit reo per incarcerationem novam obligationem manendi, sed tantum superaddit citationi ad tribunal novam sui de persona assecurationem. Ita etiam sentit *Azor.* pro se allegans *Cajetanum* & *Sotum par.* 3. *l.* 13. *C.* 24. *dub.* 4.

Quæ-

Quæritur 14. An aliis licitum ſit, juvare reum ad fugiendum & effringendum carcerem?

Reſpondeo 1. Illis, quibus certo conſtat de innocentia incarcerati, vel de injuſto proceſſu Judicis, licet etiam conſilio, & ope cooperari ad liberandum innocentem ab injuſta oppreſſione, ſive ea liberatio fiat per fugam, ſive per effractionem carceris. Immo hoc licet etiam ipſis Miniſtris Juſtitiæ & cuſtodibus incarcerati, non obſtante juramento fidelitatis: quia hoc juramentum non eſt vinculum certæ & manifeſtæ iniquitatis. Sic etiam legitur in Actis Apoſtolorum, D. Paulum fuiſſe dimiſſum a Cuſtode carceris. Si vero aliis non conſtat certo de innocentia incarcerati, vel de injuſto proceſſu Judicis, non licet eis cooperari ad fugam etiam licitam incarcerati, quæ fit ſine violentia ac ullius injuria, niſi cum incarcerato conjungantur primo gradu propinquitatis, vel debito gratitudinis tam arcto, ut per Epikiam credi poſſit, Rempublicam non poſſe eſſe graviter invitam, dummodo non ſit periculum gravis damni pro bono publico.

Ratio eſt, quia omnia membra Reipublicæ recto ordine charitatis obligantur potius pro conſervatione totius per rectam adminiſtrationem & ordinem publicum juſtitiæ, quam pro bono privato unius, niſi in caſu particulari tacite diſpenſet Reſpublica ob vinculum arctiſſimum propinquitatis, prout dictum eſt.

Reſpondeo 2. Ad fugam incarcerati illicitam nulli licet cooperari, quia non licet cooperari ad peccatum. Quandonam autem ea fuga ſit illicita, in præcedente quæſtione dictum eſt.

Quæritur 15. An licitum ſit, cuſtodem pecunia corrumpere pro liberatione amici?

Reſpondeo. Si incarceratus certo ſit innocens, & ipſe etiam Cuſtos de ea innocentia, vel de injuſto Judicis proceſſu certus ſit, id licet. Secus vero, id nunquam licet.

Ratio eſt, quia Cuſtos peccaret cooperando ad ejus liberationem, de cujus innocentia vel injuſta oppreſſione certus non eſt. Ad peccatum vero ſollicitare nunquam licet.

Quæritur 16. An reo liceat decipere cuſtodem, v. g. copioſum cibum vel potum apponendo, eum alio mittendo &c. ut ſic claves arripi vel janua aperta detineri poſſit?

Reſpondeo. Incarceratus innocens tali arte licite utitur. Juſte incarceratus & judicatus peccat, quia cuſtodem tradit fraudulenter gravi pœnæ, vel damno; quod juxta ſuperius dicta non licet.

Quæritur 17. An juſte damnatus ad mortem & juſſus ſumere venenum vel alio modo ſe occidere, poſſit & debeat obedire?

Reſpondeo Negative; quia ſolus Deus eſt Dominus vitæ humanæ. Deus autem nullibi permiſit occiſionem ſui ipſius, nec Reipublicæ legitur contuliſſe poteſtatem jubendi hunc modum ſuicidii. Vide dicta *in quinto præcepto Decalogi*.

§. VIII.

De Medico, Chirurgo, & Pharmacopola.

Quæritur 1. Quid requiritur in Medico, ut artem ſuam exerceat ſine peccato?

Reſpondeo. Juxta *Sylveſtrum*, S. Palatii Magiſtrum, qui hanc materiam ſolerter examinat, requiruntur tria. 1. *peritia*. 2. *diligentia*. 3. *recta intentio*. „ *Primo* inquit requiritur, quod ſic ſit „ peritus, ut NB. *communiter a peritis* il„ lius facultatis reputetur idoneus. Nec „ ſufficit, eſſe doctoratum. Alias ſi ex „ notabili ignorantia in ſua cura nocet „ infirmo, mortaliter peccat, faciens con„ tra illud: *Non occides*. Et ſecun„ dum Richardum tenetur infirmo ad „ æquivalens ſi non poteſt reſarcire prin„ cipale. Immo etiam, ſi ſanitas ſe„ quatur, peccat mortaliter, quia ex„ poſuit ſe periculo peccati mortalis, „ id eſt, operi, unde poteſt ſequi no„ tabile nocumentum proximo. Nec „ obſtat, quod hoc non intendat. Quia „ *voluntarie* ſe ponit ad illud, unde hoc „ natum eſt ſequi. Hoc tamen limitat „ Pa-

„ Panormitanus, quando assumpsit Officium voluntarie. Secus, si ex necessitate bona fide fecit, quod potuit, deficientibus aliis Medicis. *Secundo* debet esse *diligens*. Unde etiam peritus notabiliter negligens in revidendo libros, in visitando infirmum, in qualitate rerum medicinalium, & hujusmodi, si sequatur, est irregularis, & peccat mortaliter. Et similiter, si sequatur magna aggravatio infirmitatis sine morte. Et secundum Ant. de Butrio dicitur omnem diligentiam, quam debuit, adhibuisse, quando sequitur traditiones artis, & visitat personaliter, & dictat regimen infirmo. Nec tenetur ad custodiam personalem continuam. *Tertio debet habere intentionem justificatam*, ut non intendat lucrari cum alterius jactura. Unde curam, quam citissime potest, debet terminare: & si curam extendit ac prolongat, peccat mortaliter: & illud plus restituere tenetur. Et similiter, si permittat Aromatarium ponere in confectione Medicinæ Species non sufficientes propter vetustatem, vel alium defectum, ut ipse plus lucretur, peccat graviter, & tenetur uterque infirmo de omni damno. Immo secundum Archidiaconum de Aromatario confidere non debet, nisi sciat, esse conscientiatum, peritum, & practicum; sed sub suis oculis debet Medicinæ compositio fieri. In omnibus autem prædictis (quoad restitutionem) tenetur ad arbitrium bonorum virorum. „ Hucusque Sylvester.

Quæritur 2. An omnibus liceat, exercere artem Medicinæ?

Respondeo 1. Alexander III. anno 1180. in c. *non Magnopere* Tit. 50. *Ne Clericis*, prohibet Religiosis, ne ex motivo consulendi confratrum sanitati e claustris exeant ad discendas & conficiendas compositiones medicas.

Respondeo 2. Doctores ex eo, quod Clericis & Religiosis l. cc. *negotia* sæcularia prohibeantur, deducunt, iis etiam interdici exercitium artis medicæ, *nisi gratis pro miserabilibus personis vel consanguineis, & ne pro his quidem, ubi posset esse periculum*; prout Sylvester limitat.

Quæritur 3. An Medicus teneatur monere infirmum ad deponendam confessionem?

Respondeo. In Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215. C. 22. omnibus Medicis statim post Decretum de Confessione & Communione annua præcipitur, ut ægros ad confessionem inducant. Hoc præceptum etiam insertum est Corpori Juris Canonici C. *cum infirmitas* de Pœnit. & Remiss. ut proin habeat rationem legis universalis Ecclesiasticæ, cui obsequentes Matris Ecclesiæ filii parent. Textus sic habet: *Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, præsenti decreto statuimus & districte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, ut Medicos advocent animarum, ut, postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur*. Hucusque Decretum. Fuerunt quidem authores, qui mentem Concilii Generalis non penetrantes, vel non attendentes, docuerunt sufficere, si Medicus solum eos moneat, quos censet constitutos esse in peccato martali vel tunc primum, quando agnoscit certum periculum mortis. Verum ratio, quæ movit Concilium, longe aliud exigit. Si enim Medici inter ægros hoc modo distinguerent, illi, qui monerentur nondum imminente proximo periculo mortis, offenderentur, eo quod Medicus censeat, se esse constitutos in peccato mortali; alii vero, qui solum monerentur jam imminente proximo periculo mortis, perturbarentur cum periculo aggravandi morbum ex repentino metu mortis. Hanc rationem ipsemet Pontifex in præfato Generalis Concilii decreto expressit his verbis: *Hoc inter alia huic causam dedit Edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt*.

Quæ-

Quæritur 4. An & quomodo Medicus teneatur ægro denuntiare mortis periculum?

Respondeo 1. Medicus tenetur conducentibus se candide aperire statum morbi, declarando dubium pro dubio, valde periculosum pro valde periculoso, moraliter aut physice certum in mortem pro moraliter aut physice certo.

Ratio est, quia conductio Medici est contractus bonæ fidei, qui proin dependet ab intentione conducentis tanquam obligantis principalis. Intentionem vero saltem tacitam conducentium eo tendere, ut ex Medico intelligant genuinum statum morbi, docet quotidiana experientia. Hinc si ipsemet infirmus conduxit Medicum, tenetur ei candide aperire statum juxta ejus intentionem rationabilem rationabiliter præsumptam. *Dixi*, *rationabilem*. Non enim inspiciendum, quid velit, aut vellet impius, sed quid velit ut homo, ut civis, ut Christianus, quia contractus bonæ fidei non impietate sed moribus humanis ineuntur & firmantur.

Respondeo 2. Si Medicus non fuerit conductus ab infirmo, sed ab amicis, sufficit, si periculum & statum infimi declaret amicis, qui arctiori amicitiæ vinculo teneatur gerere curam pro anima ægri. Si autem amici sint in hac re negligentes, aut si ipsemet de suo statu Medicum interroget, tenetur etiam in hoc casu candide ægro aperire statum morbis.

Ratio est, quia ad hoc Medicum denuo obligat tacita intentio conducentium, nempe amicorum; qui haud dubie conduxissent, aut etiamnum conducere mallent Medicum alium, si convenienter haberi posset apertior & cordatior.

Qæritur 5. An Medicus semper teneatur præscribere medicinas tutiores?

Respondeo Medicus semper tenetur præscribere medicinam tutiorem, nisi ipsemet infirmus rationabiliter consentiat, & licite consentire possit in minus tutam.

Ratio est, quia conductio Medici est contractus bonæ fidei, in quo principalis obligans est ipsemet conducens. Nemo autem, si serio intendit suam, vel alterius ægri sanitatem, vult adhiberi medicinam minus tutam sine suo consensu honesto & rationabili.

Dixi nisi infirmus consentiat *rationabiliter* & *licite*. Si enim avarus velit sibi, uxori, aut liberis in morbo periculoso adhiberi medicinam minus tutam, quia minus pretiosam, licet abundet bonis, vel si mater habens plures tenellos infantes velit eligere medicinam suaviorem, quamvis minus tutam, aut si princeps, unde dependet salus Reipublicæ, consentiat in medicinam commodiorem, sed notabiliter minus tutam, non potest Medicus licite præscribere minus tutam, quia non licet cooperari ad petitionem *certo* vel *probabilius* peccaminosam: immo ne quidem ad petitionem probabiliter peccaminosam, ubi agitur de certo præjudicio tertii, prout fit, dum agitur de vita, cujus solus Deus habet dominium, vel cujus conservatio est necessaria Reipublicæ, vel pauperi familiæ.

Quæritur 6. An Medicus vel Chirurgus licite præbeat medicinam prægnantibus?

Respondeo. Nec Medico, nec Chirurgo, nec Pharmacopolæ licet dare medicinam conjunctam cum probabili periculo abortus, nisi ex denegatione medicinæ oriatur simul periculum matri & proli. Neque in hac re faciendum est discrimen inter fœtum animatum & non animatum.

Ratio est, quia ad minimum probabilis est recentiorum Medicorum sententia, quod fœtus jam fiat animatus in ipsa conceptione. Sicut ergo non licet in dubio ponere actionem probabiliter occisivam hominis, ita nec licet dare medicinam non necessariam ad conservationem vitæ matris cum probabili dubio, an non exinde sit periturus infans. Aliud dicendum, si ex recusatione medicinæ simul de vita periclitetur mater & infans, vel si recusata medicina prævideatur in matre diuturna gravis plurium annorum vel omnino perpetua infirmitas, & in prole, etsamsi per acci-

dens

dens indirecte sequatur abortus, probabilius speretur conservari vita usque post partum, ut ei possit administrari baptismus,

Ratio est, quia videtur in tali casu prolem si haberet usum rationis, non posse esse rationabiliter invitam, si mater sumat medicinam, præsertim cum stante gravi ac diuturna infirmitate matris moraliter sit inseparabile periculum ex parte prolis moriendi in utero sine baptismo. Hucusque dictis non obstat, quod *Innocentius III.* C. sicut ex. de Homicidio, faciat distinctionem inter fœtum animatum & non animatum. Id enim fit in ordine ad pœnam Ecclesiasticam, quam recte incurrit, qui occidit fœtum jam *certo* animatum anima rationali.

Plura de obligatione Medici require in Judice: *V. Medicus*, ac præsertim in Tract. VI. & VII. *De Præceptis Decalogi*. Item in Tract. de Legibus §. 14. De Dispens.

§. IX.

De Officio & Obligatione Episcoporum.

QUæritur 1. Quid sit Episcopus?

Respondeo. Episcopus est legitimus, ac saltem mediatus alicujus Apostoli Successor in munere plebem concreditam in rebus sacris dirigendi, & idoneos Ministros Ecclesiæ ordinandi.

Dixi, *saltem mediatus*, quia singuli Apostoli fundarunt Patriarchalem Ecclesiam, ex qua Episcopatus alii prodierunt.

Quæritur 2. Qualis, & quotuplex sit potestas Episcopi?

Respondeo. Potestas Episcopi est duplex, nempe *potestas Ordinis*, & *potestas jurisdictionis*. *Potestas Ordinis* consistit in legitima potestate Ordinandi idoneos Ministros Ecclesiæ, per continuam successionem ab uno aliquo Apostolorum, deducta a Christo. *Potestas Jurisdictionis* consistit in potestate juris sacri dicendi, & æquitatis circa res sacras statuendæ. *Dicitur*: *Juris sacri dicendi*, hoc est, juris naturalis, Divini, vel Ecclesiastici anterioris, a tota Ecclesia in perpetuum constituti vel recepti, indicendi, atque ad ejus observantiam sub pœna exclusionis a participatione divinorum fideles sibi concreditos adstringendi.

Quæritur 3. Quales sint obligationes Episcoporum?

Respondeo. Obligationes Episcoporum, quatenus ad forum internum animæ pertinent, & coram Divino Judice inevitabiliter ligant, sunt sequentes. Protestor tamen, nullum Episcoporum in individuo ob neglectum unius vel alterius obligationis hic expressæ ab homine judicari, vel omnino peccati mortalis condemnari posse. Quæ enim solum a jure positivo humano dependent, patiuntur nonnunquam ob variationem circumstantiarum, locorum, & temporum exceptiones suas. Et quæ a jure naturali vel Divino proficiscuntur leges, non raro quoad modum in jus positivum transeunt variabile ob exigentiam circumstantiarum, locorum, & temporum. Quod si etiam ipsa substantia legum naturalium ac Divinarum aliquando violetur ab Episcopis, solius supremi Judicis divino examini relinquendum est; an circa personam hanc, vel illam in individuo ob variantes Doctorum sententias, vel ob defectum sufficientis comprehensionis locum habeat ignorantia omnino invincibilis, aut, si vincibilis fuerit, an venialiter, vel mortaliter a Deo culpanda sit?

I. Episcopus tenetur obligationes sui status scire, eas diligenter inquirere, & frequenter revolvere. (*a*) Huic obligationi non satisfaciunt illi Episcopi, qui negligunt legere libros tractantes de obligationibus sui status.

II. Episcopus proin tenetur legere, ac frequenter revolvere obligationes Episcopales contentas in Scriptura, in Conciliis

(a) *D. Paulus* 1. Tim. 4. v. 13. *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hæc meditare, in his esto. Attende enim tibi, & doctrinæ: insta in illis.*

ciliis Generalibus, præsertim in Tridentino, in Jure Communi Canonico, & in Constitutionibus Summorum Pontificum. (*b*) Huic obligationi non satisfaciunt illi Episcopi, qui ne quidem habent secum Scripturam, Concilia Generalia præsertim Tridentinum, Jus Canonicum, Bullarium, & Decreta Summorum Pontificum, vel, si ea habent, his neglectis tempus terunt in legendis Novellis, Comædiis, Romanciis, libris profanis, &c.

III. *Episcopus tenetur capere informationem de causis & negotiis Diæcesanis.* (*c*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui omnes causas, & omnia negotia suæ Diæcesis adeo indefinite relinquunt Vicariis Generalibus, vel Consiliariis, ut toto anno nullam ab iis exigant relationem, extractum, aut revisionem actorum gravioris momenti.

IV. *Episcopus tenetur capere personalem informationem de statu Diæcesano per convocationem Synodalem annuam sui Cleri Diœcesani.* (*d*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui Clericis Diœcesanis singulis non concedunt liberum accessum; aut qui non convocant saltem deputatos a singulis Capitulis & Collegiis pro facienda relatione, ut hoc modo per quandam Synodum ordinariam non solennem statis temporibus suppleatur defectus Synodi solennis.

V. *Episcopus tenetur diligenter conferre cum suis Consiliariis, aut cum Conventu Synodali de causis & negotiis Diæcesanis majoris momenti.* (*e*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui causas & nego-

(b) Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 1. *Qui Episcopale Ministerium suscipiunt, se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint, non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, & cœlestem patriam cogitantes. Hæc S. Synodus admonet Episcopos, ut secum ea sæpe meditantes se muneri suo conformes ostendant.* Et *Synodus Nicæna II.* Anno 787. Can. 2. *Definimus, ut omnis, qui ad Episcopatus gradum est provehendus, examinetur diligenter a Metropolita, utrum libenter perscrutetur, & non solum perfunctorie perlegat sacros Canones, S. Evangelium, librum Apostoli, & omnem divinam Scripturam: substantia enim sacri Principatus, hoc est, Episcopatus, sunt eloquia divinitus tradita.*

(c) *S. Isidorus* L. 7. Etymol. c. 12. *Episcopatus vocabulum inde ductum, quod ille, qui efficitur Episcopus, superintendebat, scilicet curam gerens subditorum. Σκοπεῖν enim græce, latine intendere dicitur; Episcopi autem græce, latine Speculatores interpretantur. Nam Speculator est Præpositus in Ecclesia dictus, eo quod speculetur, & perspiciat populorum infra se positorum mores & vitam.* Et L. 2. *Constitut. Apost.* C. 30. & 31. *Sicut Christus sine Patre nihil agit, sic nec Diaconus sine Episcopo. Quæcumquæ Diaconus cuipiam facit indicentur Episcopo, & per eum perficiantur. Nihil prorsus sine Episcopo faciat; neque ulli nisi illo conscio & Authore tribuat.*

(d) *Concilium Tridentinum* Sess. 24. c. 2. *Provincialia Concilia pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque renoventur. Synodi quoque Diæcesanæ quotannis celebrentur. Concilium Coloniense II.* Anno 1549. *In his Conciliis per Vicarium nostrum ac Officialem Disquisitio diligens fiat, & quæ ex illorum judicio reformatione opus habere comperientur, communi consilio emendentur.* Part. 2. C. 18.

(e) *Concilium Carthaginense IV.* c. 23. *Episcopus nullius causam audiat absque præsentiæ Clericorum suorum. Alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur. Concilium Tridentinum* Sess. 25. c. 1. Quoad moderationem domesticam remittit Episcopum ad Canones hujus Concilii Carthaginensis, & in plerisque negotiis arduis vult ab Episcopo adhiberi consilium aliorum, puta Theologorum vel Canonicorum ex Capitulo. Sic Sess. 25. c. 1. dicit; *Consilio Cardinalium apud Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ administrationem niti.* Sess. 25. C. 4. tribuit *Episcopis facultatem* reducendi onera Missarum præcise *in Synodo Diæcesana.* Ibidem c. 6. ordinat, ut, *si Episcopus extra visitationem contra Canonicum Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ processerit, Capitulum eligat ex Capitulo duos, de quorum con-*

negotia suæ Diœcesis solum conferunt cum Ministris sæcularibus, vel cum inexpertis circa res Ecclesiasticas, vel cum expertis quidem, sed privative non audito aliorum consilio.

VI. *Episcopus tenetur habere perfectum amorem Dei practicum, hoc est, voluntatem constantem cooperandi ad majorem Dei gloriam & salutem concreditarum ovium modo meliori, quo potest.* (f) Huic

consilio & assensu Episcopus vel ejus Vicarius tam in formando processum, quam in cæteris omnibus actibus coram Notario Episcopi procedere teneatur. Ibidem c. 6. *Episcopis tradatur præcipua omnium rerum agendarum authoritas, qui si aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Hæc autem in iis Ecclesiis locum non habeant, in quibus Episcopi ex consuetudinibus, sive concordiis, seu quocumque alio jure majorem habent potestatem.* Ibidem Seff. 25. De invocatione Sanctorum. *Statuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas nisi eadem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Episcopus Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam exspectet, ita tamen, ut nihil inconsulto Romano Pontifice novum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.* Et Seff. 23. C. 18. *Omnia* (ad erectionem & instructionem Seminarii Clericorum pertinentia) *atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum Seniorum & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent. Iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero Civitatis, quorum similiter alterius electio ad Episcopum, alterius ad Clerum pertineat, ex fructibus mensæ Episcopalis & Capituli, & omnium Abbatiarum, beneficiorum &c. portionem detrahent, & huic Collegio* (Seminario) *incorporabunt.* Et *Concilium Lateranense* III. seu *Alexander* III. relatus in C. *Quanto*, De his quæ fiunt a Prælato sine consensu Capituli, Patriarchæ Jerosolimitano sic scribit: *Quanto majori dignitate Domino dante præemines, tanto decet amplius, & oportet, te in omnibus eam diligentiam & gravitatem habere, quod* (ut) *omnia videatis sine nota & reprehensione peragere, & laudabiliter injunctæ tibi sollicitudinis officium dispensare. Audivimus autem, unde mirati sumus, sicut mirari merito poteramus, quod in concessionibus & confirmationibus, omissis Canonicis Ecclesiæ tuæ, Consilium Clericorum & Laicorum circa te commorantium, qui non sunt de corpore Ecclesiæ ipsius, interdum, immo sæpe, requiris; & in eisdem concessionibus & donationibus & confirmationibus juxta eorum consilium & voluntatem procedis. Quia igitur non decet prudentiam tuam, in negotiis tibi commissæ Ecclesiæ consilium Fratrum tuorum postponere, cum quibus unum corpus existere comprobaris, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio & majoris partis eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes & evellas.* Ita Alexander III. l. cc. *Idem* relatus in C. *Novit* eodem Titulo eidem Patriarchæ his verbis scribit: *Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu & Fratres tui unum corpus sitis ita quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non decet te omissis membris aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium & honestati tuæ, & Sanctorum Patrum institutionibus contraire.*

(f) Christus, dum ascensurus in cælum delegaret Petro curam suarum ovium, ab eodem singularem atque eximium amorem sui requirit. *Cum prandissent*, inquit *Joannes* c. 21. *dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei; etiam Domine: tu scis, quia amo te; dicit ei, pasce Agnos meos. Dicit ei iterum; Simon*

Huic obligationi non satisfaciunt, qui nec ipsimet legunt vitas & libros sanctorum Episcoporum, ex quibus possent discere varios modos promovendi gloriam Dei & salutem animarum, nec secum habent in Palatio Episcopali familiares, ejusmodi eruditionis gnaros, qua possent condiri utiliter privata præsertim ad mensam colloquia, nec instituunt statis temporibus Conferentias Ecclesiasticas de conservanda & melioranda disciplina Cleri & populi.

VII. *Episcopus proin tenetur scire, inquirere, & diligenter revolvere non solum obligationes sui Status, sed etiam directiones, monita, & incitamenta, a Sanctis Episcopis relicta pro recte obeundo munere Episcopali.* (g) Huic obligationi non satisfaciunt, qui, dum exhortationes pro accendendo fervore Episcopali ac Clericali, instituere, audire, aut legere negligunt, eo ipso in se ipsis commonstrant contemptum quemdam interpretativum eorum mediorum, quibus *perfectus amor Dei practicus* accenditur, & nutritur, hoc est, *constans studium* cooperandi ad majorem Dei gloriam, & salutem concreditarum ovium, modo meliori, quo fieri potest.

VIII. *Episcopus tenetur redditus Episcopales ad honestam suam sustentationem superfluos expendere in causas pias servato recto ordine charitatis, hoc est, modo meliori, quo servit ad majorem gloriam*

Simon Joannis; diligis me? Ait illi: etiam Domine; tu scis, quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me, & dixit ei: Domine tu omnia scis; tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce oves meas. S. Ephrem de Heli nimis leniter corripiente delinquentes suos filios ait: *Ea, quam arbitratus est admonitionem, non est admonitio, sed negligentia in Deum amoris. S. Ambrosius* in Psal. 118. Octon. 17. *Lelus Charitas est. In Apocalypsi Dominus ad* (Episcopum) *Laodiciæ ait. Scio opera tua, quod neque frigidus es neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. S. Chrysostomus* Hom. 79. in Matth. *Nulla re Deus magis irritatur, quam si proximi commoditatem despicias. Hac de causa notam Discipuli* (Episcopi) *charitatem esse affirmavit, quoniam diligentem necesse est de dilecti utilitate cogitare. Vis, ut tibi hanc sententiam corroborem? Amas me? inquit Christus; pasce oves meas. Cum tertio interrogasset, hoc amoris esse argumentum confirmavit. Quod non ad Sacerdotes solum* (præsertim Episcopos) *dictum est, verum etiam ad singulos, quibus vel minimus grex commissus esse videtur. Habet aliquis ovem; ad pinguia eum pascua ducat. Cum a lectulo Paterfamilias se receperit, nil aliud quærat, quam ut ea faciat & dicat, quibus incrementa religionis domui universæ adjiciat. Materfamilias domum quidem custodiat, sed multo magis procuret, quomodo, quæ ad cælos pertinent, universa familia operetur. Si in rebus sæcularibus, antequam domestica disponamus, prius quæ Reipublicæ debent persolvi, curamus, quanto magis in spiritualibus oportet prius ea disponere, quæ Dei sunt? His persuasi, non posse nos salutem consequi, nisi commune commodum quæramus, meliorem vitam eligamus. Idem* Hom. 31. de S. Philogonio. *Si quis voluerit Christo commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Neque enim alia res est, quæ sic declaret, quis sit amans Christi. S. Gregorius M.* Hom. 30. in Evang. *Ad vosmetipsos introrsum redite; si vere Deum amatis, exquirite. Nunquam est amor Dei otiosus. Operatur enim magna, si est. Si vero operari renuit, amor non est.*

(g) *D. Paulus* 1. Tim. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Hoc præceptum tibi commendo fili Timothee. Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate. Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Hoc faciens & te ipsum salvum facies, & eos, qui te audiunt. Idem* in Epist. ad Philipp. c. 1. & 4. *Paulus & Timotheus omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus. Quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.*

riam Dei , *& salutem concreditarum ovium*. (*h*) Huic obligationi non satisfaciunt , qui tam splendide vivunt , ut, licet habeant pingues redditus, nulli remaneant ad causas pias, vel respective exigui . Multo magis peccant , qui in superflua ædificia , vel ad majorem splendorem contrahunt debita . Item illi , qui, cum ex sua familia vel e sua domo, si mansissent in Sæculo , vi secundogenituræ ad honestatem sui status non nisi valde moderato gauderent servitio , evecti tamen ad Episcopales infulas ex redditibus Ecclesiasticis splendorem Primogenitorum suæ Familiæ, aut sæcularium Principum , neglecto exemplo ipsorum summorum Pontificum , ultra decorum , ad tuendam authoritatem status sui Episcopalis sufficiens, æmulantur.

IX. *Episcopus tenetur in Exercitiis Religionis Catholicæ publicis suo Clero & populo præire exemplo*. (*i*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui non interesse solent Processionibus & comprecationibus publicis, solemni Divino Officio sui Cathedralis Capituli , Communioni generali, & aliis religiosis actibus ab Ecclesia, vel consuetudine solemniter introductis.

X. *Episcopus tenetur modesta frugalitate & temperantia in mensa* , *suppellectili*, *& ordine actionum diurno ad omnium ædificationem ac imitationem proportionatam præire exemplo suo Clero & populo* . (*k*) Huic obligationi non satisfa-

(h) *S.Carolus Borromæus* in Concilio Mediolanensi I. celebrato Anno 1565. Part. 2. Tit. 62. sic habet : *Sacrorum Canonum Decretis statutum est*, *& Sanctissimorum Patrum testimoniis celebratum*, *quæ bona fidelium pietas Deo consecravit* , *ea vel illorum necessitatibus honeste sublevandis*, *qui divinis dicati obsequiis Christi Ministri & Dispensatores mysteriorum Dei effecti essent*, *vel Ecclesiis reficiendis*, *earumque ornamentis ad divinum cultum necessariis comparandis* , *vel pauperibus sustentandis addicta esse ; siquidem*, *ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt*, *eam naturam & conditionem consecuta sunt*, *ut in alium quam sacrum & pium usum eorum fructus converti nefas esset*. *Quare cavendum est*, *ne dum propriis vel propinquorum divitiis & honoribus studemus*, *quæ Deo dicata sunt bona*, *Ecclesiæ detrimento*, *& pauperum gemitu*, *& bonorum offensione ad aliorum usum convertamus* . *Itaque nos Sacrorum Canonum & Sanctorum Patrum authoritate innixi*, *atque iis adducti*, *quæ Sacra Tridentina Synodus de Officio administrandi bona Ecclesiastica significavit*, *eos omnes*, *qui ea obtinent*, *vehementer monemus*, *ut muneris sui memores*, *hæc quæ sequuntur*, *diligentissime præstent*. *Ii*, *qui Ecclesias*, *& Beneficia Ecclesiastica quæcunque obtinent*, *quorum fructus ad eos* , *tanquam divinorum obsequiorum Ministros honeste sustentandos proprie sunt attributi* , *si uberiores sint*, *quam ad tuendam vitam* , *conditionisque suæ rationem requiratur* , *dubitare non debent ad eum finem hanc copiam illis esse attributam*, *ut præter ea* , *quæ ad victum & cultum eorum satis essent*, *suppeterent etiam*, *quibus divini cultus ornatus ac splendor conservaretur & pauperum inopia & indigentia sublevaretur* . *Quam ob rem per viscera misericordiæ Jesu Christi obtestamur* , *atque monemus*, *ut meminerint* , *ea bona sibi non esse credita ad luxum*, *neque ad augendos consanguineos* , *sed ad vitam honeste*, *ut fidelem Dei Ministrum*, *& pietatis Christianæ Magistrum decet* , *traducendam*. *Ex eo vero*, *quod supererit* , *si necessaria pauperibus alimenta denegarint* , *intelligant*, *se*, *quos non paverint*, *occidisse*, *atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem mortale peccatum commisisse*, *quo sibi iram in die iræ thesaurizaverunt*.

(i). (k). (l). (m). *D. Petrus* Episcopos & Presbyteros alloquens 1. Epist. 5. ait : *Pascite*, *qui in vobis est*, *gregem Dei*, *providentes non coacte*, *sed spontanee secundum Deum ; neque turpis lucri gratia*, *sed voluntarie ; neque ut dominantes in Cleris*, *sed forma facti gregis ex animo*. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum*, *percipietis immarcessibilem gloriæ coronam* . Et *Tridentinum* Sess. 25. c. 1. *Optandum est* , *ut ii*, *qui Episcopale ministerium suscipiunt*, *quæ suæ sint partes agnoscant*, *ac se non ad propria commoda*, *non ad divitias*, *aut luxum*, *sed labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant*. *Nec enim dubitandum est*, *& fideles reliquos ad religionem*, *inno-*

tisfaciunt, qui in mensa apponi curant pretiosas cupedias, inutilia ac pretiosa dulciaria, curiosas ac pretiosas exhibitiones &c. aut qui in suppellectili & ornatibus parietum amant pretiosas curiositates exteras, aut qui ordine suo diurno vertunt noctem in diem more parum ædificatorio apud Clerum inferiorem & populum.

XI. *Episcopus tenetur eximio Castitatis zelo suo Clero & populo præire exemplo.* (*l*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui in suas conversationes (Assembleas vocant) præsertim nocturnas, admittunt fæminas, utcunque alias honestas; aut qui eas libenter mensæ sociant; aut qui eas in suis arcibus sub prætextu pietatis alunt, nullo alio comparente titulo necessitatis; aut qui eas libenter invisunt, visitationes inutiles admittunt, cum iis jocantur & ludunt, munuscula pretiosa vel profana donant, & similia faciunt, quæ castitatis zelus, comes Episcopis laudatis individuus, non amat.

XII. *Episcopus tenetur invigilare, ut omnes suo servitio adscripti morum honestate & innocentia aliis ad virtutis studium viam præeant, monstrent, & muniant.* (*m*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui aulæ Præfectos harum rerum incurios constituunt, nullam ab iis aliisque inferioribus Officialibus vitæ ac morum circa subditos rationem exigunt; singulos ad audiendum verbum Dei non compellunt, nec ad frequentanda sacramenta, aliasque pias exercitationes dirigunt, nec leges disciplinæ domesticæ præscribunt.

XIII. *Quoad gubernationem Diœcesanam tenetur Episcopus ante omnia invigilare, ut Religio Catholica in omnibus membris Diœcesanis honestissime ad ædificationem omnium conservetur, pullulantes errores eradicentur; acatholicis, si qui in Diœcesi permixtim tolerantur, obstacula, scandala, ac præjudicia perpetuo minuantur; atque ad eorum conversionem indefessis consiliis iterata aut nova media exquirantur.* (*n*) Huic obligationi non

innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam Disciplinam præcipua esse S. Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est velut perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. In primis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem & ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud Romanum Pontificem cum universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest non iis etiam virtutum insignibus ac vivendi disciplina eos fulgere, qui merito omnium in se oculos convertant.

(n) *D. Paulus* 1. Tim. 6. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua confessus es bonam confessionem coram multis testibus. O Timothee, depositum* (fidei) *custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Et 2. Tim. 1. *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei. Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum. Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, & quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Labora* (pro fidei puritate) *sicut bonus miles Christi Jesu. Hæc commone testificans coram Domino. Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium; profana autem & vaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem. Et sermo eorum ut cancer serpit. Stultas & sine disciplina*

non satisfaciunt, qui nec scandala Clericorum, præsertim Cathedralium, Collegialium, Regularium, vel Parochialium viriliter tollunt, nec iteratis opusculis præjudicia acatholicorum magis attenuari curant.

XIV. *Tenetur Episcopus invigilare, ut tam in studiis publicis quam privatis sana Doctrina morum juxta probatiorum Doctorum sententias tradatur, & laxitates opinionum tollantur.* (*o*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui suis Clericis laxissimos Authores præscribunt, aut laxissimos Professores tolerant, aut de Doctrina studiorum sibi subditorum nullam informationem capiunt, aut circa ordinem studiorum a Conciliis & summis Pontificibus præscriptum, utrum exacte observetur, nullam curam gerunt, neo inquisitionem instituunt.

XV. *Tenetur Episcopus invigilare, ut Doctrina Christiana in concionibus & Catechesibus pure sine fabulosis narrationibus, sine revelationibus incertis, sine digressionibus profanis, ex probatis solum Authoribus in Synodo, proponatur.* (*p*). Huic obligationi non satisfaciunt, qui in suis Diœcesibus sinunt imprimi ejusmodi conciones, aut de earum ratione recte

plina quæstiones devita, sciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare; sed mansuetum esse ad omnes docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Tu permane in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens, a quo didiceris. Et c. 4. *Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina: erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* Et ad Titum c. 1. *Oportet Episcopum amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere: Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia: quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non attendentes Judaicis fabulis & mandatis hominum, aversantium se a veritate.* Et c. 3. *Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita: sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita; sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. D. Joannes* in Apocalypsi laudat eos Episcopos, qui se acriter opponebant erroribus; eos vero reprehendit, qui eos segniter tractabant. Sic c. 2. Episcopo Ephesi dicitur: *Scio opera tua & laborem, quia non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces.* Et Episcopo Thiatiræ: *Habeo adversus te; quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetam, docere, & seducere servos suos.*

(o) *Concilium Tridentinum* Sess. 21. c. 2. *Omnes ii, ad quos Universitatum, & Studiorum generalium cura, Visitatio, & reformatio pertinet, diligenter curent, ut ab eisdem Canones & Decreta hujus S. Synodi integre recipiantur; & si aliqua alia in prædictis Universitatibus correctione, & reformatione digna fuerint, ab eisdem, ad quos spectat, pro religionis & disciplinæ Ecclesiasticæ augmento emendentur, & statuantur. Quæ vero Universitates immediate Summi Pontificis protectioni & visitationi subjectæ sunt, has sua Beatitudo per eos delegatos, prout visum fuerit, visitari & reformari curabit.*

(p) (q) (r) *Concilium Tridentinum* Sess. 24. c. 4. *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, cupiens S. Synodus, quo frequentius possit, ad fidelium salutem exerceri, mandat, ut in Ecclesia sua ipsi per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditis per alios, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis, Tempore*

recte instituenda nullam curam suscipiunt in suis Pastoralibus, & Visitationibus, & relationibus Synodalibus annuis.

XVI. *Tenetur Episcopus invigilare, ut in Parochiis habeatur singulis diebus Dominicis Concio, & tempore pomeridiano Catechesis a Parochis juxta ordinem præscribendum, vel pro qualitate locorum moderandum singulis.* (*q*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui non curant sibi exhiberi de hujus legis observantia relationem distinctam annis singulis.

XVII. *Tenetur Episcopus prædicare verbum Dei modo meliori, quo potest.* (*r*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui, ubi verbo non possunt, plebem sibi concreditam ne quidem excitant per annuas Pastorales Epistolas in Ecclesiis prælegendas, vel per Missiones.

XVIII. *Episcopus tenetur suis expensis providere de sufficiente numero Visitatorum, Consiliariorum Ecclesiasticorum, Censorum, & Vicariorum; ita ut tota Diœcesis singulis bienniis visitari, Causæ Ecclesiasticæ ordinate expediri, Libri omnes exacte revideri, & Commissiones sine vacatura tribunalium prompte institui possint.* (*s*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui in amplissimis Diœcesibus tam exiguum constituunt ejusmodi Officialium numerum, ut negotia debite expediri nequeant. Multo magis peccant, qui ad talia Officia assumunt viros in Theologia & Jure Canonico parum doctos, in rebus inexpertos, labori minime assuetos, aut probitate morum parum exemplares.

XIX. *Episcopus tenetur Diœcesin visitare modo meliore, quo potest.* (*t*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui, ubi possunt, non visitant personaliter suas Diœceses, ut informationem de exacta observantia legum Synodalium & statu animarum capiant; aut, si non possunt, visitationes biennales sæcularium, ac

pore autem jejuniorum Quadragesimæ, & Adventus quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, & alias, quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Nullus autem Sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat: iidem etiam saltem Dominicis & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, &, si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent.

(s). (t). *Concilium Tridentinum* Sess. 24. c. 3. *Episcopi propriam Diœcesin per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, Visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Archidiaconi, Decani, & alii inferiores iis Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per semetipsos tantum ibidem visitare. Visitatores etiam a Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur. Sed non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus Visitator easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur, cui ipsi Archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones Testium, ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, & privilegiis quibuscunque. Visitationum autem omnium istarum sit scopus, sanam Orthodoxamque doctrinam expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera prout locus, tempus, & occasio feret ex Visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ ut facilius feliciusque succedant, monentur prædicti omnes & singuli, ad quos Visitatio spectat, ut paterna Charitate Christianoque zelo omnes complectantur; ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant quum celerrime, debita tamen*

Triennales Regularium non procurant, atque acta visitationum ipsimet non relegunt.

XX. *Tenetur Episcopus invigilare, ut Seminaria, Convictus, Lycea, Academiæ, Conservatoria, Monasteria, Capitula, hospitalia, Scholæ, Eremitoria, optimis legibus instituantur, & earum observantia in visitationibus urgeatur, vel in Conventibus Synodalibus annuis reparetur.* (*u*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui nullas super his rebus institui inquisitiones, aut visitationes curant, expensarum, vel laborum pertæsi.

XXI. *Tenetur Episcopus erigere Seminaria pro amplitudine Diœcesis, sufficientia, in quibus adolescentes ab annis teneris ad pietatem, & Disciplinas Clericales instituantur.* (*x*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui tantum erigunt Seminaria probatorialia pro Ordinandis ad unum annum, vel tantum Alumnatus pro Theologia solum Scholastica.

XXII. *Tenetur Episcopus curam gerere pauperum, & aliarum personarum miserabilium, inculcando tam in annuis Synodis quam in Epistolis Pastoralibus obligationem Clericorum expendendi redditus superfluos in causas pias, ordinando, ut Parochi & Concionatores annuatim stato tempore prædicent de operibus misericordiæ corporalis, & de operibus charitatis per mutuum*

cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. Nec pecuniam, nec munus accipiant, exceptis victualibus. Idem Concilium Seff. *6.* c. 4. *Capitula Cathedralium & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligant Authores, non etiam Successores, tueri se possint, quo minus a suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis, per se ipsos solos, vel illis, quibus videbitur adjunctis: juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apostolica, possint & valeant.*

(u). (x). *Concilium Tridentinum* Seff. 23. c. 18. *Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; & nisi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in Disciplina Ecclesiastica perseveret, Sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales Ecclesiæ pro modo facultatum & Diœcesis amplitudine certum puerorum numerum in loco convenienti, ab Episcopo eligendo alere, ac religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sunt, ac legere & scribere competenter noverint; & quorum indoles & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur & studium præ se ferant, Deo & Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos juxta eorum numerum, ætatem, ac in Disciplina Ecclesiastica progressum, partim cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicet, partim in Collegio erudiendos retinebit. Ut vero in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu Clericali semper utentur; Grammatices, cantus, computus Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent; Sacram Scripturam, Libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas edifcent. Curet Episcopus, ut singulis diebus Missæ Sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & juxta Confessoris judicium sumant corpus D. N. J. C.; Cathedrali & aliis loci Ecclesiis diebus festis inserviant. Quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum Seniorum & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. Discolos & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conservandum & augendum tam pium & sanctum insti-*

mutuum gratuitum ; nec non exhortando particulatim per Epistolas Pastorales Dominos Territoriales, Magistratus, & Judices ad componendas expedite lites & causas pauperum. (W) Huic obligationi non satisfaciunt, qui per Decanos rurales & Parochos equidem capiunt informationem de statu oppressorum, aut non admittunt recursum oppressarum personarum miserabilium, nullum pro iis constituendo Advocatum pauperum, aut nullam ordinando collectationem in eorum subsidium servato ordine charitatis. Nec etiam satisfaciunt, qui in largienda facultate ad testandum Clericis, vel exequendis relictis ab intestato, pro Ecclesia & pauperibus loci, & aliis causis piis nullam seriam curam gerunt.

XXIII. *Episcopus tenetur corrigere Clericos delinquentes, subin etiam exemptos; & scandalos segregare a concreditis ovibus.* (z) Huic obligationi non satisfaciunt, qui non parant domos & reddi-tus sufficientes pro alendis ejusmodi Clericis tempore segregationis vel recollectionis.

instinctum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Episcopi Scholasterias obtinentes (Scholasticos,) *& alios, quibus est lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in scholis instituendos cogant & compellant; quod si judicio Episcopi digni non fuerint, alium, qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota; quod si neglexerint, Episcopus ipse deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Episcopo expedire. In Ecclesiis amplas Diœceses habentibus possit Episcopus unum, vel plura in Diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere Seminaria, quæ tamen ab illo uno, quod in Civitate erectum & constitutum fuerit, in omnibus dependeant. Idem Concilium* Sess. 22. c. 8. *Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, sint executores: habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcunque, confraternitates laicorum, etiam, quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant, non tamen, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia, eleemosinas Montis pietatis, sive charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex Officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exequantur. Idem Concilium* Sess. 22. c. 9. *Administratores tam Ecclesiastici quam Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, hospitalis, Confraternitatis, eleemosinæ montis pietatis, ac quorumcunque piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.*

(W) *Concilium Tridentinum* Sess. 25. c. 8. *Admonet sancta Synodus quoscumque Ecclesiastica Beneficia, sæcularia seu regularia, obtinentes, ut hospitalitatis Officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant. Illis vero, qui Hospitalia, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum præcipue instituta in administrationem obtinent, præcipit, ut impositum onus administrent juxta Constitutionem Concilii Viennensis.* Et Sess. 25. c. 17. *Episcopi se ubique Patres & Pastores esse meminerint.*

(z) *Concilium Tridentinum* Sess. 6. c. 3. *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, & nemo sæcularis Clericus, vel Regularis extra monasterium degens, cujusvis privilegii prætextu tutus censeatur, quo minus si deliquerit, ab Ordinario loci tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato secundum Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.* Videantur etiam dicta N. XVIII. & XIX. *Idem Concilium* Sess. 14. c. 4. *Omnes Ecclesiarum Prælati, qui ad corrigendum subditorum excessus diligenter intendere debent, & a quibus nullus Clericus per hujus Sanctæ Synodi statuta cujusvis privilegii prætextu tutus censetur, quo minus juxta Canonicas Sanctiones visitari, puniri, & corrigi possit, si in Ecclesiis suis resederint, quoscunque sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati, cor-*

XXIV. *Episcopus tenetur zelum gerere pro ornatu Ecclesiarum, honestate Divini Officii, & sanctitate personarum in Seculo vel Religiosis ordinibus sacratarum soli Deo.* (*y*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui non inquirunt, nec efficacia media præscribunt & urgent circa munditiem Ecclesiarum & Paramentorum, circa decentiam in publico cultu religionis, & circa abstractionem sacrarum personarum a vanitatibus sæculi, inficientibus puritatem & devotionem internam animi.

XXV. *Episcopus tenetur in sua Diæcæsi residere, nisi legitimo impedimento ex justa & rationabili causa excusetur.* (*aa*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui solius recreationis, curiositatis, aut negotii mere profani non necessarii causa diu a sua Diæcesi absunt.

XXVI. *Si circa res fidei oriantur periculosæ controversiæ, ab Episcopo ad Sedem Apostolicam referendæ sunt.* (*bb*)

XXVII. *Circa res fidei a Concilio Generali vel a Sede Apostolica definitas, nova*

rigendi & castigandi facultatem habeant, quibuscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent Authores, minime (corrigendo) *suffragantibus.*

(y) *Concilium Tridentinum* Seff. 21. c. 8. *Quæcunque in Diæcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum est. Propterea Monasteria, Præpositturæ, in quibus non viget regularis Disciplina, nec non Beneficia tam curata quam non curata, sæcularia & regularia, qualitercunque exempta ab Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, visitentur; curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent aut restauratione, reficiantur.*

(aa) *Concilium Tridentinum* Seff. 6. c. 1. *Sacrosancta Synodus* (Episcopos) *monet, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a Supremo Judice requirendus, custodiæ minime incumbant; cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. At quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore repeeriuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cælestibus, ac divinis humana præferentes in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos, placuit Sacrosanctæ Synodo statuere modum, qui sequitur: Si quis a Cathedrali Ecclesia legitimo impedimento, seu justis & rationabilibus caussis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diœcesin morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso jure incurrat. Idem Concilium* obligationem residendi Episcopis Seff. 23. c. 1. arctius sic restringit: *Ne ea, quæ de residentia* (Seff. 6.) *sancita fuerunt, in sensus a S. Synodi mente alienos trahantur, ac si vigore illius Decreti quinque mensibus continuis abesse liceat, declarat S. Synodus, omnes Cathedralibus Ecclesiis Præfectos obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, neque abesse posse nisi ex caussis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, decernit S. Synodus, has causas a Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo absente, a Suffraganeo Episcopo antiquiori in scriptis esse approbandas, nisi cum absentiæ causa inciderit propter Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum. Interea meminerint Episcopi discessuri, ita ovibus suis providendum, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant. S. Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis sive continuum sive interruptum extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere. Eosdem hortatur, ne Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi diebus ab Ecclesia Cathedrali absint.*

(bb) *Innocentius I.* Epist. 26. relatus C. 24. q. 1. C. *Quoties. Quoties fidei ratio ven-*

nova cum Sectariis colloquia, seu Concilia ab Episcopis permittenda non sunt. (*cc*)

XXVIII. *Episcopus tenetur perpetuam instituere inquisitionem circa libros usuales suarum ovium, ut examinetur, an nil contineant hæreticum, pernitiosum, vel superstitiosum.* (*dd*) Huic obligationi non satisfaciunt, qui non constituunt tot Censores, quot libris legendis sufficiunt, aut qui Censores non obligant ad hoc, ut circa loca librorum difficiliora referant ad Episcopum & Officium.

XXIX. *Episcopus non patiatur in libris verba scripturæ detorqueri ad profana.* (*ee*)

XXX. *Episcopi curent ex libris expungi non solum propositiones scandalosas, temerarias, seditiosas, aut Rituum novatorias, sed etiam vocum novitates ab hæreticis excogitatas, hæreticorum encomia, & famæ proximorum contraria.* (*ff*)

ventilatur, arbitror, omnes Fratres & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Authorem, referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Et S. *Augustinus* L. 11. contra Faustum c. 2. relatus C. *palam* d. 11. *Palam est, quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat authoritas Ecclesiæ Catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur.*

(cc) *Gelasius Papa* in Epist. ad Episcopos Dardaniæ, relatus C. *Cum quibus* 24. q. 3. *Ecclesiastici moris non est, cum his, qui pollutam habent communionem, permixtamque cum perfidis, miscere concilium.*

(dd) *Concilium Tridentinum* Sess. 4. De Edit. Lib. *Sacra Synodus statuit, ut nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de Rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, sub pœna anathematis. Probatio libri in fronte libri appareat, & gratis fiat.* Et in Regulis Indicis jussu Concilii Tridentini editis: *In singulis Civitatibus & Diœcesibus, domus vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & Bibliothecæ librorum venalium, sæpius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo sive ejus Vicario, ut nihil eorum, quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.* Et in Regulis a *Clemente VIII.* editis. *Habeant Episcopi facultatem, quoscunque libros juxta præscriptum hujus Indicis expurgandi, etiam in locis exemptis & nullius. Postquam Codex expurgatorius confectus fuerit, ac mandato Episcopi impressus, qui libros expurgandos habebunt, poterunt de eorumdem licentia juxta formam in Codice traditam eos corrigere. Ibidem. Si de Authore libri non constet, aut justam aliquando ob causam tacito ejus nomine Episcopo edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum approbaverit.*

(ee) *Concilium Tridentinum* De Edit. Libr. *Sacra Synodus temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur verba Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat & præcipit, ut hujus generis temeratores pœnis per Episcopos coerceantur.*

(ff) In Regulis Indicis a *Clemente VIII.* editis: *Quæ expurgatione indigent, hæc sunt. Propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresin sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, & blasphemæ. Quæ contra Sacramentorum ritus & cæremonias, contraque receptum usum & consuetudinem S. Romanæ Ecclesiæ novitatem aliquam inducunt. Profanæ etiam novitates vocum ab hæreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ. Verba dubia & ambigua, quæ legentium animos a recto Catholicoque sensu ud nefarias opiniones abducere possunt. Verba Scripturæ non fideliter prolata. Epitheta honorifica & omnia in laudem hæreticorum dicta. Item quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum & Principum dedecent, bonisque moribus & christianæ disciplinæ sunt contraria. Propositiones, quæ sunt contra libertatem Ecclesiasticam. Exempla, quæ Ecclesiasticos ritus, Religiosorum Ordines, statum, dignitatem, ac personas lædunt ac violant. Facetiæ aut dicteria in pernitiem aut præjudicium*

XXXI. *Episcopus curet, ut in Ecclesia Cathedrali, & in omnibus Monasteriis etiam exemptis, & in omnibus Gymnasiis Lectio, seu expositio & interpretatio Scripturæ introducatur.* (gg)

XXII. *Episcopus non permittat prædicari de Purgatorio incerta, aut sapientia turpem quæstum.* (hh)

XXXIII. *Curent tamen Episcopi, ut suffragia pro defunctis pie & devote fiant, & fundationes exacte impleantur.* (ii)

XXXIV. *Curent Episcopi, ne introducantur nova miracula non examinata, novæ imagines inusitatæ, vel parum honestæ, novæ Reliquiæ non satis certæ, aut devotiones superstitiosæ.* (kk)

XXXV. *Episcopi tenentur pro viribus eradicare Choreas dissolutas, & Comœdias profanas, & alias profanationes in diebus festis.* (ll)

XXXVI.

dicium famæ & existimationis aliorum jactata. Lasciva, quæ bonos mores corrumpere possunt. Obscænæ imagines, quas initio librorum vel capitum imprimi moris est, penitus obliterentur.

(gg) *Concilium Tridentinum* Seff. 5. c. 1. *S. Synodus, Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus inhærens, statuit, quod ad S. Scripturæ expositionem & interpretationem in Ecclesiis Cathedralibus Præbenda primo vacatura deputata intelligatur. In Monasteriis Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam S. Scripturæ lectio habeatur: qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi ut Sedis Apostolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus aliorum Regularium, in quibus studia commode vigere possunt, S. Scripturæ lectio similiter habeatur. In Gymnasiis etiam publicis, ubi tam necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, Principum pietate instituatur. Statuit eadem Synodus, neminem ad hujusmodi lectionis officium tam publice quam privatim admittendum esse, qui prius de vita & moribus & scientia approbatus non fuerit. Quod tamen de Lectoribus in Claustris Monachorum non intelligatur.*

(hh) *Concilium Tridentinum* Seff. 25. de Purgat. *Apud rudem plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari* (Episcopi) *non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant.*

(ii) *Concilium Tridentinum* l. cc. *Curent Episcopi, ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosinæ, aliæque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta, pie & devote fiant; & quæ pro illis ex testatorum fundationibus vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed diligenter & accurate persolvantur.*

(kk) *Concilium Tridentinum* l. cc. *Omnis Superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur; & Sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur. Postremo tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præposterum, & tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat Sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo; qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit. Quodsi aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam controversiam dirimat, Comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam exspectet, ita tamen, ut nihil inconsulto Romano Pontifice novum aut in Ecclesia inusitatum exerceatur.*

(ll) *Concilium Tridentinum* l. cc. *Sanctorum celebratione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum ac lasciviam agantur.*

XXXVI. *Episcopi tenentur sollicite investigare, utrum ubique in omnibus Ecclesiis Sacrificium Missæ devote peragatur, & sine quæstu.* (*mm*)

XXXVII. *Episcopi inquirant & curent, ut Parochi pro Parochianis diebus Dominicis & festis de præcepto applicent Missam.* (*nn*)

XXXVIII. *Omnium gravissime peccant Episcopi, si Beneficia curata conferant iis, qui ad obeunda personaliter officia parochialia vel absolute vel notabiliter minus idonei sunt, præsertim, si id fiat sine concursu, quando fieri præcipitur aut permittitur.* (*oo*)

§. X.

(mm) *Concilium Tridentinum* Seff. 22. *De Missa. Decernit S. Synodus, ut Episcoscopi ea omnia prohibere atque e medio tollere sedulo curent, ac teneantur, quæ vel avaritia vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix induxit. Atque inprimis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non opportunas atque illiberales eleemosinarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. Interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. Nemini qui publice & notorie criminosus sit, sancto Altari ministrare, aut Sacris interesse permittant; neve patiantur in privitis domibus extra Oratoria ad divinum tantum cultum dedicata peragi sacrificium. Ab Ecclesia Musicas eas, ubi sive Organo sive cantu lascivum, aut impurum aliquid misceatur, item sæculares omnes actiones, vana, profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant. Ne superstitioni locus detur, caveant ne Sacerdotes alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ laudabili usu receptæ sunt.*

(nn) *Concilium Tridentinum* Seff. 23. c. 1. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre &c.* Et SS. D. N. *Benedictus XIV.* in *Notificatione*, seu *Institutione* X. scribit: *Nos affirmare possumus plusquam centenis Epistolis, quas duodecim fere annorum spatio ad Episcopos per universum terrarum orbem vel dedimus, vel pro munere, quo tum fungebamur, Nostro Nomine obsignavimus, cum illi juxta Constitutionem Sixti V. suarum Ecclesiarum statum Sacræ Congregationi exponerent, nisi festis diebus Sacrificium pro populo a Parochis applicari testarentur, eos monebamus, ut ab omnibus, qui animarum curæ præfecti essent, id impleri omnino curarent. Certum pariter est, in publicis examinationibus, quæ Romæ instituuntur vel ad Ordines suscipiendos, vel ad confessiones audiendas, vel ad Parochiales Ecclesias obtinendas, nullo modo approbari illos, qui Parochum exiguo censu instructum ab offerendo Sacrificio pro populo liberum & immunem existimant. Neque illæ excusationis causæ admittuntur, nempe S. Congregationis Decretis legem minime induci, & sine culpa violari cum promulgari non consueverint. Nam cum lex aliqua jam palam innotuit, necesse est, ut eodem pacto reliquæ Sanctiones publice divulgentur, quibus eadem lex magis declaratur. Quæ cum ita sint, poterant a Nobis sine ulla dubitatione Parochi obstringi, ut Sacrum diebus quos designavimus, pro populo offerrent, sed cum falsam opinionem ipsi non deponerent, licet a Sedis Apostolicæ Sententia prorsus alienam esse non semel ostenderimus, necessarium duximus, cum ad S. Congregationem scriberemus, aliquid etiam de* (his) *rebus attingere. Itaque respondit*: Teneri *Parochos omnibus diebus festis Missæ Sacrificium applicare pro populo, etiamsi minus Congrua ex Parochialibus proventibus recipiant. Igitur non solum Nostra, sed ipsius Congregationis & Summi Pontificis auctoritate, quo probante ipsæ Litteræ ad Nos scriptæ fuerunt, sub pænis a Concilio Tridentino in delinquentes propositis mandamus omnibus, qui ad curam animarum in Diœcesi constituti sunt, ut Festis diebus ad populum verba facere, & viam salutis declarare nunquam prætermittant; iisdemque diebus sacrificium pro ipso offerant, nisi pænas voluntate Nostra imponendas subire velint. Ut obtemperantia innotescat, volumus juxta Decreta S. Congregationis, quæ in Urbe a Visitatione dicitur, ut quilibet Parochus Sæcularis aut Regularis in Diœcesi ab anno* 1733. *eos dies in peculiari libro designet, quibus pro populo Sacrificium obtulerit. Qui non paruerint, pro voluntate Nostra punientur.*

(oo) *Concilium Tridentinum* Seff. 24. C. 18. *Expedit maxime animarum saluti, a*

dignis

dignis atque idoneis Parochis gubernari. Id ut diligentius atque rectius perficiatur, statuit S. Synodus, ut cum Parochialis Ecclesiæ vacatio contigerit, debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua constituere, donec ei de Rectore provideatur. Porro Episcopus intra decem dies vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet atate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Etsi Episcopo, aut Synodo provinciali videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus vel Vicarius, quibus magis videbitur. Peracto examine renuntientur, quotcumque ab his idonei indicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero juris Patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos db Examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui a Patrono præsentatus fuerit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

§. X.

De obligatione Regum ac Principum, præsertim circa res Ecclesiasticas.

OBligationes Regum ac Principum nervose expressit *Franciscus de Salignac de la Mothe Fenelon* Archiepiscopus Cameracensis, qui erat ante Archiepiscopatum Præceptor Ludovici Delphini, filii Ludovici XIV. in libello post mortem authoris edito sub titulo: *Directions pour la Conscience d' un Roi*. Sunt autem sequentes.

1. Princeps tenetur non tantum obiter sed etiam distincte scire omnes veritates Religionis Christianæ & omnes obligationes Legis Christianæ. Si enim Princeps non tolerat in Judice suæ plebis ignorantiam supinam suarum legum, quis credat, eam tolerandam a Deo in principe?

2. Tenetur credere, nec Principes esse unquam exemptos a lege Evangelii, qua omnibus indiscriminatim præcipitur interna humilitas, justitia, sinceritas seu veritas verborum, moderatio affectionum & actionum, compassio & misericordia, mansuetudo animi semper prompti ad condonandas injurias. Huic obligationi directe opponuntur quorundam adulatorum vel Politicorum principia insusurrantium cum austeritate imperandum, & subditos dure tractandos esse, nec Principem verborum suorum mancipium fieri debere.

3. Tenetur in omni genere assumere Consiliarios, non adulatores. Non tales, qui soleant adulari principis ambitioni, vanitatibus, fastui, mollitiei, pigritiæ, inertiæ, fraudulentiæ, sed qui veritatem libere proferre audeant.

4. Tenetur devote orare ad impetrandam a Deo cognitionem eorum rerum, quæ Deus ab eo requirit. Nisi enim a Deo demisse & instanter petat illustrationis gratiam, qua via, quibus mediis, & per quos obtinere possit legis Christianæ, aliarumque suarum obligationum notitiam, omnes ignorantiæ ex hoc neglectu secutæ erunt ipsi voluntariæ atque imputabuntur ad culpam.

5. Tenetur in Directores suæ conscientiæ

tiæ assumere præ cœteris pios, intrepidos, & peritos, sicut in bellicis & corporalibus solent præferri Generales ac Medici magis periti. Cum autem unus, quantumcunque peritus, facile trahatur præjudiciis, prudentia Christiana exigit, ne fidat uni, sed Concilium Ecclesiasticum erigat, eique plenam potestatem se in rebus conscientiæ admonendi tribuat. Sic etiam *Franciscus de Arauxo* Episcopus Segoviensis Decisionum Moralium Disput. 10. difficult. 2. n. 26. 27. fuse probat, principi habenti plures provincias diversis legibus viventes necessarium esse, ut habeat plures Ministros, si tamen plures idoneos reperiat.

6. Tenetur addiscere Leges, consuetudines, & observantias regni vel Principatus sibi subditi. Ratio est, quia ipse est supremus controversiarum tam Civilium, quam militarium Judex, quas in Senatu regio dijudicare nequit, nisi earum Legum & Consuetudinum peritus sit. Neque ipsi sufficit, si proponat semper accedere pluralitati votorum. Contingit enim aliquoties, vota inter Consiliarios paucos esse æqualia. Dein ipsi incumbit, non numerare, sed ponderare vota, cum facile contingat, quosdam Consiliariorum tacito fœdere reciproco in causis præsertim valde ambiguis, vel obscuris, aut intricatis ultro citroque cedere potius inclinationi Collegæ in favorem Clientis, quam rationi & juri. De qua re legi meretur in l. *Esther* C. 16. ubi Assuerus seu Artaxerxes de ejusmodi Ministris scribit: *Multi bonitate Principum abusi aures Principum simplices & ex sua natura alios æstimantes callida fraude decipiunt*.

7. Tenetur nosse Jus Gentium & Jus Publicum relate ad vicinos, & formam regiminis ac limites suæ potestatis a primis temporibus continua observantia in suo regno vel principatu præstabilitos. Nisi enim hæc probe sciat, facile inducetur ab adulatoribus, exemplo exterorum principum alio jure per fas aut nefas utentium ad introducendam novam regiminis formam prorsus contrariam juribus ab antiquo receptis, fœdere inter principem & subditos tacito firmatis, aut omnino per Capitulationes & pactiones juratas sacratis.

8. Tenetur scire numerum subditorum, agricolarum, artificum forensium, mercatorum, nobilium, militarium, Clericorum Secularium, Religiosorum, ut sciat quinam bono publico desint, prosint, vel oneri, vel nocumento sint. Debet etiam nosse suorum subditorum consuetudines, privilegia, libertates, commercia, negotiationes, leges commerciales usuales tam intra, quam extra regnum. Debet etiam nosse omnia Tribunalia, jura & abusus Officialium in quovis Tribunali. Nisi enim hæc sciat, ignorabit rectum valorem rerum suis oculis perpetuo obversantium; decipietur a suis Ministris quotidie, & ignorantia sua plus nocebit bono publico, quam corruptio Officialium & Ministerialium præfectorum populo.

9. Tenetur vitare non minori cura vitia morum personalia: quam vitia regiminis publica.

Ratio est, quia si princepes in sua aula agat, loquatur, vel toleret inhonesta, vel a legibus Christianis aliena, reperit imitatores non solum in suo regno vel principatu, sed etiam in provinciis exteris, isque effectus est immedicabilis, & durat longissime, non raro ad centum an nos. Econtra vitia regiminis non sunt incitamentum imitationis, sed objectum contemptus, horroris, & generalis abominationis. Nocent fortunis, non vero a potiori animabus. Cum ergo effectus personalium in principe vitiorum sit instar pestis universalior ac diuturnior, non minus vitia principum personalia, quam regiminis politica curanda sunt; quamvis fatendum sit, sub alia consideratione, inquantum vitia regiminis innumeris injustitiis provincias replent, majora esse vitiis personalibus, ita ut se habeant per modum excedentis & excessi.

10. Tenetur excludere aula omnes Fœminas nobiles non necessarias ad servitia Reginæ ac Principissarum, præsertim juvenes, quæ sua pulchritudine aulicis facile possent fieri in laqueum. Ad servitia autem Reginæ assumendæ sunt

sunt matronæ nobiles ætate & moribus graves. Absolute vero ab aula excludendæ sunt fœminæ suspectæ, quæ in aula vagantur, aut quæ introducunt varias novitates ac libertates periculosas, aut quæ omnino jam sunt maculatæ famæ.

11. Tenetur reprimere luxum, & refrœnare inconstantiam formæ, idque non solum quoad luxum & formam vestium, sed etiam quoad luxum & formam mobilium, quoad apparatus, famulitium, convivia, ædificia, hortos, nemoreta &c. Exinde enim sequuntur mala plurima & maxima Reipublicæ & Ecclesiæ Dei. Exinde fœminæ, quibus ad luxum non sufficit curta domi supellex, quærunt mediis illicitis, unde superbiant; & ipsis principibus ex eo motivo tendunt laqueos, ita ut ob multitudinem ejusmodi pernitiosarum venatricum eos obsidentium quotidie versentur in occasione proxima. Haberi poterit pro regula evectionem Status regii vel aulici quoad luxum ultra limites recti evehere omnes inferiores Status ultra eosdem limites recti usque ad mendicabulum.

12. Tenetur summopere cavere, ne circa Religionem vel circa res spectantes ad religionem verbo, facto, risu vel gestu ostendat contemptum vel indifferentiam. Hinc tenetur reprehendere omne verbum, quo videri possit insinuari Irreligio, & tenetur monstrare seriam indignationem contra impietatem, nec in hac re permittere ullam æquivocationem. Tenetur eos odisse, qui ipsi in causa sunt, ut erubescat de Evangelio. Tenetur potius in verbis & factis monstrare zelum pro sinceritate fidei & vitæ Christianæ.

13. Prohibetur, ulli unquam subditorum tollere sua bona vel jura præcise titulo authoritatis seu potestatis regiæ & contra regulas justitiæ commutativæ. Et si aliquando alicui particulari abstulit domum vel agrum pro ampliandis suis nomoretis, vel quando extinxit officia jure debita, vel redditus debitos, tenetur ejusmodi personas reddere effective indemnes, non minus, ac tenentur alii particulares.

14. Tenetur serio examinare, atque consulere viros nec adulatoriæ assentationis, nec imbellis formidolositatis suspectos, an titulus necessitatis publicæ revera sit tanti ponderis, ut æquiparari possit cum gravitate præstationum, quæ imponuntur populo. Neque licet, appellare necessitatem publicam onera belli solum suscepti ex motivo ambitionis præcise lucratorio, vel ex motivo juvandi prætensiones solum personales seu familiares suæ domus ad successionem hæreditariam in vicina provincia. In tali enim casu tenetur gerere bella impensis propriis, vel ex mutuis, vel ex ultro donatis seu collatis ex affectione a populo. Ejusmodi enim prætensiones, sicut subditos non reddunt feliciores, ita neque quoad onera incumbunt populo. Sic Carolus VIII. aditurus successionem in regno Neapolitano titulo Domus d' Aniou, suscepit bellum impensis propriis. Status namque regni non judicarunt, se obligari ad conferendos sumptus.

15. Sicut tenetur non committere, ita tenetur nec tolerare injustitias. Hinc tenetur caute seligere tales reddituum Cameralium Præfectos, Gubernatores, Ministros, Officiales &c. quos non secretum votum per eos Cameralia jura ampliandi ultra justos limites, sed amor recti & meritum officio proportionatum commendat. Neque enim licet præcise ob affectionem etiam meritos cumulare immensis fortunis, si hæ meritum, aut præsentes regni seu principatus nimia improportione superent. Ex hoc porro ratione tenetur Princeps se informare de administratione suorum Præfectorum, Gubernatorum. & Officialium, ac consequenter tenetur publice declarare, ac monstrare, se esse promptum ad excipiendas querelas adversus administratores a se constitutos, &, si deprehendantur excessus, tenetur gravatis promptam administrare justitiam. Peccat præterea, si ejusmodi Præfectis vel concedit vel tolerat laborum excessivas taxas in gravamen justum populi, repugnans justitiæ vel misericordiæ.

16. Tenetur suis Præfectis, Gubernatoribus, & Officialibus assignare competens Salarium, quod sine ullis illicitis exactionibus sufficiat ad honeste susten-

tan-

tandam familiam. Præterea tenetur iis expedire affignationem Officii gratis, nec in iis tolerare luxum. Alioquin reus erit omnium exceffuum, quos committere folent ejufmodi Officiales feu Præfecti, plerumque ex ftatu refpective humili ac indigo promoti.

17. Cum bona populi non debeant extorqueri vel applicari nifi pro bono communi totius populi, tenetur inquirere in media idonea fublevandi & confolandi populum, inquantum id permittit neceffitas boni publici. Itaque tenetur confulere viros peritos, qui eum fideliter inftruant de Statu Provinciarum, de cultura terræ, de fterilitate annorum etiam præcedentium, de commerciis &c. ut quid ferre queant humeri fine miferia & defolatione. Huic informationi peritorum pro bono publico bene affectorum tenetur accommodare impofitiones annuas, & in neceffitate publica reftringere fumptus proprios, quos percipit non folum ex collatione populi, fed etiam ex bonis fuæ familiæ. Cæterum, licet non fit amplius eadem Parlamentorum vel Statuum quæ olim authoritas, tenetur tamen nihil aggredi fine prævia confultatione cum perfonis ab omni adulationis fufpicione alienis, & vere zelantibus pro bono publico.

18. Caveat fub diverfis multiplicibus titulis multiplicare novorum onerum feu impofitionum genera fub novo Officialium genere. Melius enim eft, in cafu neceffitatis augere impofitiones, quam erigere nova officia. Quamvis enim refpectiva talium Officiorum venditio Principi ferat tranfitoria fubfidia, erectio tamen Officiorum folet effe malum perpetuum, & immedicabile, ita ut fi etiam aliquando a fucceffore extinguantur, brevi tamen refumantur. Quod creatio talium Officiorum nocet intra paucos annos, vix intra quinquaginta annos fanatur, & dum in caffam Principis inferuntur centum millia argenteorum, quingenta millia emunguntur a populo, qui proin tanquam perpetuo ære alieno, *ac debito Status* obæratus fpectari debet.

19. Tenetur etiam fine legali accufatione vel denuntiatione capere informationem, quando audit vel ex auditis merito fufpicatur, a fuis Miniftris, Officialibus, aut Venatoribus violenter effe extorta bona fubditis vili pretio, aut dilatam effe folutionem cum damno venditorum, aut oppreffa effe eorum jura. Tenetur igitur Princeps fe exacte informare non folum quoad fubftantiam, fed etiam quoad modum de iis, quæ fiunt ejus authoritate.

20. Peccat graviter, fi ineundo per fe, vel per fuos Officiales varios contractus cum fubditis, non relinquit plenam libertatem, a metu liberam, affentiendi vel non affentiendi, qualem habent refpectu æqualium. Peccat etiam, fi in compenfationem jurium vel damnorum fubdito donet aliqua Regalia Principis, v. g. jus tributorum & Steurarum, oppignorationes vel redditus in dominiis regiis, creationem novorum Officiorum &c. quæ, cum Reges quoad Regalia pro perpetuis Minorennibus haberi debeant, ficque eorum Regalia fint inalienabilia, poffint a Succeffore extingui unico ductu calami. Quamvis fatendum fit, etiam fucceffores ejufmodi Principum Regalia alienantium peccaturos in duplici cafu. Primo, fi jura vel bona alienata fine compenfatione reducant, quando non certo conftat, ea pertinere ad Regalia Principis, & ea bona fide tam a Principe quam a fubdito, & generali fenfu Doctorum eo tempore, quo contractus celebratus eft, tanquam alienabilia confiderata fuerunt, & ipfe contractus utrinque onerofus in bonum Principis & Succceflorum converfus eft. Si hæ tres conditiones concurrant, injufta foret bonorum alienatorum fub titulo Regaliæ reductio. Alter cafus eft, quando Rex vel Princeps non alienavit dominium, fed tantum ufumfructum refpective tenuem Regalium Principis. Hunc enim ufumfructum Regalium alienari poffe oftendit in fpeciali Opufculo *de Alienatione Regalium* Ægidius Romanus, Archiepifcopus Bituricenfis, quod Opufculum extat inter ejus Opera, ubi tamen fatetur, vi dominii & tacitæ refervationis regiæ ineffe bonis quoad ufumfructum alienatis obligationem fuccurrendi in neceffitate Principi.

21. Tenetur follicite præcavere, ne Con-

Conductoribus Regalium jurium ac redditūum, aliisque Monopolistis per terminos nimis generales, versatiles, seu æquivocos non detur ansa nimis ampliandi sua jura, & inique vexandi alios mercatores vel negotiatores sub prætextu mercium vetitarum cum præjudicio commercii.

22. Tenetur efficaciter impedire, ne ad militiam compellantur ex subditis aliæ personæ, quam revera ab omni vinculo naturalis obligationis liberæ, & bono communi non necessariæ domi. Verum quidem est, quod populus teneatur concurrere ad defensionem Status: Sed etiam Principes tenentur, non suscipere bella, nisi *justa* & *juste*. Hinc tenetur in quovis oppido vel pago tantum eos aggregare exercitibus, quorum absentia nec nocet agrorum culturæ, nec commercio, nec artibus necessariis, nec sustentationi alicujus familiæ. Et hi ipsi fide inviolabili solum obligandi sunt ad paucos annos, ut his evolutis ad servitia militaria substituantur alii. Si vero obligentur ad multos annos, v. g. ad quindecim, facile interea misere pereunt in Hospitalibus militaribus, destituti necessariis auxiliis, quod nec coram Deo excusari potest, nec coram mundo.

23. Tenetur providere, ut ad triremes vel ad metalla vel ad alia opera publica damnati finito termino damnationis liberi dimittantur. Nec excusat detentionem defectus aliorum operariorum. Justitia publica præferenda est lucris privatis aut etiam publicis.

24. Tenetur providere, ut militibus exacte solvantur stipendia. Alioquin necessitabuntur ad concussiones violentas subditorum, invitabuntur ad furta, ad desertiones, ex quibus consequuntur multorum suspendia, & Officiales, ut loco deserentium compleant numerum militum, compellent injuste ad militiam invitos, quorum omnium peccatorum princeps erit reus.

25. Peccat inferendo quamcunque injustam violentiam populo vicino. Si enim damnatur ad mortem latro, qui in via publica viatori rapuit duos aureos, & in Scriptura indignationem divinam Rex, qui Naboto eripuit agrum, non poterit indignationem divinam effugere, qui rapit integras urbes vel provincias. Nec purgatur crimen per subsecutos Tractatus & fœdera pacis, sicut nec excusatur a rapina latro, qui applicando sclopetum pectori extorquet voluntariam traditionem crumenæ. Itaque injuste aquisita non obstante pacificatione tenetur restituere, & compensare omnia damna illata. Hinc etiam peccat, violenter aut fraudulenter Instrumento Pacis inferendo terminum æquivocum, versatilem, ac semper idoneum ad inferendam novam injustitiam. Hoc enim nihil aliud est, quam præparare bellorum semina, & domui alienæ per cunicolos subjicere vasa pulveris pyrii.

26. Quando agitur de bello inferendo, tenetur de justitia belli consulere non adulatores vel causa emolumenti exinde sperandi partiales, sed indifferentes. Tenetur quærere & audire & ponderare omnes rationes contra se. Tenetur etiam sibi sumere sufficiens spatium deliberandi, ut possint omnium suorum Consiliariorum, quos non præveniat, percipere liberam sententiam. Sola gloria, vel sola securitas quærenda contra vicinum nunquam potest esse sufficiens titulus inferendi bellum. Alioquin deberet continuari bellum usque ad fines regni Sinarum, & vicinis liceret uti eodem jure, quod tamen ipse nollet.

27. Tenetur in causa belli non solum bene examinare, an bellum sit absolute necessarium populo? vel utrum solum agatur de juribus seu prætensionibus particularibus Domus seu familiæ regiæ, quorum accretio vel amissio nec prosit nec obsit notabiliter populo, sed etiam ac præcipue tenetur examinare, an susceptio belli non plus detrimenti bono communi illatura sit, quam emolumenti. Nemo enim prudens susciperet litem, cujus majores prævidet impensas, quam lucrum victoriæ in judicio. Hæc consideratio Fenelonii primario locum habere debet, quando ex bello secuturum videtur ingens damnum Ecclesiæ Dei, cui in æstimatione divina merito postponendum foret damnum temporale Principis. Cæterum etiam in casu, quo bellum appareat necessarium, tentanda nihilominus sunt omnia media transactionis pacificæ, implorandi

media-

mediatores, & evitanda omnia, ex quibus animi exasperari queunt.

28. Tenetur tempore belli exacte servare datam fidem in Capitulationibus, & aliis pacificationibus reciprocis. Tenetur etiam observare leges bellicas æque religiose, ac leges pacis. In ipso bello custodiendum est quoddam Jus Gentium mutuum, fundatum in sociali natura hominum, semper quantum fieri potest, tendente in obsequia charitatis & humanitatis reciproca. Hoc sacrum & inviolabile vinculum populorum nec armis rumpere licet unquam. Alioquin bella nil aliud forent quam latrocinia, proditiones, assassinia, & crudelitates barbaræ. Inimicis nil inferendum, nisi quod ab iis jure exspectes. Non licet fraudi rependere fraudem, nec licet violare datam fidem, eo quod eam hostis infregerit. In casu, quo duæ Potentiæ inæqualium virium bello congrediuntur, tenetur potentior servare æqualitatem, sicut, dum ludit cum particulari, tenetur observare cum æqualitate leges lusorias. Hinc Princeps etiam potentissimus tenetur sequi omnes regulas contributionum, quæ suos subditos præservent a captivitate, cædibus, incendiis, & regulas capitulationum, & pacificationum.

29. Tenetur religiose observare non solum Capitulationes initas cum Præsidiis urbium, sed etiam initas cum populis devictis, idque sine fraudulentia per terminos ambiguos. Obedientia enim populi devicti fundatur in contractu illo bonæ fidei, qui si violatur a victore, nec ligat etiam amplius victos.

30 Tenetur tempore belli impedire, ne hostibus inferantur varia hostilitatum & malorum genera, inutilia ad finem belli, nempe ad obtinendam justam pacem. Hinc tenetur prohibere rapinas, incendia, sacrilegia, ac cædes, quæ nil contribuunt ad decisionem belli, & sine quibus nihilominus poterit obtinere victoriam. Debebit Deo reddere rationem de omnibus malis sua authoritate illatis sine necessitate.

31. Tenetur observare Tractatus pacis quoad articulos significationis ambiguæ juxta observantiam nationum contrahentium immediate subsecutam. Ea enim observantia immediata interpretatur mentem contrahentium aut certe intra quinquaginta annos fundat præscriptionem. Hac regula sublata tollitur *tranquillitas & securitas* in mundo, quæ duæ res sunt quasi duo Poli totius mundi.

32. Tenetur ad officia omnia regni subjecta idonea, in quibus reperitur perspicacia intellectus & rectitudo cordis inquirere, & præferre aliis, Hanc suam obligationem negligendo majus regno vel principatui infert damnum, quam si particularibus auferret possessiones, officia, & pecunias. Hac enim injustitia noceret paucis, illa vero omnibus, quibus tollit Rectores optimos. Rex vel Princeps teneretur, si posset, per semetipsum administrare omnia, cum vero id non possit, tenetur constituere sui Vicarios, qui repræsentant Principem. Si vero Princeps debet & vult esse optimus, etiam vicarius, ut repræsentet optimum, debet esse optimus. Ut vero reperiat subjecta optima, habet duo media, nempe ut loco aliarum recreationum conversetur cum plurimis. In conversatione enim Princeps habilis facile detegit conversantium levitatem, indiscretionem, vanitatem, mentis dolositatem, adulationem, & falsa principia. Alterum medium est, ut eos, quos reperit habiles, tentet in officiis inferioribus.

33. Tenetur providere, ne constituti in ejus servitiis nimio fastu & luxu se, suam familiam, & regnum perdant.

34. Peccat gravissime, si ex eo solum, quod delatores quempiam deferant, infamem, aut reddant suspectum, eum ab officiis removeat, vel tanquam suspectum a promotione excludat, quin prius rem debite examinet.

35. Peccat gravissime, si præ otio, inertia, vel debilitate animi se eousque directioni Ministrorum aut familiarium relinquat, ut, si quis illorum excessus confidenter illi aperiat, remedium quidem spondeat, interim tamen amore denuo vel blanditiis victus delationem Ministris aut familiaribus aperiat, & non obstante, quod veritatem delationis agnoscat, vel saltem obligationem inquirendi advertat, denuntiatorem in miseram prædam denuntiatis relinquat. Hac ratione privat se medio summe provinciis inte-

integris necessario cognoscendi in posterum excessus suorum Ministrorum, & familiarium, vel Officialium.

36. Inter maximos defectus Principis numerari meretur, si inter aulicos dignos & indignos discernere nesciat vel negligat. Indigni sunt effrontes, vani, rebus solum curiosis, lepidis, inutilibus, voluptuariis dediti, garruli, leves, qui omnia tono decisivo definiunt, qui omnia critice culpant, qui omnia in risum & facetias vertunt, qui omnibus applaudunt dictis aut factis a principe, homines phantastici vanis imaginationibus ducti, omnia oratorie exaggerantes, præsumptuosi, conantes dominari heriliter animo Principis. Quamdiu ejusmodi homines aulas replent, ab iis exulant viri solidis artibus, scientiis, vel meritis præditi. Medici, Prælati, Generales, Legati, &c. sectabuntur potius auram aulicam, quam obligationes sui Status. Econtra aulici amore & familiaritate Principis digni sunt, qui sunt modesti, cauti, secreti, homines boni & solidi judicii, qui non ducuntur partium studio, qui diffidunt sibi solis, qui timent sublimia officia, qui parum promittunt, præclara tamen operantur effectu, qui parum loquuntut, semper tamen multa animo suo volvunt & conferunt, qui loquuntur tono dubioso ac deliberativo, & qui norunt contra dicere cum reverentia.

37. Peccat Princeps, si gravissima negotia, quæ vix a quatuor debite expediri possent, avaritia, amore, vel pigritia cum pluribus conferendi, adductus, unius solius capiti imponat. Exinde enim necessario innumeræ injustitiæ, & immedicabiles, dum vel acta omnino intacta manent & non examinantur, vel dum ob defectum temporis non profunde inspiciuntur, dum non possunt formari variæ rerum gerendarum Ideæ, ut Princeps ex iis meliores seligat, dum illi deficit tempus studendi homines, hoc est, in eorum animos debite inquirendi, cum quibus eum conversari necesse est. Hucusque quoad substantiam Fenelonius. Ego vero aliam obligationem Regum ac Principum adnecto, de qua Fenelonius siluit. Itaque:

38. Tenetur Princeps, cum potestatem, authoritatem, & omnia temporalia bona per modum administratoris acceperit a Deo, ea ad fines a Deo præstabilitos, atque ad majorem ejus gloriam juxta intentionem supremi Domini rationabiliter administrare modo meliore quo potest.

39. Itaque, cum constet, Deum voluisse, & recto ordini rerum congruere, ut in Religione divinitus revelata detur Status Sacerdotalis Hierarchicus, hoc est, ordinatus per subordinationem inferiorum ad Superiores, & per colligationem Superiorum ad unum communem Directorem, ut subsistat perpetua unitas corporis instituti a Deo, tenetur etiam Princeps sua authoritate præbere manus adiutrices ad rectam unionem, conservationem, & ordinatissimam gubernationem hujus Status & Corporis Sacerdotalis, cujus finis & officium est verbo & exemplo dirigere animos ad amplectenda dogmata ac Instituta divinitus tradita, eosque ab inordinato amore temporalium avocare, & amore æternorum bonorum inflammare.

40. Cum autem ea gubernatio Status Sacerdotalis divinitus per modum ordinati Collegii instituti, & exinde per ordinationem divinam manens directio animorum ad bona æterna, fieri recte & stabiliter nequeat sine legibus constantibus, per eos conscriptis, quibus Deus curam de fine illo superno imposuit, cum ad eosdem cura & providentia superna de mediis congruis pertineat, ad quos pertinet cura de ipso fine; consequitur, Principem obligari ad tuendas omnes leges Sacerdotales seu Ecclesiasticas, ad illum finem a Deo in sua Religione præstabilitum *valde proficuas*, quamdiu & quousque bono Reipublicæ, cujus sollicitudinem Deus Principi imposuit, per abusum potestatis Ecclesiasticæ manifestum non repugnent, vel saltem notabiliter præjudicent, prout latius deduxi in Dissertatione, quam scripsi sub titulo: *De Jure naturali anticipato Dei ad Principem, & de Jure naturali servo Principis ad Ecclesiam*. Hanc dissertationem reperies meo *Juri Canonico* adnexam.

FINIS TOMI PRIMI.

239.02
Am68

43107

AMORT, C.R.L.P., EUSEBIUS
AUTHOR

Theologia Moralis Inter Rigorem
TITLE
Et Laxitatem Media, Etc. Tomus I.

DATE DUE	BORROWER'S NAME

43107